ghar

2v Del Lico Dor. Diego cavallero de villavicencio

1661

COMMENTARII
EXEGETICI
LITTERALES

IN { POSTREMVM CANTICVM MOYSIS.
ISAIAE CAP. XXXVIII. CANTICVMQ; EZECHIAE.
PROPHETAS NAHVM, ET MALACHIAM.
B. PAVLI EPISTOLAS AD EPHES. ET COLOSS.
ET BEATORVM IACOBI, ET IVDAE CANONICAS.

AVCTORE

P. AVGVSTINO
DE QVIROS ILLITVRGITANO,
SOCIETATIS IESV THEOLOGO, ET IN
Collegijs Cordubensi, & Granatensi olim sacrorum
Librorum interprete.

CVM INDICIBVS NECESSARIIS, ADIECTO
uno copioso locorum Moralium ad usum
Concionatorum.

HISPALI
Excudebat Franciscus de Lyra Anno MDCXXII.

CVM PRIVILEGIO AD DECENNIVM.

FACVLTAS R. PATRIS PROVINCIALIS.

EGo Franciſcus de Aleman Præpoſitus Provincialis Societatis Ieſu in Provincia Bætica, poteſtate ad id mihi facta à R. admodùm P. Mutio Vitelleſchi Præpoſito noſtro Generali, facultatem concedo, ut Commentarij in poſtremum Canticum Moyſi, in Caput XXXVIII. Iſaiæ; in Malachiã, & Nahum Prophetas; in Epiſtolas Pauli Apoſtoli ad Epheſios, & Coloſſenſes; & in Canonicas Iacobi, & Iudæ, à P. Auguſtino de Quiros noſtræ Societatis Theologo, & publico ſacrarum litterarum Profeſſore compoſiti, & eiuſdem Societatis gravium, doctorumque virorum iudicio examinati, & approbati, typis excudantur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas dedimus Cordubæ die ultima Decembris An. 1621.

Franciſcus de Aleman.

CENSVRA REVERENDISSIMI P. MAGISTRI FR. ANTONII PEREZ, Sancti Officij Conſultoris, & olim totius ſacræ Benedictinorum Familiæ Generalis.

COmmentaria exegetica iſta, quæ R. admodùm P. Auguſtinus de Quiros Societatis Ieſu ſtruxit in Cantica Moyſi, & Ezechiæ; atq; in Prophetas Nahum, & Malachiam; & in B. Pauli Epiſtolas ad Epheſios, & Coloſſenſes; & in Beatorum Iacobi, & Iudæ Canonicas, pro Regio Senatu vidi, & expendi, & planè hauſi, magno Fidei Catholicæ fœnore in lucem poſſe prodire, utpote dilucida, vivida, ac re litteraria plena, fideiq; undique congrua. Matriti apud B. Martini Benedictinorũ cœnobiũ, Kalendis Februarij An. 1622.

Fr. Antonius Perez.

SVMA DEL PRIVILEGIO.

ESTos Commentarios del Padre Augustin de Quiros, sobre el ultimo Cantico de Moyses, y el Cap. 38. de Isaias, y sobre los Prophetas Nahum, y Malachias, y las Epistolas de S. Pablo ad Colossenses, y ad Ephesios, y sobre las Canonicas de Santiago, y S. Iudas Thadeo, tienen privilegio de su Magestad por espacio de diez años, para que sin licẽcia del Autor nadie los imprima, ni de otros Reynos los trayga impressos, so graves penas. Su fecha en Madrid a quatro dias del mes de Março, de mill y seyscientos y veynte y dos años, ante Pedro de Contreras Secretario de su Magestad.

TASSA.

YO Iuan de Xerez Escrivano de Camara del Rey nuestro señor, de los que residen en su Consejo, doy fee, que aviendose presentado ante los señores del dicho Consejo un libro intitulado, *Commentarij exegetici litterales in postremum Canticum Moysi, Isaiæ caput XXXVIII. Canticumque Ezechiæ: in Prophetas Nahum, & Malachiam: in B. Pauli Epistolas ad Ephesios, & Colossenses; & in Beatorum Iacobi, & Iudæ Canonicas.* compuesto por el Padre Augustin de Quiros de la Compañia de Iesus, que con licencia de los dichos señores à sido impresso; le tassaron a quatro maravedis el pliego: y a este precio, y no mas, mandaron que se venda; y que esta fee de Tassa se ponga al principio de cada libro, para que se sepa al precio que se à de vender. Y para que dello conste, di esta fee en Madrid a diez y siete dias del mes de Setiembre de mill y seyscientos y veynte y dos años.

Iuan de Xerez.

ERRATA.

Pag.	Col.	Lin.	Lege.
1.	2.	1.	*patratum.*
51.	2.	19.	*oculos.*
66.	1.	28.	*veniat.*
66.	1.	29.	*nimis.*
107.	2.	antepenul.	*Inferi.*
117.	2.	41.	*possumus.*
182.	2.	7.	*lucos.*
199.	1.	9.	*ad.*
217.	1.	34.	*cremanda.*
243.	1.	28.	*Sacerdotij.*
280.	1.	35.	*loci.*
303.	2.	9.	*& regno.*
337.	2.	15.	*donum.*
363.	2.	21.	*sancto.*
429.	1.	44.	*Silius.*
430.	1.	32.	*ocreati, aut.*
437.	2.	46.	*impertiat.*
466.	2.	13.	*redundare.*
476.	2.	20.	*famem.*
489.	2.	45.	*livorem.*
535.	2.	12.	*ob.*
549.	2.	40.	*Græco.*
575.	2.	39.	*effatum.*
592.	2.	22.	*sive.*

His mendis emendatis, Liber correspondet suo originali. Datum Matriti die tertia mensis Septembris An. 1622.

Licentiatus Franciscus Murcia de la Llana.

BEATIS-

BEATISSIMO PARENTI
NOSTRO IGNATIO, NVPER A SANCTA SEDE

Apoſtolica in Cœlitum numerum, ſumma totius Chriſtiani Orbis acclamatione relato, minimus eius filius Auguſtinus de Quiros ſupplex, ac venerabundus ex animo gratulatur.

HOS meos Commentarios, qualeſcumque illi ſint, diuturnis certè vigilijs, & laboribus lucubratos, tibi Pater Beatiſsime, multis nominibus debitos, tuis ſanctiſsimis pedibus advolutus, obſervantiæ, & gratitudinis ergo, voveo, dico, conſecroq3: & in hac tam effuſa omnium ordinum lætitia, fauſtaq3 gratulatione, hoc tenue ſertum contextum è varijs floribus decerptis ex amæniſsimo ſacræ Scripturæ viridario, gratulabundus ad aram tuã ſuſpendo. Cui enim potiùs vel poſsim, vel debeam meorũ ſtudiorũ primitias cõſecrare? Tu mè puerũ rudẽ, & ignarum in tuæ Societatis diſciplinam ſuſcepiſti: tuis ſaluberrimis monitis, cæleſtibuſq3 tuarum Conſtitutionũ conſilijs, per quadraginta fermè annos ad omnẽ pietatẽ informaſti. Tu ex hac tam longè, latèq3 collucente doctrinarum, ac ſcientiarum omniũ luce, qua Societatem tuam Divina Bonitas illuſtravit, affuſo aliquo ſplendore, mentis meæ tenebras diſpuliſti. Reddo itaque tibi lubens, quod à te accepi: imò longè minus, quàm accepi. Cuperem certè plura, & meliora pro infinitis à te acceptis beneficijs. Sed tuum erit filioli obſequium, non è tenuitate ſua, ſed ex magno, & incenſo tibi gratificandi ſtudio, ac voluntate metiri. Fruere, Sanctiſsime Pater, honore tibi cœlitus delato annis perennibus.

LECTORI.

DVCA admodùm sunt, benigne Lector, de quibus te admonendum esse duxi. Primum est, me per aliquot annos, quibus sacrã Scripturam publicè interpretatus sum, hos Commentarios Auditoribus meis de suggesto dictasse. Nunc autem Superiorum meorum iussu, eosdẽ in lucem edo. Eosdem, inquam, quos dictavi; recognitos quidem per otium, sed, verè ut dicam, penè immutatos, atq; adeò ipsissimos. Atenim, dicat aliquis, quid attinet istud scire? Tua quidem, candide Lector, fortasse parum: mea certè, qui tibi facere satis, etiam atq; etiã opto, multùm sanè refert. Primùm enim hinc fiet, ne œconomiam, ordinemvé requiras ullum inter libros, qui explicantur: nam id esset, nodum in scirpo quærere; cùm mihi solùm propositũ fuerit, ex præscripto nostræ Societatis, alternis annis modò aliquid ex Vetere Testamento, modò exponere aliquid ex Novo. Deinde illud etiam cõstabit, quid causæ fuerit, cur in his Commentarijs præposterè priorem locũ teneat Epistola ad Colossenses, quàm ad Ephesios: illam enim explicui Cordubæ anno 1603: hanc aliquantò pòst; & cùm pleriq; loci quàm simillimi in utraq; Epistola reperiantur, non erant iterum eadem inculcanda in posteriore Commentario, qui propterea à ad priorem subinde refertur. Tametsi, ut ingenuè fatear, in alijs libris, quia non erant ijdem Auditores, qui priores exceperant, nonnulla interdum diversis in locis iterantur, quæ tamen in Editione facillimum fuisset expungere; sed quia detraheretur id, quod lucem affert verbis, quæ explicantur, & quia id raro admodum fit, & pro instituta nostra brevitate perpaucis, exiguũ istud dispendium non erit, ut spero, sine temporis, doctrinæq; compendio. Denique posteaquàm hæc ego dictavi, & illorum nutu, quibus omnes vitæ meæ rationes permisi, sex iam ipsos annos ab Scholis ad alias functiones avocatus sum, prodierunt in lucem ex nostro Ordine luculentissimi Commentarij in Prophetas, in Epistolas Paulinas, & Canonicas, quos si nactus fuissem, cùm hæc elucubrabam, næ ego doctissimos viros non sine debita laude identidem citavissem, atq; ex illorum chrystallinis fontibus meos qualescumq; hortulos uberiùs irrigassem.

Alterum est: me de industria omisisse notulas apponi solitas ad oram pagellarum, sive continentes compendia eorum, quæ dicuntur; sive indicantes sacræ Scripturæ loca, nominavé Auctorum, qui laudantur in Commentario. Quia cùm adeò exactos totius operis Indices, quàm fieri potuit accuratissimè, ego ipse elaboraverim, valdeq; copiosum unum

locorum Moralium ad usum Concionatorũ adjecerim, nullus, opinor, erit lector tam fugitans laboris, quin ex tot Indicibus, quod requirit, negotio facili deprehendat.

Tertium deniq; est: cùm passim Hebraicus, Græcusq; textus in his Commẽtarijs expendatur, atq; ex harum linguarum idiotismis, & proprietate, subinde Vulgati intelligentia, genuinusq; sensus illustretur; ha buisse me quidem in votis, ut voces originales nativis expressæ characteribus ederentur, vel certè è regione Latinarum litterarum, quibus utcumq; exprimuntur, apponerentur ad marginẽ. Sed quia id optare magis licuit, quàm sperare multas ob causas, harum linguarũ periti lectores ferent æquo animo pro sua benignitate, consulentq; ipsos Hebraicos, & Græcos codices, nostra iam ætate omnibus ferè obvios. Faxit, obsecro, Deus, ut ex his meis laboribus, ac vigilijs ardens aliqua Divini amoris scintilla in legentium animis concipiatur. Vale.

DISPVTATIO
DE SENSIBVS SACRÆ SCRIPTVRÆ.
SECTIO I.

Quis sit sensus litteralis.

SENSVS Litteralis, seu Historicus est ille, quem primò Spiritus Sanctus ex significatione ipsa vocum significare intendit. Non dixi esse eum, quem voces ipsę proximè, & immediatè significant; quia cùm sacra Scriptura referta sit metaphoris, cęterisq; tropis, sententia sępenumerò petẽda est, nõ ex vocibus in propria significatione acceptis, sed in trãslatitia; atq; adeò ex mẽte, & intentione dicẽtis. Iubet Christus Matth. 5. n. 29. & cap. 18. num. 9. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Si propriè sumerentur voces, & crudelis, & absurda sententia videretur; nec vacaret culpa oculum effodere: sunt ergo translatè intelligendę, ut sensus sit: si res tibi perinde cõiuncta, atq; dilecta, ut prius oculus, scandalizat te, vel cum summo animi dolore, à te longissimè disiunge. Ad hyperbolen refert Maldonatus Matth. 5. n. 29. ut sunt referenda illa ad Galat. 4. nu. 15. *Si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.* Illa item Genes. 11. n. 4. *Faciamus nobis civitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum*: & Proverb. 17. n. 12. *Expedit magis ursæ occurrere, raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti in stultitia sua.*

Verba illa Genes. 3. n. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*; cùm sint ironicè dicta, non solùm aliter, ac sonant, accipienda sunt, sed contrario prorsus sensu. Pollicitus fuerat serpens, n. 5. *Eritis sicut Dij*: ergo per irrisionem, exturbato iam è summa dignita te in summam miseriam homini ironicè insultat Deus: Intuemini Adamum facti si licet omnipotentem, natura immortalem, per se beatum, & omnia scientia cõprehendentem: tunc nempe, cùm imbecillus, & ignorantiæ, calamitari, morti deniq; obnoxius fuerat effectus.

Dixi, eum esse sensum litteralem, quem Spiritus Sanctus significare intendit: quia, ut colligitur ex Aug lib. 12. Confess. cap. 31. interdum, ubi multiplex sub eisdem verbis intelligentia subest, aliquis potest esse sensus litteralis intentus ab Spiritu Sancto, qui non sit intentus à sacro Scriptore. Certè in nonnullis oraculis Prophetarum id etiam concedit Vazquez 1. Parte, disp. 17. cap. 3. n. 8. Sic etiã terror ille iniectus Ezechiæ, Isai. 38. n. 1. *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*; non fuit intelligendus secundum mentem Prophetæ, cùm posteà Rex per annos quindecim vitam propagarit. Sic Prophetia illa Ionæ 3. n. 4. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*; non fuit accipienda secundum intentionem Prophetæ, sed Dei, cui fuerunt non absolutæ, sed comminatoriæ illæ Prophetiæ: ut doctè disputat Ribera, Ionæ 3. à num. 17. ad 28. Molina. 1. part. quæst. 19. Enriquez lib. de Fine. cap. 4. §. 2. litt. N. & cap. 13. n. 6.

Ad cognoscendum verò certum sensum litteralem, commodissima illa regula præcipi solet, ut alterius loci, aut Conciliorum expositionem teneamus: ubi hæc desunt,

eam

eam corrogemus à Patribus Ecclesiæ, qui præcipuo quodam lumine Divini Spiritus illustrati, Scripturæ intelligentiam assecuti sunt. Vide Trident. Sess. 4. Decreti, cap. 2. Mendozam quæst. 2. positiva, pag. 170. Riberam, procœmio Commentariorum in Aggæum, Canum lib. 7. de Locis cap. 3. Ioann. Ferdin. in suo Thesauro, prælud. 6. n. 2. Barrad. Prologo in Concordiam Evang.

Illud etiam operępretium est annotare; ita nobis inhęrendum esse Sanctorum expositionibus, ut simul meminerimus, homines eos fuisse, atque adeò potuisse labi. Audi Augustinum, qua erat animi demissione, ingenuè de se ipso confitentem, tom. 7. lib. de Dono perseverantiæ cap. 21. [Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur; nisi in ijs, in quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem.] Audi, quid idem Sanctus Doctor de alijs Ecclesiasticis Scriptoribus sentiat, epist. 19. ad Hieronymum: [Ego fateor Charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum Auctorem scribendo aliquid errasse, firmissimè credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerūt.] Hactenus Augustinus, cuius verba citantur à Gratiano in Decreto, dist. 9. cap. 5. Non igitur est, cur quisquā miretur, ac multò minùs, cur tragœdias excitet, si videat Interpretem librorum Divinorum, rationum momentis impulsum, vel transversum unguem à Patrum expositione discedere. Lege doctam super hac re Pererij Disputationem, quæ ultima est Tomi 1. Comment. in Genesim.

SECTIO II.

Quis sit sensus Mysticus.

RES est omnino certa, & explorata, quàm plurima sacræ Scripturæ loca, non solùm continere sensum litteralem, sed etiam spiritualem, seu mysticum. Probant eruditè Ribera Procœmio Comment. in Ionam; & Vazq. 1. P. disp. 16. Hoc scilicet confirmat celebris illa Gregorij sententia, lib. 20. Moral. cap. 1. [Mos est sacræ Scripturæ, ut uno, eodemque sermone, dum narrat gestum, prodat mysterium.]

Est autem sensus mysticus, quem res ipsæ vocibus significatæ, propter similitudinẽ, quam cum alijs rebus habent, ex intentione Spiritus Sancti ulteriùs significant. Itaque spiritualis sensus remotè, ac mediatè significatur per verba; proximè verò, & immediatè, per res ipsas, quæ verbis immediatè significantur. Si enim homines cordati, atq; prudentes possunt, ac sępe solent, actionibus, & rebus ipsis animi sui sensa significanter enuntiare; quantò potiori iure infinitæ Dei Sapientiæ id concedendum est? Exempla suppeditat vetus Historia in Periandro, atque Tarquinio: quorum primus, referente Aristotele lib. 3. Politic. cap. 9. supereminentes spicas demetebat, & segetem æquabat: alter apud Livium lib. 1. Decad. 1. papaverum capita bacillo decutiebat. Et Periander quidem denotavit actione illa, civium omnium æqualitatem procurandam: Tarquinius verò, Gabiniorum Principes plus nimio superbientes, è medio tollendos esse, solerter indicavit.

Cùm ergo mystici sensus proximum signum sit sensus ipse litteralis, seu, quod idem

est,

est, res ipsæ historico sensu significatæ, consequens necessariò fit, ut spiritualis sensus semper fundetur in litterali, eumq; supponat. In interpretatione ergo Scripturæ sacrę secundum mysticum sensum, illud apprimè observandum est, ne ulla vis inferatur litterali. Eatenùs enim simile fit vero, intentum fuisse ab Spiritu sancto spiritualem sensum, quatenùs cum litterali cohæret, quem constat Spiritum sanctum intendisse. Notavit hoc Ribera Prol. in Malach. num. 9. & Mendoza quęst. 2. positiva, & Pererius tom. 4. in Genes. cap. 25. num. 52.

Hic ergo sensus spiritualis, salva fide, negari non potest. Matth. 12. numer. 39. ait Christus: *Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ*, &c. Vbi perspicuè docet, rem illam totam fuisse typum sepulturę, & resurrectionis suæ: quare necessariò fateri debemus, sub illa historia sensum mysticum latuisse. Ioann. 3. num. 14. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Vbi indubitatum est, serpentis illius exaltatione Christum actum in crucem figurari.

Meritò igitur Apostolus 1. Corint. 10. cùm de Hebręo populo longam narrationem texuisset, concludit ad extremum num. 11. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Commemorat verò inter alia num. 4. *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra: petra autem erat Christus.* Vnde aperte liquet, Christum, qui contenta voce clamabat, Ioan. 3. num. 37. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*; petra illa, quæ sitiēti Populo uberrimos præbuit latices, adumbrari; imò & ipsa petra planè corporea, atque adeò saxea, propter hanc spiritalem significationē spiritalis appellatur. Sed quando huc incidimus, non involvam silentio, quod scribit Genebr. Psalm. 77. n. 19. affirmat enim, quòd petra illa, percussa virga Moysis, non modò tunc sitim Populi explevit, sed Angeli ministerio deportata, quòcumque per desertum demigrarent, eos comitabatur, dulcissimis, & largissimis aquis perpetuò manans. Quod minimè mirum videri debet perpendenti, Angelos eidem Populo, & nubem, & facem prætulisse, & suavissimam illam escam esurientibus præparasse. Ita sentire videtur Tertull. lib. de Patient. cap. 5. [Post Mannæ escatilem pluviam, post petræ aquatilem sequelam.] Et lib. de Baptismo cap. 9. [Hæc est aqua, quæ de comite petra populo profluebat.]

SECTIO III.

Quotuplex sit sensus Mysticus.

TRIPLEX est sensus Mysticus: nam res significata per litteram, vel est figura rei pertinentis ad statum Ecclesiæ triumphantis; & hic est sensus Anagogicus: vel ad statum Ecclesiæ militantis: & tunc vel refertur ad mysteria fidei; & hic est sensus Allegoricus: vel spectat ad formandos mores; qui sensus dicitur Tropologicus. Perspicuè comprehenditur hæc divisio duobus carminibus traditis à Lyrano Prologo Bibliorum.

Littera gesta docet: quid credas, Allegoria:
Moralis, quid agas: quò tendas, Anagogia.

Exemplum suppetit perillustre, ubi quatuor isti cernuntur sensus, ad Galat. 4. nu. 22. *Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera.* Ecce sensus historicus. Quæ verò deinde subiungit, num. 23. *Quæ sunt per allegoriā dicta. Hæc enim sunt duo testamenta*; manifestè spectant ad Allegoricum. Rursus, cùm ait num. 26. *Illa autem, quæ sursum est, Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra*; sensum explicat Anagogicum. Cùm denique mores instruit, num. 29. *Sed quomodò tunc is, qui secundum carnem*

natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum, ita & nunc; &c. Tropologicum ſenſum illuſtrat.

Peti etiam poteſt accõmodatiſsimum exemplum ex Hieronymo in 16. cap. Ezech. in hac voce *Ieruſalem*: quæ in ſenſu litterali ſignificat præcipuam urbem Paleſtinæ, idque paſsim in ſacris litteris. In Allegorico, Eccleſiam militantem. Apoc. 21. num. 2. *Vidi ſanctam civitatem Ieruſalem novam, deſcendentem de cœlo, à Deo paratam*, &c. In Tropologico, animam fidelem. Iſai. 52. num. 2. *Excutere de pulvere, conſurge; ſede Ieruſalem: ſolve vincula colli tui captiva filia Sion.* Deniq; in Anagogico, Eccleſiam triũphantem: ut proximè vidimus ad Galat. 4. num. 26. & Apoc. 3. num. 12. Lege ibi Riberam num. 32. & Expoſitores Pſal. 147. *Lauda Ieruſalem Dominum*, &c.

SECTIO IIII.

Vter ſenſus præſtantior ſit.

MYſticus ſenſus veteris Teſtamenti longè nobilior eſt, atque preſtantior litterali; cùm hic umbram duntaxat, ille veritatem ſolidam, expreſſamque contineat: iuxta id Coloſſ. 2. num. 17. *Quæ ſunt umbra futurorum; corpus autem Chriſti.* & ad Hebr. 10. num. 1. *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum.* Vide Perer. Tom. 4. in Geneſ. cap. 25. num. 52.

Neque ſolùm potior eſt, atque nobilior litterali, ſed etiam multò magis intentus ab Spiritu ſancto. Ratio eſt in promptu. Nam hic ſenſus ſemper eſt de rebus altioribus; nẽpe de myſterijs Chriſti, eiuſque Eccleſiæ. Vnde frequenter ab Origene, Hieronymo, cæteriſque Patribus, modò altior, & ſublimior, modò ſacratior intellectus appellatur. Hiſtoricus autem de rebus humilioribus eſt. Vtrumque voluit Spiritus ſanctus Exod. 12. num. 46. præcepto illo: *nec os illius confringetis*: ſcilicet & agni legalis oſſa non comminui, & Chriſto in Cruce pendenti crura non eſſe confringenda, Ioan. 19. num. 36. Hoc quidem remotiùs; illud proximè. Sed quin hoc poſtremum primaria intentione maluerit, nemini dubium eſſe poteſt. Illuſtrat hoc Ribera prælud. 1. num. 21. exemplo ſatis accommodato, ex 1. Reg. 20. n. 21. cùm Ionathas dicebat puero: *Ecce ſagittæ ultra te ſunt.* Proximè quidem puero indicabat, ubi ſagittam inveniret: remotiùs verò, ſed multò principaliùs monebat Dauid, ut fuga ſalutem peteret.

Luculentè hoc demonſtravit Apoſtolus 1. Cor. 9. num. 9. ubi probans alendos eſſe miniſtros Eccleſiæ, ex myſtico ſenſu illius loci Deuter. 25. num. 4. *Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas*; continuò ſubiungit. *Numquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos utique hoc dicit?* Non negat Apoſtolus, Deo curam eſſe de bobus. Quis enim poſſet id negare, ſalva fide, de benigniſsima illius providentia, *qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum?* Pſ. 146. num. 9. Nimirùm pulli corvorum recẽs excluſi, candidi ſunt, vel quia implumes, vel plumis ipſis albicantibus; atq; ideo velut ſuſpecti, & ſpurij negliguntur à parentibus. Pipientibus ergo præ fame Deus immittit muſcas, quæ ſeſe in eorum fauces inſinuent: vel eos alit roſcida quadam aura. Quod eximium eſt argumentum Divinæ providentiæ, aves tam tetras aſpectu, tam aſperas crocitu, carnivoras, & voraciſsimas, ab ipſo Deo, tanquam à nutrice, ſuſtentari. Iob 38. num. 41. *Quis præparat corvo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes eò, quòd non habeant cibum?* Non itaque negat Apoſtolus, Deo curæ eſſe boves; ſed docet, multò magis voluiſſe præcipere, ut miniſtri Evangelici alerentur. Nam ſi inhumanum eſt, bovi trituranti os alligari; quantò inhumanius, atque iniquius cenſeri debet, homini tua cauſa laboranti dignam mercedem non retribuere?

Signatè dixi, ſenſum myſticum Veteris Teſtamenti nobiliorem eſſe litterali: ſecùs enim eſt de Novo. Nam & Chriſti paſsio extra portam tropologico ſenſu repræſentat id, quod minus eſt, ſcilicet & nos item debere ad Chriſtū imitandū extra caſtra prodire. Ad Hebr. 13. num. 12. *Extra portam paſſus eſt. Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium eius portantes.* Notavit hoc Vazquez 1. part. diſp. 16. cap. 1.

SECTIO V.

An ex ſenſu myſtico ducatur efficax argumentum.

COmmunis opinio fert, ex ſenſu myſtico inefficax deſumi argumentum ad fidei dogmata confirmanda. In quam ſententiam dixiſſe videtur Dionyſ. epiſt. 17. ad Polycarp. *Myſtica Theologia nō arguit.* Ratio verò id ſuadet: nam ſenſus litteralis ita manifeſtus eſt, ut inde efficaciſsima promantur argumenta. Myſticus verò propterea myſticus, & ſpiritualis appellatur, quòd intus in rebus ipſis quaſi reconditum myſterium deliteſcat, & quaſi ſpiritus in corpore aciem fugiat.

Nihilominùs cenſeo, ſenſum myſticum natura ſua non minùs valere, quàm hiſtoricum ad dogmata fidei ſtabilienda: quare ubi conſtiterit, aut ex altero Scripturæ loco, aut ex Patrum conſenſu, ſive ex Eccleſiæ traditione, illum intentum fuiſſe ab Spiritu Sancto, validiſsimum conficiet argumētum. Ratio convincens eſt. Propterea ſenſus litteralis valet ad dogmata fulcienda, quia illum intendit Spiritus Sanctus: ſed idem intendit etiam myſticum, imò in Veteri Teſtamento principaliùs, quàm hiſtoricum; ergo eiuſdem erit firmamenti.

Sic ſæpe argumentatur Paulus, ut ad Rom. 10. num. 18. *Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* In hoc loco ex Pſalm. 18. num. 5. ubi ad litteram de cælis ſermo eſt, probat Evangelij prædicationem toto terrarum orbe promulgandam. Sed nimirùm cæli adumbrabant Apoſtolos ex intentione Spiritus Sancti. Licèt Tolet. notat. 11. etiam in ſenſu hiſtorico de Apoſtolis exponat.

Argumentum illud ex Deuter. 25. num. 4. (de quo ſectione 4.) non ſolùm uſurpavit Paulus 1. Corint. 9. n. 9. ſed & 1. Timot. 5. n. 17. *Qui bene præſunt præsbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo, & doctrina: dicit enim Scriptura: Nō alligabis os bovi trituranti.*

Ad Hebræ. 1. num. 5. probat Apoſtolus Chriſti Divinitatē ex ſenſu myſtico illius loci 2. Regum 7. nu. 14. *Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium.* Quod perſpicuum eſt, in ſenſu litterali pertinere ad Salomonem. Qui plura volet exempla, legat Rib. in illud cap. 1. ad Hebræ. num. 54. & Prælud. 1. in Proph. nu. 22. Vazquez, 1. P. diſp. 17. cap. 5. Pererium Tom. 4. in Geneſ. cap. 25. num. 49.

Fateor quidem, ſæpe ex accidenti inefficax duci argumentum ex ſenſu myſtico, quia aut nobis ignotus eſt, aut non conſtat illis, quibus cum diſputamus: propterea quòd ex rerum inter ſe ſimilitudine capitur, quæ incertior, & obſcurior eſt, quàm vocum ſignificatio, unde ſenſus elicitur hiſtoricus. Præclarè enim Hieronymus in cap. 13. Matthæ. cùm de fermenti explicatione, & ad Sacroſanctam Trinitatem accommodatione quædam retuliſſet, continuò ſubiungit. [Pius ſenſus; ſed nunquam Parabolæ, & dubia

ænig-

ænigmatum intelligentia poteſt ad auctoritatem dogmatum proficere.] Auguſtinus item, tom. 6. lib. 1. contra Adverſarium legis, cap. 13. in eamdem ſententiam rectè dixit. [Illud, quod magis Propheta, huius libri Auctor intendit, ut eius narratio rerum factarum, eſſet etiam præfiguratio futurarum, non eſt contentioſis, & infidelibus ſenſibus ingerendum.] Sed hoc ipſum ſæpe etiam uſu venit in ipſo ſenſu hiſtorico. Nam cùm loci alicuius, in quo videlicet exponendo ſuam auctoritatem non interpoſuit Eccleſia, ſenſus litteralis aut nobis, aut adverſarijs dubius eſt, firmum ex eo argumentum deſumi non poteſt ad illos revincendos.

SECTIO VI.

In pleriſque locis Veteris Teſtamenti nullum alium hiſtoricum ſubeſſe ſenſum, niſi ſpectantem ad Chriſtum.

IAnquam certum in fide ſtatuendum eſt, in multis Prophetarum oraculis adeò expreſsis, atque perſpicuis verbis Chriſtum eſſe prænuntiatum, ut ea vel obtorta gula, ad nullam aliam perſonam Veteris Teſtamenti poſsint detorqueri. Hæc aſſertio definita eſt in Concilio Conſtantinopolitano V. Act. 5. (habetur in Editione nova tom. 2. pag. 688) & in Romano ſub Vigilio, cuius decreta extant in Bibliotheca Vaticana. Referuntque teſtes oculati Turrianus, lib. 2. Conſtitut. Clementis Romani, cap. 5. Vazquez 1. part. diſp. 16. cap. 4. num. 15. Prado in Commentario Iſagogico in Ezech. ſect. 3.

Eiuſmodi ſunt illa vaticinia, quæ paſsim citantur ab Apoſtolis, & Evangeliſtis: ut Pſalm. 21. num. 1. *Deus Deus meus reſpice in me: quare me dereliquiſti?* Matth. 27. num. 46. & Marc. 15. num. 34. Eodem Pſalm. num. 18. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* & num. 19. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea*: Matth. 27. num. 35. Marc. 15. num. 24. Luc. 13. num. 34. Ion. 19. num. 18.

Vnus Iſaias plura nobis per multa capita ſuppeditabit exempla. Cap. 7. num. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*: Matth. 1. nu. 23. Cap. 9. nu. 6. *Parvulus enim datus eſt nobis.* & num. 2. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*: Matth. 4. num. 15. Cap. 11. nu. 10. *In die illa radix Ieſſe*: Roman. 15. num. 12. Cap. 28. num. 16. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem*: Matth. 21. num. 42. Act. 4. num. 11. & 1. Petr. 2. num. 7. ad Roman. 9. num. 33. Cap. 53. num. 4. *Verè languores noſtros ipſe tulit*: Matth. 8. num. 17. & 1. Petr. 2. num. 24. Eodem cap. 53. num. 7. *Sicut ovis ad occiſionem ducetur*: Actu. 8. num. 32. Eodem item cap. num. 12. *Cum ſceleratis reputatus eſt*: Marc. 15. num. 28. Luc. 22. 37.

Sed age, videamus Apoſtolos ipſos hanc aſſertionem confirmantes. Exponens Petrus locum illum ex Pſalm. 15. num. 20. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*; perſpicuè demonſtrat, non poſſe ad litteram Davidi, ſed Chriſto convenire. Act. 2. num. 29. *Liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus eſt, & ſepultus: & ſepulchrum eius eſt apud nos, &c.* Explicatius Paulus Act. 13. num. 36. *David* (inquit) *appoſitus eſt ad Patres ſuos, & vidit corruptionem: quem verò Deus ſuſcitavit à mortuis, non vidit corruptionem.*

Atque huc ſpectat celebris ille tranſitus frequens in Prophetis, cùm exorſi res ſcri-

bere

bere sui temporis, maiore quodam lumine subitò illustrati, & sancti Spiritus afflatu quasi abrepti, repentè præcidunt narrationis filum, & grandius quiddam, sublimiusque sonantes, Historiæ suæ Christum quàm aptissimè attexunt. Vide Pradum sect. 5. & Riberam Osee 2. num. 34. Sic facilè à multis explicatur illud 2. Reg. 7. num. 14. allatum ad Heb. 1. num. 5. Vide Acostam lib. 1. de Temporib. novissimis cap. 11. & Rib. ad Heb. 1. num. 51.

SECTIO VII.

Sub eadem littera plures esse sensus litterales.

DIsertis verbis id concludit D. Thom. 1. part. quæst. 1. art. 10. corpore; solidamque rationem huius assertionis sapientissimè reddit. [Quia sensus (inquit) litteralis est, quem Auctor intendit. Auctor autem sacræ Scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit.] S. Thomã sequuntur communiter Doctores, quos referunt Vazq. 1. P. disp. 17. cap. 2. & Molina quæst. 1. art. 10. disp. 3. & Bañez ibid. dub. 7.

Longiùs processit D. Aug. lib. 12. Confes. cap. 31. ubi censet pertinere ad intelligentiam litteralem, [quidquid hîc veri potuimus invenire; & quidquid nos non potuimus, aut nondum possumus, & tamen in eis inveniri potest.]

Admirabilem hanc fœcunditatem iam tum in primo ipso Scripturæ aditu, ac vestibulo, idest, in primis verbis Geneseos Spiritus sanctus luculenter expressit. Nam illa verba, *In principio creavit Deus cœlum, & terram*, multiplicem continent sensum litteralem, ut ex professo probat August. lib. illo 12. Confessi cap. 20. *In principio*, idest, ante alia omnia: ut Psalm. 101. num. 26. *Initio tu Domine terram fundasti.* & Proverb. 8. num. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio.* Atque ex isto sensu litterali convincitur error Græcorum asserentium, Angelos fuisse condítos ante mundum corporeum; quod esse contra fidem, affirmat Molina 1. part. quæst. 61. art. 3.

Deinde ex Concilio Lateranensi cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, & Fide Catholica, constat, eum esse sensum litteralem. *In principio*, hoc est, ab aliquo initio tẽporis. Vbi refellitur error Aristotelis asserentis fuisse mundum ab æterno: narraturq; Deum fecisse, ut mundus, qui ex æternitate nullus fuerat, repentè, tum nimirum quando ei libuit, primùm esse inceperit: ut copiosè explicat Perer. in suis Commentarijs.

Tertiò denique non est reijciendus sensus alius litteralis, quem plerique sacri Interpretes probant, & tuentur. *In principio*, idest, in Filio, *qui est principium*, ad Coloss. 1. num. 18. & Ioan. 8. num. 25. *Fecit enim Deus cælos in intellectu*, Psalm. 135. num. 5. *Et verbo Domini cœli firmati sunt*, Psalm. 32. num. 6. Per Filium nempe, ut per Sapientiam Patris, *facta sunt omnia, & sine ipso factum est nihil*, Ioan. 1. num. 3. *Per quem fecit & sæcula*, ad Hebr. 1. num. 2. *Quoniam in ipso condita sunt universa in cælis, & in terra*, ad Coloss. 1. num. 16.

Et quia huius assertionis passim suppetunt exempla, unico ego duntaxat rem totam & declarabo, & confirmabo. Ioan. 11. num. 50. in illo nefario consilio inito ad occidendum Christum, superbè nimis, & arroganter suam dixit sententiam Caiphas. *Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota Gens pereat.* Quæ verba sine ulla dubitatione du-

plicem continebant ſenſum litteralem: unum, qui reſpondebat menti iniquiſsimi Pō-tificis; videlicet è medio tollendum eſſe Chriſtum, ne tota Gens Iudæorum ad inter-necionem uſque deleretur à Romanis: alterum, quem teſte ipſo Evangeliſta, num. 51. ſignificare voluit Spiritus ſanctus; nimirùm expedire, ut Chriſtus tolleretur in Cru-cem, ad placandum Divinum numen, hominum ſceleribus violatum, ne genus huma-num univerſum funditus interiret. Quid ergo mirum videri debet, ſi dicamus Spiri-tum ſanctum intendiſſe unico Scripturæ loco plures intelligentias exprimere littera-les, quas verbis ipſis, atque contextui perſpiciebat congruenter adaptari?

Adeat, quæſo, Lector Commentarium noſtrum in ea verba Iudæ n. 8. *Maieſtatem autem blaſphemant*: ibique reperiet hanc Theologicam aſſertionem luculentis ſacræ Scripturæ teſtimonijs, & exemplis perſpicuè confirmatam. Nunc pro inſtituta huius Diſputationis brevitate, hæc ſatis, ſuperq; ſint.

IN

IN POSTREMVM

CANTICVM MOYSI

COMMENTARII EXEGETICI LITTERALES.

AVCTORE

PATRE AVGVSTINO DE QVIROS

è Societate IESV.

De Auctore huius Cantici.

1

AVCTOREM huius Cantici fuisse Moysen, nullus, quem sciam, est, qui revocet in dubium. Ego verò minimè itẽ dubius affirmare ausim, Iosue etiam conditorem simul, & enunciatorem unà cum Moyse, huius carminis extitisse. Aio itaque, utrũq; divinitus afflatũ eosdẽ versus, easdẽ omnino voces, Spiritusancto dictante, conscripsisse: utrumque etiam exaratum poema, audiente populo, altè, distinctèque, vel de scripto, vel memoriter potiùs recitasse. Et quanvis diversi modi excogitari possint, quibus conscripserint, & concinuerint ambo: qui & excogitantur, & expenduntur à Serario lib. 1. in Iosue cap. 10. q. 4. mihi verò ille videtur facillimus fuisse modus scribendi, quem exposui, quem unico duntaxat exemplo, eóque maximè illustri confirmabo.

2

Post patratatum à Deo stupendum illud miraculum, cùm marini fluctus, instar solidissimæ chrystalli, obstupuerunt: cùm Dei populus gradiens per maris alveum sicca vestigia pressit in profundo, & in adversum littus incolumis evasit; cùm soluta illa repentina glacie, insequentes AEgyptij immensis vorticibus obruti, dein in arenã eiecti opima spolia, & exultantis lætitiæ segetem ereptis é tanto discrimine præbuerunt. Tũc Moyses, & universa multitudo prorupit in egregium illud canticum, quod refertur Exod. 15. *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt: equum, & aſcenſorẽ deiecit in mare.*

Sed edidit tunc Deus novum prodigium, mea quidem sententia, non minùs, sed multò magis admirabile, & stupendũ: quod malo vos audire relatum verbis Auctoris illius libri de mirabilibus Scripturæ, qui extat inter opera Augustini, tom. 3. lib. 1. cap. 21. [Enormi satis admiratione, accidit dignum miraculum, ut cuncti pariter, senes cum pueris, & omnes ætates, eodẽ inspirante flamine, uno quasi ore, nulla præmonitione edocti, eadem continenter litteras decantarent in

unum. Et qui parum antè in profundo coram eis apparuerat, ipſe poſtmodùm in tali Cantico eorum linguas, & ingenia gubernabat.] Hactenus ille auctor, & eo lõgè antiquior Chaldaicus Paraphraſtes eãdem retulit hiſtoriam. Cant. 2. in Editione Regia num. 13. ubi ſignatè commemorat, etiam infantium, atque lactentiũ linguas fuiſſe ſolutas, ad celebrandas divinas laudes; *Etiam pueri, inquit, & infantes laudaverunt dominatorẽ ſæculi linguis ſuis.*

3 Atque hanc exiſtimo eſſe intelligentiã litteralem illius loci Sapient. 10. numer. 15. *Tranſtulit illos per mare rubrum, & trãſvexit illos per aquam nimiam: inimicos autem illorum demerſit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo inſtituerunt ſpolia impiorum, & decantaverunt Domine nomen ſanctum tuum, & victricem manum tuam laudaverunt pariter.* Vbi expendẽdum eſt adverbium illud *pariter*, ideſt, uno animo, uno quaſi ore, totidemque verbis, ut perſpicuum eſt ex ratione, quæ continuò ſubiungitur, quę alioqui non modò nullius momenti, ſed & aliena à propoſito videretur. *Quoniam ſapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas.* Ideò videlicet victricem Dei dexteram decantaverunt pariter, quia divina Sapientia mutis, & infantibus linguæ uſum anticipatò contulit, & ipſiſſima verba concinenda dictavit.

4 Quòd ſi ad illud Canticum edendum Spiritus ſanctus non ſolùm Moyſen, ſed ſimul etiam infinitam illam multitudinẽ afflavit: quid mirum, ſi fateamur, ipſius etiam dictantis inſtinctu Ioſue ſimul cũ Moyſe hoc poema condidiſſe? diſertis enim verbis ait Scriptura, Deuter. 31. n. 14. *Voca Ioſue, & ſtate in tabernaculo*, & c. & num. 19. *Nunc itaque ſcribite vobis Cãticum iſtud, & docete filios Iſrael.* Vterq; etiam Canticum, audiente populo, recitavit. Deuter. 32. num. 44. *Venit ergo Moyſes, & locutus eſt omnia verba Cantici huius in auribus populi, ipſe, & Ioſue filius Nun.* Sive quia ambo pariter contenta adeò voce, ut à multitudine poſſet exaudiri, decantarunt. Sive, quia prębat Moyſes verſum unũ pręcinendo, eumdẽq; ſtatim repetendo, Ioſue ſubſequebatur; ſive quia alternis verſum unum Moyſes, alterum concinebat Ioſue; ſive denique totũ priùs carmen cecinit Moyſes remiſſa prę ſenectute voce, deinde verò, ut etiam à longè diſtantibus audiretur, Ioſue contẽtiùs, & elatiùs ob robuſtam, vegetamque ætatem, rurſus iteravit.

De forma, ſive ſtylo.

5 COncordãt Expoſitòres, orationẽ eſſe cùm gravẽ, & ardentẽ, tũ verò nõ ſolutam, ſed aſtrictam numeris; quod mirè valet ad iuvandam memoriam, mentemque numeroſo illo verborum ductu vehementiùs excitandam. Conſtanter enim hæc Moyſis extrema concio, carmẽ, ſive Canticum nominatur. Deuteron. 31. num. 19. Num. 21. num. 22. & num. 30. & cap. 32. num. 44. Memoriter autem ediſcendum eſſe, præcipit Deus ipſe, Deuteronom. 31. num. 19. *Scribite vobis Canticum iſtud, & docete filios Iſrael, ut memoriter teneant, & ore decantent.* Et num. 21. *Poſtquã invenerint eum mala multa, & afflictiones, reſpondebit ei Canticũ hoc pro teſtimonio, quod nulla delebit oblivio exore ſeminis tui.* Reſpondebit autem Canticum hoc pro teſtimonio, quia cùm ob patrata ſcelera divinam ultionem, acerbiſſimaſque calamitates incurrent, palàm conteſtabitur hoc Canticum, iam olim legis tranſgreſſoribus atrociſſima illa fuiſſe intentata ſupplicia.

6 Eſt verò hoc poema (ſi alterum ipſius Moyſis excipias, & nonnulla capita Iobi) ex omni memoria longè vetuſtiſſimum, & antiquiſſimum. Certũ enim eſt, Moyſen omni Græca antiquitate, vel ipſorum Gręcorum teſtimonio, fuiſſe antiquiorẽ. Floruit nimirùm ante prima illa totius Gręcię lumina, Orpheũ, Linum, Muſæũ, annis propè quadringẽtis. Homero autẽ, quem parentem antiquitatis, Solem omnium doctrinarum, & fontem ingeniorũ,

veteres

veteres nominarunt, prior fuit Moyſes plus quingētis annis; probat hoc eruditè, ut ſolet, Pererius Exod. c. 2. diſp. 3.

7 Quo autē genere verſuum conſtet hoc poema, res eſt explicatu difficilis: animadverto enim graviſsimos Auctores, & Hebraicæ linguæ ſciētiſsimos, inter ſe de huius carminis ratione diſſentire. Ioſephus quidem lib. 4. antiq. cap. ultimo, heroicos verſus eſſe affirmat. [Deinde, inquit, carmen hexametrum eis recitavit, quod ſcriptum reliquit in ſacro volumine, continens prædictionem futurorum.] Eodē genere verſus ſcriptum etiam fuiſſe primum illud Canticū, quod habetur Exod. 15. teſtatur idem Ioſephus lib. 2. antiq. c. 7. [Moyſes carmen, laudes Dei, & ob præſentem favorem gratiarum actiones, continens, hexametro verſu compoſuit.] Euſebius Cæſarienſis lib. 11. de præparatione Evangel. cap. 3. [Sunt apud Iudæos artificioſiſsima carmina, ut Moyſis cantus ille magnus, & Pſalm. 118. qui heroico metro, quod hexametrum dicitur, componuntur.] Heroicum poema agnoſcit etiam Hieronymus in lib. Iob, ſic enim ait in præfatione illius libri. [Hexametri verſus ſunt, dactylo, ſpondæoque currentes.] ſed idem Hieronymus in epiſtola ad Paulam Vrbicam ita pronuntiat de metro huius Cantici. [Debes ſcire, in prioribus pſalmis ſingulis litteris ſingulos verſiculos, qui trimetro iambico cōſtant, eſſe ſubnexos; inferiores verò tetrametro iambico conſtare, ſicut & Deuteronomij Canticum ſcriptum eſt.]

8 Quòd ſi tanta diſſenſio fuit inter doctiſſimos illos veteres de huius poematis mēſura, quod certè evidens indicium eſt, etiam tū per obſcurā fuiſſe cognitionē Hebraicæ poeſeos: nemini mirum videri debet, noſtra memoria, poeſim illam antiquam penitus ignorari ab ijs etiā, qui ex aſsiduo rerum Hebraicarum ſtudio pallorem ſibi, & maciē contraxerunt. Maſsius quidē vir, ſi quiſpiā ali⁹, noſtro ſæculo Hebraicè apprimè doctus, ita de ſe ipſo ingenuè confitetur Ioſue. 10. verſ. 12. [Poſui ego certè (cur non confitear meā curioſitatē) nōnihil ſtudij in ea re inveniēda, ſed fruſtra, nihil enim ſatis certi abſque prę monſtratore video me de Hebraicarū ſyllabarū numeris, ac proinde neque de verſuum mēſuris, modiſq; poſſe percipere.] Cardinalis Bellarm. in Hebraicis inſtitutionibus par. 4. c. 5. diſertè pronūtiat, priſcam illam poeticam Moyſis, & prophetarū iam nunc eſſe penitus ignotā. Eamdē ignorationē profitetur Genebrardus, in Pſ. 4. Lorinus Sapient. 10. verſ. 20. Magallianus præfatione in Cantic. 1. Moyſis n. 7. Delrius in Thren. c. 1. littera Aleph. Serarius Ioſue. 10. q. 33. num. 3. Agelli⁹ proemio in Pſalmos, pag. 4.

Quanvis hęc ita ſint, nemo tamen, qui 9
Hebraicas litteras vel primoribus labris deguſtaverit, ibit inficias, in ſacris poematis, & ſignatè in hoc Cantico, poeticum quoddā artificiū Hiſpanico noſtro perſimile reperiri. Cōſtant enim plerique verſus pari, ac certo ſyllabārū numero, & vocibus ſimiliter deſinētibus concludūtur. Agnovit etiā Hieronymus ſiminùs hanc poeſim, longo pòſt ſæculorum interuallo à recentioribus Hebræis frequentatā, eius certè veſtigiū aliquod in ſacris libris, dū ait præfatione in Iob. [Interdum quoque Rythmus ipſe dulcis, & tinnulus fertur, numeris lege ſolutis.] Qui volet periculū facere, expendat, ac metiatur huius Cantici verſ. 2. inveniet hemiſtichia æqualibus ſyllabis adſtricta, & ſimili exitu terminata. Qui autem plura noſſe avet de ſacra poeſi, adeat præter Auctores iā citatos, Ariam Montanū in c. 5. Iſai. Maldonatum proemio in Threnos. Mendozam q. 3. poſitiva. Pined. præfatione in Iob cap. 4. Sixtum Senenſem lib. 8. Bibliothecæ hæreſi. 2. Ghiſlerium præfatione in Cantic. cap. 4. Lilium Giraldum dialog 1. de poeſi, & Lorinum præfatione in Pſalmos. cap. 7.

(::)

Argumentum.

10 ISidorus Clarius de ſententia Hebræorũ, hoc Moyſis Canticũ brevem quãdam totius legis ſummam eſſe affirmat. Hîc enim videre licet in exiguum compendium artificioſè redacta, quæ grandibus illis voluminibus fuſiùs perſcribuntur. Hîc divina omnipotentia; hîc bonitas; hîc magnificentia; hîc cæteræ Deitatis perfectiones commendantur: hîc mundi molitio, hîc terrarum diſtributio, hîc populi Iſraelitici electio graphicè depingitur. Hîc unius, ſummiq; Dei cultus ſeriò præcipitur, hîc Idololatriæ fœditas proponitur; hîc innumera beneficia in illum populum à Deo liberaliſsimè collata memorantur: hîc denique exprobratur ingratitudo, coarguuntur ſcelera, minæ iactantur, ſupplicijq; terrores intendũtur. Iure optimo LXX. Deu. 32. n. 44. ubi nos legimus, *Locutus eſt omnia verba Cantici huius.* Vocem Hebraicam *Sira.* ideſt, *Cãticum:* ipſi *Nomu.* ideſt, legem, reddiderunt; ſic habet Editio LXX. Vaticana, *Et loquutus eſt omnia verba legis huius.* Verè enim hoc Canticum eſt quaſi compendiaria, & abbreviata lex.

11 Atque ut nos etiam compendio huius artificioſi compendij ſententiam, & argumentum perſtringamus: Moyſes in extremo vitæ actu divinitus edoctus defectionem à Deo illius ingratiſsimi populi, ardore ſpiritus excandeſcens, celoſq; & elementa conteſtatus acriter in illos invehitur: cõmemorat divina beneficia: ſcelera ipſorum, & ingratitudinem incuſat, ac cœleſtis iræ, ſi inflagitijs progrediantur, minas intentans, ad extremum divinam in eos, ſi reſipiſcant, miſericordiam, ſeveramq; in hoſtes vindictam pollicetur.

(:?:)

5

Numerus 1.

Audite cæli, quæ loquor; audiat terra verba oris mei.

12 EVNDEM habemus Moyſen, & auctorem, & interprete huius loci; quia exiguum illi iam ſenectute confecto vitæ curriculum natura circunſcripſerat, propediemque è vivis exceſſurus erat: fœdus parum firmum, parumq; diuturnũ videri poſſet, quod eo duntaxat internũcio, ac teſte ſanciretur. Non ergo mortalem hominem, ſed immortales, & æternos teſtes adhibet; cœlum ipſum perpetuò duraturum, terramque conteſtatur; ſi ille populus fidem Deo aſtrictam, ſartam, tectamq; ſervaverit, ſi eius præceptis obedierit, Deum eos viciſsim omni bonorum copia cumulaturum. Sin fœdus initum violaſſet, ſumpturum atrociſsima ſupplicia, & eoſdem teſtes, (ut moris erat) primos in trangreſſores manus iecturos. Cælum cohibiturum pluvias, terram arenti ſiccitate ſterilem, herbas, fruges, & fructus negaturam: lege cap. 31. Deuteronomij, ubi num. 28. tandem concludit Moyſes. *Invocabo contra eos cœlum, & terram,* Hebraicè *Ahidà.* 1. *conteſtabor,* ut vertit Regia. Tigurina: *Vt obteſter adverſum eos cœlum, & terram.* Pagninus. *Teſtes invocabo.* LXX. *Diamartyrome. Conteſtor eis cœlum, & terram,* quod rectè exponit Vatablus. [Volo creaturas permanentes citare teſtes contra vos, ut ſemper ferre poſsint teſtimonium adverſus idololatriã veſtram.] Et ipſe Moyſes Deuteron. 30. num. 19. *Teſtes invocabo hodie cœlum, & terram, quòd propoſuerim vobis vitam, & mortem.* Vnde ſapientiſsimè iſtud poema *proteſtationem Cantici* Machabæi nominarunt lib. 2. cap. 7. num. 6.

13 Relucet verò elegans quædam, grãdis, & ardens Proſopopeia, à ſacris litteris lõgè illuſtriùs, quàm à prophanis auctoribꝰ frequentata, cùm res mutæ, ac prorſus in

animæ,

animæ, perinde quasi spirantes, & animatæ in testes adhibentur: eisq; per luculentã effictionẽ nõ modò vita, sed & sensus, visus, & auditus, imò & sermo etiã nonnunquã attribuitur: proferam pauca exẽpla de multis. Iosue 24. n. 25. *Percussit ergo Iosue in die illo fœdus, & tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter querèum, quæ erat in sanctuario Domini: & dixit ad omnem populũ: en lapis iste erit vobis in testimonium, quòd audierit omnia verba Dei, quæ locutus est vobis.* Perpende, quid asserat sacer textꝰ: *quòd audierit*, ita ne verò? an lapis ille audiendi sensu prędituſ erat? Horrebãt descriptores Bibliorum auditũ attribui saxo; unde pro *audierit, audieris*, audacter in Vulgatam intruserũt, sed Hebraicè legimus *sàmeha, quòd ipse audierit* lapis. LXX. reddiderũt, *oti autos akecoe, quòd hic audivit omnia, quæ dicta sunt*: unde meritò in Editione Romana, sublato, quod irrepserat, mendo, germana lectio suo nitori restituta, & venusta prosopopeia conservata est. Genes. 31. n. 51. *en tumulus hic, & lapis, quem erexi inter me & te, testis erit; tumulus, inquam iste, & lapis sint in testimonium.* Deuter. 31. n. 26. *Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium.* Sapient. 10. n. 7. *quibus in testimonium nequitiæ fumigabũda constat deserta terra.*

14 In hanc sententiam exponit Maldonatus illa verba Christi, Matth. 10. n. 14. *exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.* Nimirùm ut ostẽderet Christus, illũ ipsum pulverẽ, quem in itinere susceptο, ad prædicandũ eis Evangeliũ, collegerant Apostoli, in die Iudicij testem cõtra rebelles futurũ, quia se recipere noluissent. Iacobi 5. n. 3. *Aurum, & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum in testimoniũ vobis erit*, ideſt, tanquam testis incorruptꝰ vestrã avaritiã, & crudelitatem in pauperes clamitabit, palàmq; testabitur, vos adeò fuisse sordidos, & inhumanos, ut thesauros vestros malueritis, ærugine absumi, quàm pauperibus impẽdi: clamor enim attribuitur hisce testibus, licèt vita, sensúq; carentibꝰ. Habacuc. 2. n. 11. *lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit.* Quasi dicat: marmora ipsa pretiosa, & cypressina laquearia, alienis impendijs, & pauperũ sanguine, sudoreq; constructa, vos iniurios, & raptores esse coarguent, & contenta voce testabũtur.

Iam liquet intelligentia huius loci: perinde enim est, ac si Moyses dicat; vos, ò cęlũ, terraq; obtestor, vos alloquor; estote mihi testes eorum, quæ adversus hunc rebellem, & ingratum populum Dei nomine dicturus sum. Testes videlicet futuri sunt cœli adversus impios; testis item erit terra. Iob. 20 n. 27. *Revelabũt cœli iniquitatem eius: & terra consurget adversus eũ.* Ps. 49. n. 4. *Advocabit cœlum de sursum, & terram discernere populum suum: & annunciabunt cœli iustitiam eius, quoniam Deus iudex est.* 15

Est verò observatione digniſsimũ, hãc effictionẽ personarũ, sensu, vitaq; carentiũ, quibus tamen à sacris vatibus auditus, aspectus, imò & clamor attribuitur, admirabilẽ vim, atq; potentiã divinorũ verborũ patefacere: & simul non tacitè, aut obscurè, sed palàm, & apertè hominum, sive stoliditatem, & stuporẽ, sive obstinationẽ; & pervicaciã incusare. Quippe cùm divinum verbũ saxa ipsa, ac res inanimas quodãmodò afficiat, atq; molliat. Ierem 23. n. 29. *numquid nõ verba mea sunt quasi malleus conterens petram?* & tamen hominũ animos saxis ipsis, & cautibꝰ duriores, hæc tanta efficacitas nõ percellat, aut permoveat. Zachar. 7. n. 12. *cor suum posuerunt, ut adamantem, ne audiant legem.* 16

Expendit hoc eloquentiſsimè Chrysostomus homil. 3. de pœnitentia, dum huic nostro per similẽ versat Isaiæ locũ ex cap. 1. n. 2. miratur Chrysostomꝰ, cur exorsus Isaias suum Vaticinium; *Visio Isaiæ filij Amos, quã vidit super Iudã, & Hierusalẽ:* statim sermonẽ suum ad cœlos, terramq; deflectat: *audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus loquutus est.* [Dimit-

tēs (inquit) rationales homines, irrationalibus cū elemētis disputas? ita (inquit) quoniam irrationalibus irrationabiliores facti sunt rationales] Adducit ibi Chrysostomus exemplum egregium, ex 3. Reg. cap. 13. cùm Ieroboam adoleret incēsum super aram in Bethel, vidit Propheta Regem furentem, idôlum veneratum, Deū despectum, astantes vniversos trepidos, ac venerabūdos. Hominesq; dimittit, ad altare duntaxat lapideum inclamat. num. 2. *Altare, altare, hæc dicit Dominus. Ita nè* (ait Chrysostomus) *hominibus dimissis, lapidem alloqueris? Ita* (inquit) *quoniam quidē Rex est lapide ipso insensibilior.* Id quod eventus ipse declaravit. Altare namq; lapideum obsecundans imperio Prophetæ scissum est, & in fragmenta disiluit; Rex verò silice, & caute durior, ac præfractior extendit in Prophetam manū, ac nisi repētè manus ipsa divina virtute exaruisset,
17 acerbissimè Prophetam trucidasset. Simile est, quod observant Patres circa illa verba Matthęi 27. num. 51. *Terra mota est, & petræ sciſsæ sunt.* Exclamat enim Ambrosius lib. 10. in Lucam, *O duriora saxis pectora Iudæorum! finduntur petræ, sed horum corda durantur: horum immobilis duritia manet, orbe concusso.*

Numerus 2.

Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum; quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.

18 VErbum *Iaharop*, quod Latinè Hieronymus extulit *Cō crescat*; Tigurina, Regia, atq; Pagninus reddiderunt, *Stillabit*, sed bene habet; nā ut à vulgato dissentiunt, ita etiam inter ipsos non convenit Hebraizantes. Caietanus enim vertit *Effundetur*; Vatablus, *Descēdet*. Neutrum probat Oleaster, cui propriè significat *Defluere, quēadmodùm fluit sanguis exiugulo.* Mea quidem sententia, omnia eòdem recidunt, & sapientissimè vulgatus videtur non solùm pluviam exprimere voluisse, sed pluviæ ipsius originē spectasse; nubes enim, nisi concrescant in imbrem, *Nubes sunt sine aqua, quæ à ventis circumferuntur.* Iudæ. num. 12. *Nubes, & ventus, & pluviæ non sequentes.* Prover. 25. num 14.

Alij pressiùs, & enucleati⁹ singulas huius versus voces examināt, donec ex proprietate Hebraici sermonis efficiāt, crassiorē, uberiorēq; pluviā in herbas grādiores decidere: tenuiorem verò sensim, ac guttatim, roris instar, in teneriores plantulas perstillare: non secùs debere cōcionatorē ad singulorum auditorum captū seipsum accōmodare. Qui his delectatus argutijs, volet subtiliùs, atque curiosiùs has minutias consectari, legat Oleastrum hîc, Pinedam Iob. 29 num. 22. Gislerium Cant. 4. n. 11. Barradas to. 2. lib. 1 cap. 11. 19

Ego enim existimo, verissimam esse illam Scripturę regulam, quam ex hoc ipso loco confirmat Belarminus. Psal. 1. vers. 1. frequentissimam esse consuetudinē Prophetarum, eandem sententiam, paululùm immutatis verbis continenter iterare; ita ut una pars versiculi sit repetitio, vel explicatio alterius: sic in altero Moysis Cāntico Exod. 15. num. 2. *Iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum*, & Psal. 33 num. 1. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo*, & sexcentis alijs locis. Assentior itaq; Vatablo hîc asserenti [multis verbis eandem rem dicit.] 20

Sensus itaq; Moysis est. Vtinā doctrina mea efficiat, quod in agris aqua: opto etiā atq; etiam, ut quēadmodùm pluvia sensim, & placidè defluens super terram, illam intimè perfundit, fœcūdat, ac fertilē reddit; ita doctrina mea leniter descēdens super arētes, ac ſteriles animos vestros, intimè etiā illos penetret, ut virtutū germina, æstu torrida, revirescant. Ita videlicet congruet Moysis votū cū illo Isaiæ vaticinio cap. 55. n. 10. *Quomodò descendit imber, &c. Sic erit verbum meum, &c.* 21

Simi-

Similitudo verò pluviæ cũ doctrina, frequens est in S. Scriptura. Ecclesiast. 39. n. 3. *Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum, & ipse tãquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ.* Iob. 29. n. 22. *super illos stillabat eloquiũ meum.* De cœlesti etiam Christi sapientia legimus, Ps 71. n. 6. *Descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Vide Agellium in eum locum, & Pinedam in Salomone li. 6 c. 20.

23 Non est omittenda versio LXX. apud quos prima illa verba, *cõcrescat ut pluvia, doctrina mea*: ita illustrantur ex Hebræo: *expectetur, ut pluvia, eloquium meum.* Vbi elegans allusio fit ad terrã illã promissionis, in quam non ex fontibus, aut fluminibus aquæ ducebantur irriguę, sed è cœlo pluvias expectabat. Deuter. 11. n. 10. aptissimè itaq; reddiderunt LXX. *expectetur, ut pluvia, eloquium meũ.* Perinde acsi dicat Moyses. Non est eloquiũ meum humano artificio, aut ingenio elaboratum; non ex doctrinarum thesauris deprompt ũ: non sicut irrigationes aquarum, agricolarum arte, & industria ex humanæ sapiẽtiæ fontibus derivatum; sed sicut pluvia divinitùs immissa, sicut ros è cœlo defluens, sic mea est expectanda, & excipiẽda doctrina: & ut ait Micheas cap. 5. n. 7. *quasi ros à Domino, & quasi stillæ super herbam.* Non est nimirum ab humana solertia expectanda eiusmodi pluvia; nullo hominum artificio talis ros infunditur agris: cælestis providentia, divinũ planè beneficium est. Fœlix ille divini verbi concionator, qui hæc Moysis verba, *expectetur ut pluvia eloquium meum*, poterit usurpare; poterit autem ille, qui parebit saluberrimo Augustini consilio, lib. 4. de doctrina Christiana, cap. 15. [Orando pro se, & pro illis, quos est alloquuturus, fit orator, antè quàm dictor: in ipsa hora iam ut dicat accedens, priùsquàm exerat proferentem linguã, ad Deum levet animã sitientem, ut eructet, quod biberit, vel quod impleverit, fundat.]

Numerus 3.

Quia nomen Domini invocabo.

ASsentior Abulẽsi, & Olcastro aientib⁹, hæc verba reddi- 24
tionem, & causam continere versiculi superioris. Id enim apertè denotat particula illa causalis, *quia* sive, ut vertit Tigurina, *quoniam*, quę expressè habetur in Hebraico textu, & Editione LXX. & germana causa erat, cur tanquam pluvia cœlitus defluere verba Moysis viderentur: cur tanquam temporarius imber, deberent expectari: quia invocatione divini nominis, ardẽtibusq; precib⁹ illa ex cęlesti fonte hausserat, quia *inde impleverat, quod effunderet*, ut paulò antè dicebat Augustinus: & in eadem persistens metaphora Gregorius, dum moraliter tractat verba illa Eccles. 1. n. 7. *Ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Sic ait lib. 30. Moral. c. 2. [Etsi in prædicatione sua exteriùs nostris auribus per corporalia verba se fundant, mente tamen tacita ad considerandum semper ipsum fontem luminis revertuntur. De quibus bene dicitur, *ut iterum fluant.* Quia dũ videre Deum indefinẽter sitiũt, quasi decursura foràs flumina intus sẽper oriũtur. Quaten⁹ illic amãdo sumũt, unde ad nos prædicãdo defluãt.]

Hinc expeditur à Pererio nodus ille Gen. 4. n. 26. *iste cœpit invocare nomen Domini.* Est verò nodus explicatu sanè difficilis; nam & Seth pater Enos floruit insigni pietate, ac religione, & ante eum Abel non modò precibus, sed religioso etiam cultu, oblatisq; sacrificijs nomen Domini invocare consuevit; nec dubitari debet, quin omniũ primus Adam per frequẽtes precationes, & oblationes Deũ etiã invocaverit: sed propterea Enos dicitur primus invocasse nomen Dei, quia nimirum non modò ipse coluit pietatem, & religionẽ adversus Deũ, sed eamdẽ quoq; religionẽ prædicãdo, divulgãdo, alioscq; homines edocẽdo, cępit populũ ad exhibendũ Deo cultũ, passimq;, ac publicè, certis cõceptis 25

precum

precum formalis, divinum nomen invocandum congregare: itaque per metonymiam, invocare nomen Domini, est auctorem, & suasorem primum huius publici cultus extitisse, atq; id ipsum ex assiduis precationibus, tanquã ex fonte, derivasse.

Date magnificentiam Deo nostro.

26 PRobat Abulensis ex Arist. 2. Ethicorũ, magnificentiam propriè esse virtutem animi circa maximas expensas; sed quanvis ea vox apud Latinos scriptores frequentiùs significet prolixam, atque adeò profusam liberalitatem, ut constat ex illa antithesi, *Odit populus Romanus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit*: tamen non adeò restringenda est frequentior hęc significatio, ut impropriè censeatur vertisse Vulgatus, aut Hebraicum nomen *Godel*, ant Græcum *Megalosyne*. Nam teste Cicerone, *Magnificentia*
27 *etiam est rerum magnarum, & excelsarum cum animi ampla quadam, & splendida propositione agitatio.* In sacro quidem sermone vox *Magnificentia* non dubium est, quin magnitudinem, maiestatem, amplitudinemq; significet. 1. Paralip. 29. nu. 11. *Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria.* Iudæ num. 25. *Soli Deo gloria, & magnificentia*, & hactenus quidem devi, & proprietate vocis, nunc intelligentia perspicua erit.

28 Quia Deus per se, est infinitè magnus, nihilq; omnino illius magnitudini ex parvitate nostræ mortalitatis accrescit, magnificat homo Deum, non re quidem ipsa, magnitudinis aliquid illi conferendo (nihil enim homulus Deo conferre potest, quò maior fiat,) sed immẽsam illius magnitudinem, & excellentiam, tum corde credendo, & debito cultu, ac reverentia prosequendo, tum verò apud alios eximijs laudibus, & præconijs celebrando. *Itaque date magnificentiam Deo nostro*, idẽ est, ac illud Psalm. 33. num. 4. *Magnificate Dominum mecum, &c.* & ad Rom. 15. nu. 11. *Magnificate eum omnes populi.* Estq; insignis locus Eccle. 43. num. 32. *Glorificantes Dominum, quantumcumque potueritis, super valebit enim adhuc, & admirabilis magnificẽtia eius.* Expressit autem Regius vates, solis laudibus duntaxat, non verò reipsa, magnificẽtiam attribui Deo. Psal. 68. num. 31. *Et magnificabo eum in laude.* Psalm. 144. num. 5. *Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, &c.* Nulla verò unquam pura creatura tantam dedit magnificentiam Deo, quantam Beatissima Virgo, dum cecinit Luc. 1. n. 46. *Magnificat anima mea Dominum.*

Numerus 4.

Dei perfecta sunt opera.

29 MVltiplicem habent intelligentiam verba ista. Prima simplicissima est, aptissimoq; nexu hęret sentẽtię superiori; quid enim æquius, quid debitum magis, quàm supremum illud Numen, cuius universa opera sunt omnibus numeris absoluta, amplissimis laudibus celebrare? hominũ opera sunt manca, mutila, vix inchoata, propterea enim, ut refert Plinius in præfatione ad Vespasianum, summi illi pingendi, & fingendi artifices absoluta opera, palàmq; proposita, pendente titulo inscripserunt. *Apelles faciebat.* [Tanquàm inchoata semper artè, & imperfecta, ut contra iudiciorum varietatès supereesset artifici regressus adveniam, velut emendaturo quidquid desideraretur, si nõ esset interceptus.] Non est itaq; humanæ imbecillitatis suis operibus, quantumvis limatis, & expolitis inscribere, *Fecit*, sed *faciebat*, ut ostendat locum supereesse correctioni. Dei solius est inscribere, *Fecit*, ideſt, omnibus partibus explevit, omnibus numeris absolvit. Genes. 1. num. 31. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Eccles. 3. num. 14. *Didici, quód opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum, nec possumus eis quidquã addere, neq; auferre, quæ fecit Deus, ut timeatur.*

Secun-

30 Secunda explicatio est, quam insinuat Tigurina vertens ex Hebræo, *Opus illius petræ solidum est, quoniã omnes viæeius sunt iudicium.* Obseruatq; Vatablus, Deum appellari petram, sive rupem, ob stabilitatẽ, immutabilitatemq;. Itaq; iam nũc terrorẽ auditoribus incutit Moyses proposita severissimi iudicij fixa in rebelles, stabiliq; sententia: ab eo videlicet iudice lata, qui velut rupes immota sit, inconcussis defixa radicibus, quem propterea nec precibus flectere, nec pretio corrumpere, nec ulla opum vi commovere possint. 1. Reg. 15. nu. 29. *Triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur.*

31 Pro clariore huius loci intelligentia, notandum est: hîc attribui Deo nomen illud Hebraicum *Sur.* Quod proprie redditur, *Saxum, sive rupes, vel potiùs cautes*, aut si quod aliud nomen significantius soliditatis, & firmitudinis agnoscit Latinus sermo; & usq; eò frequentatur hoc nomen in hoc Cantico Moysis, ut in eo (quod mirabile sanè est, nec mysterio vacare potest) non minùs, quàm septies usurpetur. Est autem germana causa huius compellationis, ut ea voce fluxissimum, & ab omni hostili incursione tutissimum Dei præsidium denotetur.

Primò. Quia ita natura comparatũ est, ut edita, in accessa, & undiq; prærupta rupes, quò videlicet hostium impetus succedere, ac pervenire non queat, miseris, & imbellibus tutum, ac certum perfugiũ sit: sic per irrisionem insultat Dñs Moabitis. Ieremi. 48. nu. 28. *Relinquite civitates, & habitate in petra.* Quasi dicat, etiã si conscendatis celsissimas rupes, inde tamẽ à Chaldæis detrahemini, ut comminatus est Idumæis per Abdiam, num. 4. *Si exaltatus fueris ut Aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum, inde detraham te.*

32 Secundò. Quia David frequentissimè gratias agit Deo, quòd eum præsenti iam hostium periculo subduxerit, & in petra, tanquam in tuto, collocaverit. Psalm. 26. nu. 7. *In petra exaltauit me.* Psal. 39. num. 3. *Statuit supra petram pedes meos.* Sive re vera alludat, ut plerique volunt, ad petram illam dividentem. 1. Reg. 23. num. 25. sive Deum ipsum petram, ac rupem appellet: quod ego magis probo; subest enim Hebraicè vox eadem *Sur.* & post quàm dixit Psal. 60. num 2. *In petra exaltasti me:* continuò subdit, num. 3. *Factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici,* Quasi dicat; non modò celsa, & abrupta rupes mihi fuisti, quò inimicus conscendere nõ valeat, sed editissima etiam, & munitissima turris, ad hostiles impetus de loco superiore propulsandos. Prover. 18. nu. 10. *Turris fortissima nomen Domini; ad ipsum currit iustus, & exaltabitur.*

Tertiò. Deus ipse magnificè pollicetur Iusto, Isai. 33. n. 16. *Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorũ sublimitas eius, panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt.* Vbi luculentus est, & nostræ explicationi mirificè congruens Forerij commentarius. *Sicut ab iniurijs hostium securi sunt, qui in altissimis, & abruptissimis rupibus degunt, præsertim si eis non desit cibus, & potus, ita vir pius, & iustus, ubi ubi fuerit, in tuto est.* Altissimũ nempe refugiũ habet, scilicet ipsum Deum, quò malum accedere non potest Psal. 90. nu 9. 33

Quartò. LXX. vocem *Sur* solent sæpe reddere *Boethos*, ideſt, *adiutor*, quod evidens indicium est, eam magis ad ferendam opem, quàm ad supplicium intentandum spectare. Psalm. 17 num 2. *Deus meus, adiutor meus.* Hebraicè. *Petra mea.* Psalm. 18. num. 15. *Domine adiutor meus.* Hebraicè. *Rupes mea.* Psalm 77. num. 35. *Quia Deus adiutor est eorũ.* Psal. 93. nu. 22. *Et Deus meus in adiutorium spei meæ.* Hebraicè. *In petram.* 34

Quintò. Vulgatus ipse in eadem significatione retinuit nomen petræ (quamvis ibi Hebraicè subest aliud nomen) 2. Reg 22. num. 2. *Dominus petra mea, & robur meum.* Aut aliquando Latinus interpres fortitudinem expressit ad opitulandum 1. Regum 2. numer. 2. *Non est fortis.* (Hebraicè. *Non est saxum, sive rupes*) *sicut Deus noster*, & 2. Regum 22. 35

num.

num. 3. *Deus fortis meus.* Hebraicè: *rupes mea.* LXX. *custos meus*, & num. 47. *exaltabitur Deus fortis.* Hebraicè, *Deus petra.*

36 His argumentis adducor, ut credam, etiam in isto loco, nomen *rupis* soliditatẽ, ac firmitatẽ protectionis denotare: & genuinam horum verborum intelligentiam esse. Rupes, saxumque nostrum, tutela nostra, Deus fortis noster, non relinquet opus suum inchoatum, & imperfectum: ipse nos in brachio extento, & in robusta manu ex AEgyptiaca servitute vindicavit, ipse adhuc patratis admirandis prodigijs suum populum protexit, tamdiuque in vasta solitudine pavit; ipse stabit promissis, ipse nos in terram lacte, & melle fluentem introducet, ipse perficiet, quod in nobis inchoavit; & operi nondũ absoluto extremam manum, velut artifex absolutissimus, imponet. Itaque Moyses in primo aditu huius ardentissimæ cõcionis, signũ quasi tollit ad bene de Deo sperandum. Hoc, nisi me ipse fallo, egregiè confirmant LXX. qui hæc verba *Dei perfecta sunt opera*: ita reddiderunt. *Deus, veracia opera eius.* veracitas enim operũ divinorum, tum vel maximè resplendet, cùm eventa promissis, & extrema primis aptè correspondent, ut constat ad Rom. 3. num. 4.

Et omnes viæ eius iudicia.

37 VIæ Dei significant in Scriptura, sive opera Dei, quib⁹ Deus ad nos, quasi quibusdam itineribus quodammodò descendit, sive potiùs morem operandi ipsius Dei, regulamque, ac legem, ex cuius præscripto Deus sua opera exequitur. Viæ itaque Dei dicuntur modi, seu tenores divinæ providentiæ, per quos ea, quæ altissimo consilio decernuntur, tempestivè executioni mandantur. Occurrũt passim in S. Scriptura huius locutionis exempla, quare commemorãdis illis super sedebo. Videatur uterq; Cardin. Bellarmin. & Tolet. hic in illa verba ad Romanos. 11. n. 33. *Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius.* Ille autem in id Psalmi 24 num. 12. *Universæ viæ Domini misericordia, & veritas.*

Iudicia verò, sive ut habetur Hebraicè *Mispat, iudicium*: vox est variæ, ac multiplicis significationis; duas duntaxat attingam huic loco congruentes: ex quib⁹ duo item sensus elicientur. Iudicium (teste Oleastro Genes. 18.) actus est iustitiæ, quo tribuitur unicuique, quod suum est; non adeò restringit Ribera, quin latiùs diffundit vocis vim. Amos 5. num. 18. *Id, quod quisque facere debet.* Iudicium itaq; norma est præscribens ea, quæ fieri æquũ est, quæ ratio postulat, & rectus ordo rerum efflagitat. Quare congruenter Vatablus hæc verba: *omnes viæ eius iudicia;* ita explicat, *omnia opera eius iusta sunt, & æqua.* Quidquid facit Deus, cum summa ratione, consilio, & æquitate facit. Hæc significatio vocis *Mispat*, duabus Latinis exprimitur à vulgato. Iob. 9. n. 19. *æquitas iudicy.* Vbi Hebraicè unica illa vox originalis subest: sæpè verò utraque in S. Scriptura copulatur. Psalm. 118. num. 75. *æquitas iudicia tua.* Proverb. 1. num. 3. *iudicium, & æquitatem.* Sæpius tamen iudicium, tanquam iustitiæ actus, coniungitur cum ipsa iustitia, non solùm cùm de hominibus, sed etiam cùm de Deo sermo est. Hinc Ps. 88 n. 14. *iustitia, & iudicium præparatio sedis tuæ.* Quasi dicat, hæ sunt solidissimæ bases, quibus solium tuũ stabilitur in æternum, ut dimoveri, aut labascere nunquam possit. Psalm. 96. num. 2. *iustitia, & iudicium correctio sedis eius.* Hebraicè, *Mecon*, ìdest, locus stabilis, firm⁹, & rectus. Hieronymus vertit, *firmamentum*: Bellarminus, *stabilitas*, vel *rectitudo*: sensusque idem est, ac loci superioris. Duę istæ virtutes, quasi inconcussa quædam fulcra, firmissimaque stabilimenta, thronum Dei firmabunt, & continebũt.

39 Variè etiam illustrant LXX. in hac significatione vocem *Mispat.* Quod magnificè de se prędicat Sapientia Proverb. 3. n. 20. *in vys iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicij* (qui locus aptissimè cum præsenti congruit) ita illustratur a LXX.

inter semitas iustificationis versor. Vbi adverte, iudicium à LXX. exponi, iustificationem, actúmque iustitiæ.

Ille verò locº est maximè insignis, Proverb. 16. n. 33. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Dño tẽperantur.* Hebraica veritas verbum ex verbo, *in sinum proijcitur sors, & à Domino omne iudicium eiº.* Expressit verbum Tigurina: *in sinum deijciantur sortes, at omne iudicium earum pendet à Domino.* LXX. verò illustrarunt, quid sibi vellet originalis vox *iudicium*: ita enim reddiderunt: *à Domino autẽ omnia iusta.* Sensúsq; huius loci est. Etiam si casus duntaxat, & cæca fortunę temeritas in sortibus dominari videatur, tamen non ita est: nihil ibi geritur sine nutu, dispensationeq; divina: iactantur quidem in urnam, indé ve extrahuntur; sed occulta Dei dispositione, summo iure ibi temperantur, ut illud tãdem sortitò obtingat, quod Deo placet, atque adeò quod iustissimum, & ęquissimum est.

40 Quod legimus Levit. 5. num. 10. *Alterum verò adolebit in holocaustum, ut fieri soleat.* Hebraicè habetur ad verbum: *iuxta iudicium.* Tigurina, *iuxta ritum.* LXX. luculentè expressérunt vim vocis originalis, *Misphat; faciet holocaustum; sicut decet.*

41 Denique pro hac explicatione facit locus ille Proverb. 16. num. 11. *Pondus, & statera iudicia Domini sunt, & opera eius omnes lapides sacculi*: insigne mendum fœdaverat istum locũ multis ab hinc annis, cùm Bedę etiã ætate, *pro sacculi, sæculi* legeretur: sed loco insigniter depravato per opportunam, & Hebraico textui ad amussim congruentem castigationẽ adhibuit castigatissima Editio Vaticana. Theodotio etiam vertit, *& opera eius omnia ponderamarsupij.* LXX. verò rẽ magis, quàm verba pendentes, ita reddiderunt, *momentum staterę iustitia apud Dominum: opera autem eius pondera iusta.* Sed pro intelligẽtia Hebraicæ, Latinæque lectionis, observandum est, antiquitus non metallicis, ut vulgò nunc solet, sed lapideis ponderibus, veteres usos fuisse, illi verò lapides in sacculo reponebantur. Vtrumque constat ex Deuteronomio cap. 25. num 13. *non habebis in sacculo diversa pondera, maius, & minus.* Quod ad verbum in Hebræo est; *non erit tibi in sacculo lapis, & lapis, magnus, & parvus.* Proverb. 11. n. 1. *Pondus æquum voluntas eius.* Hebraicè, *lapis perfectus beneplacitum eius.* Et cap. 20. num. 10. & 23. *abominatio est apud Dominum pondus, & pondus.* Hebraicè, *lapis, & lapis.* Iam ergo effulget explicatio loci. Iudicia Domini non modò iustissima sunt, & æquissima lance, ac veluti aurificis exactissima statera pònderata; sed sunt ipsissima trutina, ipsissima lanx. Divina opera nõ modò sunt acerrimo æquitatis momento examinata, atque perpensa, ac proinde in pondere, ac mensura facta: sed sunt ipsissimum pondus, ipsissima mensura: quæcumque tandem alia ponderata, ac mensurata sunt, ad horum obrussam exiguntur; tantò erunt ęquiora, quantò propiùs ad hanc summę æquitatis regulam accesserint, *omnes enim viæ eius iudicia.*

42 Altera significatio huiº vocis *Misphat*, paulò abstrusior est, & infrequẽtior: quis enim credat, iudicio misericordiam significari? aut quid magis alienum à misericordia, quàm iudicium? sed apud lenissimum illum, benignissimumque Iudicẽ, *super exaltat misericordia iudicium.* Iaco. 2. num. 13. Græcè, *Gloriatur adversus iudicium misericordia*, ideſt, misericordia cõtendens cum iudicio, superior evadit, illique tanquam victo propemodùm insultat; aio itaque, in sacro sermone aliquã do misericordiam per hanc vocem *iudicium* denotari. Oseæ. 2. num. 19. *Sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus.* Iam hîc saltem vides, misericordiam simul cum iudicio Deum suæ sponsæ, quasi in dotem, polliceri. Rectèq; explicat Ribera num. 96. iudicium in hoc loco sumi pro gratissima sententia secundum sponsam lata, qua ab iniusto possessore diabolo misericorditer eripiatur.

Sed

43 Sed agè luculentiora teſtimonia profe ramus. Ierem. 8. n. 7. *Milvus in cœlo cognovit tempus ſuum, populus autem meus nō cognovit iudicium Domini*: ideſt, miſericordiam Domini (ut exponit ibi Maldonat⁹) quam tacitè comparat primo veri: ſeu (quod idem eſt) non cognovit ingenium Dñi ad miſericordiam propenſiſsimum. & cap. 10. num. 24. *Corripe me Domine, verum tamē in iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.* Quid clarius, quàm *iudicio*, in hoc loco, miſericordiam ſignificari? cùm iræ, furoriq; opponatur; & poſtulet propheta, ut Deus illum corripiat in iudicio, hoc eſt, ne ſummo iure ſecùm agat, ne illum arguat in furore, penituſq; diſperdat; ſed miſericorditer illius peccata condonet. Sic cap. 30. num. 11. *Te autem non faciam in conſummationem, ſed caſtigabo te in iudicio*, ideſt, non te penitus abolebo, ſed leve de te ſupplicium, & miſericordia temperatum ſumam: ea te moderatione caſtigabo, ut neque prorſus perdam, quaſi hoſtem: neque prorſus impunem relinquam, tanquam innocentem. Hoc ipſum repetit Ieremias cap. 46. num. 28. *Te verò non conſumam, ſed caſtigabo te in iudicio.* Vbi rurſus Maldonatus, *in iudicio*, ideſt, *miſericorditer, & moderatè, tāquam Pater, non tanquā hoſtis.*

44 Ex hac ſignificatione oboritur lux obſcuriſsimo Iſaiæ loco, qui multis, huius acceptionis ignaris, ſolet negotium facceſſere. cap. 30. num. 18. *Propterea expectat Dominus*, (Hebraicè inhiat, & anhelat) *ut miſereatur veſtri*, ideſt, huc omnes nervos intendit Deus, in hoc totus eſt, hoc ardentiſsimè ſitit, ut opportunitatē nanciſcatur, ſuam in vos expromendi miſericordiam: *& ideò exaltabitur parcens vobis*: non ſolùm enim miſericordiam ſuā, quę exaltatur *ſuper omnia opera eius*, Pſal. 144. num. 9. ſed omnipotentiam parcendo maximè, & miſerādo manifeſtat. Hæc cùm perſpicua ſint, cauſa, quam ſubiungit, videtur per obſcura. *Quia Deus iudicij Dominus: beati omnes, qui expectant eū.* Illud enim videbatur requirere conſequentia cōtextus, propterea expectat Dominus, ut miſereatur veſtri, & ideò exaltabitur parcens vobis, quia Deus miſericordiarum eſt, non autem quia Deus iudicij eſt: ſed iudicium in hoc loco ſumitur pro miſericordia; atque ex hac ſignificatione iudicij, tota manet dilucida ſententia.

45 Iam ergo hinc quaſi ſponte naſcitur nova, eaq; per illuſtris explicatio huius loci, aptiſsimè filum nectens cum verbis ſuperioribus, & dignam Moyſe ſententiam continens: præcipuè ſi advertamus Hebraicè ſubeſſe particulam cauſalem, *quoniam omnes viæ eius iudicium*: idq; agere Moyſen in hoc primo aditu concionis, ut populi fiduciam excitet. Soliditſsimæ (inquit) illius petræ perfecta ſunt opera, ipſe igitur, quod in vobis inchoavit, integrè perficiet. Quæ aptior ergo, & efficacior ratio ſubiungi potuiſſet, quā illa, quæ eadem eſt cum præſenti, Pſal. 24. num. 12. *Quia univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas*, ideſt, quia perpetuus tenor ſuæ providentię miſericordia, veritateq; dirigitur, non relinquet ſuum opus mutilum, & imperfectum, faſtigiū illi imponet, quod eſt miſericordiæ: non fallet fidem datam, illam potiùs cumulatiſsimè præſtabit: quod eſt veracitatis.

Deus fidelis.

46 HEbraicè, *Emuná*. Abſtractum pro concreto; ipſa fidelitas, ipſa veracitas; utrumque ſignificat originalis vox, & utraq; hæc virtus ſolet in ſacra Scriptura copulari. Hoc cognomento inſignitur Chriſtus, Apoc. 19. num. 11. *vocabatur fidelis, & verax.* quanvis nonnihil videatur eſſe diſcriminis inter fidelem, & veracem: dicitur enim fidelis Deus, quia tutò illi creditur, nūquam enim fefellit credentium fidem, nunquam inita fœdera violavit. Deuter. 7. num. 9. *Ipſe eſt Deus fortis, & fidelis, cuſtodiens pactum*, &c. Pſalm. 88. num. 29. *Teſtamentum meum fidele ipſi*, ideſt, pactum cum illo ſancitum

ſumma fide, inviolataque præſtabitur.

Verax autem dicitur Deus, quia conſtans eſt in promiſsis. 2 Reg. 7. n. 28. *Tu es Deus, & verba tua erunt vera.* Ideſt, pollicitationes tuas cumulatè præſtabis. Sed quèmadmodùm una Hebraica voce *Neeman*, hęc duo indiſtinctè ſignificantur, ita etiam in ſacro ſermone ſæpè confunduntur. Pſal. 144. n. 14. *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis*, ideſt, verax, non fallens, promiſſaque conſtantiſsimè ſervans.

47 Longum nimis eſſet, non dicam expędere, ſed vel leviter percurrere ea Scripturę loca, quibus divina fidelitas, & veracitas commendatur. *Omnia enim opera eius in fide.* Pſal. 32. n. 4. Hebraicè *Emuna*, ideſt, fidelitate. Veracitas, & fidelitas ſunt ampliſsimæ, inęſtimabileſq; divitiæ illius infinitæ Deitatis: nam Pſal. 36. num. 3. quod Vulgatus vertit, ſecutus LXX. *Et paſceris in divitijs eius.* Divus Hieronymus interpretatur ex Hebræo, *& paſceris fide.* Subeſt enim Hebraicè vox *Emuna*: paſcêris fidelitate, veracitateque divina: hæ enim ſunt inexhauſtæ divitiæ, quæ nunquam abſumentur, quibuſq; illi omnes, qui veris divitijs affluunt, locupletantur.

Et abſque ulla iniquitate.

48 LXX. *Iniuſtitia.* Solet quandoq; Deus nõ præſtare, quod promiſerat: & licèt id non nihil habere iniquitatis imprudẽtibus videatur, tamẽ ſumma æquitate fit. Promiſerat enim Deus non quidem abſolutè, ſed ea lege, & conditione propoſita, modò homines in illius cultu, obedięntiaque perſtarent. Mutat ergo Deus ſententiam bonam in malam, cùm homines bonos mores in malos mutant. Tęſtatur hoc expreſsè Ieremias cap. 18. n. 9. *Et ſubitò loquar de gente, & de regno, ut ædificem, & plantem illud. Si fecerit malũ in oculis meis, ut nõ audiat vocẽ meã; pœnitentiã agã ſuper bono, quod locutus ſum, ut facerẽ ei.* Dicitur autẽ Deus pœnitentiã agere, accõmodatè nõ humanos affectus, ut omnes obſervant interpretes ad illa verba Geneſ. 6. num. 5. *Pœnituit eum, quòd hominẽ feciſſet in terra.*

Eamdem iniquitatis calũniam depellit 49
Apoſtolus à divina fidelitate, oſtẽdens per nos ſtare, quominùs ſtet promiſsis ſuis Deus. 2. Timo. 2. n. 13. *Si nõ credimus, ille fidelis permanet, negare ſe ipſum non poteſt.* In quem locum graviter, & ſapienter ſcribit Primaſius, [Sive credimus, ſive non credimus, veritas non mutatur: ſed ſi credimus, præſtamus nobis, nã ille non aliud exhibere poterit, quàm promiſit.]

Iuſtus, & rectus.

50 COmplexus eſt Moyſes his duob⁹ nominibus perfectiſsimũ, & abſolutiſsimũ totius ęquitatis exẽplar. Nam utrũq; nomen diverſæ ſignificationis eſſe, omnino mihi perſuadeo. Atque ut à poſteriore exordiar, (nam primũ nihil difficultatis habet,) *Rectus.* Hebraicè *Iaſar*, idẽ eſt acplacidus, benignus, & lenis: cùm autẽ iuſtitię ſeveritas, & rigor benignitate, mãſuetudine, & pia iuris interpretatione, quaſi quodam tẽperamẽto, lenitur, & mitigatur; tũ demùm perfecta, & omnib⁹ numeris abſoluta ęquitas exiſtit. Pſal. 24. n. 8. *Dulcis, & rectus Dñs.* Vbi Agellius. [Rectus, inquit, idẽ ferè ſignificat, ac dulcis, placidus, facilis, & mitis.] Verbũ quidẽ *Iaſar* ſępiſsimè reddiderũt LXX. *Aręſco.* Latinus interpres, *Placeo.* Numer. 23. nu. 27. *Si forte placeat Deo.* Iudic. 14. n. 3. *Quia placuit oculis meis.* Iere. 18. n. 4. *Sicut placuerat in oculis eius.* Danie. 4. n. 24. *Cõſiliũ meũ placeat tibi.* Quin & ipſum nomen *Iaſar*, quod in iſto loco ſubeſt, Vulgatus ita interpretatur Deute. 12. n. 28. *Cum feceris, quod bonum eſt, & placitum* (Hebraicè *Iaſar.*) *in conſpectu Domini Dei tui.*

Rectus itaq; dicitur Deus, ideſt, placi- 51
dus, mitis, & benign⁹: qui iuſtitię ſeveritatẽ manſuetudine cõdit, & potentiã ſuam coercet æquitate. Sapientię. 12. n. 18. *Tu autem Dominator virtutis* (Gręcè, dominans fortitudini, ideſt, qui robur tuum ita tenes, ut eo non niſi moderatiſsimè utaris) *cum tranquillitate iudicas.* Gręcè *en epicheia* cũ moderatione, nõ ſũmo iure ägis.

52 Qui volet hunc locum uberiùs locupletare, & Scripturæ testimonijs aperte convincere, divinę Iustitię supplicia semperaccuratissimaläce examinata, exactaq; perfectissimè fuisse ad perpendiculũ, & libellam, quia nobis cõmentarij cãcellis circunscriptis, non vacat tam liberè expaciari, adeat Viegã Apoc. 6. cõmen. 4. sect. 5. Vbi ostendit stateræ exactissimæ nomine rectè divinam significari iustitiam: legat etiam Delrium, Castrum, & Maldonatũ ad illa verba, Thren. 2. n. 8. *Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum suũ.* Quę verba illustrantur alijs quã simillimis: 2. Reg. 8. n. 2. *Mẽsus est eos funiculo coæquans terræ*, & 4. Reg. 21. n. 13. *Extẽdam super Ierusalem funiculum.* videat Forerium Isai. 18. n. 2. *Ad gentẽ expectantem, expectantem, & conculcatã.* Hebraicè. *Lineæ, & lineæ: vel mensuræ, & mensuræ.* Et cap. 34. n. 11. *Extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilũ, & perpendiculum in desolationem.* Adeat etiam Capellã in id Ierem. 51. n. 13. *Venit finis tuus pedalis* (Ideſt, quasi pedibus emensus) *præcisionis tuæ.* Pererium lib. 6. in Danielẽ, circa illa verba, cap. 5. n. 27. *Appensus es in statera, & inventus es minus habens.* Pinedam Iob. 6. n. 2. *Vtinam appenderentur peccata mea* Deniq; Ariam Montanum in id Isai. 28. n. 17. *Ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura.*

Numerus 6.

Peccaverunt ei, & non filij eius in sordibus.

53 NON adeò facilis est huius explicatio loci, ut prima fronte apparet. Augustinꝰ certè Tomo. 4. integram quęstionem quinquagesimamquintam in eius explicatione consumpsit. Et, ut fuit acerrimo vir ingenio, sibi minimè satisfecit. Difficultatis pręcipua capita tria sunt.

Primum est. Quia hîc, & n. 19. appellãtur Israelitæ filij Dei, & n. 6. & 18. illorũ pater dicitur Deus. Contrarium autẽ docere videtur Apostolus, dũ asserit ad Galat. 4. n. 24. vetus illud testamentum fuisse duntaxat, *In servitutem generans.* Ideſt, servos, non liberos efficiens: cui consonat illud ad Rom. 8. n. 15. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* Et ut eximium quoddam, ac singulare Dei beneficium commendant Scripturæ, quòd *misit Deus filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Ad Galat. 4. n. 5. & de ipso Christo testatur Ioan. cap. 1. num. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem, filios Dei fieri.* Quid enim novi suis cultoribus, aut Evangelium, aut ipse Christus attulisset, si tempore etiam Legis, homines filij Dei dicerẽtur, & essent?

Certa tamen fide tenendum est, Israeli 54
tas illos verè fuisse filios Dei; id quod passim prædicant sacrę litteræ. Locum illum Psal. 81. n. 6. *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes,* contentus in hãc sententiã citasse Christus, Ioa. 10. n. 34. inde etiã colligit, quod maius est, Deos item appellari, ad quos sermo Dei factus est. Vniversè itaq; de illo populo pronũciat ipse Deus, Exo. 4. n. 22. *Hæc dicit Dominus; filius meus primogenitus Israel; dixi tibi, dimitte filium meum.* Isaiæ. 1. n. 2. *Filios enutrivi, & exaltavi.* Hinc illa Moysis exhortatio Deuter. 14. n. 1. *Filij estote Domini Dei vestri,* ideſt, tales vos operibꝰ exhibete, quales esse decet Dei filios, vita, & moribus tantũ Patrem exprimentes. Vnicus Sapiẽtiæ liber multa nobis suppeditat testimonia: c. 12. nu. 19. *Bonæ spei fecisti filios tuos,* ideſt, in medijs tenebris, quibus AEgyptij opprimebantur, filijs tamen tuis tuæ bonitatis lux, atq; adeò lætissimus spei radius affulgebat. Et c. 16. n. 9. *Illos enim locustarũ, & muscarum occiderunt morsus, filios autẽ tuos nec draconem venenatorũ vicerunt dentes.* Et nu. 26. *Vt scirent filij tui, quos dilexisti Domine.* Denique cap. 18. num. 4. *inclusos custodiebant filios tuos.*

Ratio etiam hoc manifestè convincit; 55
nam si adoptio filiorum Dei, & ius ad paternam hæreditatem, gratia iustificante,

&

& dono charitatis continetur; nemini dubium esse potest, quin priscis illis patribus non quidem legis virtute, sed fide, ac meritis Christi futuri, eadem gratia iustificãs donaretur. Vnde ipse Paulus, qui asseruit ad Galat. 4. num. 5. Misisse Deum filium suum, *Vt adoptionem filiorum reciperemus*, & ad Romanos. 8. num. 15. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater*, ipse (inquam) Paulus disertis verbis affirmat, agens de Israelitis, ad Roman. 9. num. 4. *Qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum.*

56 Pro huius difficultatis explicatione nota, quòd aliud est, esse filium; aliud, habere statum filij. Quæ duo distinxit Apostolus ad Galat. 4. num. 1. *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt á servo, cùm sit Dominus omnium, sed sub tutoribus, & actoribus est usque ad præfinitum tempus á Patre.* Itaque infantes, & pueri filij sunt, statum tamen filiorum nondum habent: hic autem status in eo consistit, quòd sui iuris sint, libereq; vivant, & possint arbitratu suo bona dispensare; quod, nisi legitima ætatẽ, filijs non contingit.

Iusti itaq; Israelitæ, & si verè essent filij, tamen statum filiorum non habebant; erant enim parvuli, & sub lege timoris, tanquam sub pædagogo, & actore, *Sub elementis mundi servientes.* ad Galat. 4. nu. 3. Vnde quantùm ad statum, formamq; vivendi, erant servi, quanvis essent conditione filij. At per Evangelium, gratiamq; Christi, abrogata est lex, ceremonialia illa elementa prorsus antiquatâ, pædagogus procul amandatus; pervenit iam ad legitimam ætatẽ filius, libertate donatus est. ad Gala. 4. n. 31. *Itaq; nõ sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit.* Et per hæc facile cuivis erit, argumẽtis initio propositis respondere. Ita expediunt hanc difficultatẽ Toletus. Ioã. 1. annotatio. 15. ad Ro. 9. annotatio. 6. Barradas Hie. lib. 1. cap. 7. Praduis Ezec. 16. vers. 21.

57 Alterum difficultatis caput est, incredibilis versionum varietas; & ipsarum dictionum (quod fatetur etiam Vatablus,) ordo perplexus, implicatus; & inversus. Quod ad Hebraizantes attinet, quot capita, tot sunt sententiæ: & ego nolim illis recitandis, captare opinionem diligentiæ cum detrimento perspicuitatis, tædioq; lectoris. LXX. ita locum explicarunt; *Peccaverunt non ei filij vituperabiles.* Quæ lectio valde torsit ingenium Augustini, in illa quæstione 55. Quid enim inculcatum magis in Scriptura, quàm eum, qui peccatum committit, peccare contra Deum? imò quanvis David Vrię torum violasset, ipsumq; interemisset, & populũ suo exẽplo ad peccandum provocasset, aiebat nihilominùs Psal. 50. vers. 5. *Tibi soli peccavi*, & in Hebræo repetitur pronomẽ *Tibi. Tibi, soli tibi peccavi.* Quòd si Israelitarum peccatum idololatria fuit, ut certè fuit, quo ullo scelere divinus honor abiectiùs, fœdiùs ve polluitur? & tamẽ dicũt LXX. *peccaverunt non ei.*

Germanã intelligentiam esse arbitror; nihil illos suo scelere Deo officere potuisse: se ipsos corrupisse potiùs (ut vertũt Symmachº, Aquila, atq; Pagninus,) & si idola coluerint, & lapides, atq; stipites divino Numini prætulerint, atq; ea re illius se luminibus obstruere cogitaverint: splendorẽ tamen celsissimę illius maiestatis, nõ obscurarũt, quin, sordes, labes, & corruptelæ in ipsos fœdissimè reciderũt: ut sit illud Iob 35. n. 6. *Si peccaveris, quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies cõtra eum?* in quem locum lege eruditam Pinedæ digressionem, an Deo hominum peccata noceant.

Quod spectat ad Editionem Vulgatã, cẽseo nostrũ interpretẽ, omnium optimè Hebraica reddidisse; verbum enim *Sihet*, etiam LXX. Græcè *Emarteşan* transtulerunt. Et, ut observavit Agelius, ex Scripturæ usu, aptissimè hoc verbo idololatrię flagitiũ significatur. Post vituli adorationẽ dicitur Exod. 32. n. 7. *Peccavit populus tuus.* Totidemq; verbis Hebraicis idẽ repetitur Deut. 9. n. 12. utrobiq; Hebraizãtes, *Corrupit populus tuus.* Quãtò sapiẽtiùs LXX. *Iniquè egit populus tuus?* Itaq; in hoc 58

loco *Peccaverunt*, idem eſt, ac idola coluerũt quod eodẽ originali verbo *Sihet* prædixerat Moyſes Deuter. 31. nu. 29. *Novi, quòd poſt mortem meam iniquè agetis.*

59 Tertiũ difficultatis caput affert nomẽ illud *In ſordibus*. Hebraicè *Mum*. Eam vocem LXX affini alia Græca, *Momos*, quã ex Hebraica fluxiſſe, plerique ſibi perſuadẽt, Vulgatus verò *Maculam*, cõſtãtiſsimè reddiderũt; & nuſquã aliàs Latinus interpres, prẽterquã in hoc loco vocabulo *Sordiũ* explicavit. Et quidẽ accuratè expendẽti ea loca, in quib⁹ hẽc vox occurrit, liquidò conſtabit, nihil aliud per Hebraicam, Græcãmq;, & Latinam illi reſpondentẽ, quàm defectũ, vitiũq, corporis denotari. Levit. 21. n. 17. *Homo, qui habuerit maculã, non offeret panes Deo ſuo*. Quid autem *Maculam* dicat, ſtatim explicat, n. 18. *Si cæcus fuerit, ſi claudus, &c.* Quod hîc exigit in Sacerdote, paulò póſt requirit in victima, cap. 22. n. 20. *Si maculam habuerit, non offeretis*, n. 22. *Si cæcum fuerit, ſi fractum, &c.* Et Deuteron. 15. num. 21. & cap. 18. num. 1. & Num. 19 num. 2.

Vnde in ſacro ſermone, maculã alicui inferre, idem eſt, ac illum parte aliqua corporis mutilare. Levit. 24. n. 19. *Qui irrogaverit maculam cuilibet civiũ ſuorum, ſicut fecit, ſic fiet ei: fracturam pro fractura, oculũ pro oculo, dentem pro dente reſtituet: qualem inflixerit maculã, talem ſuſtinere cogetur.*

60 Hinc etiam corpus venuſtũ, & omnibus partibus, ac numeris expletũ, dicitur eſſe ſine macula, ut de formoſiſsimo Abſalõ. 2. Reg. 14. n. 25. *Decorus nimis, à veſtigio pedis uſq; ad verticẽ non erat in eo ulla macula*. Et de pulcherrima ſponſa, Cantic. 4. num. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.*

61 Si ergo macula ex frequenti Scripturæ uſu, ſignificat vitiũ, ac defectũ corporis, quid ſibi vult Hebraicus textus *Mumàm*, Latinè efferas, verbum è verbo, *Macula eorum*? Aut quid ſecutus eſt Vulgatus, qui hîc dũtaxat pro macula ſordes uſurpavit? Minimè dubius aſſero, Vulgatum prudẽtiſsimè, & rei, de qua agebatur, congruentiſsimè, vim Hebraicæ vocis expreſsiſſe. Nã vel teſtibus ipſis Hebraizãtibus, ſignatè Forſtero, atq; Mercero, *Mum* generatim ſignificat, quidquid in corpore, ſivè in actione vitẽ, oculos offendit, & in reprehẽſionẽ, atq; vituperationem incurrit Vox etiã Græca *Mumos* ad Hebraicæ ſimilitudinẽ efficta, & à LXX. frequentata, vituperatio eſt, nota, & reprehenſio. Vnde fictitius Deus ille convicij, omnia carpens, atq; vellicãs, Momus nominatur: & *Momi* dicuntur irreprehenſibiles, & inculpati, quos interpres Latinus *Immaculatos* vocat, ad Epheſ. 1. n. 4. ad Coloſ. 1. n. 22. ad Hebræ. 9. n. 14. & hîc reddiderunt LXX. *Filij vituperabiles* Græcè *Mometá*. 62

Alicubi etiam vox Hebraica, Græcaque, ac Latina eidem correſpondentes, generalem hanc ſignificationem retinent, neque ad corporis vitium reſtringuntur. Proverb. 9. num. 7. *Qui arguit impium, ſibi maculam generat*, ideſt, labem, & ignominiam ſibi inurit. Et ab Apoſtolo Petro Hæretici turpiſsimi, & ſpurciſsimi hoc probroſo nomine deſignantur. 2. Petri. 2. num. 13. *Coinquinationes, maculæ*. Græcè *Momi*, ubi Lorinus, *Eſt, inquit, Momos probrum, dedecus, infamia, ignominia.*

Quod autem probrum, quæ labes, quę ſordes cum idololatriæ flagitio conferri queãt? Quod unquam ſcelus in maiorem reprehenſionem incurrat? propriè itaquè idololatria in ſacro ſermone *Immunditia* nominatur, & illa prẽcipuè deteſtanda immunditia mulieris menſtruatæ, cuius ſpurcitia, & ſanies ad oram uſque veſtis turpiter defluat, fœdèq; redundet. Threnor. 1. num. 9. *Sordes eius in pedibus eius*. Ezechiel. 24. num. 13. *Immunditia tua execrabilis*. Lege Riberam Oſeæ. 5. verſu. 11. num. 32. *Cœpit abire poſt ſordes.*

63 Sed illud eſt obſervatione digniſsimũ, uſq; eò Vulgatum hoc vocabulo *Sordes*, tanquam maximè proprio ad Idololatriæ turpitudinem exprimendam, delectari, ut eo etiam tum utatur, cùm nihil ſubeſt in Hebraico textu, quod illi correſpõdeat; itaque ſancti Spiritus afflatu ſæpè addit

interpres de suo voccm hanc idololatriæ significantissimam, Exod. 32. num 25. *Propter ignominiam sordis*, ideſt, cò quòd ſe idoli cultu fœdè maculaſſent. Deuter 29 num 17. *Vidistis abominationes, & sordes*, ideſt, idola eorum, lignum, & lapidem. 3. Reg 15 num. 12. *Purgavitq; universas sordes idolorum*; Conſule ubiq; codices Hebraicos, nihil deprehendes, quod huic voci, *Sordes*, correſpondeat; ſed eſt locus maximè inſignis in huius rei confirmationē. Deut. 7. n. 26. *Nec inferes quidpiā ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, ſicut & illud eſt. Quaſi ſpurcitiā deteſtaberis, & velut inquinamentum, ac ſordes abominationi habebis.* Vbi nihil etiam reſpōdet Hebraicè vocabulo *Sordes*, expoſuitq; Vulgatus cauſam, cur illud tantopere frequētaret.

Iam perſpicua eſt huius verſiculi ſentētia; illi, quos Deus tanto honore dignatus eſt, ut eius filij dicerentur, & eſſent; in tātum, ac tam beneficū parentem ingrati, ac rebelles, peccaverunt: & per idololatriæ ſordes, & immūditiam, à filiorum dignitate in viliſsima Dęmonis mancipia turpiter degenerarunt.

Generatio prava, atq; perverſa.

64 GEneratio idiomate Hebraico genus hominū appellatur, infrà num 20. *Generatio enim perverſa eſt.* Matth. 12. n. 39. *Generatio mala, & adultera.* Luc. 9. num. 4. *O generatio infidelis, & perverſa.* Marci 8. num. 38. *In generatione iſta adultera, & peccatrice.*

Ingenium ergo, ac mores illius gentis, naturalemq;, & quaſi hæreditariam perverſitatē, acerbè inſectatur Moyſes: *Prava* erat illa natio, ideſt, non ſimplex, non ſincera, ſed ſubdola, verſuta, atq; fucata; aliud ſpecie præferēs, aliud tegens in corde. Hoc ſonat *Pravum* in Scriptura. Erat item *Perverſa*. Regia, *Contorta*. Caietanus, *Obliqua*. Oleaſter, *Tortuoſa*. Omnia eòdem tendunt; prona, atque proclivis, ut à veri Dei cultu declinaret, & ad falſa idola devijs, contortis, ac perverſis itineribus, præcipitiq; impetu delaberetur.

Numerus 6.

Hæccine reddis Domino, populе ſtulte, & inſipiens?

65 ONvertit iam ad populū orationem, & peracerbo doloris ſenſu ſtimulatus, ardentiſsimè in eorum ingratitudinē invehitur. Cuius enim nō dicam ſtultitię, aut inſipientiæ, (nam pro rei indignitate leviſsimis Moyſes utitur verbis) ſed ſtoliditatis eſt, indulgentiſsimi parentis eximia beneficia illatis graviſsimis iniurijs rependere? Enumerat Seneca lib. 3 de beneficijs cap. 1. multa ingratorum genera [Ingratus eſt, qui beneficium accepiſſe ſe negat, quod accepit: ingratus eſt, qui diſſimulat: ingratus, qui non reddit; ingratiſsimus omniū, qui oblitus eſt.] Ita ne verò? An nō ille maximè ingratus, & ingratior ingratiſsimo, qui ſumis beneficijs graviſsimas refert iniurias? Non ſubijt huius Philoſophi animum, tam deteſtabilem ingratitudinē in humanū pectus cadere poſſe; ac proinde cū adeò minutè partiretur ingratorū genera, huius ne meminit quidē: manus enim arctiſsimè conſtringunt be- 66 neficia, neq; omnino ſinūt iniuriam afferre illi, qui de te benemeritus ſit. An nō impotētiam ortam ex beneficijs cauſabatur caſtiſsimus ille adoleſcens, Geneſ. 39. n 9. *Quomodò ergo poſſum hoc malum facere?* Ita ſe res habet, non fert animus, cum vel leviter offendere, qui in te beneficia contulit. Sed quid mirum, humana corda uſque cò beneficijs emolliri, cùm beneficia dominentur etiam in ferinis? Mitto Canes, Leones, Tigrides, cæteraſq; feras animantes, beneficiorum catenis acerrimè devinctas, cicuratas, & penè mancipij iure nexas. Plena eſt antiquitas, plenæ hiſtoriæ. Vnum dumtaxat, illudq; præclariſsimum gratitudinis exemplum memorabo. Aſpis illa ſurda obturans aures ſuas, quę *Non exaudiet vocem incantantium, & veneficі incantantis ſapienter*. Pſalm. 51. num. 5.

aures tamen præbet contentis beneficiorum vocibus, & his cantionibus, ac veneficijs flecti se, & incantari sinit. Plinius li. 10 cap. 74 refert aspidem, cùm ad mensam cuiusdam aleretur, enixam catulos, & ab uno filium hospitis interemptum; illā reversam ad consuetudinem cibi, intellexisse culpam, & necem intulisse catulo, seque ipsam quanvis insontem beneficæ domus exilio mulctasse. Qui plura volet de vi beneficiorum ad flectendos vel hostiles animos, legat Gislerium, Canti 2. versu. 5. num. 9. ubi circa illa verba, *Amore langueo*, ponderat versionem LXX. *Vulnerata sum charitate.* Et cap. 8. vers. 6. num. 34. *Alæ eius, alæ ignis.* Adeat etiam Viegam Apocal. 1. commentar. 2 sect. 7. Vbi confert in hanc sententiam duo illa loca, Osee 11. num 3. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis,* & 2. Reg. 7. nu 19. *Ista est enim lex Adam, Domine Deus.* Quia nimirùm beneficētia, tāquam potētissimo severa legis imperio, homines fortiter, sed suaviter tamē obligātur.

Num quid non ipse est pater tuus?

67 DVlcissimum est patris nomen, potentissimumq; ad continendum in officio filium. Monstri, ac portenti simile est, filium patris honorem violare. Iam verò quis pater conferēdus est cum Deo? Qui, ut omittam adoptionem illam, de qua num. 5. vel solo titulo creationis pater noster est, usque eò, ut præ illo, mortales parentes patres dici, nec mereantur, nec debeant Isai 63. num 16. *Tu enim pater noster, & Abrahā nescivit nos.* Matth. 23 num 9. *Patrem nolite vocare vobis super terram; unus est enim pater vester, qui in cœlis est.* Id quod vel ipsi Gentiles agnoverunt qui, ut prodit Clemēs Alex. lib. 5. Strom. Deum nō simpliciter patrem, sed voce composita *Metropátora*, quasi patrē matrem, vel, ut exponit Augustinus lib. 7. de Civitat. cap. 9. Progenitorem, genitricemq; simul, vocaverunt. Et tamen hunc indulgentissimum parentem isti filij spurij suis flagitijs offenderunt. Conqueritur ipse, Malach. 1. n. 6. *Filius honorat patrem; si ergo pater ego sum; ubi est honor meus?*

Et quia validissimus stimulus est ad 68
concipiēdum dolorem de peccatis admissis, si cogitemus, nos amantissimum Patrem offendisse, & vicissim mirè valet ad paternum pectus leniendum, si nomen dulcissimum Patris usurpemus: tam eximia est huius suavissimi Patris indulgentia, ut etiam tum, cùm ob peccata nostra infensus, & iratus filijs est, orationem tamen ipse nobis componat, qua eum placemus, Hierem. 3. num 4. *Ergo saltem amodò voca me, Pater meus.* Hac eū lenivit oratione prodigus ille filius, Luc. 15. n. 21. *Pater, peccavi in cœlū, & coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus.* Hac illi apud Isai. cap 64. n. 8. *Et nunc Domine, Pater noster es tu, nos verò lutum.* Sed non omittam aurea Bernardi verba serm. 16. in Cant. [Quanā fronte attollo iam oculos ad vultum patris tam boni, tam malus filius? Pudet indigna gessisse genere meo: pudet tāto patre vixisse degenerem: quid? Caduca, vana, & planè nulla, & quorū finis mors est, infœlix, & insanus præferre non erubui æterni Patris amori, & honori.]

Qui possedit te, & fecit, & creavit te?

VIdentur hæc verba ordine præpostero collocata: an nō prius est, creari, fieriq; rem, quàm possideri? Sed ut germanam horum verborum intelligentiam aperiamus, sciendum est: Hebraicè subesse primo loco verbum *Canà*, quod, ut alias significationes omittam, duas tamen habet præcipuas, & contextui huius loci apprimè congruentes.

Prima est, generare, seu procreare. Ex 69
qua significatione facilè solvitur Quæstio illa celebris, & priscis illis Ecclesiæ seculis acerrima conflictatione agitata, quę ex loco Proverbiorum 8. num. 22. inter hæreticos Arianos, & Catholicos exorta est. Aeterna enim sapiētia de se prędicat;

Dominus possedit me in initio viarum suarū: &c. ubi LXX. transtulerūt, *Dominus creavit me initium viarum suarum*. Quam versionē Ariani pro suo dogmate iactabant, & hinc vel maximè creaturam esse Filiū adstruebant. Omnis verò illa controversia terminatur, perspecta notione huius verbi, quæ prętet istum locum, constat etiam Genes. 4. num. 1. cùm enim Eva concepisset, peperisseteque Cain: gratulabunda prorupit in eam vocem, *possedi hominem per Deum*, ideſt, divino munere, ac beneficio sobolē procreavi. Creandi porrò verbū sæpe significat gignere, ut apud nobilem Poetam:

..... Natis Venus alma creandis serviat.

70 Neque verò semper adeò presse sumitur in sacra Scriptura huius verbi significatio, ut stricta generatio intelligenda sit. Deo enim etiā attribuitur respectu creaturarum. Genes. 14. num. 22. *Deum excelsum possessorem cæli, & terræ*. Hebraicè subest idem participium *Conè*, quod est in isto Deuteronomij loco: & illud ipsum participium paulò antè Genes. 14. num. 19. illustraverat Vulgatus, *qui creavit cœlum, & terram*. Itaque idem Vulgatus vertere hîc etiam commodè potuisset, *qui creavit te*.

Hinc explicatur illud Psalm. 138. num. 13. *quia tu possedisti renes meos*. Probat ibi Regius vates, nihil, quanvis occultū, & in tenebris absconditum, latêre posse Deū; quia tu, inquit, etiam intima mea, & abstrusis recessibus abdita, formasti: nihil igitur mirum, si omnia nuda sint, & aperta oculis tuis. Eadem inest rationis vis, Ps. 32. num. 15. *Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum*.

71 Si ergo Moyses Deum appellaverat Patrem, & Deus Pater noster est iure creationis, ut constat, cùm aliàs sæpe, tum in illo Isaiæ 64. num. 8. *Pater noster es tu, nos verò lutum, & figulus noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos*. Quin & ea de causa *Pater pluviæ* nominatur Iob 38. n. 28. quid aptius ad illa verba, *numquid non ipse est pater tu?* attexere potuisset, quàm quod subiunxit, *qui possedit te*, hoc est, qui genuit, qui procreavit, qui formavit te?

Altera significatio verbi *Canà*, frequen- 72
tior est in sacra Scriptura, & mea quidem sententia, præsenti loco accōmodatior: significat enim *emere*, seu *redimere*, ut perspicuè constat Genes. 25. num. 10. cap. 33. num. 19. cap. 47 num. 19 Exod. 21. n. 2. Levit. 22. num. 11. & cap. 25. num. 14. & alibi sæpè Tātum expēdam unum, vel alterum testimonium, ubi hoc verbū in hac significatione usurpatum, LXX. ut in hoc loco, Græcè *ctaome*, & Vulgatus *possidendi* verbo transtulerunt. Proverb. 4 n. 5. *posside sapientiam, posside prudentiam*. Quod autem hortetur Salomon ad sapientiam coemendam, vel omnium facultatum, voluptatum ve dispendio, perspicuum est, ex num. 7. *in omni possessione tua acquire prudentiam*. Vbi subest idem verbum; illudque Proverb. 17. num. 16. clariùs extulit Vulgatus: *quid prodest stulto habere divitias, cùm sapientiam emere nō possit?* Vbi vertere potuisset interpres, *possidere*, ut mox vertit cap. 18. num 15 *cor prudens possidebit scientiam*, ideſt, *emet*: docet enim ubiq; comparandam esse sapientiam, vel impensa rerum omnium, quæ nobis cordi sunt, quæque sapientiæ studio impedimento esse solent; quāvis enim magno sapientia tibi constet, parvo semper emes.

Enim verò solet sacra Scriptura com- 73
memorare frequenter ingens illud beneficium à Deo collatum in Israelitas, cùm illos ex misera servitute AEgyptiaca redemit. Longissimum esset, omnia testimonia recensere; attingā selectiora. Deuteron. 4. num. 20. *Vos autem tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea AEgypti*. 3. Reg. 8. num. 51. *quos eduxisti de terra AEgypti, de medio fornacis ferreæ*. Ierem. 11. num. 4. *Eduxi eos de terra AEgypti, de fornace ferrea*. Vocatur autem fornax ferrea illa ærumnosissima servitus, sive ea metaphora, qua vehemens tribulatio dicitur fornax (Isai. 48. num. 10. *ecce excoxi te*, &c. ibi enim *pro camino*, subest He-

braice

braicè *Fornax*.) Ferrea verò dicitur, quia fornax ad emolliendū ferrum vastioribus flammis exæstuat: sive quia solent servi in fornacibus ferreis durissimam servire servitutem; sive denique quia in lateritij illis fornacibus, Israelitæ decoqui pariter cum lateribus, quos coquebant, videbantur.

74 Sine hac metaphora idem beneficium exaggerat Scriptura, Exod. 6. nu. 16. *Ego Dominus, qui eduxi vos de ergastulo AEgyptiorum, & eruam de servitute, & redimam in brachio excelso.* Deuter. 7. num 8 *Eduxit vos in manu forti, & redemit de domo servitutis.* Vide etiam Deuteron. 9. num. 26 & cap. 13. num. 5. & cap. 21. n. 8 & 2. Esdræ. 1. num 10. Psalm. 76 num 16 & Psal. 77. num 42.

75 Denique quia, ut eruditè probat Pineda præfatione in Iob cap. 7. num. 3. usque eò Deus diligit iustos, ut cùm illi affligantur, ipse etiam quodammodò affligi videatur; non solùm dicitur redemisse Israelitas ex tenebricoso illo AEgyptiorū ergastulo, sed, & se ipsum inde etiam extraxisse, perinde quasi benignissimus Deus eadem cum suo populo servitute premeretur. 2. Reg. 7. num 23. *Quem redemisti tibi ex AEgypto, gentem, & Deum eius.*

76 Hoc ergo beneficium toties memoriæ, gratitudinisque causa in Scriptura prædicatum, commemorat hîc Moyses; itaque sic explico verbum illud, *Qui possedit te.* Qui te durissima oppressum AEgyptiorum servitute, patratis admirandis prodigijs, tanquam numerato pretio, ab iniusti possessoris Tyrannide gloriosè redemit, & in libertatem vindicavit: ut non solùm creationis titulo, sed iure etiam redemptionis, Deus *Pater tuus*, & esse, & prædicari debeat. Regia congruèter huic explicationi vertit, *Acquisitor tui.* Oleaster, *Qui te emit redimendo.* Tigurina. *Qui te comparavit.* Explicat Vatablus. *Qui te ex AEgyptiaca servitute in libertatem asseruit.*

77 Sed videor mihi posse hanc intelligentiam manifestis Scripturę testimonijs cōprobare. Postquàm Israelitæ ex illa AEgyptiaca servitute liberati ulteriorem maris rubri partem tenuerunt, hostesque insequentes, aquarum inundatione demersos, oculis usurparunt, incredibili gaudio delibuti, unà cum Moyse Epinicion modulatè decantarunt. Exod. 15. cuius Cantici versus 16. egregiè favet huic expositioni, *Donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.* Tigurina, *Quem acquisivisti.* Chaldæus, *Redemisti.* Agellius, *Quem, tanquam argento dato, coemisti*, ideſt, quem nobilissimis editis prodigijs, ex durissima servitute vindicasti: quod iam antè in eodem Cantico celebraverant, num. 13. *Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti.*

Sed est luculentum pro hac explica- 78
tione testimonium, Psal 73. num 2. *Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.* Imitatur David Moysen, qui cōmemorato huius redemptionis beneficio, Deum sæpe placare studuit, Deute 9. num. 26. *Domine Deus, ne disperdas populum tuum, & hæreditatem tuam, quam redemisti.* Et Deuteronom 21. num. 8. *Propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti.* Exod. 32. num 11. *Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra AEgypti?* Sic etiam oravit Esdras, ut Deum ad misericordiam flecteret. lib. 2. cap. 1. num 10. Et Mardochęus Esther. 13. nu. 16. *Ne despicias partem tuā, quam redemisti tibi de AEgypto.* Eadem est sentētia huius Psalmi. Refrica, inquit, quæso, memoriam prisci illius temporis, cùm congregationem tuam, quæ in AEgypto serva tenebatur, tibi asseruisti. Et, ut nemini dubium esset, quin ita locus germanè exponeretur, subiungit continuò Propheta Regius, *Redemisti virgam hæreditatis tuæ.* Quasi dicat, non est ea redemptio facta ab illo, qui nullum in re vindicanda haberet ius, sed ab eo potiùs, ad quem hæreditario iure pertineret imperium, ab AEgyptijs per iniuriam usurpatum.

Iam ad secundū verbum accedamus. 79

Qui

Qui fecit te Interpretes illi, qui iuxta primam ſignificationem verbi *Canà*, illud, *qui poſſedit te* explicare volent, *Qui genuit, qui formavit te*, quæ eſt probabiliſsima explicatio, per facilè dicent, tunc *factum* à Deo fuiſſe populum iſtum, quando ex tam parvis initijs, brevi intervallo fuit numeroſiſsima ſobole propagatus. Sic Ezechiel 16. vbi initia, progreſſus, & incrementa eiuſdem populi referuntur, dicitur, num. 7. *Multiplicatam quaſi germen agri dedi te: & multiplicata es, & grandis effecta.* Vbi Hebraicè ad verbum, *Decem millia ſicut germen agri dedi te.* Hoc eſt, incredibiliter, & in immenſum te multiplicavi. Lege doctam Pererij diſputationem circa illa verba Exod. 1. num. 7. *Filij Iſrael creverunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, ac roborati nimis impleverunt terrã.*

80 Nobis autem alia quærenda interpretatio eſt, ut rectus verborum ordo, & ſtructura teneatur. Nam antequàm ille populus ex AEgypti ſervitute aſſereretur, iam erat incredibiliter auctus. Agellij ſententiam valde probo; tunc Deum *Feciſſe* populum illum, cùm Iſraelitas ex AEgypto egreſſos, rudes, & impolitos, ſubigendo luto, coquendiſq; lateribus aſſuetos, data ſanctiſsima lege, promulgatis præceptis, & cæremonijs quodam modò formavit, & ad cœleſtem quamdam diſciplinam effinxit.

81 Supereſt tertium verbum; *Et creavit te.* In quo exponendo conveniunt in primis omnes interpretes, propriam ſignificationem eſſe, *Firmare, præparare, ſtabilire*; eſt enim radix *Cun* in quadrata coniugatione *Poel.* Quæ, ut advertit Forſterus, ſemper importat ſtabilitatem, & firmitudinem. 1. Reg. 20. num. 31. *Non ſtabilieris tu, neque Regnum tuum.* 2. Reg. 7. num. 12. *Et firmabo Regnum eius.* 3. Reg. 2. num. 12. *Firmatum eſt Regnum eius nimis.* Pſalm 9. num. 8. *Paravit in iudicio Thronum ſuum.* Pſalm 64. num. 7. *Præparans montes in virtute tua.* Pſalm. 88. num. 4. *Vſque in æternum præparabo ſemen tuum.* Pſal. 102. n. 19. *Dominus in cœlo paravit ſedem ſuam.* Potuiſſet itaque Vulgatus vertere in iſto loco *pro creavit te*, paravit, firmavit, ſtabilivit, præparavit te: ſenſus igitur eſt. Deum ſtabiliſſe ſuum populum, cùm devictis hoſtibus, ac terra promiſsionis omnino ſubacta, eum ibi tanquam in fixa, & ſtabili ſede collocavit. Hanc eſſe Moyſis mentem, conſtabit prolato expreſſo altero eiuſdem teſtimonio, ubi etiam ſub eſt idẽ verbum *Cun.* Exod. 15. num. 17. *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmiſsimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine; ſanctuarium tuum Domine, quod firmaverunt manus tuæ.*

Numerus 7.

Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas: interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi.

82 PRobat Moyſes, non eſſe recentem hanc erga populum illum, Dei providentiam, ſed inde uſque ab orbe condito, manifeſtis proditam, ac teſtatã fuiſſe documentis. Deum iam tum indulgentiſsimi parentis officio functum, nihil omnino, quod amantiſsimũ patrem erga liberos deceat, prætermiſsiſſe. Recolant proinde, quo ad longiſsimè recenſere poſſint, priſcorum ſæculorum memoriam, aut certè ſeniorum, qui adhuc ſu perſtites erant, commemoratione diſcant; nam & ipſis ſenioribus hoc præcepit Deus, Pſal. 77. num. 5. *Quanta mandavit patribus noſtris, nota facere ea filijs ſuis, ut cognoſcat generatio altera; filij, qui naſcentur, & exurgent.*

83 Subeſt in Hebraico textu celebris illa vox, *Holam*, & apud LXX. illi correſpondens *AEon.* Et licet utraq; ſignificet æternitatem, nullis terminis circunſcriptam, ſæpe tamen ex adiunctis reſtringitur ad longiſsimam ætatem, & variè illuſtratur ab interprete. Editio Vaticana LXX. ita

habet

habet in præsenti. *Mementote dierum sæculi*; quæ versio non abhorret etiam à Vulgato. Malach. 3. num 4. *Sicut dies sæculi*; sæculum autem usurpat pro mundi nascentis exordio. Vt Genes. 6. num. 4. *Isti sunt potentes á sæculo*, & Ierem. 2. nu. 20. *A sæculo confregisti iugum*. Eadem item est significatio Græcæ vocis *Aeon*. Lucæ. 1. num. 70. & Ioan. 9. num. 32. *A sæculo non est auditum*. Sed frequenter appellat Vulgatus priscam illam ætatem, ut in hoc loco, *dies antiquos*. Amos. 9. n. 11. *Reædificabo illud, sicut in diebus antiquis*. Psalm. 76. num. 6. *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui*.

84 Atque hæc dicta satis, superque sunt ad præsentem locum illustrandum. Qui præterea, pro arcani sermonis intelligentia, varios usus vocis *Holam* nosse desiderat, consulat Oleastrum in cap. 3. & 6. Genes. Masium Iosue. 4. num. 7. & cap. 8. num. 28. Forerium Isaiæ 24. num 4. Guevaram Habac. 3. num. 60. Istellam, Genes. 3. num. 67. Maldonatum, Ioan. 14. num. 16. Delrium Threnorū. 5. versu 19. Riberam Michæ. 5. num. 45. & Pererium tomo 3. in Genes. cap. 13. num. 55.

Numerus 8.

Quando dividebat Altissimus gẽtes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel.

85 IC locus, siquis alius huius Cantici, per obscurus est, lõgèque difficillimus. Quid enim egregij beneficij continet erga Israelitas, iam inde à priscis illis temporibus, cùm ex posteris Noe per universum terrarum orbem diviſę sunt, ac proseminatæ familiæ, Genes. 10. num. 31. sivè cùm posteà confusione linguarum, separatæ sunt, atque dispersæ, Genes. 11. num. 9. iam tum Deum tam varijs populis, atque gentibus præscriptos terrarum terminos, ac fines designasse, eos tamen numero filiorum Israel, æquatos, atque demensos? Quid hæc tam accurata demensio Israelitarum intererat? Auget difficultatem loci, versio mirabilis LXX. quæ ita habet, *Quando dividebat Altissimus gentes, quando disseminavit filios Adã, constituit terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei*.

86 Et quanvis Eugubinus cõfidenter pronuntiet, non esse dubium, quin hic locus sit apud LXX. depravatus, atque mendosus; sed audax Eugubini asseveratio, (ut levissimè dicam,) temeraria est. Quippe quæ adversatur venerandæ Patrum, ac sæculorum omnium vetustati. Agnoscũt enim, & interpretantur hanc lectionem LXX. magnus ille Dionysius lib. de cæl. hier. cap 9. Athanas. in lib. quęstionum ad Antioch q. 1. Basilius lib. 3. contra Eunomi. Ruffinus in expositione Symboli, quæ extat inter opera Cypriani. Gregorius Papa homil. 34. in Evangelia, Tertulian. vel potiùs Novatianus in lib. de Trinitate, cap. 25. Hieronymus, in cap. 7. Danielis, & in cap. 28. Ezechiel. & lib. 2. in Michæam. Clemens Romanus, lib. 2. recogni. & Clemens alter Alexand. lib. 6. Strom. Chrysost. homil. 61. in Matthæ. Theodoretus oratione 10. in Danielem, Origenes homil. 28. in Numeros. Nazianzen. oratione 2. de Theologia. Epiphanius hęresi 51. Anastasius Nicenus q. 60. in Scripturas. Anselmus lib. 1. cur Deus homo, cap. 18. Euthimius in commentario huius Cantici.

87 Est igitur prima intelligentia huius loci, quam his verbis exponit Gregorius in illa homil. 34. [Quia superna illa civitas ex Angelis, & hominibus constat; tanta illuc ascensura creditur multitudo hominum, quantos illic contigit electos Angelos remansisse: sicut scriptum est, statuit terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei.] Recitat hanc explicationem Athanasius in illa, q. 2. & probabilem existimat Anselmus lib. lib. 1. cur

Deus

Deus homo cap. 18. eamdemque tuētur Strabus, & Lyranus.

Sed hæc expositio longè petita est, & ad id, quod Moyses agebat, minimè cōsentanea; deserit etiam Editionem vulgatam, cuius summa ducenda ratio est; neq; versionem LXX. cum illa componit. Prę tereà non ait Moyses, constituit numerū hominum iuxta numerum Angelorum; *sed constituit terminos, aut fines gentium, secundum numerum Angelorum*; itaquenon singulis Angelis homines singulos, sed singulos populos singulis Angelis adequat. Vnde frequenter Patres colligunt ex isto loco, Deum Provincijs singulis singulos Angelos præfeciſſe. Denique fundamentum illud, quo tota hæc innititur explicatio, infirmissimum est. Vtrùm enim par futurus sit hominum salvādorum, & Angelorum numerus, prorsus est incertum: & (ut sapienter dixit Isidorus lib. 1. de sum. bono cap. 10.) *soli Deo cognitum*. Lege Anselmum loco citato, & Martinengum tom. 1. glossæ magnæ in Genes. tit. de bello Angelico, pag. 4291 & Gabrielem Vasquez tom. 2. in primam Partem, disputatione 180. cap. 3.

88 Secunda explicatio Hebræorum prōpria est, atque adeò pro illorum ingenio, humi repens; illud in primis pro certo habet: familias illas ex Noetica posteritate orīūdas, quæ inter se varietate linguarum dissociatæ, diversa adierunt ad habitandum terrarum loca, septuagenarium numerum attigisse. Idque ex 10. capite Geneſis manifestè concludi. Iam verò filios Israel, qui cum ipso Parente in Aegyptū descenderunt, totidem omnino fuisse, nō uno in loco commemorat sacra Scriptura. Genes. 46. num. 27. *Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Aegyptum, fuere septuaginta.* Exod. 1. num. 5. *Erant igitur omnes animæ eorum, qui egressi sunt de fœmore Iacob, septuaginta.* Deuter. 10. num 22. *In septuaginta animabus descenderunt Patres tui in Aegyptum.* Quòdsi septuaginta fuere populi à Deo per universa terrarum loca distributi, & filij Israel totidem extiterunt, quid aptius, quid ve clarius afferri potest, ut hęc verba intelligantur; *constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel?*

Miror, hoc inventum (ne dicam figmentum) quibusdam etiam è nostris placuisse; ut Titelmano in commentario huius Cantici, & Barradio, tomo 1. lib. 2. cap. 10: cùm tota hæc explicatio non se, vel transversum digitum a cortice litteræ extollat Mitto dicere, quàm levi illa sententia de septuaginta populis, ac linguis fulciatur fundamento; quia exactè id demonstrat Pererius tom. 2. in Genes. lib 16. disput. 10. num. 148 mitto, filios Israel, qui ingressi sunt in Aegyptum unà cum Iacob, à Beato Stephano Actuum 7. num. 14. septuaginta quinque numerari: neque verò vacat, in transcursu hūc nodum difficillimum expedire, tamque miram conciliare varietatem; consulatur Lorinus in eum locum, & Delrius in suo Pharo cap. 46 vers. 27. Quod ad præsens Moysis institutum attinet, quid singularis beneficij, paternæque erga populum illum providentiæ continet, tot gentes, ac nationes Deum iamtum proseminasse, ac divisisse, quot numero personæ posteà ex Israelis familia in Aegyptum introierunt?

89

Tertia explicatio Agellij tota argutā est, atque subtilis: neque verò primus eius auctor extitit Agellius, et si neminem ipse priorem laudat, haud obscurè enim eā insinuat Euthimius, & diserte recitat Salmeron, tom. 1. prolegomeno 6. pag 74. Ea præcipuè nititur versione LXX. cùm Deus gētes divideret, & præscriptis quēq; populum terminis definiret, tot gentes esse voluit, quot Angelis Principantibus essent numero pares. Itaque singulis populis singulos Angelos præfecit: populū verò suum non angelico muneri, & officio subiecit, sed sibi tāquam eximium reservavit. Itaque ex opposito subiungit Moyses, *pars autem Domini populus eius.* Confirmat Agellius sententiam suam ex Deuteron. 4. num. 19. & cap 29 num

90

20. Solemque, Lunam, & astra, vel obtorta gula detorquet ad significandos Angelos, eisdem syderibus præfectos.

91 Non dissimulo, odio mihi esse istam in tractandis divinis litteris tã argutã subtilitatem; nihil enim periculosius, nihil minùs dignũ Scripturæ maiestate, quàm in ea interpretanda, indulgere intemperanter ingenio. Sed ad rem ipsam accedam: deserit in primis Vulgatam Agellius, cuius explicationem, & concordiam cũ hac lectione, LXX. ne attingit quidem. Illa verò vox adversativa, *autem*, in qua vim facit ad suam explicationem obtrudendã, in Hebraico textu potiùs est causalis, *quoniam*. Deinde cùm propagato posterioribus sęculis humano genere, novisque terris in dies patefactis, novæ item provinciæ, novi populi fundarentur; an nullis eisdem Angeli præficiebantur? adeòne restrictus erat numerus Principãtium Angelorum, ut numero duntaxat gentium primævæ illius divisionis ex æquo respondérent? Quid verò? an non etiam illi populo fuit Archangelus Michael in custodiã deputatus, licèt eumdem Deus singulari suo patrocinio protegeret?

92 Germanam huius loci intelligentiam esse arbitror. Deum iam tum in illa prima divisione benignè suo populo prospexisse: designasseq; illi non modò opimũ, feraciss imumque solum, verùm etiã tantam, & tam latè patentem regionis planiciem, quanta capiendo numero filiorum Israel, ad infinitam penè multitudinem propagãdo, sufficeret. Interim verò dum tempus divinitus præstitutum accederet, & populus ad iustam illam magnitudinẽ perveniret, intra præfixos illos limites, ac terminos, gentes constituit Deus: quibus tanquam colonis, terram suo populo decretam, ad tempus elocavit; in designanda tamen terræ illius magnitudine, non tam colonorum, quàm Israelitarum, id est, dominorum rationem habuit: *constituit videlicet terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel.* Hoc beneficium cõmemorat Deus, Ezech. 20 num. 6. *Vt educerem eos de terra AEgypti in terram, quam provideram eis* (id est, quam illis tantò antè in terrarum distributione destinaveram) *fluentẽ lacte, & melle, quæ est egregia inter omnes terras.*

93 Hęc explicatio, & cum antecedẽtibus, & cum consequẽtibus nectitur quàm aptissimè: Præmiserat enim Moyses, *qui possedit te*, id est, ex miserrima illa servitute liberavit; *qui fecit te*, populũ scilicet suũ, sanctissimis legibus efformatum: *qui creavit te*, id est, in terra promissionis, tanquã in sede fixa stabilivit; quid aptiùs attexere potuisset, quàm ipsam sedem, iam inde à prima illa distributione terrarũ fuisse illis divinitus præstitutam, atque firmatam? Iuxta illud Deuter. 11 num. 21. *In terra, quam iuravit Dominus patribus tuis, ut daret eis, quandiu cœlum imminet terræ.* Sic explicant locum istum Abulensis, Cajetanus, Vatabl. Isidorus Clar. Iansen. Oleaster, & Sà in huius Cantici commẽtarijs, Prado, Ezechiel 20. vers. 6. & Pineda Iob. 34. vers. 24. num. 7.

94 Vellem tamen, ut quispiam horum interpretũm in hac explicatione concilianda cum versione LXX. tam miro consensu ab omnibus Patribus recepta, aliquid operæ posuisset. Sed, qui quæstionem ipsó loco sponte natam, vel attingat dumtaxat, invenio neminẽ: & quidem Patres admirabili consensione eliciunt ex verbis LXX. in isto loco, Deum singulis populis singulos Angelos custodes præfecisse. Quare minimè dubius affero, LXX. Angelorũ nomine eos comprehendisse, quibus divinitùs commissa est rerum humanarum cura. Sed, si replicemus sacra monumẽta, in illis inveniemus, septem Principes Angelos crebrò nominari, qui adstant ante Divinum Thronum, universo orbi, rebusque mortalium præsidẽtes: qui Dei nutum observantes, ipsiusque iussa capessentes, per se, aut per inferiores Angelos, ea quàm promptissimè exequuntur. Tobiæ 12. num 15. *Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Apocal. 1. num. 4. *& à*

septem

ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu Throni eius ſunt, qui ſeptem ſpiritus, Apocalyp. 15. num. 1. num. 6. num. 7. & 8. & cap. 16. num. 1. & cap. 17. num. 1. *Septem Angeli* vocantur. Quia verò illis demandata eſt adminiſtratio rerum inferiorum, oculi Dei dicuntur Zachari. 3 num. 9. & cap. 4. num. 10. *Septem iſti oculi ſunt Domini, qui diſcurrunt in univerſam terram.* Apocalyp. 5. num 6. *Et oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſſi in omnem terram.* Lege Riberam Apocalyp. 1. num. 25. Viegam ibidem, commentario. 1. ſect. 6. Noſter autem Serarius omnium copioſiſſimè in cap. 12. Tobiæ, quæ ad pleniorem horum ſeptem Principum Angelorum notitiam ſpectant, omnia quatuordecim quæſtiunculis complexus eſt.

96 Ex altera verò parte, obſervo in Scriptura accuratè ſubduci ſummam eorum populorum, quibus terra promiſſionis, quaſi colonis, ad tempus locata eſt: & omnino item ſeptem numerari: habetur diſertè Deuteronom. 7. num. 1. *Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quã poſſeſſurus ingredieris, & deleverit gentes multas coram te, Hethæum, &c. Septem gentes multò maioris numeri, quàm tu es.* Si ergo gentes illæ fuere ſeptem, & Principes Angeli in Scriptura celebrati ſunt item ſeptem; iure optimo dixerunt LXX. *Conſtituit terminos gentium, ſecundum numerum Angelorum Dei.* Atque ita mihi videntur omnia mirificè cõſonare. Quòd ſi quis ulteriùs inquirat, an ſeptem illis excellentibus Angelis ſeptem illarum gẽtium fuerit iniuncta adminiſtratio, nihil habeo comperti; neque verò exiſtimo, poſſe id ſine curioſitatis vitio quæri, aut etiam ſine maiore temeritatis nota definiri.

Numerus 9.

Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius.

IN Hebraico textu eſt parti- 97
cula cauſalis, *quoniam*; apud LXX. verò copulativa, &, quæ in ſacro ſermone pro cauſali frequenter uſurpatur: & quanvis in ſpeciem videatur diſcrepare Latina vox *autem*; exiſtimo tamen omnia eôdem recidere: & cùm Iſraelitas gentibus opponi, tum verò cauſam reddi, cur illis Deus tam benignè providerit, quia videlicet Iacob populus eius peculiaris, atq, adeò hæreditaria poſſeſsio ipſius Dei erat.

Scitum eſt in Scriptura terram illam 98
promiſſionis funiculis primò fuiſſe dimenſam, & in partes duodecim, pro rata multitudinis portione, diviſam; deinde verò ſpacia illa, limitibus iam terminata ſuis, ſortitò inter Tribus duodecim diſtributa. Pſalm. 77 num. 54. *Sorte diviſit eis terram in funiculo diſtributionis.* Num. 33. nu. 54. *Singulis, ut ſors ceciderit, ita tribuetur hæreditas.*

Dixi, partitam fuiſſe terram inter duodecim Tribus, quia & ſi Sacerdotali Tribui Levi nulla pars fuit attributa, Num. 18. num. 20. *In terra eorum nihil poſſidebitis, non habebitis partem inter eos, ego pars, & hæreditas tua.* Cęterùm Tribus Ioſeph duas partes propter ipſius magnitudinẽ accepit; erat enim bipartita Tribus illa, quia Manaſſes, & Ephraim, filij Ioſeph, duo fuerunt familiarum capita. Ioſue. 14. num. 4. & cap. 17. num. 17. Ezechiel. 47. num. 13. *Poſſidebitis terram in duodecim Tribus Iſrael, quia Ioſeph duplicem funiculum habet.*

Ex hac dimenſione, ſortitione, & 99
partitione, ortum eſt, ut in arcano ſermone, *funiculus, ſors, hæreditas, pars, &*

portio, pro eodem prorsus usurpentur; atque hinc etiam fit, ut Hebraicā vocem *Goral*, ideſt, ſortem, transferant LXX. *Cleronomian*, ideſt, hæreditatem; ut Pſal. 15. nu. 6. *Hæreditas mea* (Hebraicè Sors mea) *præclara eſt mihi.* Et quia regiones illę funiculis dimenſę, ſortibus fuere diſtributę: cadere autem ſortes propriè dici ſolet. Ioſue. 16. n. 1. *Cecidit ſors filiorū Ioſeph, &c.* Transfertur etiam hic loquēdi modus ad ipſos funiculos. Ioſue. 17 n. 5. *Et ceciderūt funiculi Manaſſe, &c.* Pſal. 15. nu. 6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*, ideſt, obtigit mihi ſortitò fertile, ac pingue ſolum. Deū enim ipſum ſortem ſuam, & funiculū appellat Regius vates, feraciſsimūq; ſolum, undè omnium bonorū affluentiſsima copia, & abundantia percipitur. Interdum etiā duo ex his nominibus cōiunguntur. Pſal 104. n. 11. *Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis veſtræ.* Et in hoc loco. *Iacob funiculus hæreditatis eius.* Atque huius frequentiſsimæ loquutionis origo ſic breviter explicata, lucem afferet quàm plurimis Scripturę locis.

100 Enimverò commemorat ſæpè Deus hoc beneficium, quòd ex univerſis nationibus Iſraeliticum populum duntaxat ſibi in ſortem, & funiculum elegerit. Lege Maldonatum doctè in hanc ſententiam explicātem verba illa Baruch. 3. num. 24. *O Iſrael, quàm magna eſt Domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius, &c.* Eccleſ. 17. num. 14. *In unam quamque gētem præpoſuit Rectorem, & pars Dei Iſrael facta eſt manifeſta.* Editio LXX. Vaticana *Et pars Dei Iſrael eſt.* Tigurina congruentiſsimè præſenti loco. [In diſtribuendis totius terræ gentibus, ducem cuique genti conſtituit, & Iſraelem ſibi delegit peculiariter.] Amos. 3. num. 2. *Tantummodò vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ*, ideſt, vos ſolos elegi, quibus paternè proſpicerem, ut populo peculiari: ſic vocat ſæpè Deus hęreditatem iſtam ſuam.

101 Eſtque inſignis locus Deuteronom. 7. num. 6. *Te elegit Dóminus Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terrā.* Vbi Hebraicè ſubeſt vox illa celebris *Cegulá*, quam variè varij reddiderunt. LXX. exprimere ſolent *laos periuſios.* Vertit Vulgatus apud Paulum ad Tit. 2. num. 14. *Populum acceptabilē.* Theodotio. Exod. 19. num. 5. *Populum electum.* Symmachus *præcipuum, ſive egregium.* Toletus Lucę 11. notatione 11. obſervat *periuſiam*, idem eſſe, ac opulentiam, atque adeò explicat, populum opulentum. Latinus interpres vocem Hebraicam *Cegula, peculium* vertit, Exod 19. nu. 5. Malach. 3. num 17. Aſſentior tamen Ariæ Montano in commētarijs Malachiæ, vocabulū eſſe dignius, & liberalius, quàm peculiū: eo ſignificari cariſsimam, ſelectiſsimamq; divitiarum partē, regiam gazam, exquiſitam ſupellectilem, ut ſunt gemmæ, uniones, aurum, & argentum pretioſè cælatum; Vatablus Exod 19. nu. 5. vertit *Theſaurum unicè dilectum.* Pineda in Salomone lib. 4. c. 18. § 12. *Pretioſiſsima monilia.* Perpende hinc, quanti fecerit Deus illum populum, quem non ſolùm ſortem, & hæreditatem ſuam, ſed ſelectiſsimum etiam, pretioſiſsimumq; theſaurum appellavit.

Et quemadmodùm ille populus erat funiculus hæreditatis Dei, ſic etiam ipſe Deus, (quod omnem ſuperat beneficentiā) dignatus eſt viciſsim pars eſſe, & hæreditas eiuſdem populi. Non obſcurè hoc inſinuatur in iſto loco; verba enim illa, *Pars autem Domini populus eius*, æquè benè verti poſſunt ex Hebræo. *Quia pars Dominus populi eius.* Itaque ijſdem omnino verbis mutua iſta, reciprocaq; poſſeſsio declaratur; expreſsè tamen hoc cōfirmat Ieremias cap. 10. num. 16. *Non eſt his ſimilis pars Iacob: qui enim formavit omnia, ipſe eſt; & Iſrael virga hæreditatis eius.* Vbi perſpicuè aſſeritur, Deum omnium rerum conditorem, partem eſſe Iacob: ipſum autem Iacob virgam eſſe hæreditatis Dei. 102

Neque verò aſſentior Lyrano, Hugoni, Vatablo, & Maldonato aientibus in eum Ieremiæ locum, Iſrael 103

vocari,

vocari virgam hæreditatis Dei, quia virgis hæreditas dividi solebat; ut vocatur etiam funiculus, quia funiculis distribuebatur: funiculis enim regiones dimensas fuisse, in sacra Scriptura lego; virgis, non lego; vox item Hebraica *Sebet* pro sceptro, seu virga, imperij insigni, in sacro sermone frequentatur. Genes. 49. num. 10. Zachar. 10. num. 11. Psalm. 44. num. 7. Regnum verò Iacob, quasi hæreditario iure, erat debitum Deo. Psalm. 73. num. 2. *redemisti virgam hæreditatis tuæ.* Michææ 4. num. 7. *& regnabit Dominus super eos in monte Sion.* Luc. 1. num. 32. *& regnabit in domo Iacob in æternũ.* Denique cùm Ieremias repetit hæc ipsissima verba, Vulgatus pro virga transtulit *sceptrum*, quod ad mensuram referri non potest. Hierem. 51. num. 19. *Non sicut hæc pars Iacob, quia, qui fecit omnia, ipse est, & Israel sceptrum* (Hebraicè *sebet*) *hæreditatis eius.*

104 Est itaque Deus pars, & hæreditas sui populi. Psalm. 15. num. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ.* Psalm. 72. num. 26. *pars mea Deus in æternum.* Thren. 3. num. 24. *pars mea Dominus, dixit anima mea.* Vnde sapienter Ambrosius sermone. 8. in Psal. 118. circa illa verba num. 57. *portio mea Domine*, &c. [Hi multò ditiores sunt, quàm qui possessionũ suarum spacia ampla diffundũt. Cui enim portio Deus est, totius est possessor naturæ.] Augustinus autem in Psalm. 102. [Bonum tuum quære, anima: summum bonum hoc est bonum tuum. Quid ergo deest, cui summũ bonum, bonum est?] Et Prosper. lib. 2. de vita contemplativa, cap. 16. [Quid ultrà quærit, cui omnia suus conditor est? aut quid ei sufficiat, cui ipse non sufficit?] Quod hausit Prosper, ut sæpè solet, ex Augustino sermone 29. de verbis Domini [Avare, quid aliud quæris? aut si aliud quæris, quid tibi sufficit, cui Deus non sufficit?] Et lib. 13. confessionum cap. 8. *Omnis mihi copia, quæ Deus non est, egestas est.* Est enim rerum Deus perennis, & inexhaustus bonorum omnium fons, *qui dat omnibus affluenter.* Iacob. 1. num. 5. & Hebraicè *Sadai*, hoc est, sufficiens, vel ipsa potiùs sufficientia nominatur: si ergo Deus te ipso contentus est, si de sorte, ac funiculo tui cordis gloriatur, si te, suam partem, & hæreditatem vocat; si denique sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus.

Numerus 10.

Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis; circumduxit eum, & docuit, & custodivit quasi pupillam oculi sui.

POSTQVAM Moyses 105
antiqua illa beneficia memoravit, ad proxima iam descẽdit, & per quinque integros versus sigillatim enumerat, quàm paternè, quàm benignè, ac liberaliter qua draginta ipsos annos deduxit Deus suum populum per vastam, & horrentem solitudinem, quoad usque illum in proprijs sedibus, hoc est, in amænissima, ac fertilissima regione, oleo, butyro, ac melle redundante, collocavit. In hoc autem versu quatuor maximè illustria beneficia recenser.

Primum est, errantem populum in lo- 106
co deserto, & inculto, veluti eximprovisò inventum fuisse à Deo. Ezech. 16. num. 5. *Proiecta es super faciem terræ, in abiectione animæ tuæ, in die, qua nata es: transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo*, &c. Vbi, ut observat noster Prado, assumit sibi Deus personam Principis hæredis amplissimi regni, qui venatum, aut rusticatum in agrum egressus, nihil minùs cogitans casu offendit infantulam, inter herbas proiectam, & expositam, totam sanguine, quem ex ventre matris traxerat, madentem, ardentissimoque tactus affectu misericordiæ non solùm fovendam, alendamque curavit, sed eam sibi in sponsam assumpsit.

107 Quod autem ait, fortè in eam incidisse, non tollit Divinam providentiam, cui nihil potest temerè contingere; sed omne huius populi meritũ excludit; nihil enim antè præstiterat, quò Deum sibi conciliaret, quò ad se inquirendum alliceret; sic etiam loquitur Oseas, cap. 9. num. 10. *Quasi uvas in deserto, inveni Israel*: ubi non solùm innuitur, nihil magis improvisum, & inopinatum accidere posse, quàm in horrente solitudine uvas ex insperato reperire; verùm illud etiam significatur, Israeliticum populum, sic ex improviso inventum, summæ Deo voluptati fuisse; quemadmodùm in locis arentibus, & inaquosis, flagrante æstu, uvæ subitò deprehensæ viatorem recrearent, quod confirmat Oseas, dũ subdit, *Quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum.*

108 LXX. Legunt *autar Kesen* suffecit illi necessaria illi suppeditavit. Omnia, quæ ad victum, vestitumque sufficerent, abundantissimè præbuit. Et in hanc sententiam arbitror trahendum etiam esse *inveniendi*: verbum, quo usus est Vulgatus: ut dicatur Deus invenisse illum populum, simulque fovisse, aluisse, sufficientia subministrasse. Quæ significatio non abhorret ab Hebraico verbo *Masa*, ut apertè constat Numer. 11. num. 22. *Numquid ovium, & boum multitudo cædetur, ut possit sufficere ad cibum?* Vbi LXX. *Che archèsi autis*: & sufficiet ipsis? Hebraicè *V masa lahem, & inveniet eis?* Et in hoc sensu quadrat mirificè, quod sequitur, *in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis*: ideſt, in loco omnibus rebus ad victum necessarijs destituto. LXX. *in siti æstus, in terra inaquosa.* Quod egregiè ponderavit ipse Moyses Deuteron. 8. num. 15. *Ductor tuus fuit in solitudine magna, atq; terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & Scorpio, ac dipsas, & nullæ omnino aquæ; qui eduxit tibi vos de petra durissima, & cibavit te Mãná in solitudine.*

Iam quod ad vestitum attinet, grande illud miraculum fuit, quod refertur in eodem cap. 8. num. 4. & cap. 29. num. 5. *Adduxit vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorũ vetustate consumpta sunt.* Augebat autẽ huius paternæ providẽtiæ admirabilitatẽ infinita penè illius populi multitudo. Numer. 11. n. 21. *Sexcẽta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis, dabo eis esum carnium mense integro?*

Secundum beneficium fuit, *circũduxit* 109
eum, quod expressèrunt LXX. *Ecicloſen.* Latinè commodè verti potest, *circũdedit eum.* Vnde eam non nulli expositionem hauriunt. Et nubis umbraculo, & Angeli patrocinio populũ suum texit; robore suę dexteræ undiq; vallavit, ac sepsit. Psal. 31. n. 10. *Sperantem autem in Domino misericordia circundabit*; ubi LXX. *Cicloſi.*

Cõmodior tamen expositio, & Latino verbo, & sacræ historiæ congruentior est: circunduxit eum: ideſt, non recto itinere, sed obliquo, in terram promissionis deduxit. Exo. 13. n. 17. *Nõ eos duxit Deus per viã terræ Philistym, quæ vicina est, reputans, ne forte pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum; sed circunduxit per viam deserti.* Vbi etiã LXX. *Ecicloſen.* Sed perspicuè manifestum est, verbũ Hebraicum *Iaseb* rectissimè in hanc sentẽtiam Latinum interpretem transtulisse; sic etiam dicitur Iosue. 5. num 4. *Per longissimos viæ circuitus, &c.*

Tertium beneficium est, *& docuit*, hoc est, tradita sanctissima Lege, viam, qua illi tendendum esset in cœlestem patriam, & rationem ad benè, beatèque vivendum, commostravit.

Quartum deniq;, *& custodivit quasi pupillam oculi sui*, ideſt, ab omnibus hostilibus incursionibus sartum, tectumq; servavit. Et, ut solertissimam describeret tutandi curam, apposita comparatione usus est rei unicè, eximièq; dilectę, videlicet pupillę oculorũ; quã ab ipsa natura palpebrarũ propugnaculo septã, & superciliorũ munimento vallatã, nos etiã summa custodia tuemur. Illustrãt hunc locũ Ambrosij luculentissima verba, lib. 6. Hexamer. c. 9. [Pupillę, nequa incidẽtis iniurię offẽsione

lędantur,

lædantur, pilis hinc inde confertis, velut quodam vallo per circuitum, muniuntur: unde tutum auxilium postulans Propheta ait (Psalm. 16. num. 8.) custodi me ut pupillam oculi, ut protectionis divinæ ficret ei tam sollicita, & tuta custodia, quàm pupillam oculi tutissimo quodam naturæ vallo munire dignatus est.] Sic Ambrosius.

Ribera verò in cap. secundum Zachar. num. 20. iure existimat; ad hæc Moysis verba alluisse Prophetam, dum ait Zachar. 2. num. 8. *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Vbi perpende summum Dei amorem erga iustos. Qui enim eos, vel minimùm læserit, qui vel tactu quodam levissimo violaverit, acerbissimum ipsi Deo dolorem inurit, eius oculorum lumen graviter offendit.

Numerus 111.

Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.

111 HAbetur in hoc loco illi etiã, qui versionem nostram carpere solent, Latinum interpretem, si minùs singula verba, sententiam certè integram, fideliter reddidisse. Lege Caietanum, & Oleastrũ. Subducit verò Moyses brevissimam omnium beneficiorum summam, quæ in illo itinere Deus in suum populum contulit. Quem enim filium indulgentissimus pater, iter facturus, in vlnas sublatum, & ad pectus appressum circumduceret; quid tali filio ardentissimæ charitatis, paternæ providentiæ, totius denique suavitatis, & indulgentiæ deesse posset? Vtitur autem Moyses apta similitudine, ducta ab Aquila. Quæ (ut auctor est Hieronymus, exponens illud Isaiæ. 66. num. 12. *Ad ubera portabimini,*) omnium animantium, ferarũ, & volucrum, ingenitum affectum in liberos, flagrantissimo in pullos suos amore transcendit. Lege Delrium adagio 84.

Liquet itaque similitudinis explicatio: 112
fornace illa ferrea AEgypti, veluti nido implumes pulli, Hebræi continebantur, sine ullis ad volandum viribus. At Deus instar generosæ Aquilæ, misso Moyse nuntio, editisque admirandis prodigijs, ad volandum illos provocavit. *Et super eos volitans*, hoc est, umbram, & protectionem alarum suarum expandens, robur, & auxilium opportunum ostendens, tandem assumpsit eos, non ut aliæ volucres de ungue suspensos ferre solent, sed per alas extensas, quasi per quosdam gradus, exceptos in humeros, ne ipsarum alarum agitatione decuterentur, benignissimè gestavit.

Eadem similitudine usus est Deus 113
Exod. 19. num. 4. *Vos ipsi vidistis, quæ fecerim AEgyptijs: quomodò portaverim vos super alas Aquilarũ, & assumpserim mihi.* Et perspicuo, dilucidoque sermone Deuterono. 1. num. 31. *Et in solitudine (ipse vidisti) portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via, per quam ambulastis.*

Atque hic est sensus litteralis (ut patet 114
ex contextu, & interpres litteralissimus Forerius observavit,) illorum verborum Isaiæ 63. num. 9. *In omni tribulatione eorum non est tribulatus.* Hebraicè *non fuit tribulatio.* Scilicet, *eis.* Hoc est, cùm maximè videbantur affligi, tunc verè, Deo opportunissimè subveniente, non affligebantur. Quantacumque in eos ingruerent mala, ipsi superiores evadebant. Verti possunt Hebraica, *in omni angustia eorum, non ei fuit angustia,* id est, cùm maximè coarctarentur, non permisit eos Deus coarctari. Instabant AEgyptij à tergo frementes ira, ex altera parte retardabant montes inaccessi, à fronte obiectum mare fugam impediebat: in arctũ deducti videbantur; & tamen non sunt coarctati. *Angelus faciei eius salvavit eos.* Angelꝰ ille, qui eos comitabatur, opẽ illis in tẽpore

ferebat; qui Angelus *Faciei* nominatur, ſive quia unus erat ex ſeptem illis principibus, qui Dei vultui ſemper aſsiſtunt, ſive quia Dei faciem repręſentabat, Dei ipſius perſonam gerebat: ſubdit Iſaias *in dilectione ſua, & in indulgentia ſua* (agnoſce patrem amantiſsimum, & indulgentiſsimum) *ipſe redemit eos*, ſcilicèt ex ærumnoſiſsima ſervitute, *& portavit eos, & elevavit eos.* Tigurina, *baiulavit eos.*

115 Sed claudat commẽtarium locus non minùs inſignis Oſeæ. 11. num. 3. *Et ego quaſi nutritius Ephraim, portabam eos in brachys meis.* In quæ verba ait congruentiſsimè Hieronymus. [Ego inquit, qui pater eram, nutritius factus ſum, & parvulum meum in ulnis meis ipſe portabam, ne læderetur in ſolitudine; & ne vel æſtu, vel tenebris terreretur, in die nubes eram, in nocte ignis columna.] Tantum Hieronymus.

Numerus 12.

Dominus ſolus Dux eius fuit: & non erat cum eo Deus alienus.

116 ET novum benɔficium commemorat Moyſes, & tacitè illius populi ingratitudinem incuſat; quẽ cùm ſolus Deus ex tenebricoſo ergaſtulo eripuerit, ſolus per vaſtam ſolitudinem paternè deduxerit, ſolus in terra promiſsionis collocaverit; ab eo tamen turpiter, & ingratè ad idola vana, quæ nihil eis opis attulerant, deflexerunt. Quæ idola in ſacro ſermone appellantur *Dij alieni*, Geneſ. 35. num. 2. *Abycite Deos alienos.* Ierem. 19. num. 4. *Libaverunt Dijs alienis*, ideſt, alterius religionis, peregrinarum cæremoniarum, ut expreſsit Vulgatus. 2. Paralip. 14. num 2. *Subvertit altaria peregrini cultus.* Vbi LXX. *removit altaria alienorum.*

117 Dicitur autem Deus dux extitiſſe illius populi, Deuteron. 1. num. 30. cap. 8. num 15. cap 31. num 6. multis, iuſtiſsimiſque de cauſis. Prima eſt, quia portavit eum in alis ſuis, ideſt, tanquam dux ſtrenuiſsimus ab impetu hoſtili ſingulari tutela, patrocinioque protexit. Iuxta id Pſalm 90. num. 4. *Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis.* Sic enim utrumque coniunxit Moyſes Exod. 15. num. 13. *Dux fuiſti in miſericordia tua populo, quem redemiſti, & portaſti eum in fortitudine tua.*

Secunda. Quia Deus caſtra præcedens viam commonſtrabat: Exod 13. num. 21. *Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux eſſet itineris in utroq; tempore.* 2. Eſdrę. 9. num. 12. *Et in columna nubis ductor eorum fuiſti per diem, & in columna ignis per noctem, ut appareret eis via, per quam ingrediebantur.*

Tertia. Quia ex Tabernaculo fœderis 118
Deus oracula edebat, & quando gradiendum eſſet, quando inſiſtendum, imperabat. Numer. 9 num. 18. *Ad imperium Domini proficiſcebantur, & ad imperium illius figebánt tabernaculum; ingreſſo enim Moyſe in tabernaculum ad conſulendum Deum, deſcendebat columna nubis, & ſtabat ad oſtium.* Exod. 33. num. 11. *Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.*

Quarta denique, quia antecedẽs Deus viæ obſtacula removebat. Pſal. 79. n. 10. *Dux itineris fuiſti in cõſpectu eius.* Vbi ſubeſt Hebraicè verbum *Pinà*, cuius vis unica voce Latina nequit exhauriri. Eſt enim propriè removere è conſpectu quidquid offenſioni, aut impedimento eſſe poteſt. Pagninus vertit, *evacuaſti ante eã.* Regia, *ſcopaſti.* Tigurina, & Iſidorus Clarius, *repurgaſti diligenter ſuperficiem.* Genebrardus, *everriſti ante eam, purgaſti ſolum, ſuſtuliſti lapides, ne poſſet impingere.* Perpende benigniſsimi Ducis indulgẽtiſsimam, & pluſquàm paternam providentiam.

Occurrit tamen hîc gravis difficultas, 119
an re vera Deus ipſe duceret illum populum, loquereturque cum Moyſe, an verò Angelus illius perſonam ſuſtinens. Vetus eſt multorum Patrum opinio,

Divinum Verbum, antequàm homo fieret, sæpè corpus, aëreum ad tempus induisse, ut & mysterium, quod, præstituto tempore, summa cum voluptate, peracturum erat, iam tunc quasi proludens repręsentaret, & ab hominibus videri, & cum ijs congredi posset. Supersedebo labore nominandi Patres, eorumque verba referendi, quia eo accuratissimè perfuncti sunt, ut alios omittã, Massius Iosue. 1. versu. 5. & cap. 5. versu. 13. Mendoza q. 1. positiva, num. 4. & q. 5. scholastica nu. 8. Vazquez Tomo. 2. in primam Partem, disputatione. 185. cap. 1. Glossa magna in Genesim. Tom. 1. pagina. 395. Castro in cap. 3. Baruc. num. 16. Ioan. Grial in notis ad Isidorum lib. 1. contra Iudæos, cap. 1. Barrad. Tom. 1. lib. 1. cap. 15. Serarius Iosue. 5. q. 40. Tena in cap. primum ad Hebræos, difficultate. 1. sectione. 1. & difficultate. 2. sect. 1.

120 Verbum itaque Divinum, aspectabili indutum corpore, alloquutum fuisse Patriarchas, nominatimq; suum populum per desertum deduxisse, multorum priscorum sententia est. Eaque videtur diserte tradi à Beato Iuda. num. 5, suæ epistolæ, *commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Iesus populum de terra AEgypti salvans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit.* Vbi apertè attribuitur Christo, & ereptio ex AEgyptiaca servitute, & supplicium de incredulis sumptum. Numer. 14. num. 37.

121 Favet huic sententiæ authoritas Concilij Syrmiensis, anno. 357. ab ortu Domini, Constantio Imperatore, & Liberio Pontifice, contra Photinum congregati; quod Concilium Hilarius. in libro de Synodis, ut Catholicum, & sincerum veneratur; in eo igitur ita definitur anathematismo. 14. *Siquis cum Iacob non filium, tanquam hominem, luctatum esse, sed ingenitum Deum, aut Patrem eius, dixerit, anathema sit.*

122 Non ibo inficias, hanc sententiam nulla asperiore censura dignam esse, cùm gravissimorum interpretum authoritate fulciatur, & testimonia inferiùs recitanda, utcunque detorqueri possint ad *Angelum illum testamenti*, Malach. 3 num 2. *Magni consilij Angelum*, Isai. 9. num 6. ex Editione LXX. Quare non probo severitatem Pererij: nimis enim rigidè perstringit similem opinationem Oleastri, & Eugubini existimantium, Deum, ut crearet hominem, & cum eo sermones conferet, humanam sibi formam induisse; & ideò dixisse, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Quam opinionem Pererius Tomo. 1. lib. 4. in Genes. & Tomo. 2. lib. 14. num. 44. per absurdum figmentum vocat, & temerariam, atque ineptam novitatem, à nullo authore probato cogitatã, nedum scriptis proditam.

Ego quidem existimo, longè probabilius esse, non Deum ipsum, non Divinum Verbum, sed Angelum, Dei personam sustinentem, populi ducem extitisse. Ita habetur perspicuè, atque dilucidè multis in locis Scripturæ. Exod. 23 num. 20. *Ecce ego mittã Angelum meum, qui præcedatte, & custodiat in via, & introducat in locũ, quem paravi.* Et cap. 33. nu. 2. *Mittã præcursorẽ tui Angelum, ut eijciã Chananæũ, &c.* Numer. 20. num. 16. *Quomodò clamaverimus ad Dominum, & exaudierit nos, miseritq; Angelum, qui eduxerit nos de AEgypto.* Isai. 63. num 9. *Et Angelus faciei eius salvavit eos.* Vide suprà num. 11.

123

124 Et universè, ac generatim apparitiones illas factas Patriarchis, ministerio Angelorum semper extitisse, congruentior sacris litteris opinio fert; quæ Beati Dionysij, lib. de cœlesti Hier. cap. 4. auctoritate confirmatur. [Has, inquit, divinas visiones Patres nostri perceperunt per medias divinas virtutes.] Atque id mihi videor posse sacrarum litterarum testimonio apertè comprobare; nam si quando Deus perse, & absque ullo Angelorum ministerio, apparuisset, tunc maximè fuisset, cùm narrat Scriptura Deum ipsum esse loquutum; taliaque Dei verba recitat, quæ nullatenùs Angelo, sed soli ipsi Deo

possunt

possunt convenire; sed tunc etiam perspicuum est, revera non Deum ipsum, sed Angelum apparuisse gerentem Dei vices.

125 Agè verò, primum illum locũ ex cap. 32. Geneſis, excutiamus, de quo tam severè pronuntiat Syrmiense Concilium: Verbum ipsum Divinum corporatũ luctam illam cum Iacob conseruisse. Primũ enim ex illo facinore præclaro glorioſum illi nomen inditum est, *Israel*, idest, prævalens Deo. ibi num. 28. *Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis?* Deinde quia Iacob, dirempta lucta, asseveravit, numero 30. *Vidi Deum facie ad faciem.*

Aio nihilominùs, non Deum, sed Angelum illum fuisse. Oseæ. 12. num. 3. *In fortitudine sua directus est cum Angelo* (id est, pedem contulit, manus conseruit) *& invaluit ad Angelum, & confortatus est.* Quòdsi LXX. legunt in hoc Oseæ loco *prævaluit erga Deum*, ibidem etiam Angelum nominarunt, ut utrumq; scilicet cõplecterentur, & Angelum in natura, & Deum in persona repręsentata.

126 Cuius rei, ne longè abeamus, Iacob ipse duo nobis luculentissima exempla suppeditat. Gen. 31. disertis verbis Angelus nominatur, qui paulò pòst se ipsum Deũ nominat, quia Dei personam repræsentat. num. 11. *Dixitque Angelus Dei ad me.* Quid est, quod Angelus dixit? num. 13. *Ego sum Deus*, &c. Non ne vides perspicuè, Angelum, qui Deum refert, Dei ipsius nomine affici? Vnde idẽ Iacob, Dei, Angeliq; vocabulo, iuxtà usus est Genes. 48. n. 15. *Deus, qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis:* æquè pari benedicendi facultate pollere eum statuit, quem Angelum nominat, et quem Deum: quia Deus simul erat, & Angelus, quatenus verè Angelus Dei personam sustinebat.

Sic etiam Iudic. 13. num. 21. *Vltrà eis non apparuit Angelus Domini, statimque intellexit Manue, Angelum Domini esse, & dixit ad uxorem suam, morte moriemur, quia vidimus Deum.* Quid apertius? certus est Manue, Angelum sibi apparuisse, & propterea testatur, se vidisse Deum, quia Deũ ille Angelus referebat.

Exod. 3. num. 2. *Apparuit Moysi Dominus de flamma ignis, de medio rubi.* Et n. 14. profert illa verba Divinitatis propria, *dixit Deus ad Moysen, ego sum, qui sum.* Et tamen de hac ipsa apparitione ait Stephanus Actuum 7. num. 31. *Apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.* 127

Legem itẽ promulgatur? Deus, Exod. 19. num. 18. dicitur è cœlo descendisse, cùm micarent fulgura, tonitrua exaudirentur: sæpeque repetuntur illa verba, Exod. 20. num. 2. *Ego sum Dominus Deus tuus.* Et nihilominùs, qui legem promulgavit, non fuit Deus, sed Angelus Deum repręsentans. Actu 7. num. 38. *Hic est, qui fuit in Ecclesia, in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina.* & num. 53. *accepistis legem in dispositione Angelorum.* Ad Galat. 3. num. 19. *lex ordinata per Angelos, in manu Mediatoris*, idest, Moysis: Ad Hebr. 2. num. 2. *Si enim, qui per Angelos dictus est sermo*, &c.

Restat, ut proposita initio argumenta breviter diluamus. Si dicerem, Angelum illum populi ductorem, Iesum à Beato Iuda nominari, quia verum Iesum, idest, Salvatorem, ac ereptorem ex teterrima, & plùsquàm AEgyptiaca servitute, referebat, congruenter suprà memoratis sacrę Scripturæ testimonijs dicerem. Sed in loco Iudæ Grecè subest *Kyrios*, idest, *Dominus*, arbitrorque Latinum interpretem, clatum studio, & amore suavissimi nominis Iesu, libenter illud usurpasse, quod videbat rei, de qua agebat, aptissimè congruere: Iesus enim significat Salvatorem, ut expositit Angelus, Matth. 1. num. 21. Deus autem tunc se præcipuè Salvatorem ostendit, cùm suum populũ ex illo ergastulo liberavit. Itaque Iesus non est hic proprium nomen Incarnati Verbi, sed commune Deitatis, ut Habac. 3. n. 18. *Exultabo in Deo Iesu meo.* LXX. 128

ſoterimu. ſalutari meo, vel Salvatore meo. Rectè enim Auguſtinus ait lib. 18. de Civitate. cap. 32. [Melius mihi videtur quidam codices habere, gaudebo in Deo Ieſu meo, quàm hi, qui volentes id Latinè ponere, nomen ipſium nō poſuerūt, quod eſt nobis amicius, & dulcius nominare.]

Concilii illud Syrmienſe in alijs anathematiſmis, præterquàm in damnatione Photini, quam & Hilarius ſuſpicit, & alia deinceps concilia probaverunt, ſuſpectæ eſt, & dubiæ auctoritatis, ut eruditè probat Baronius tom. 3. ann. Chriſti 357. pag. 669. Gabr. Vazq. tom. 2. in 1. part. diſp. 109. cap. 5. Pererius. tom. 3. in Geneſ. cap. 19. num. 40. Tena in cap. 1. ad Hebræ. difficult. 1. ſect. 2.

Numerus 13.

Conſtituit eum ſuper excelſam terrā, ut comederet fructus agrorum.

129 AGgreditur hinc iam Moyſes ea prædicere, quæ deinceps eventura erant illi populo; ea tamen de more propheta rum, licèt futura eſſent, per verba præteriti temporis efferuntur, quia ipſo ſpiritu prophetico, mentiſque oculis adeò certò illa proſpiciebat, ac ſi iam omnino contigiſſent.

Conſtituit eum, inquit: ſubeſt Hebraicè verbum *Racab*, in coniugatione *Hiphil*, propriè vertas, *vehi*, vel *equitare fecit eū ſuper excelſa terræ*. Quod ideò dictū exiſtimat Oleaſter, quia cùm terra ſancta circumiacentibus omnibus altior eſſet, habitantes in ea, comparatione aliorum vicinorū, viderentur equitare: aut quia cùm neque veſtes in itinere detritæ, neque calcamenta diſrupta eſſent, eos quaſi equis vectos in terram Deus introduxit.

130 Aſſentior potiùs Arię Mōtano in cap. 58. Iſaiæ, verſu ultimo; ubi, ut advertit poſterius, alluſio fit ad præſentem locum, ait enim Deus, *ſuſtollā te* (Hebraicè equitare faciam te) *ſuper altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob.* Obſervat itaq; Montanus, verbum *Racab*, ideſt, *equo*, vel *currui imponi*, victoribus, & triumphatoribus convenire, qui ingenti comitatu, acclamatione, & pompa, ovantes per urbem invehuntur. Geneſ. 41. num. 43. *fecitque eum aſcendere ſuper currū ſuum*, &c. Eſther. 6. num. 11. *impoſitum equo præcedebat, atque clamabat, hoc honore condignus eſt*, &c. Deo etiā ipſi attribuitur hoc verbum, Deuteron. 33. num. 26. *Aſcenſor* (Hebraicè inequitator) *cœli auxiliator tuus*. Pſalm. 17. num. 11. *Aſcendit ſuper Cherubim*. Reſpexit itaque Moyſes ad inſignes victorias reportatas ab illo populo, triumphoſque magnificentiſsimè actos. Devictis enim, omninoque deletis fortiſſimis hoſtibus, eos Deus, tanquam curru vectos, ovantes, atque triumphantes in excelſam illam regionem deduxit.

Fuiſſe verò terram illam tum editam, 132
& montoſam, tum opimam, & feracem, quod utrumque hîc complexus eſt Moyſes, paſsim teſtatur ſacra Scriptura. Deuteron. 3. num. 25. *videbo terram hanc optimam, & montem iſtum egregium.* Et cap. 11. num. 9. eamdem vocat Moyſes lacte, & melle manantem, & montuoſam, atque campeſtrem, unde *montis* nomine ſæpe denotatur. Exod. 15. num. 17. *introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ.* Pſalm. 77. num. 54. *& induxit eos in montem ſanctificationis ſuæ.*

Eius autem feracitas, & ubertas copio 133
ſè deſcribitur Deuteron. 8. à num. 7. uſque ad 10. & eleganter hîc ſignificatur à LXX. qui hunc locum ita reddiderunt, *aſcendere fecit eos ſuper fortitudinem terræ.* Græcè, *Iſchin*, ideſt, robur, virtutem, vires, ac feracitatem terræ: quo verborum ambitu terram pinguiſsimam, & uberrimam, ac ferendis frugibus, & fructibus valentiſsimam expreſſerunt, ut cùm per Ioelem uberes terræ provētus pollicetur Deus cap. 2. num. 22. *ficus, & vinea dederunt virtutem ſuam.*

Adeò verò nativa, & ingenita erat hæc

forti-

fortitudo, virtus, & feracitas terræ ſanctæ, ut vel ſolo *fortitudinis* nomine regio illa notaretur. Daniel. 8. num. 9. *contra Orientem, & contra fortitudinem.* Hebraicè, *ſebi* propriè eſt, *ornamentum, gloria, deſiderium, decor, & fortitudo:* ſed quocũq; tãdem modo vertas, (inquit ibi Maldonatus) illud conſtat, hoc verbo Iudæam ſignificari. Ezech. 20 num. 6. *Quæ eſt egregia inter omnes terras.* Hebraicè, *Sebi, quæ eſt fortitudo omnium regionum.*

Vt ſugeret mel de petra, oleumq; de ſaxo duriſſimo.

134 MInimè probarè poſſum expoſitionem illam, patronos licet doctiſſimos habeat, hæc verba interpretãtes de aqua in deſerto, attactu virgę Moyſis excuſſa de petra, quę populo ſiti enecto mel le dulcior fluere videbatur: qua non ſolũ expleverunt ſitim, verùm etiam præ exultatione, perinde ac ſuaviſſimo oleo, manus, & faciem inunxerunt. Favet huic explicationi Chryſoſtomus tract. Quòd nemo lędítur, niſi à ſe ipſo, dum ait: [ſitis iucundiſſimum facit potum, etiam ſi pura aqua bibatur: de petra melle ſaturavit eos (Pſalm. 80 num 17.) non quia Moyſes mel è ſaxo eduxerit, ſed quia Iudæi ſitientes in aquas illas inciderũt, ipſæ aquę melle iucũdiores viſæ ſunt.] Sed cùm ea, quæ in hoc verſu immediatè antecedẽrunt, & ea, quæ mox ſequuntur, ad ubertatem pertineant terræ Promiſſionis, alieniſſimo certè tempore de aqua illa è ſilice expreſſa mentionẽ Moyſes iniecíſſet.

135 Ego quidem exiſtimo, beatam hîc terræ feracitatem commendari, & præterea proverbialem eſſe loquutionem, ſimulq; translatitiam, & hyperbolicam. Tria hęc, niſi valde fallor, mihi videor apertiſſimè ex ſacro ſermone colligere.

136 In primis ad ſignificandã alicuiꝰ regionis ubertatẽ ſacrũ adagiũ eſt, cùm eam dicimus *lacte, melleque manare.* De hac ipſa terra ſancta Exod. 3. num. 8. *in terram, quæ fluit lacte, & melle.* Numer. 16. num. 14. *revera induxiſti nos in terram, quæ fluit rivis lactis, & mellis.* Ioſue. 5. num. 6. *terram lacte, & melle manantem.* Sic Exod. 13. num. 5. cap. 33. num. 3. Levitici 20. num. 24. Numer. 14. num. 8. Deuteron. 6. num. 3. cap. 11. num. 9. cap. 26. num. 9. Eccleſ. 46. num. 10. Ierem. 11. num 5. & cap. 32. num. 22. Baruc. 1. num. 20. Ezech. 20. num. 6. locutio ergo tam ſæpè inculcata, tam crebrò repetita, ſine dubio proverbialis eſt.

Accedit, quòd tumultuantes Iſraelitæ eiſdem ipſiſſimis verbis AEgypti feracitatem extollunt. Num. 16. num. 13. *Nũquid parum eſt tibi, quòd eduxiſti nos de terra, quæ lacte, & melle manabat, ut occideres in deſerto?* Ioel quoque ad pollicendã ubertatem eodem adagio utitur. cap. 3. num. 18. *ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte.* Quin & prophani Poetæ eamdem locutionem uſurpant, Ovid. Metamorphoſeon: 1.

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant:
Flavaq; de viridi ſtillabant ilice mella.

Mitto alios, quos videre licet apud Delrium, Adagio 61.

Eſt item hæc locutio translatitia, & metaphorica. Itaque aſſentior Genebrardo, 137
qui Pſalm. 80. num. 16. mellis nomine mellitos, ſuaviſſimoſque intelligit fructus, veluti melimela. Redundant enim Iudææ montes palmis, ficubus, vitibus, & eiuſmodi ſtirpib⁹, fructus dulciſſimos profundentibus. Sed quod Genebrardus non probat, nos ſacræ Scripturæ teſtimonio demonſtremus. Redeuntes exploratores, qui luſtraverant terram, & palmitẽ cum uva ſua deportabant, aiunt ad Moyſen. Numer. 13. num. 28. *Venimus in terram, ad quam miſiſti nos, quæ revera fluit lacte, & melle, ut ex his fructibus cognoſci poteſt.* Quid apertius? terram eſſe lacte, melleque fluentem, comprobant, ex fructibus mellitis, quos proferebat, præſertimque ex uvis: videlicet hac metaphora lactis, & mellis, feracitatem terrę intelligentes.

Propo-

138 Propoſui tertio loco, iſtam locutionẽ, *ut ſugeret mel de petra*, &c. hyperbolicam eſſe, ad eximiam ubertatem exprimendã: ſi enim præpingues glebæ, ſi agri feraciſſimi, ſi horti conſiti ſecus perennes aquarum decurſus, dicerentur lacte, & melle fluere; eſſet quidem metaphora, ſed non hyperbole; cùm verò ſteriles, & inacceſſæ rupes, ſquallentia, duriſsimaque ſaxa dicuntur, melle, & oleo redundare, quis nõ exaggerationem agnoſcat? Tãta videlicèt erat feracitas illius pinguiſsimæ terræ, ut vel ipſa montoſa, & aſpera ſaxeta, cœleſti rore ubertim irrigata, hos ſuaviſſimos efferrent fructus. In hanc ſententiam explicant litteraliſsimi quique interpretes illud Pſalmi 80. num. 17. *de petra melle ſaturavit eos*: conſule Genebrardum, Agelium, Belarminum. Nec inſolens eſt in ſacra Scriptura huiuſmodi exaggerationem frequentare. Iob. 29. num. 6. *petra fundebat mihi rivos olei*. Deuteron. 33. num. 24. *tingat in oleo pedem ſuum*. Lege apud Pinedam Iob. 5. verſ. 23. n. 3. elegantem D. Thomæ explicationem illorum verborum, *ſed cum lapidibus regionum pactum tuum*. Vide etiam Delrium Adagio 140.

Numerus 14.

Butyrum de armento, & lac de ovibus cum adipe agnorum, & arietum, filiorum Baſan, & hircos, cum medulla tritici, & ſanguinem uvæ biberet meraciſsimum.

(יד)

139 Sigillatim recenſet ea, quibus beatiſsima illa tellus abundabat: carnes enim optimas, lac, & butyrum, frumentũ, oleum, & vinum tanta efferebat affluentia, ut lectiſsimi quique, & pinguiſsimi agni, & arietes, ad cibum ſuppeterent, & præ nimia tritici abundantia, non niſi farinæ flore, exceſſis furfuribus, veſcerentur, & præ vini copia, meracum illud, & nulla dilutum aqua largiter haurirent. Omnia perſpicua ſunt. Vnum tamen, aut alterum verbũ breviter illuſtrabimus. Arietes vocat filios Baſan, quia regio illa paſcuis uberrimis abundans, paſtionis bonitate, alendis, ſaginãdiſque pecoribus erat quàm aptiſsima. Pſalm. 21. num 13. *Tauri pingues*. Hebraicè: *Tauri Baſan*.

140 *Cum medulla tritici*: Hebraica reddas ad verbum, ut reddiderunt LXX. *cum adipe renum tritici*. Solet enim ſacra Scriptura adipem, ſive pinguedinẽ vocare, quidquid eſt in re qualibet optimum, & ſelectiſsimum: ut in hoc ipſo verſu, *cum adipe agnorum*: ſed ne longè abeamus à tritico. Pſalm. 80. num. 17. *cibavit eos ex adipe frumenti*. Pſalm. 147. num. 14. *& adipe frumenti ſatiat te*. Subeſt utrobique vox. *Heleb*, quæ hîc redditur *medulla*.

141 Sanguis autem uvæ eleganti periphraſi dicitur vinum rubeum; qui modus loquendi non eſt alienus ab externis ſcriptoribus: refert enim Plinius lib. 14. cap. 5. quemdam Philoſophum Alexandri Magni intemperantiam cohibentem, ita eum affatum fuiſſe, *vinum potaturus, Rex, memẽto, te bibere ſanguinem terræ*. Sed frequentiùs occurrit in arcano ſermone, propterea quòd rubrum erat Paleſtinæ vinum, maximè electum, & generoſum, ut probat Pineda Iob. 6. verſ. 4. num. 6. Vnde illa verba Geneſ. 49. num. 11. *lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ palliũ ſuum*, quidam in hanc ſententiam trahũt, ut in illis denotetur, adeò rubens eſſe vinum, ut ad pallia fucanda, eo, inſtar muricis, uterentur: ſic legimus Iſai. 63. num. 2. *Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua, ſicut calcantium in torcular*? Vide Serarium in ea verba. 1. Machab. 6. num. 34. *& elephantis oſtenderũt ſanguinem uvæ*, & Ianſenium in id Eccleſiaſtici 50. num. 16. *& libavit de ſanguine uvæ*. Delrium denique Adag. 52.

(ט)

Numerus

Numerus 15.

Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus: dereliquit Deum factorem ſuum, et receſsit à Deo ſalutari ſuo.

142 COmmemoratis beneficijs, quæ Deus in illum populũ magna, præclaraque congeſsit; nunc eius ingratitudinem acerbiſsimè perſtringit. Ac primò docet, ex pinguedine illa ſoli, & uberrima rerum omnium affluentia, unde haurire debuiſſet ille populus maiora incitamenta diligendi largitorem, ijs ipſis donis pinguefactum, occaſionem inde arripuiſſe ab eo deſciſcendi: imò inſtar ferocis, & exultantis eculei, cibique copia laſcivientis, divinam legem calcibus proculcatam, abijciendi, & peſſundandi: hanc enim habere vim verbum illud *recalcitravit*: clarè liquet. 1. Reg. 2. num. 29. *Quare calce abieciſtis victimam meam?*

143 Sapienter ait Tertullianus, expendens iſtum locum, lib. adverſus Pſychicos, c. 6. [Omnem diſciplinam victus, aut occidit, aut vulnerat. Mentior, ſi non Dominus ipſe oblivionem ſui exprobrãs Iſraeli, cauſam plenitudini reputat.] Propterea ſapientiſsimus Salomõ immodicas divitias averſabatur, auream ſibi mediocritatem depoſcebat. Próverb. 30. num. 9. *Ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis eſt Dominus?* Egregiã ſunt in hanc ſententiam Platonis verba, lib. 3. de legib. [Rectiſsimè dictum ab Heſiodo, dimidiũ nonnunquam plus eſſe, quàm totũ. Quũdo videlicet totum comprehendere noxium eſt, dimidium verò moderatè ſe habet: tunc ſanè moderatum immoderato plus eſſe cenſuit, utpotè deteriore meli. Nam ſupra modum elata laſciviunt, & alia quidem in morbos incidunt, alia in injuriam, elatioris laſciviæ filiam.]

Sed agè ad hũc ipſum populum propiùs accedam. Monuerat illum Moyſes Deuteron. 8. num. 11. *Obſerva, & cave, ne poſtquàm comederis, & ſatiatus fueris, elevetur cor tuum, & non reminiſcaris Domini Dei tui.* Quid dico, monuerat? imò apertè, diſertèque prædixerat, Deuter. 31. num. 20. *Introducam eum in terrem lacte, & melle manantem, cùmque comederint, & ſaturati, craſsique fuerint, avertentur ad Deos alienos.* 144

Atque hanc prædictionem certiſsimã fuiſſe, eventus ipſe comprobavit: quod ſæpe prophetæ ingrato illi, & inſipienti populo objiciebant. 2. Eſdræ. 9. num. 25. *Comederunt, & ſaturati ſunt, & impinguati ſunt, & abundaverunt delicijs, in bonitate tua magna. Provocaverunt autem te ad iracundiam, & receſſerunt à te, & proiecerunt legem tuam poſt terga ſua.* Multus eſt Oſeas in hac exprobranda ingratitudine, cap. 4. num. 16. *Sicut vacca laſciviẽs declinavit Iſrael.* Vbi Chaldæus; *ſicut bos, qui ſaginatur, & recalcitrat; ſic rebellat propter multitudinem bonorum Iſrael.* cap. 7. num. 14. *ſuper triticum, & vinum rumi nabant: receſſerunt à me,* ideſt, cùm circumfluerent omnibus copijs, cùm ritu belluarum ſeſe cibis ingurgitarent, meum cultum abiecerunt: & cap. 13. num. 6. *Iuxta paſcua ſua adimpleti ſunt, & ſaturati ſunt, & levaverunt cor ſuum, & obliti ſunt mei.* 145

Explicata ſententia loci, quem in manibus habeo, vix à me impetro, ut ſedes argumentorum pro cõcionibus referciam. Qui autem volet uberiùs hunc locum locupletare, adeat Pinedam in cap. 1. Iob. verſ. 9. num. 2. circa illud Iſaiæ. 2. num. 7. *Repleta eſt terra argento, & auro, & repleta eſt terra Idolis:* & in illa verba Iob. 15. verſ. 26. *Cucurrit adverſus eum erecto collo, & pingui cervice armatus eſt.* Et in Salomone prævio, lib. 7. cap. 3. dum demõſtrat, Salomonem ex nimia affluentia, atq; luxuria ad turpiſsimum Idolorum cultũ fuiſſe prolapſum. Conſule etiam Viegã, Apocal. 6. comment. 4. ſect. 1. in id Pſal 146

72. num. 7. *Prodyt quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Caſtrum in id Ierem. 5. nu. 27. *Magnificati ſunt, & ditati: incraſſati ſunt, & impinguati, & præterierunt ſermones meos peſsimè.* Pradum in illud Ezech. 16. num. 49. *Saturitas panis, & abundantia.* Agellium in Pſalm. 16. num. 10. *Adipem ſuum concluſerunt, os eorum loquutum eſt ſuperbiam.* Denique Riberam in cap. 6. Amos, num. 4. *Qui comeditis agnum de grege, &c.*

Numerus 16.

Provocaverunt eum in Dijs alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.

147 SVbeſt Hebraicè *Kinè* in conIugatione *Hiphil.* Vertitque propriſsimè Pagninus, *Zelare fecerunt eum.* Et infrà numero 21. ubi rurſus Moyſes uſurpat idem verbum, reddiderunt LXX. *Parezelosan*, ideſt, ad zelum provocaverunt: ſic etiã vertit Vulgatus, Pſalm. 77. num. 58. *Ad æmulationem eum provocaverunt.* Exponitque litteraliſsimè Vatablus. [Dederunt operam, ut invideret Deus Dijs alienis, nam ſummo ſtudio coluerunt eos.]

Negat Ariſtoteles in Deũ cadere poſſe invidiam: eius verba ſunt, lib. 1. Metaphyſ. *Neque enim Deus invidus eſſe poteſt, cùm omnis indigentiæ immunis ſit.* Rectè ſcilicet animadvertit hic Philoſophus, ex indigentia invidentiam naſci; eſt enim invidentia ægritudo ſuſcepta propter alterius res ſecundas, quas ipſe habere cõcupiſcis, optaſq;, tibi non eſſe cum altero communes. Nihilominùs tamen ſacræ litteræ attribuunt Deo invidentiam, ortam ex Zelotypia: Iacobi. 4. num. 5. *Ad invidiã cõcupiſcit ſpiritus, qui habitat in vobis.* Nam ut de ſuprema illa, & prorſus impaſsibili Deitate, humano loquamur more, inſtar viri ardentiſsimè Zelotypi invidet mundo, aut dæmoni, pellicientibus animas, fide ſibi, & charitate deſponſatas, & ab ſponſi dulciſsimo complexu ad falſa Idola, ſeu flagitioſas adulterorum illecebras, abſtrahentibus.

Proptereà ſæpè Deus in arcano ſermone vocatur *Zelotes.* Exod. 20. num. 5. & cap. 34. num. 14. ſeu, quod idem eſt, *æmulator.* Deuteronom. 4. num. 24. & cap. 5. num. 9. & cap. 6. num. 15. Nahum. 1. n. 2. unde Naziãzenus in exhortatione ad virginem pag. 316. [Virorum aſpectum fuge, ſi fas eſt, etiam gravium, & pudicitiæ laude florentium, zelotypus enim eſt ſpõſus erga virginitatem tuam.] Hauſit ex Nazianzeno Hieronymus, ex magiſtro diſcipulus, non ſententiam modò, ſed eadem propè verba, ſic enim ſcribit in Epiſtola ad Euſtochium, de cuſtodia virginitatis. [Semper te cubiculi tui ſecreta cuſtodiant, zelotypus eſt Ieſus, non vult ab alijs videri faciem tuam.] 148

Verùm ut rem ipſam propiùs attingamus, certum quidem eſt, non poſſe zelum in Deum cadere, quatenus dolorem acerbiſsimum inurit ex eo, quòd alter potiatur re vehemẽter cõcupita. Sapiẽter enim dixit Auguſtinus lib. de patientia cap. 1. [Abſit, ut impaſsibilem Dei naturam perpeti ullam moleſtiam ſuſpicemur. Zelat ſine aliquo livore, iraſcitur ſine aliqua perturbatione.] Sed non eſt minùs certũ, Deum ex infinito amore zelare animas ſibi deſponſatas, ut ex Dionyſio in cap. 4. de Divinis nominibus probat S. Thomas 1. 2. q. 28. artic. 4. & propter hunc amorem, zelumque ardentiſsimum dicitur etiam Deus *Anthropopathos*, tabeſcere invidia, & dolore uri, ſi adulter ſuam ſpõſam corruptelarum illecebris abducat. Et ubi amore, & beneficentia parum proficit, ubi eam blanditijs revocando non delinit: (extant huius benignitatis exempla Hierem. 2. & Ezechi. 16.) ubi demum ſe præ adultero contemni videt, uſque eò irritatur, & excandeſcit, ut (ſi ita loqui fas eſt,) in rabiem penè furentem erumpat. 149

150 Enim verò iracundia ex zelo concita-
ta est longè vehementissima. *Dura est sicut infernus æmulatio.* Cant. 8. num. 6. *Tener zelos, es traer un infierno portatil en el pecho.* Rectè omnino Seneca Tragicus in Medæa.

Nulla vis flammæ, tumidique venti,
Tanta, nec teli metuenda torti,
Quanta cùm coniux viduata tædis,
Ardet, & odit.

Etiam femina imbellis, ut perpendit Euripides in eadem fabula, cùm adeò timida sit, ut aspicere gladium vagina vacuum non sustineat, si torum violari animadvertit, in truculentiam, & audaciam efferatur. Iam zelus, & furor viri, Proverbio. 6. num. 34. *Non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus.* Constantinus ille Magnus, ut auctor est Genebrardus, lib. 3. Chronographię pag. 413. Priscum filium, quòd Faustæ novercæ lectum temerasset, interfecit, Faustam autem ipsam balneo supra modum accenso suffocavit.

151 Est in huius rei confirmationem locus insignis Proverb. 27. num. 4. *Ira non habet misericordiam, neque erumpens furor, & impetum concitati ferre quis poterit?* Hebraica sic habent ad verbum. *Crudelitas est in ira, & impetus, sive inundatio in furore, & quis stabit ante zelum?* LXX. *Crudelis est indignatio, & acuta ira, sed nihil sustinet zelus.* Scholiastes ibi in Editione Sixti. *Et zelus utrisque difficilior.* Ex quibus evidenter constat, zelum conferri cum iracundia, & cum furore, & utrumque affectum longo intervallo superare. Attribuitur quidem iræ crudelitas sanguinaria: furori verò inundatio. Furens enim, velut torrens, præcipiti impetu obvia quæque pervertit. At ista defervescunt, & sedantur brevi; zelus verò in dies magis, magisque concitatur: & ita intelligendus est Vulgatus; *impetum concitati* (nempe zeli stimulis) *ferre quis poterit?*

152 Iam ergo nemo iure mirabitur, cùm videat zelotypum Deum ab eo populo, quem sibi desponderat, perfidè spretum, zelo inflammari, furoreq; accendi, & minas in hoc Cantico iactare terroris, & formidinis plenas, suppliciaque atrocissima adulteris intendere. Verè enim *in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.* Psalm. 77. num 58. incurrit itaque ingratus ille populus in supplicium, quod intentaverat Moyses Deuterono. 29. num. 20. *Dominus non ignoscat ei, sed tunc quàm maximè furor eius fumet, & zelus.* Et Ezechiel. 16. num. 38. *Iudicabo te iudicijs adulterarum, dabo te in sanguinem furoris, & zeli,* idest, tam multis te vulneribus confodiam, quàm solent viri zelotypiæ furore perciti vxores in flagranti adulterio deprehensas trucidare: nu. 42. *Et requiescet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quiescam*; idest, cùm te videro crudelissima morte punitam, plagis punctim, cæsimque confossam, exsaturabo semel indignationem meam. *Quedarè satisfecho, descansarè desta rabiosa pasion de zelos.* Lege ibi Pradum, & Maldonatum.

Numerus 17.

Immolaverunt dæmonijs, & non Deo, Dijs, quos ignorabant.

153 DAEmonium infame nomen est in Scriptura, ut probat Serarius Tobiæ. 3. quæstiuncula. 2. hîc verò usurpatur pro idolo. Quia videlicèt dæmones in idôlis colebantur. Sic, 2. Paralipom. 11. num. 15. *Constituit sibi Sacerdotes Excelsorum, dæmoniorum, vitulorumque, quos fecerat.* Et apud Evangelistas idem est Belzebub famosum muscarum idôlum, ac Princeps dæmoniorum. Vide Maldonatum Matth. 9. numero 34. & cap. 10. num. 25. Immolare itaque dæmonijs, est, idolis dæmoniorum sacrificium, & cultum Deo debitum exhibere. Levit. 17. nu. 7.

Nequaquam ultrà immolabunt hostias suas dæmonibus. 1. Corinth. 10. num. 20. *Quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non Deo.*

154 Suspicor ego tacitè hîc perstringi à Moyse infandum illud, & horrendum idololatriæ genus, cùm non contentus iste populus solitas idolis mactare victimas, sumptuosum quidem, sed simul dirum, & execrandum sacrificij genus excogitavit, quo sanguinarij dæmones, qui Hebraicè vocantur *Sedim*, ideſt, prædones, grassatores, humanum cruorem exorbẽtes, voluptuosè pascerentur. Quales essent istæ victimæ, expressit Propheta Regius, Psalm. 105. num. 37. *Et immolaverunt filios suos, & filias suas dæmonijs.* Tales erant Chananæi. Sapient. 12. nu. 4. *Per sacrificia iniusta filiorum suorum necatores.* Et quanvis, proposito capitali supplicio id prohibuerat Moyses. Levitic. 18. num. 21. & cap. 20. num. 2. verùm ipsi etiam Reges tam abominandum facinus concipiebant. De Achaz legimus. 4. Reg. 16 num. 3. *Filium suum consecravit transferens per ignem, secundum idola gentium.* Quid sit autem traducere per ignem, exponit Iosephus lib. 9. antiq. cap. 12. agens de eodem Achaz. *Quibus etiam proprium filium holocaustoma obtulit, ritu Chananæorum.* 155 Manasses etiam. 4. Reg. 21. num. 6. traduxit filium suum per ignem. Quid faceret ipse populus, cùm hęc tam atrocia peccarent Reges? Ierem. 7 num. 31. *Ædificaverunt excelsa Tophet, ut incenderent filios suos, & filias suas igni in holocaustum.* Subvertit hæc excelsa Tophet pijssimus Rex Iosias. 4. Reg. 23. num. 10. *Vt nemo consecraret filium suũ, aut filiam per ignem.*

Novi, recentesq; venerunt, quos non coluerunt Patres eorum.

156 FActitijs, & heri natis idôlis, tacitè æternum, & incommutabile Numen opponit. Hebraicè. *Novi de propinquo venerunt.* Ascititij isti Dij recentissimi sunt; Patres vestri antiquissimum, & immortalem Deum coluerunt. Ierem. 23. num. 23. *Puras ne Deus è vicino ego sum? Dicit Dominus, & non Deus de longè?* Ideſt, an Deus ego recens factus, ac non potiùs ab ipsa æternitate Deus? Hac ipsa proposita novitate, populum istum Regius vates ab idôlis deterrebat. Psalm. 80. num. 10. *Non erit in te Deus recens.*

Qui curiosiùs scire volet, quæ fuerint ista recentissima idôla, quo ve ritu 157 singula colerentur, quis Baal, quis Moloc, quid Astaroth, quid Chamôs, quid cætera monstra, atque portenta, adeat Serarium in cap. secundum Iudic. quæst. 1. & 2. & Pinedam in Salomone lib. 7. cap. 11.

Numerus 18.

Deum, qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui.

158 DEtestanda profectò ingratitudo: cùm innumeris ille populus affectus à Deo esset, & cumulatus beneficijs, imò cum totus in illius ære esset, quia totum hoc, quod erat, Dei genitoris, & creatoris beneficium erat; & parentis, & creatoris memoriam ingratissimè abiecit, & cultum petulantissimè deseruit. Hoc est, quod Deus queritur. Isai. 1. num. 2. *Filios enutrivi, & exaltavi; ipsi autem spreverunt me.* Vide quæ adnotavi in illa verba nu. 6. *Hæccine reddis, &c.*

156 Atque hæc dicta sint pro explicatione Vulgati; nam Hebraica littera alterum etiam admittit sensum litteralem, grandiorem, sublimioremque. Afflatus enim Moyses prophetico spiritu, iam nunc exprobrat ingratissimo populo terrimum illud post hominum memoriam commissum facinus, enormissimumque Deicidium, quod in Christum perpetraturus erat. Observant hoc Galatinus lib. 8. de arcanis cap. 10. Porchetus

in victoria adversus Iudæos part. 1. cap. 16. Mendoza verò, quæst. 6. positiva §. 10. expressissimum hoc existimat esse testimonium, apertissimumque vaticinium Passionis Christi. Ita enim Hebręa reddi possunt, verbum è verbo. *Rupem, quæ te genuit, contrivisti, vel fortem debilitasti; & oblitus es Deum vulneratum tuum.* Regia, *& oblitus es Deum parturientem te.* Caietanus. *Parturitorem tuum.* Sustinuit enim in Cruce Christus acerbissimos dolores parturientis, ut multos filios procrearet.

160 Sed quia nolo gratis mihi credi, ut citati auctores faciunt, versionem, & intelligentiam hãc, ex ipsius linguæ sanctæ proprietate confirmabo. Subest primo loco verbum *Nasá*, quod Vulgatus propriſsimè vertit *dereliquisti*. Sed idem verbum, (ut obſervat Forſterus,) ſignificat *irruere in debitorem, atque æs alienum urgendo, premendoque repetere.* Exod. 22. num. 25. & Isai. 3. num. 12. ſignificat etiam confringere, atque conterere. Ierem. 51. num. 30. *Devoratum est robur eorum.* Hebraicè *Naseta*. Pagninus, & Vatablus *Elanguit.* Tigurina. *Luxatum est.* Quod Christo in Cruce pendenti mirificè quadrat. LXX. *Ethraustbe. confractum, aut contritum est.*

161 Secundo loco ſubest participium verbi *Hul*, in coniugatione *Poel*: & quanvis hoc verbum ſignificet *formare*, *eniti*, *parturire*, quarum ſignificationum paſſim obvia ſunt exempla; ſed non minùs propriè ſignificat, (ut advertit Mercerus in Theſauro, colum. 642.) *Dolore, ſeu cruciatu affici.* Ita participium *Meholel*, rectiſsimè vertas, *vulneratum, dolore, ſeu cruciatu affectum.* Eſt enim maximè proprium huius coniugationis *Poel*, ſignificationem habere communem, & modò activè, modò paſsivè enunciari, ut conſtat Pſalm. 36. num. 23. & Pſalm. 118. num. 90.

162 Sed longè firmius habemus in hanc ſententiam Vulgati interpretis teſtimonium; nam idem participium, quod hîc ſubeſt *Meholel*. (puncta enim à Rabbinis ſubſcripta nihil moror) Iſai. 53. num. 5. vertit. *Vulneratum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.* Et eidẽ participio Iſai. 51. num 9. activam ſignificationem attribuit; *vulneraſti draconem.* Itaque eodem Latino verbo, quo aliàs reddit Vulgatus, reddere poſſemus in hoc loco. *Oblitus es Deum vulneratum tuum.* Sic enim eiuſdem coniugationis participium, & huic quàm ſimillimum *Meolel*. Pſalm. 17. num. 4. Vulgatus activè vertit. *Laudans invocabo Dominum.* Et 2. Reg. 22. numero 4. paſsivè, *laudabilem invocabo Dominum.* Lege, obſecro, commentarium noſtrum in ea verba B. Iudæ. num. 8. *Maiestatem autem blaſphemant.*

Numerus 19.

Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est, quia provocaverunt eum filij ſui, & filiæ.

163 XX. *Vidit Deus, & zelavit, & exacerbatus est*: ut videlicet intelligamus, excandeſcentiam ortam eſſe ex Zelotypia Itaque cùm Deus illum populum immortalibus ornaſſet beneficijs: cùm ſibi Rempublicam integram, velut ſponſam arctiſsimo charitatis nodo devinxiſſet, cùm ſingulos denique in filios, & filias adoptaſſet; illi ingrati, ac rebelles pro benefactis malefacta rependerunt. Illorum ergo commemoratis flagitijs, nunc tandẽm aggreditur Moyſes, & divinam iracundiam vivis coloribus depingere, & commerita ſupplicia conſceleratis intentare. Cuius enim ſponſi pectus non exulceret, & vehementer irritet, cernere ſponſam, quam geſtat in oculis, cuius amorem conciliare omni officiorum genere non ceſſat, eo deſpicatui ducto, in procorũ amplexus petũlanter irruere? Cuius parentis animũ nõ amariſsimè exacerbet, oculis haurire tam dirum ſpectaculũ;

filios,

filios, quos genuit, quos indulgentiſsimè educavit, quos in amoribus, ac delicijs habet, quaſi omni prorſus ſenſu humanitatis exutos, ſibi impudentiſsimè inſultare? Conqueritur David, maximèque dolet, eum, qui ſecum unà vivebat, cum quo ipſa quoque menſa communis erat, ius amicitiæ violaſſe. Pſalm. 40. num. 10. Quod vaticinium longè veriùs impletum fuit in Chriſto. Ioann. 13. num. 18. Quonam ſenſu doloris percelletur Parentis animus, cùm eamdem ſibi cernat iniuriam à filijs irrogari? Pugionibus Cæſar appetebatur ad necem; & cùm arcere non poſſet mortem, oppetebat forti animo, tacituſque dabat operam, ut quàm honeſtiſsimè occumberet. At ubi animadvertit, inter cæteros coniuratos, filium etiam ſtricto ferro in ſe irruere, vocem illam exprompſit, intimi doloris teſtem, *& tu fili?* Sed vocem ipſam incluſit dolor; neque ultrà progreſſus, plus ſilentio innuit, quàm longa expreſsiſſet oratione. Vide Suetonium in Cæſare cap. 82.

165 Per filias hîc intelligit Moyſes mulieres illius populi, ad idololatriam etiam procliviſsimas, & tam pervicaci ſtudio illam ſectantes, ut Prophetæ obiurganti palàm obſiſterent. Ierem. 44. num. 16. Et prudẽtes, ac videntes placẽtas Reginæ cœli (ideſt, Lunæ) pinſerent, ac libarent, &c. cap. 7. num. 18. tanta prætereà licentia, & morum corruptela, ut ſacra Adonidis, impudẽtiſsimi Veneris Amaſij procaciter colerent. Ezech. 8. num. 41.

Numerus 20.

Et ait; abſcondam faciem meam ab eis.

166 NOn poſſum locum iſtum luculentioribus alijs, quàm ipſius Moyſis verbis explicare. Deutero no. 31. n. 17. *Et iraſcetur furor meus contra eum in die illo, & derelinquam eum, & abſcondam faciem meam ab eo; & erit in devorationem; invenient eum omnia mala, & afflictiones, ita ut dicat in illo die, verè quia non eſt Deus mecum, invenerunt me hæc mala.* Vbi apertè vides, abſcondere Deũ faciẽ ſuam, idem prorſus eſſe, ac deſerere, & derelinquere, ideſt, ſingulari ſua benevolentia, cura, tutela, ac protectione aliquem deſtituere. Et, quod inde neceſſariò conſequitur, hominem tali patrocinio privatum in omnia mala, & calamitates incurrere. Geneſ. 4. num. 14. dixit *Cain, à facie tua abſcondar.* Quid autem inde ſecutum eſt? Imò quid mali non conſecutum eſt? *Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* Ideſt, tali me orbatum tutela omnes averſabuntur, dignumque morte cenſebunt: nullum mihi 167
dabitur effugium, quin ab aliquo mox interimar. Iſai. 64. num. 7. *Abſcondiſti faciem tuam á nobis, & alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ.* Ierem. 33. num. 5. *Quos percuſsi in furore meo, & in indignatione mea; abſcondam faciem meam à civitate hac.* Sed pleni ſunt ſacri libri huiuſmodi teſtimonijs. Hinc illæ amantiſsimæ querellæ. Pſalm. 12. num. 1. *Vſquequò avertis faciem tuam á me?* Hinc etiam illæ preces. Pſalm. 26. num. 9. *Ne avertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſervo tuo.*

Contrà verò oſtendere Deum, aut 168
illuſtrare faciem ſuam, eſt, vultu ſereno, benignoque reſpicere, non per indignationis nubilum offuſcato: placidiſsimo oculorum conjectu, calamitatum tenebras diſcutere; demum opportunam opem, præſentiſsimumque auxilium, ac robur impertire. De hoc ipſo populo canit Propheta Pſalm. 43. num. 4. *Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram, ſed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui:* ideſt, ex claro iſto, ac ſereno vultu, omnis illis victoria, omnis proſperitas affulſit. Pſalm. 30. num. 17. *Illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum.* Et Pſalm. 79. num. 8. *Oſtende*

faciem tuam, & salvi erimus. Psalm. 118. num. 135. *Faciem tuam illumina super servum tuum.* Et Psalm. 66. num. 1. *Illuminet vultum suum super nos.* Neque verò solùm deprecatur, ut se Deus hilari, placidoque vultu intueatur, sed, quod inde etiam consequitur, ut totum lumine perfundat, ideſt, luce regat, potentia fulciat, robore communiat. Vt ipse fidenter pronunciet verba illa Psalm. 26. num. 1. *Dominus illuminatio mea, quem timebo?* Itaque oculorum Dei benignus aspectus omnium bonorum cumulum homini conciliat.

169 Hanc ego existimo germanam esse intelligentiam huius loci; sed non mihi displicet explicatio Vatabli, *Velabo oculos meos, ne videam calamitatem eorum.* Ita natura comparatum est, ut luctuosum, miserandumque spectaculum, si minùs lachrymas, commiserationem certè à nobis extorqueat; & aspectus hominis deiecti, vulnerati, cruore respersi solet exsaturare furorem, & extentum iam brachium ad inferendum novum vulnus sustinere. Hinc notabilis ille loquendi modus in Scriptura frequentissimus. 1. Regum. 24. num. 11. *Cogitavi, ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus*: perinde quasi soli oculi commiseratione tangantur. Deuteronom. 7. num. 16. *Non parcet eis oculus tuus.* Et cap. 13. num. 8. *Neque parcat eis oculus tuus, ut misereāris.* Cùm ergo dicitur Deus velare oculos ad plagas imponendas, hostilis planè excandescentia denotatur. Ezech. 7. nu. 4. *Et non parcet oculus meus super te, & non miserebor.* Threnor. 3. num. 42. *Nos iniquè egimus, & ad iracundiā provocavimus: idcirco tu inexorabilis es; operuisti in furore,* (scilicet oculos tuos) *& percussisti nos, occidisti, nec pepercisti.* Ideſt, quasi velum quoddam obtendisti tibi iram tuam, ne afflictos, & calamitosos aspiceres, ut sine ulla commiseratione ad internecionem usque vulnerares.

170 *Et considerabo novissima eorum.*

Tigurina. *Spectabo, quid tādē facturi sint.* Vatabl. *Videbo, quid accidet illis ad extremum.* Agelius. *Considerabo, quid in suis malis remedy, quid consily capient.* Oleaster. *Videbo, ostendendo me his, qui fuerint in ultimis diebus.* Caietanus. *Prævideo, quis futurus sit eorum finis.*

Mirum, quantùm his explicationibus languescat, & retardetur impetus huius ardentissimæ concionis. Ita ne verò? An id spectabat accurata illa beneficiorum Dei commemoratio? Id exprobratio gravissimorum scelerum? Huccine tandem illæ minæ reciderunt? *Abscondam faciem meam ab eis*, ut quid illis ad extremum accideret, Deus otiosè contemplaretur?

Grandiorem itaque, & Moysis Zelo digniorem, in his verbis sententiam agnosco. Solet sæpè Deus iratus minitari, cùm in improbos commeritæ calamitates ingruerint, se non solùm non flectendum commiseratione, verùm etiam insuper eos irrisurum. Proverb. 1. num. 26. *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit.* Id ipsum nūc minitatur Deus; se despecturum eos, atque adeò ludibrio habiturum, cùm ab illis debitæ pœnæ repetentur. 171

Atque ut hunc sensum ex Hebraicarum vocum proprietate colligamus, nomen *Aharit*, ideſt, *novissimum*, sive *finis*, in sacro sermone frequenter usurpatur pro supplicio, in quod impij suis sceleribus incurrent. In hac significatione dicitur in hoc ipso Cantico num. 29. *Vtinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent*, ideſt, utinam supplicia sibi impendentia prospicerent. Isai. 47. num. 7. *Neque recordata es novissimi tui.* Thren. 1. num. 9. *Nec recordata est finis sui.* Ideſt, ad hunc stuporem, inverecundiamque devenit, ut illius animū, ne subiret quidem memoria extremi supplicij, quo aliquando tandem punienda erat. Psal. 72. n. 17. *Et intelligā in novissimis eorū*, ideſt, nō spectabo fucata terrenæ felicitatis exordia, quæ speciosè blandiuntur, & arrident; sed extrema calamitosa, quæ diro sæpè exitu 172

concluduntur Proverb. 5. num. 4. *Novissima autẽ illius amara, quasi absynthium.* Et cap. 23. num. 32. *Ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber.* Subest ubique Hebraicè *Aharit.*

173 Verbum autem *Raa*, ideſt, *cernere, ſeu conſiderare,* in arcano ſermone idem eſt, ac deſpicere, & ludibrio habere Quod miror à nullo fuiſſe interprete obſervatum in hoc loco, cùm tamen ex hac ſignificatione genuina pendeat eius intelligentia. Ezech. 28. num 17. *Ante faciem Regum dedi te, ut cernerent te.* LXX. *Vt ludibrio haberent te*, ſive, (ut vertit Hieronymus, & legitur in Editione Latina LXX.) Vt *dehonestareris.* Iob. 31. num. 19. *Si deſpexi pereuntem.* Hebraicè, *ſi pereuntem conſideravi.* Pſalm. 21. num. 18. *Ipſi verò conſideraverunt, & inſpexerunt me:* Vbi doctè Genebrardus, me ſcilicet manibus, & pedibus confoſſum, & oſsibus luxatum, cum contemptu contemplati ſunt. Cantic. 1. num. 5. *Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim,* ideſt, *deſpicere.* Geneſ. 42. nu. 1. *Quare negligitis?* Hebraicè. *Quare cõſideratis?* & num. 21. *peccavimus in Fratrem noſtrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos.* LXX. *Quia deſpeximus tribulationem animæ eius, quando orabat nos.* Subeſt Hebraicè in his omnibus locis idem verbum *Raa.*

174 Atque hinc ſatis confirmata manet noſtra explicatio; *conſiderabo* (inquit) *noviſſima eorum.* Hoc eſt, deſpiciam, ſubſannabo, ac ludibrio habebo, cùm atrociſsimæ pœnæ à conſceleratis filijs exigentur. Cruciatos, & excarnificatos cum contemptu, & irriſione contemplabor: paſcam hoc ſupplicio oculos, velut ſpectaculo iucundiſsimo: irriſio autem, & ſubſannatio in calamitoſiſsimis malis, pars peracerba ſupplicij eſt.

Generatio enim perverſa eſt, & infideles filij.

Expoſui ſuprà numero quinto.

Numerus 21.

Ipſi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus.

175 HEbraicè *Ipſi me zelare fecerunt.* LXX. *Ipſi ad zelum provocaverunt me.* Quod expendi ſuprà ad illa verba, numeri. 16. *provocaverunt eum in Dijs alienis.*

Illud inſuper hîc adverto, Idololatriã propterea in ſacro ſermone fornicationem, & adulterium crebrò nominari, quia anima per fidem legitimo ſponſo Deo copulata, idola colendo, obſtrictam illi fidem nefariè violat. Hierem. 3. nu. 2. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.* Pſalm. 16. num. 4. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum.* Chaldæus, Symmach. Theodotio, atque Hieronymus: *idola eorum, poſteà acceleraverunt:* recitat hanc verſionem Galatinus, lib. 6. cap. 6. *Alium deſponſaverunt.*

176 Sed iuvat egregium Oſeæ teſtimoniũ paulò uberiùs explicare; cap. 9. num. 1. *Noli lætari Iſrael, noli exultare, ſicut populi, quia fornicatus es á Deo tuo; dilexiſti mercedem ſuper omnes areas tritici.* Perſonam Propheta imponit illi populo nobiliſsimæ cuiuſdam matronæ, & feliciſsimè maritatæ. Quæ nihilominùs deſerto viro, ad turpe lupanar devoluta, cum ſordidis meretricibus exultaret, ac geſtiret; cui iure optimo diceretur: quin te lamentis, atque eiulatibus conficis, dum iltæ ridẽt, cachinnoſque tollunt? nunquam illæ ampliorem fortunam deguſtarunt: ſemper in ſordibus, & horrore vixerunt; te verò non exulcerari animo, cùm in mentem tibi venit illius feliciſsimi temporis, quo nobiliſsimo, & ſuaviſsimo viro, ampliſsimaque, & affluentiſsima domo fruebaris? Heu, in quantam nunc abiecta miſeriam, cum fætidiſsimis ſcortis turpem mercedulam per areas conſectaris; *noli itaque Iſrael exultare, ſicut populi;* exultent ſanè populi, ſuorum idolorum feſta celebrantes;

brantes; nihil mirum: nunquam enim eis divinæ lucis radius affulsit; nunquã Deũ verum agnoverunt: *tu autem fornicatus es á Deo tuo*, tu, inquam, omnium bonorũ perennem fontem Deum amisisti; tu spõso dulcissimo fidem datam violasti; tu immortali Regi dedecoris notam, & dolorẽ peracerbum inusisti; tu ex altissimo dignitatis gradu, ex copiosissima rerum omnium affluentia, in fœdam ignominiam, in extremam indigentiam decidisti.

Et irritaverunt in vanitatibus suis.

177 EXpresserunt LXX. quid nomine *vanitatum*, esset intelligendum; *& exacerbaverunt me in idolis suis.* Sic est interpretandus ille locus. 3. Reg. 16. num. 13. *Provocantes Dominum Deum Israel in vanitatibus suis.* Sic etiam illustrare solet Hebraismum ipse Vulgatus. Hierem. 14. n. 22. *Numquid sunt in sculptilibus gentium, qui pluant?* Hebraicè, *in vanitatibus gentium.* Quasi dicat; est ne aliquod idôlum, quod pluviam dare possit? & cap. 16. n. 18. *in morticinis idolorum suorum.* Hebraicè, *Vanitatum suarum*; & cap. 8. n. 19. *Quare ergo me ad iracundiam concitaverunt in sculptilibus suis, & in vanitatibus alienis?*

178 Causam scitè reddit ipse Ieremias, cur idôla *vanitates* appellentur, cap. 10. n. 8. *Pariter insipientes, & fatui probabuntur; doctrina vanitatis eorum lignum est.* Quasi dicat: facillimum est, eorũ stupiditatem, & fatuitatem coarguere. Lignum ipsum, ex quo sibi suis manibus Deum fabricantur, eos stultos, & vanos esse demonstrat. Vanitatem etiam idolorum ex eo coarguit Sapiens, cap. 13. n. 16. quia fulcris egent, ne ad terram affligantur. Longiùs progreditur Apostolus, neque solùm idôla vocat vanitates, sed merum nihil, 1. Corint. 8. num. 4.

Et ego provocabo eos in eo, qui non est populus: & in gente stulta irritabo illos.

179 HEbraicè, *Et ego zelare faciam eos.* LXX. *& ego provocabo eos ad zelũ.* Vatab. *ad invidiam.* Caietanus: *ego faciã eos invidere.* Par pari videlicèt referam, quod eos acriter pũgat. Dolebũt illis etiã oculi, præ livore. Tractum est hoc ex amantium moribus, & ingenio. Nam, ut scribit Plato in Phædro, vulgares isti corporum amatores plerũq; solent esse invidi. Ergo ubi is, qui amat, amorẽm sibi parem non rependi animadvertit, amorem ipse suum aliò deflectit, & in illius oculis, à quo se despectum esse dolet, rivalem beneficijs cumulat, ut alter invidia rumpatur. Lege Virgilij expositores, Eglog. 3

Et cùm vidisti puero donata, dolebas.

Et Eglog. 2.

Invenies alium, si te hic fastidit Alexis.

180 Itaque Deus amantium ritu, par pari reddit, quod populum illum vehementer ureret. Ille Deum zelare fecit, & ad invidiam provocavit in non Deo; Deus illũ vicissim zelare faciet, & ad invidiam item provocabit in non gente. Habemus verò fidelissimum huius loci enarratorem Paulum ad Roman. 10. num. 19. *Sed dico, nũquid Israel non cognovit? Primus Moyses dicit: ego ad æmulationem vos adducam in nõ gentem, in gentem insipientem, in iràm vos mittã.* Vbi perspicuis verbis probat Apos- 181
tolus, populum Israeliticum ex isto Moysis vaticinio debuisse, aut certè potuisse liquidò cognoscere, gentes, quas illi præ se ità despicatui ducebant, ut vix gẽtium nomine dignarentur, ex tanta vilitate, & insipientia, ad altissimum dignitatis, & cognitionis, & sapientiæ gradum extollendas, ipsisque Iudæis repudiatis, & abiectis, in Dei populum selectũ fore cooptandas: constat autem ex Apostolica Historia, vocationem gentium Iudæis occasionem invidiæ, & indignationis extitisse.

Numerus 22.

Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima: devorabitq; terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet.

182 CCurrit in hoc loco celebris illa vox, *Seol*, ideſt, *infernus*, de cui⁹ ſignificatione ab Hebraizantibus, & Novatorib⁹ tãtæ ſunt excitatæ tragediæ: *foveam enim, ſcrobem, aut ſepulcrum, vel etiam buſtum, ſpeluncam, & foſſam*, aut (ut hîc placuit Montano ſubſtituere) *voraginem*, deniq; quidvis potiùs, quàm *infernum* interpretantur.

LXX. cõtrà, & Latinus interpres adeò ſunt conſtantes in hac voce transferenda, ut illi perpetuò *Aden*, iſte verò, *infernum*, aut *inferos* (ſi unum, vel alterum excipias locum) ubique reddiderint. Non eſt animus pro Vulgato, & LXX. depugnare: iam enim à doctiſsimis viris acerrimè eſt hæc ſuſcepta concertatio; monſtratumq; accuratiſsimè contra hæreticos, in pleriſque ſacrę Scripturæ teſtimonijs ſubterranea illa loca, in quibus, aut olim detinebantur Patriarchæ, aut modò torquentur impij, Iuſtivé purgantur, ea voce ſignificari. Indicabo duntaxat pauca de multis. Geneſ. 37. num. 35. *deſcendam ad filium meum lugens in infernum.* Numer. 16. nu. 33. *deſcenderuntque vivi in infernum.* Iob. 11. num. 8. *profundior inferno, & unde cognoſces?* Pſalm. 15. num. 10. *non derelinques animam meam in inferno.* Pſalm. 138. num. 7. *ſi aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades.* Proverb. 15. num. 11. *infernus, & perditio coram Deo, quantò magis corda filiorum hominum?* Hęc, & alia complura teſtimonia doctè expendunt Pererius, tom. 4. in Geneſ. cap. 37. num. 92. Bellarm. tom. 1. lib. 4. de anima Chriſti, cap. 10. Genebrard. lib. 3. de Trinit. pag. 281. & Pſalm. 9. num. 19. Suarez tom. 2. in tertiam partem, diſput. 42. ſect. 2. Ribera, Oſe. 13. num. 22. Sotomayor in Cant. cap. 8. verſ. 6. Salmeron. tom. 1. prolegom. 14. pag. 35. Oleaſter. in cap. 37. Geneſ. Lorin. Act. 2. verſ 27. Gueuar. Habac. 2. verſ. 5. num. 109. Mendoza. q. 1. poſitiva. Caſtro, Baruch. 2. num. 7. Delrio, Geneſ. 37. verſ 35. & Cantic. 8. verſ. 6. & fuſiſsimè digreſsione 2. ſuper Adagium 196.

183 Negari tamen non poteſt, quod immeritò plerique negant, pro morte etiam, aut ſepulchro eamdem vocem nonnumquam uſurpari. Oſe. 13. num. 14. *de manu mortis* (Hebraicè, *ſeol*) *liberabo eos.* 2. Reg. 22. num. 6. *funes inferni circumdederunt me.* LXX. *dolores mortis circumdederunt me.* Pſalm. 29. num. 4. *eduxiſti ab inferno animam meam*, ideſt, à præſentiſsimo mortis periculo, ab ipſis faucibus orci liberaſti. Pſalm. 88. num. 49. *Quis eſt homo, qui vivit, & non videbit mortem? eruet animam ſuam de manu inferi?* Pſalm. 140. num. 7. *diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum.* Vbi Genebrar. *Iuxta ſepulchrum.* ideſt, alterum iam pedem in ſepulchro habuimus.

184 Quòd ſi voci illi, quæ huic adiungitur, ſcilicet *noviſſima*, quæ bis prætereà occurrit in iſto Cantico, eadem Hebraica reſponderet, *Aharit*, quæ eſt num. 20 *conſiderabo noviſſima eorum.* & num. 29. *noviſſima providerent*; ſubſcriberem illi ſententię, quam video magnis auctorib⁹ placuiſſe, & *inferni noviſſima*; extremum inferorum ſupplicium intelligerem: & uſque eò exarſuram divinam indignationẽ interpretarer, quoad illos in hac etiam vita graviter mulctatos, in ultrices illas prętereà ignium fornaces, & æterna tormentorum clauſtra detruderet. Verùm non ſubeſt Hebraicè vox *Aharit*, quæ nos ad extremum ſupplicium intelligendum cogat, ſed *Tahtit*, quam cum alijs dictionibus affinibus, non eſt dubiũ, nihil ad ſupplicium pertinere, & idem, ac Latinè *inferior*, ſive *inferiùs* ſignificare. Ioſue 15.

num

num. 19. *Superius, & inferius.* Psalm. 138. num. 15. *In inferioribus terræ.* LXX. hîc, *ardebit usque ad infernum deorsum.* Tigurina: *usque ad infimos inferos*: ut ipse Vulgatus Psalm. 85. num 13. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.*

185 Germana itaque huius loci sententia mihi videtur esse, Deum hîc primam illam famis, & extremæ siccitatis plagam, toties intentatam in Scriptura minitari; eamque denunciare sub metaphora ignis ardentissimi, qui non modò regionis superficiem, germinaque, & arbores absumat, omni humore penitus exhausto: verùm etiam intimos recessus terræ, usque ad novissimas inferorum latebras, pervadat, & latentes fontium venas, profundasque rivorum scaturigines exiccatas exorbeat: & pluvia nulla refrigerante, igneus ille ardor, ipsa etiam montium fundamenta, quæ scatebris humectari solebant, exurat. Genus itaque loquendi tum ardens est, & incitatum; tum translatitiũ, & hyperbolicum. Lege, quæ adnotavi in illa verba, num. 13. *Vt sugeret mel de petra.*

186 Et verò, ut quæ breviter perstrinximus, Scripturæ testimonijs illustremus; illud est primò notandum; ignem istum divini furoris, ex Zelotypia excanduisse; Zelotypiam verò, aut flagrantissimum ignem esse, aut certè ardorem medullas populantẽ in animis inflammare. Cant. 8. num 6. *Dura sicut infernus æmulatio; lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.* Hebraicè. *Resaphe*, ideſt, prunæ copioso candentes igne, & præ copia illius scintillantes. Deuteronom. 4. num. 24. *Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator*; subiunxit causam, cur Deus sit voracissimus ignis, quia simul *zelotes, & æmulator est.* Psalm. 78. num. 5. *Accendetur velut ignis zelus tuus.* Sophon. 1. num 18. & cap. 3. num. 8. *In igne zeli eius devorabitur omnis terra.*

187 Hunc verò ignem iracundiæ Divinæ depingit Scriptura quasi rapidissimum torrentem æris liquefacti, ubertim effusum, intima terræ viscera penetrantem; saxa ipsa, cautibus duriora, & montium fundamenta præ ardore tabefacientem; sumpta videlicèt metaphora ex metallis, quæ in fornace diuturnis ignibus conflata, magno impetu erumpunt, atque effunduntur. Ierem. 44 num. 6. *Et conflata est indignatio mea* (Vbi Maldonatus, ideſt, liquefacta, & magno impetu effusa) *& furor meus, & succensus est, &c.* Daniel. 7. num. 10. *Fluvius igneus, rapiduſque egrediebatur à facie eius.* Nahum. 1. num. 6. 188 *Indignatio eius effusa est ut ignis, & petræ dissolutæ sunt ab eo.* Hinc illę Prophetica exaggerationes, præsenti non absimiles; Michæ 1. num. 4. *Et consumentur montes subtus eum.* Hebraicè *liquescent.* Subest enim idem verbum, quod Exod. 16. num. 21. & Psalm. 21. num. 15. Isai. 64. num. 1. *A facie tua montes defluerent.* Habac. 3. nu. 6. *Contriti sunt montes sæculi.* Amos 9. num 5. *Tangit terram, & tabescet.* Ideſt, perlevi tactu huius ardentissimi ignis terra tota liquefiet.

Similibus itaque metaphoris, se exsiccaturum, atque adeò prorsus exusturum terram, Deus in præsentia minitatur, rabidamque famem in eos immissurum. Cùm enim soleat Deus, infensam sibi gentem quatuor atrocissimis punire supplicijs, quæ sigillatim recensentur ab Ezechiele cap. 14. *Fames* quidem num. 18. *noxiæ bestiæ*, num. 15. *hostilis gladius*, num. 17. *contagiosa denique lues, & pestilentia.* num. 19. eadem suppliciorum genera hîc à Moyse numerantur, tria quidem palàm, & disertè, pestilentia verò tectè, & obscurè ut nu. 24. declarabimus. 189

Est verò fames gravissimum, dirissimumque supplicium. Deuteronom. 28. 190 num 20. *Mittet Dominus super te famem, &c.* Quam solet immittere Deus cohibendo cælum, & exsiccando terram; num. 23. *Sit cælum, quod supra te est, æneum, & terra, quam calcas, ferrea: det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem, & de cælo descendat super te cinis.* Et cap. 29. num. 23. *Terram sulphure, & salis ardore*

combu-

comburens, ita ut ultrà non ſeratur, nec virens quidpiam germinet.

Numerus 23.

Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis.

191 IXX. *Sagittas meas compugnabo.* Græcè *ſympoleme ſo*, ideſt, armabo adverſus eos, vel confertim iaculabor. Tigurina *ſagittas meas evacuabo in eos.* Senſuſque eſt. Famem, peſtilentiam, hoſtiles cædes, ſæviſsimos beſtiarum incurſus, in eos immittam. Omnia in eos malorum genera cumulabo: omnibus omnium ſuppliciorum ſagittis iracundię meę pharetram exhauriam; nullum reliquum erit vindictæ genus, quod in eos non effundam. Et quidem in arcano ſermone Dei ſagittę vocantur acerrima illa ſupplicio-
rum tela, ad plectenda facinora divinitus intorta. Nam velut ſagittæ eminùs conjectæ, ex improviſo hoſtem feriunt, uſque adeò imparatum, & nihil minùs opinantem, ut priùs lethale vulnus cor-
192 pore excipiat, quàm ictus pervidere, aut declinare queat. Et in primis horrendi fulminum iactus ſagittæ nominantur. Vide Genebrardum Pſalm. 76. num 18. *Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt, vox tonitrui tui in rota.* Et Riberam Habac 3 num. 43. *In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.* Pſalm. 17. num. 15. *Miſit ſagittas ſuas, & diſſipavit eos, fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.* Sapientiæ 5. num. 22. *Ibunt directè*
emiſſiones fulgurum, & tanquam à bene curvato arcu nubium exterminabuntur, & ad destinatum locum inſilient.

193 Sed & aliæ etiã clades, quas Deus veluti ex divinę iustitię arcu, in homines excuſſas iacit, ſagittę Dei dicuntur: atque in harum ſagittarum coniectu illud primò animadverto, Deum hoſtiliter, & acriter arcum priùs intendere; eò enim graviores emiſſiones arcus habet, quò fuerit contentus, & adductus vehementius, Pſalm 7 num. 13. *Arcum ſuum tetendit, & paravit illũ.* Threnor. 2 num 4. *Tetendit arcum ſuum, quaſi inimicus, firmavit dexteram ſuam, quaſi hoſtis.*

Vbi advertis ſecundò, Deum in excutiendo arcu, dexteram quoque firmare ſuam, hoc eſt, ſagittam manu premere, ut certiore, ac penetrantiore vulnere feriat. Pſalm. 37. num. 3. *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam*, ideſt, omnibus viribus ad me feriendum uſus es; aggravaſti manum tuam, ut ſagittæ profundiùs penetrarent; robur illis addidiſti, ut non levi plaga, ſed toto in me pondere deſcenderent.

Tertiò obſervo; ipſas ſagittas veneno 194
tingi, ut lethaliter feriant. Iob. 6 num 4. *Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum. indignatio* Hebraicè dicitur *Hema*: quæ vox venenum etiã ſignificat, & ſic transfertur in eo loco à Tigurina, Regia, atq; Pagnino. Ita etiam vertit Vulgatus eamdem vocem, Pſalm 139. num. 4. *Venenũ aſpidum ſub labiis eorum.* Dei itaque pharetra *eſt venenatis gravida ſagittis*, quæ propterea vocantur, Pſalm 7 num. 14. *vaſa mortis*, ideſt, inſtrumenta mortifera, quia inſanabile prorſus, ac mortale vulnus infligunt.

Quartò: collimantur à peritiſsimo ſa- 195
gittario Deo in eam maximè partem, cui graviorem, & acerbiorem dolorem inurant; & quia graviſsimus dolor in renibus ſentiri ſolet, in illis præſertim altè defiguntur. Obſervat hoc Maldonatus ad illa verba Threnorum 3 num 1. *Miſit in renibus meis filias pharetræ ſuæ.* Quia verò ex corde vita procedit, Prover 4. num 23, ad inferendã necem, iaciuntur etiam in corda, Pſalm 44 num. 6.

Quintò: etiam ſi hoſtis terga vertat, & 196
fugam celeriter arripiat, nihilominùs hę ſagittæ nõ averſum, ſed adverſum feriũt. Hic eſt genuinus ſenſus illius difficillimi loci, Pſalm 20. num. 13. *Pones eos dorſum, in reliquijs tuis præparabis vultum eorum.*

Hieronymi verſio ex Hebręo ita habet; *pones eos humerum: funes tuos firmabis contra facies eorum.* Et nemini dubium eſſe poteſt, ut Genebrardus, & Agellius adnotarunt, quin vox *metarim*, funes, atque etiam nervos, & chordas arcuum ſignificet. Exod. 39. num. 40. Numer. 3. num. 26. Hæc itaque eſt huius loci ſententia: in fugam quidem eos convertes, non poterunt irati impetum, aut vultum ſuſtinere; terga præcipiti fuga dabunt; verùm in chordis, ac nervis arcus tui præparabis ſagittas adverſus vultum eorum. Genebrardus, *Rectà in eorum vultum collineabis, ſagittas tendes in vultum eorum.* LXX. etiã, & Vulgatus per *reliquias*, funes, & nervos intellexerunt. Nam Numer. 3. num. 26. ubi eſt eadem vox Hebraica, & Vulgatus Latinè expreſsit, *funes*. LXX. Græcè, *catalipa*, vel *reliqua*, reddiderunt: ſic autem vocatur nervus, ut obſervat Agellius, quia cùm iacitur ſagitta, chorda prę intenta relinquitur, ac relaxatur.

Sextò denique illud divinis ſagittis attribuitur, ut ipſę peritiſsimè conicętę, altèque in renes, & viſcera defixæ, ſanguine repleantur, atque exſaturentur: in hoc ipſo Cantico num. 42. *inebriabo ſagittas meas ſanguine.* Lege etiam, quod in rem præſentem ingenioſè obſervat Pineda in Salomone lib. 5. cap. 11. num. 10.

Numerus 24.

Conſumentur fame.

197 HAEc una eſt ex ſagittis divinæ pharetræ, & quidem ad ictum inferendum valentiſſima: Ezech. 5. n. 16. *Quando miſero ſagittas famis peſsimas in eos, quæ erunt mortiferæ, & quas mittam, ut diſperdam vos, & famem congregabo ſuper vos, & conteram in vobis baculum panis.* Panis autem baculus, aut virga dicitur, & in hoc Ezechielis loco, & cap. 4. num. 16. & cap. 14. num. 13. & Levit. 26. num. 26. quia ſicut ſcipione, & baculo ſenex, aut ægrotus, ita corpus debilitatum pane ſuſtentatur, & roboratur.

Quod hîc Latinus vertit, *conſumentur*, 198
Pagninus reddit ex Hebræo, *combuſti fame*. Tigurina, *aduſti*. LXX. *liqueſcentes fame*. Agellius, *tabefacti*. Solent enim homines, exhauſto præ fame omni ſucco, miſerãdum in modum extabeſcere. Thren. 5. num. 10. *pellis noſtra quaſi clibanus exuſta eſt à facie tempeſtatum famis.*

Et devorabunt eos aves morſu amariſsimo.

ETiam ſi nullum haberem, quem ſequerer, auctorem, impulſus tamen 199
rationum momentis, non dubitanter aſſeverarem, his verbis denunciari peſtilentiam. Minitatus enim Deus eſt, ſe omnium malorum cumulum in rebelles immiſſurum, omnes indignationis ſuæ ſagittas exhauſturum; hæc autem ſupplicia, divinitus intentata, ad quatuor capita revocantur. Ezech. 14. num. 21. *ſi quatuor iudicia mea peſsima, gladium, & famẽ, ac beſtias malas, & peſtilentiam immiſero.* Quorũ tria cùm diſertis verbis hîc exprimantur, reliquum eſt, ut etiam peſtilentia, ſaltem obſcurè denuntietur. Tigurina verſio ita habet. *Aduſti fame, & conſumpti ardenti lue, & amara ægritudine.* Vatablus, *Devorabuntur carbunculis, & excidione amariſsima*, ideſt, morbo calido percutiam eos, qui ſtatim enecabit: peſte item acerba, ſive morbo exitiali. Caietanus, *debellati calore intenſo.* Oleaſter, *comeſti ardore, aut plaga ardẽti*, hoc eſt, ægritudine calida, inſtar prunę, quæ citò veluti peſtis interficit.

Enim verò ut hanc explicationem ſuo 200
pondere fulciamus, & ſingulorum verborum vim ſigillatim illuſtremus, exiſtimo hîc *Avium* nomine dęmones denotari: quibus quaſi carnificibus ad ſupplicia impijs irroganda, ad peſtilentem luem inferendam, ſummus ille, & ęquiſsimus Iudex uti ſolet: ſic explicat hũc locum Chaldæus: cùm enim dixiſſet: *ſævient in eos*

morſus

morſus avium, continuò explicationis gratia ſubiecit; *& vexationes ſpirituũ ſceleratorũ.*

Et quidem Angelici ſpiritus inſitâ potentia peſtiferam terris contagionem afflari, Deo iubente, notiſsimum eſt ex 2. Reg. 24. num. 16. & 17. *Cùm vidiſſet Angelum cædentem populum, &c.* eadem prorſus eſt quoad hoc, dæmoniaca poteſtas. Lege Delrium lib. 2. diſquiſit. Magicarum. quæſt. 11. Dæmones verò potiſsimùm deputatos ad has plagas inferendas, teſtatur Eccleſiaſticus, cap. 39. nu. 33. *Sũt ſpiritus, qui ad vindictam creati ſunt, & in furore ſuo confirmaverunt tormenta ſua.* (Græcè *Maſtigas*, ideſt, vibrãt furioſè, altêque imprimunt flagella ſua) Lege Paulum de Palacios in eum locum, & Genebrardum in ea verba Pſalm 77. verſu 49. num. 55. *immiſsiones per Angelos malos.* Vbi probat, plagam illam peſtis, qua cuncta pecora abſumpta ſunt, per ſæviſsimos dæmones illatam.

201 Valde confirmat hanc intelligentiam vox ipſa originalis *Reſeph.* Quæ, ut adverti num. 22. & ſciunt omnes, qui Hebraicam linguam vel leviter deguſtarunt, proprie ſignificat prunas copioſo candentes igne, & præ copia illius ſcintillas emittentes; conſtat hoc Cãt. 8. n. 6. *Lãpades eius, lãpades ignis.* Vbi Sexta Editio *Scintillæ eius ſcintillæ ignis*, & propter utrumq; ſimul, ardorem videlicêt, & celeritatem, LXX. *alæ eius alæ ignis.* Quibus de cauſis eadem vox pro fulgetris uſurpatur; Pſalm. 77. num. 48. *& poſſeſsionem eorum igni.* Genebrardus; *fulminibus grandinãtibus.* Quo loco ſciendum eſt, pro *igni* vertiſſe Hieronymum, *volucres*: eodem tamen ſenſu, volucres enim fulmina illa, inter grandines diſcurrentia, nominavit. Quia celeritate ſumma igneæ illæ ſagittæ, perinde ac ſi volucres eſſent, iactabãtur. Agellius autem in eam interpretationẽ potiùs inclinat, ut volucrum nomine dęmones intelligat, quorum opera hæc damna inflicta ſunt: ſagittæ etiam ardentes, ob eaſdem cauſas, hac voce ſignificantur Pſal. 75. num. 4.

Denique ut omnis ambigendi excludatur occaſio, hanc ipſiſsimam vocem *Reſeph* Vulgatus *Diabolum* interpretatur, Habacuc. 3. num. 5. *Et egredietur diabolus ante pedes eius.* Et eodem ſenſu ibi eſt accipienda, ut accipit Tigurina. *Faciem eius antecedit lues, & egreſſa eſt deflagratio ad pedes eius.* Vbi Vatablus. [Vox Hebræa ſcilicet *Reſeph* capitur pro caumate, aut pro febre acutiſsima, aut pro carbunculo morbo; peſte enim, & carbunculis perierunt.] Conſentaneè Agellius Angelos mortis exponit, illius populi pręcurſores, quorum terrore infeſtæ ſunt concuſſæ gentes, quorum item afflatu peſtilente perpetuis funeribus exhauſtæ. 202 203

Morſus verò dicitur Hebraicè. *Ketcb* quam vocem Forſterus, & ab eo mutuatus Forerius, Iſai. 28. num. 2. Genebrardus Pſalm. 90. num. 7. Mercerus, & Brixianus in ſuis Theſauris, exitium repentinum, luem ſubitò enecantem, peſtem, aut apoplexiam, mortem improviſam afferentem, interpretantur. LXX. reddiderunt in hoc loco *Opiſthoronus inſanabilis.* Morbi genus eſt, ut exponit Agellius, Pſalm. 90. num. 5. cum retrorſum ſpina dorſi, totumque corpus, cum rigida contractione cervicis, incurvatur, ita ut prorſum homo non poſsit inflecti, & morſus quoſdam ſtimulantes, acutiſsimoſque dolores inurentes, amariſsimam denique mortem perpetiatur. 204

Nomine generaliore vertêrunt eamdem vocem Pſalm 90. num. 6. ubi Latinus ab *incurſu*, LXX. *à Symptomate.* Definiunt autem Medici ſymptoma, quidquid animanti accidit præter naturam: itaque exploratum eſt, morſum iſtarum avium, ideſt, Dæmonum contagioſam eſſe lucm, repentinum exitium, acerbiſsimum, peſtilentiſsimumq; ſymptoma.

Propterea videlicet vocatur morſus amariſsimus, non ſolùm ob graviſsimum doloris ſenſum, quem inurit, aculeoſque, quos infigit, ſed multò magis, quia peſti- 205

lens morsus est, omnino insanabilis, & lethalis. Psalm. 63. num. 4. *Intenderunt arcum, rem amaram*, ideſt, ſagittas mortiferas, lethali veneno imbutas, ut exponit ibi Chaldæus; ſic mors, & amaritudo, & inter ſe invicem ſæpiſsime iunguntur, & una pro altera viciſsim uſurpatur. Hinc illa. 1. Reg 15. num. 32. *Siccine ſeparat amara mors?* Eccleſiaſt. 41. num. 1. *O mors, quàm amara eſt memoria tua.* Eccleſiaſt. 7. num. 27. *Inveni amariorem morte mulierem.* Mors etiam inopinata vocatur *amaritudo.* Iſai. 38. num. 17. *Ecce in pace amaritudo mea amariſsima.* Ideſt, cùm tranquilliſsima pace fruebar, amariſsima mihi mors ſubeunda eſt. Contrà verò amaritudo ipſa vocatur mors. 4. Reg. 4. num. 40. *Mors in olla*, quia ſcilicèt olla præ amaritudine herbarum felle amarior erat.

Dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram, atque ſerpentium.

206 PErſpicua ſententia eſt. Leones enim intelligit, Pardos, Vrſos, Canes, Lupos, Dracones, ſerpentes denique venenatos, & ignitos. Ezechiel. 14. num. 15. *Si & beſtias peſsimas induxero, &c.* Eccleſ. 39. num. 36. *Beſtiarum dentes, & ſcorpij, & ſerpentes.* Ierem. 15. num. 3. *Canes ad lacerandum, & beſtias terræ ad devorandum.* Sapient. 11. num. 16. *Immiſiſti illis multitudinem mutorum animalium ad vindictam.* Et num 18. *Immittere illis multitudinem urſorum, aut audaces leones.* Valdèque probo ſententiam Delrij Adag. 39. *Immittendi* vocabulum eſſe caſtrenſe de incurſu inopinato, & repentino.

207 Minùs probo ſententiam Pradi Ezechiel. 5. verſu. 17. qui has comminationes immittendi beſtias ferociſsimas, ubique figuratè accipiendas eſſe ait; eo ductus argumento, quòd nullum exemplum hiſtoria ſuppeditet. Nam, ut non inficior, leones, & urſos appellari ſæpe Reges, qui Dei populum ferino ritu devaſtabant: verùm illud etiam animadverto, hanc plagam beſtiarum, tanquam diverſam, & ab hoſtili gladio diſtinctam, intentari in ſacra Scriptura. & 4. Regum. 17. num 25. legimus, *immiſit in eos Dominus Leones, qui interficiebant eos;* inobedientemque Prophetam Leo divinitus immiſſus vita privavit. 3. Regum. 13. num. 24. & quadraginta duos pueros, qui Eliſæo illuſerant, duo urſi laceraverunt. 4. Regum. 2. num. 24. itaque non eſt adeò inſolens hoc ſupplicium, ut exiſtimavit Pradus.

Neque otioſè Latinus interpres ad id, 208
quod duntaxat habetur in Hebræo, & apud LXX. ſcilicèt *reptantes in terra*, addidit etiam de ſuo, *ſerpentes*; ſed ut doceret, poëtica illa periphraſi, *trahentium ſuper terram*, & ſerpentes, & Dracones contineri. Obſervo quidem, promiſcuè Vulgatum Hebraicam vocem *Tanin*, nunc *Colubrum*, nunc *Draconem* interpretari; ut conſtat Exod. 7. num. 9. & 10. & 12. Verùm Draco grandior eſt, ſævior, & annoſior, & ad incutiendum terrorem, vaſtitatemque populis inferendam longè accommodatior. Plinius libro 9. à cap. 12. mira ſcribit de magnitudine Draconum; ait enim, Indicos tam vaſtæ eſſe molis, ut & ſolidos hauriant Cervos, & maximos Elephantos circūplexu facilè ambiant, nexuque nodi perſtringant. Nota eſt hiſtoria, quam refert A Elian. lib. 15. cap. 21. de prodigioſo illo Dracone, in antro quodam deliteſcente, qui cùm exercitus Alexādri Magni ſtrepitū perſenſiſſet (quòd ſit animal tū audiēdi, tū vidēdi acerrimo, atque acutiſsimo ſenſu præditum) maximo ſibilo, & ſummo afflatu edito, omnes milites exterruit, ac perturbavit; horribile deinde caput duntaxat eminuit ex antro, cuius oculi ad ingentis clypei magnitudinem accedebant. Ex hoc iniecto terrore videli- 209
cèt pro numine à Gentilibus ſuperſtitioſè culti: Daniel. 14. numero 22.

Erat

Erat Draco magnus in loco illo, & colebant eũ Babylonij. Probo itaq; in hoc loco Chaldaicam Editionem, quæ ita habet, *cum furore Draconum, qui serpunt per terram.* Vide Lorinum ad illud Sapient. 16. num. 10. *Filios autem tuos nec Draconum venenatorum vicerunt dentes.*

210 De serpentibus porrò ignitis crebra est in Scriptura mentio. Numer. 21. num. 6. Iudith. 8. num. 25. & 1. Corinth. 10. num. 9. Sapient. 16. num. 5. *Perversi colubri* dicuntur; & Deuteronom. 8. num. 15. *Serpentes flatu adurentes.* Hanc item plagam minitatur Ierem. cap. 8. num. 17. *Mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos.* Amos. 9. num. 3. *Mandabo serpenti, & mordebit eos.*

211 Neque est silentio prætereũda vox illa *cum furore*. Hebraicè *Hemà*. Regia, Pagninus, & Vatabl. reddiderunt *cum veneno*, & propriſsimè quidem; sic enim vertit Vulgatus Psalm. 139. num. 4. *Venenum aspidum sub labijs eorum.* Nam, & si ea vox venenum significat, & furorem, cùm tamẽ devenenatis, pestiferisq; serpentib⁹ sermo est, rabies ipsa, ac furor accipiendus est pro veneno, ut observat Genebrardus, Psalm. 57. num. 5. *Furor illis secundum similitudinem serpentis;* & in hoc ipso Cantico luculentum extat exemplum, & rei præsenti quàm aptisſimum; nam num. 33. vbi Vulgatus eamdem vocem Hebraicam Latinè vertit, *fel Draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile*; expressêrunt LXX. *furor Draconum vinum eorum, & furor aspidum insanabilis.*

Numerus 25.

Foris vastabit eos gladius, & intus pavor, iuvenem simul, ac virginem, lactentem cum homine sene.

(2)

212 HAEC quarta demum est divinæ pharetræ sagitta, & noxentisſimo quidem infecta veneno; quẽadmodùm enim venenum cor rectà pervadit, illiq́ue præcipuè contagionem aspirat, sic pavor, & exanimatio pestem etiam affiat cordi, eiusq́ue omnem prorsus vigorem extinguit. Itaque non solùm minitatur Deus, eos inacie, ac prælio gladijs hostilis exercitus ad internecionem usque delẽdos, verùm etiam tum, cùm ad quietem aliquam capiendam in intima sua cubicula, ac penetralia sese abdiderint, (ut expressè habetur in Hebræo, & apud LXX.) formidabilem metum appropinquantis cladis, terribilemq́ue horrorem malorum impendentium, mæstisſimam denique vicinæ mortis speciẽ ante oculis obversaturam. Condignum sanè impijs supplicium, & ab ipso Moyse paulò antè severè denuntiatum. Deut. 28. n. 66. *Dabit tibi Dominus ibi cor pavidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore, & erit vita tua quasi pendens ante te.* (Ideſt, veluti ex tenuisſimo filo pendula, ut per levi agitatione venti, casum, ruinã, & mortẽ extimescas,) *Timebis nocte, & die, & nõ credes vitæ tuæ.* (Ideſt, ipse primus actum iã de te prorsus existimabis,) *Manè dices, quis mihi det vesperum? & vespere, quis mihi det manè? Propter cordis tui formidinem, qua terreberis.*

213 De hoc terrore divinitus iniecto, quem solet Deus impijs, tanquam præcursorem hostilis occidionis immittere, legimus, Exod 23 num. 27. *Terrorem meum mittam in præcursum tuum, & occidam omnẽ populum.* Levit. 26. num. 36. *Dabo pavorem in cordibus eorum, in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient, quasi gladium, cadent nullo persequente.* Iosu. 2. num. 11. *Pertimuimus, & elanguit cor nostrum.* Et cap. 5. num. 1. *Dissolutum est cor eorum.* Et cap. 7. num. 5. *Pertimuitq́ue cor populi, & instar aquæ liquefactum est.* Et cap. 10. num. 10. *Conturbavit eos Dominus á facie Israel,*

contrivitque plaga magna. 2. Paralip. 20. num. 29. *Irruit autẽ pavor Domini, &c.* Lege Serarium in cap. 10. Iosue quæst. 8. & 9. Delrium Adag. 41. Pinedam ad illa verba Iob. 15. num. 22. *Non credit, quòd reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium.* Et Lorinum Sapient. 17. num. 10. *cùm sit timida nequitia.*

214 Nulli verò sexui, nulli ætati parcendum esse prædicit à crudelissimis hostibus; nec iuvenem adolescentiæ flos, nec virginem decôra species, nec lactẽtem insita etiam feris commiseratio, nec senem denique pietas, aut reverentia iuvabit. Vastitatis extremę, sanguinariæque, ac sævissimæ cędis exaggeratio valde frequens in Scriptura 2. Paralip. 36. num. 17. *Non est misertus adolescentis, & virginis, & senis.* Ierem. 51. num. 22. *Collidam in te senem, & puerum, & collidam in te iuvenem, & virginem.* 2. Machab. 5. num 13. *Fiebãt ergo cædes iuvenum, & seniorum, virginumque, & parvulorum neces:* & sexcentis alijs locis.

Numerus 26.

Dixi: ubi nam sunt? Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.

215 AMarulenta est, ac vehemens insultatio; qualis illa num. 37. *Ubi sunt Dy eorum?* Solent simili irrisione Prophetæ acriter premere, & urgere illos, quos elatos priùs rebus secundis, sibique præsident es, subitò, cùm minùs opinarentur, exturbatos vident ab ea spe, quam altissimis nixam radicibus, nullis calamitatibus irruentibus convelli posse arbitrabantur. Oseæ 13. num. 10. *Ubi est Rex tuus? Maximè nunc salvet te.* Isai. 19. num. 12. *Ubi nunc sunt sapientes tui?* cap. 33. num. 28. *Ubi est litteratus? Ubi legis verba ponderans?* Nahum. 2. num. 11. *Ubi est habitaculum leonum?* Hierem. 37. num. 18. *Ubi sunt Prophetæ vestri?* 1. Corinth. 15. num. 55. *Ubi est mors, victoria tua? ubi est mors, stimulus tuus?*

Dei itaque verba sunt gratulabundi, 216
& exultantis de impijs, ac rebellibus, non devictis modò, sed omnino deletis, & infra mortuos amandatis, ut ne leviter quidem impressum vestigium in terra relinquatur, quod eorum extinctam iam memoriam possit revocare. Hoc enim etiã supplicio se affecturum impios, Deus sæpè minitatur; Exod. 17. num. 14. *Delebo enim memoriam Amalec sub cælo.* Iob. 18. num. 17. *memoria illius pereat de terra.* Sic, Psalm. 33. num. 17. Psalm. 108. num. 15. Sapientiæ 4. num. 19. Eccles. 10. num. 20. & 21. Isai. 26. num. 14. Ezechiel. 25. num. 10. & 1. Mach. 3. num. 35. & cap. 12. num. 54.

Numerus 27.

Sed propter iram inimicorum distuli: ne forte superbirent hostes eorum, & dicerent, manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.

ESt in hoc loco inter Editiones nõnulla varietas, sed quæ 217
facili negocio in concordiã adducatur: eo labore, quia perfunctus est Agelli⁹, lubẽs supersedeo; illud potiùs, & mentem, & affectum rapit; benignissimum Parentem tam facilè flecti ad misericordiam, & qui fixo decreto statuisse videbatur, sceleratos filios funditus exscindere, rationũ momenta quærere, atque excogitare, quibus ad condonandum supplicium, quò ipse sua sponte propendebat, magis, ac magis inclinetur.

Minimè probo, quod probari video 218
Oleastro hîc, iram activè sumi, idemque esse, *ac provocationem, seu irritationem divinæ iracundiæ.* Magis consentaneũ est

Scripturæ ſtylo; ut benigniſsimus Deus, & ad miſerendum propenſiſsimus, ex intimo illo amore, quo proſequitur ſuum populum, cùm illum nimis iracundè, acerbè, præterque modum vexari videt ab infeſtiſsimis hoſtibus, totis viſceribus cõmoveatur. Senſus itaque erit; merentur illi quidem hæc ſupplicia; at quia virga furoris mei, ideſt, hoſtilis exercitus modum in puniendo non ſervabit, iracundia, ſive (ut hîc ſcitè extulit Tigurina) *Ferocia* longiùs efferetur, tranſilietque, quos ego præſcribam, terminos, malo pœnam differre, quàm immoderatam exigere.

219 Extant maximè illuſtria apud Prophetas huius clementiæ teſtimonia. Iſai. 10. dicitur Aſſur *Virga furoris Domini* ad plectendum ſum populum, additurq; nu. 7. *Ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor eius non ita exiſtimabit; ſed ad conterendũ erit cor eius, & ad internecionem.* Vbi verbum *Samad*, quod Latinus vertit, *conterere*, propriè ſignificat, *diſperdere, & abolere*, ut ibi Forerius obſervavit. Itaque Aſſyriorum Rex, quo tanquam virga, volebat Deus populum emẽdare, correctionis modum exceſsit, nec leviter affligere, ſed funditus perdere in animo habuit, propterea & ipſa virga cõfracta, & in ignem proiecta eſt.

220 Iſai. 14. num. 5. *Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam Dominantium; cædentem populos in indignatione, plaga inſanabili, ſubĭcientem in furore gentes, perſequentem crudeliter.* Luculenter ſatis virgę ferocia deſcribitur. Zachar. 1. num. 14. *Zelatus ſum Hieruſalem, & Sion zelo magno* (ideſt, angor intimis ſenſibus, urbem mihi cariſsimam tam indigne tractari: doleo vehementer, tam crudeles adverſus eam extitiſſe Chaldæos) *Et ira magna ego iraſcor ſuper gentes opulentas, quia ego iratus ſum parum, ipſi verò adiuverunt in malum.* Vbi congruentiſsimè Hieronymus. ENunc iraſcitur ſuper gentes, quòd ipſe tradiderit eos ad corripiendum, illæ verò fævierint in traditos. Hic ut filium à pædagogo voluerit emendari, illæ ut hoſtem interficere, & punire conatæ ſunt.]

Huc etiam ſpectant verba illa paternę pietatis, conſolationiſque pleniſsima: Nahum. 1. num. 12. *Afflixi te, & nõ affligam te vltrà, & nunc conteram virgam eius de dorſo tuo.* Non enim ſubeſt ibi Hebraicè vulgare illud virgæ nomen *Sebet*, ſed aliud grandius, ſignificãtius, & durius *Mottà*, quod Vulgatus *vectem*, ſive *Catenas* transferre ſolet, duriſsimumque oppreſſionis iugum, & virga paternæ correctionis in ferreum vectem commutata ſignificatur.

Atq; hæc eſt prima ratio ducta ex ſæ- 221
vitia, & ferocia inimicorũ. Altera, licèt ad eoſdem etiam hoſtes quodammodò ſpectet, tamen intimiùs Deum ipſum attingit; cuius honor agitur, cuius nomen, periculum eſt, ne per ſummam inſolentiam violetur. Illi enim victo, atque deleto Dei populo, tantùm aberit, ut agnoſcant Dei ſupplicium illud eſſe, per ipſos, tanquam per ad miniſtros ſuę iuſtitiæ, atque ſeveritatis, exactum, ut potiùs inſolenter efferantur, de illato excidio magnificè ſe iactent, totamque cladem potentiæ ſuæ arrogent, vel ſuis falſis numinibus aſcribant. Habac. 1. num. 16. *Super hoc lætabitur, & exultabit; propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo*: videns ſcilicet Nabuchodonoſor omnia ſibi exanimi ſententia ſuccedere, Iudæos, velut piſces ſagena concluſos, à ſe in captivitatem abduci, fortitudini ſuę, & induſtrię militari, victorias omnes acceptas referet, trophęa ſibi ſtatuet, titulos eriget, imò inſolentiſſimè elatus in tam vęſanam dementiam prolabetur, ut etiam divinos ſibi honores concupiſcat. Iſai. 10. num. 13. *Quomodò ſi elevetur virga contra elevantẽ ſe, &c.* Porrò eruditè probat Delrius Adagio 78. in arcano ſermone, hanc ſuperbiam, & arrogantiam, *manu excelſa*, quaſi proverbiali locutione denotari.

Sed non hîc conſiſtit hoſtium ſuper- 222
bientium, & prę victorijs temerè exultantium inſolentia. Parum eſt, proſperos ſibi rerum geſtarum eventus attribuere,

nisi etiam ipsi Deo procaciter insultent, ac petulanter illudant, perinde quasi suum populum ex eorum manibus eripere, liberareque non possit. Hinc crebræ illæ à sanctis viris ad Deum effusæ preces: Psal. 78. num. 9. *Propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum*, (ubi Agellius; ne tui nominis, ac potentiæ existimatio apud cæteras gentes periclitetur) *ne fortè dicãt in Gentibus, ubi est Deus eorum?* Sic Ioelis. 2. num. 17. & Psalm. 41. num. 11. Hinc atrociſsimæ illæ blasphemiæ à ſuperbiſsimo duce Rabſace contra Deum ipſum petulantiſsimè iactatæ. Iſai. 36. num. 20. & 4. Reg. 18. num. 35. & 2. Paralipom. 32. num. 17. *Sicut Dy gentium cæterarum non potuerunt liberare populum ſuum de manu mea, ſic & Deus Ezechiæ eruere non poterit populum ſuum de manu iſta.*

223 Hinc denique amantiſsimæ illæ querelæ ſtrenuiſsimi ducis Ioſue cap. 7. n. 8. *Mi Domine Deus, quid dicam, videns Iſraelem hoſtibus ſuis terga vertentem? Audient Chananæi, & omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen noſtrum de terra; & quid facies magno nomini tuo?* Quaſi dicat: homulorum quidem nomen penitus extingui, nihil fortaſſe referat. Tuum verò nomen, ô ſumme Deus, quod omni veneratione celebrandum eſt, non modò debita gloria, & honore fraudari, ſed etiam convicijs lacerari, blasphemijſque proſcindi, eiuſmodi eſt, ut nihil exitialius, & luctuoſius, ne cogitari quidem poſsit. Et tamen ita ſine dubio eveniet, ſi tua perſtet ira, ſi tuo nos deſeras patrocinio. Dicent enim gẽtes, quod iam olim in ſimili cauſa ſcriptum reliquit Moyſes, Nume. 14. num. 16. *Non poterat introducere populum in terram, pro qua iuraverat.* Et Exod. 32. num. 12. *Ne, quæſo dicant Egypty, callidè eduxit eos, &c.*

(?)

Numerus 28.

Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia.

224 LUctuat, (ſi ita loqui fas eſt,) divinus animus, & modò ex inſita clementia ad miſericordiam inclinat, modò laceſſitus, & exulceratus iniurijs, cauſas iuſtiſsimæ indignationis, memoria, & cogitatione refricat, & ad ſumẽdam vindictam exardeſcit. Oſeæ. 11. num. 8. *Quomodò dabo te Ephraim?* Eleganter exprimit affectũ fluctuantem Dei, Quid de te faciam? Quomodò te tractabo? *Protegam te Iſrael?* Num defenſionem tui, patrociniumque ſuſcipiam? Num impendentes tibi, atque adeò iam iamque inſtantes ob tua ſcelera, clades propulſabo? *Quomodò dabo te, ſicut Adama? ponam te, ut Seboim?* An potiùs edam in te ſeveritatis exemplum? Puniam te, quemadmodùm obſcœniſsimas illas urbes, præpoſtera libidine commaculatas, quæ de cælo tactæ conflagrarunt? Quid aliud, quæſo, tua poſtulat impietas? *Converſum eſt in me cor meũ, pariter conturbata eſt pœnitudo mea.* Vbi Hieronymus. [Rurſum parentis affectu miſericordia vincitur, & auſteritatem iudicis pietate mitigat Patris.] *Non faciam furorem iræ meæ*: iracundiam meam, quanvis meritò ad ſupplicium erumpentem, coërcebo. Hoc ipſum illud eſt, quod legimus 2. Reg. 14. num. 14. *Nec vult Deus perire animam, ſed retractat cogitans, ne penitus pereat.* Quaſi dicat: per otium accurata cogitatione perpendit, fluctuat, ac ſe ipſum ſubinde revocat. Tigurina. *Sed omnino cogitat, ut non reiciat à ſe, qui reiectus eſt.* Illum etiam, quem meritò reiecit, rurſus retractat, quemadmodum revocet.

225 Non eſt diſsimilis præſens locus; flectebatur Deus verſu ſuperiore ad condonandum ſupplicium illi populo; nunc rurſus ipſius cæcitatem, & inſipientiam exprobrat. *Gens* (inquit) *eſt abſque conſilio.*

Hebrai-

Hebraicè. *Periens consilys.* Vatablus, *perditi consilij, & sine prudẽtia:* nihil mirum, si prudentia careat gens, quæ consilium abiecit. Imò ut quisq; sapientissimus est, ita aliorum consilio libentissimè paret. Sic monuit Ietro Moysen, exquisita prẽditum sapientia, Exod. 18. num. 19. *Audi verba mea, atque consilia, & erit Deus tecum.* Proverb. 13. num. 10. *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.* Et cap. 2. num. 11. *Consilium custodiet te.* Eccles. 32. num. 24. *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.*

Sed in dubia, & ancipiti deliberatione, primarius consiliarius adhibendus est Deus: ille in primis est humiliter consulendus; ab eo summis precibus exquirendum consilium. Psalm. 15. num. 7. *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum.* Hebraicè. *Iehasani.* Vertit propriſsimè Hieronymus, *qui dedit mihi consilium.* Psalm. 118. num. 66. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* Hebraicè. *Tub taham; bonum consilium, & scientiam doce me.* Vide Mercerum in suo Thesauro col. 870. & eodem Psalm. 118. nu. 24. *Consilium meum, iustificationes tuæ.* Hebraicè. *Etiam testimonia tua, deliciæ meæ, viri consilij mei.* Tigurina. *Consiliarij mei.* Non potest non maximè salutare esse consilium, captum unà cum talibus consiliarijs.

226 Atque hæc dicta sint, ut communis graviſsimorum interpretum explicatio fulciatur, hæc verba de Israelitico populo intelligentium: mihi enim series ipsa contextus videtur exigere, ut quæ deinceps ad finem usque Cantici iactantur minæ, superbis illis Israelitici populi direptorib⁹ intentẽtur, ut minutatim in singulis versibus exponemus. Iam verò, ut uno verbo præsentem expediamus, quæ maior insciti a, vel amentia potiùs esse potest, quàm sibi partas victorias arroganter ascribere, & altissimo Deo, tanquam impotenti protegere suum populum, atrociter insultare?

Numerus 29.

Vtinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent.

227 Perpende inexhaustam Dei benignitatem; ea videlicet, ne blasphemijs quidem tam cõtumelioſis, & execrandis, potuit exhauriri. Adhuc saniorem illis mentem exoptat; & ipsorum quidem commodo magis, quàm honori prospiciens suo, ut resipiscentes nimirùm impendentia sibi supplicia declinarent. Verè pijssimus omnium Parens, qui *omnes homines vult salvos fieri.* 1. Timothei. 2. num. 4. Vtinam, inquit, animaduerterent hostes, me, Israelitarum peccatis ita exigentibus, tam grave supplicium intulisse populo, quem in oculis gestabam. Næ illi simul providerent, quid sibi in posterum metuendum esset, & alienis cladibus edoci, tandem aliquando saperent. Hæc est germana huius loci intelligentia: quam ex proprietate Hebraicę vocis *Aharit* confirmavi suprà num. 20. dum exponerem verba illa, *considerabo novissima eorũ.*

Latissimus hîc patebat campus moralis doctrinæ. Sed quia ab interprete Scripturæ minimè requirendum existimo, ut communia loca pro concionibus inferciat, digitum dumtaxat ad fontes intendam, unde tantum quisque hauriat, quantum collibuerit. Hæc nimirùm est noſtri mali causa; hæc peccatorum origo Perstringuntur, & offunduntur mentis oculi splẽdore præsentium, & miserè occæcati futura non advertunt. Eleganter hoc cecinit Claudianus, lib. 2. in Eutropium.

228

Sed quia cæcus inest vitijs amor, omne futurum
Despicitur, suadentque brevem præsentia fructum,
Et ruit in vetitum damni secura libido.

229 Vnde ipsi etiam Philosophi, quibus quasi per caliginẽ tenuissimus veritatis radius

affulsit

affulsit, subinde inculcant, nullum frenū esse potentius ad inhibendum vel incitatissimum effrænatarum appetitionū cursum, quàm si ipsarum extrema amarissima spectentur. Aristoteles monet, ut conijciamus oculos in voluptates, non quidē affluentes ad sensus, eosdemque mirā dulcedine titillantes, sed abeuntes potiùs, pœnitentiæque plenissimas, & acerbissimos doloris aculeos infixos relinquentes, quò minùs cupidè repetantur. Auctor est Valerius Maximus lib. 7. cap. 2. Aurea planè est Catonis illa sententia, quam scriptā reliquit Gellius lib. 16. cap. 1. [Cogitate cum animis vestris, si quid vos per laborē rectè feceritis, labor ille à vobis citò recedet: benefactum à vobis, dum vivetis, non abscedet. Sed si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas citò abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit.] Sapienter Boethius lib. 3. de consolatione, metro. 7. [Habet hoc voluptas omnis, stimulis agit fruentes, apūq; par volantū, ubi grata mella fudit, fugit, ac nimis tenaci ferit icta corda morsu.]

Hausit hoc Boethius ab experto Magistro, Salomone videlicet, qui *invenit amariorem morte mulierem*. Eccles. 7. num. 27. & multus est in hac doctrina. Proverb. 5. num. 3. *Favus distillans labia meretricis; novissima autem illius amara, quasi absynthium*: & cap. 23. num. 32. ubi per vinum intelligit libidinem, *Ne intuearis vinum, quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit, ut coluber, & sicut Regulus, venena diffundet.*

231 Sed est maximè illustris locus Proverb. 31. num. 3. *Ne dederis mulieribus substantiam tuam, & divitias tuas ad delendos Reges*. LXX. cap. 24. Romanæ Editionis, *& vitam tuam in seram consilij mutationē*. Theodotio, *in pœnitentiam*. Illud scilicet, quod respondit Demosthenes, ut scribit Gellius lib. 1. cap. 8. & Macrob. 2. Saturnal. cùm ad fruendam turpem voluptatem, ingenti postulato pretio, invitaretur: *Ego*, inquit, *tanti non emo pœnitere.*

Et suspicor Vulgatum interpretem, in eamdem vertisse sententiam, *& divitias tuas ad delendos Reges*, idest, ad extinguēda animi consilia; nihil enim tam adversum consilio, nihil tam pœnitendū, quàm libido; consilia verò non est insolens in sacra Scriptura appellari Reges; etenim ipsi reges consilio regantur oportet, ut verè sint reges: ita ut consilium rex sit etiā ipsorum regum. Daniel. 4. num. 24. *Quā obrem rex, consilium meum placeat tibi.* Hebraicè, *rex, rex meus* (*Malachi*) *placeat tibi.*

232 Verùm de dolore, & mœstitia ex libidine orta, lege Perer. in l. de benedictionibus Patriarch. num. 12. ad illa verba Genes. 49. num. 3. *principium doloris mei.* & Abulensem. q. 5. in 2. Regum 13. n. 15. *exosam eam habuit Amnon odio magno nimis*: & Aristotelem, sect. 4. problemat. q. 11. Denique decuiuslibet peccati amaritudine novissima, vide Viegam Apocal. 8. Commentar. 1. sect. 12. in illa verba Threnor. 3. num. 15. *inebriavit me absynthio.* Iansenium in id Proverb. 20. num. 17. *suavis est homini panis mendacij, & postea implebitur os eius calculo.* Ioann. Fernand. in suo Thesauro verb. *aspis.* numer. 6. ad illud Iob. 20. numer. 16. *caput aspidum suget*: multa etiam congerit Barradas tom. 1. l. 4. c. 5. exponens illud Hierem. 31. num. 21. *statue tibi speculam, pone tibi amaritudines.* Lorinus Eccles. 1. n. 14. *ecce universa vanitas, & afflictio spiritus.* Sotomaior in extrema verba cap. 4. Cantic. affert, & expendit illud ad Rom. 6. num. 21. *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Pineda Iob. 4. vers. 8. num. 4. *Seminant dolores, & metunt eos*: & tom. 2. cap. 20. num. 14. *panis eius in utero eius vertetur in fel aspidum intrinsecus.*

Numerus 30.

Quomodò perſequatur unus mille, & duo fugent decem millia? non ne ideo, quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos.

233 DEbuiſſent potiùs, ſi ſaperẽt, ita ſecum ratiocinari; quomodò fieri potuit, ut à nobis, qui adhuc adverſus Iſraelitarum copias obſiſtere non potuimus, quanvis eas vinceremus, & numero, & armorum genere, ac viribus ſuperiores eſſemus; nunc repentè ita fuſi, fugatiqúe ſint, ut vel unus ex noſtris mille Iſraelitas inſequatur, & duo fugent decẽ millia? Niſi quia Deus ille, quem colunt, qui priùs illis favebat, ac ferebat opem, eorum ſceleribus offenſus, omni præſidio nudatos, nobis capiendos, & cędendos, tanquam inermes, & vinculis conſtrictos, in manus tradidit?

234 Et quidem ſi ſacrarũ hiſtoriarum monimenta replicentur; veriſimum eſſe comperiemus, quod Achior interrogatus ab Holoferne fidenter pronuntiavit. Iudith 5. num 24. *Perquire, ſi eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei eorum: aſcendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & ſubiugati erunt ſub iugo potentiæ tuæ. Si verò non eſt offenſio populi huius coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis, quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus in opprobrium univerſæ terræ.*

Hoc autem, ut uno verbo dicam, bifariam efficiebat Deus. Hoſtibus enim irruentibus robur, vires, & animos addebat; Iſraelitis autem tantum incutiebat metum, ac terrorem, ut vix conſpicati hoſtes, quaſi iam mortem cõceptam in prę-cordijs continerent, in fugam præcipites averterentur. Iudic. 3. num. 12. *Addiderunt autem filij Iſrael facere malum in conſpectu Domini, qui confortavit adverſus eos &c.* 2. Paralipom. 28. num. 19. *Humiliaverat enim Dominus Iudam, eò quòd nudaſſet eum auxilio.* Lege, quæ obſervavi nu. 25. ad illa verba, *& intus pavor*, & Maldonatum in id Ierem 46. num 5. *Vidi ipſos pavidos, & terga vertentes, fortes eorum cæſos: fugerunt conciti, nec reſpexerunt; terror undique: ait Dominus.*

Vendere autem eſt, rem cuipiam ita tradere, ut in ipſius emptoris poteſtate iam ſit, eaque arbitratu ſuo uti poſsit; tunc verò Deus dicitur vendere ſuum populum, cùm eos, tanquam viliſsima mancipia, pro libito hoſtium, capiendos illis, ac diripiendos, in ſervitutem abducẽdos, aut etiam necandos, tradit: iuxta illud 4. Reg. 17. num. 20. *Afflixit eos, & tradidit eos in manu diripientium, donec proijceret eos à facie ſua.* 2. Eſdræ. 9 num 27. *Et dediſti eos in manu hoſtium ſuorum.* Iudith. 7. num. 13. *Propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum.* Baruc. 4. num. 6. *Venundati eſtis gentibus.* Iudic. 2. num. 14. *Iratuſque Dominus contra Iſrael tradidit eos in manu diripientium, qui ceperunt eos, & vendiderunt,* (Hebraicus textus, LXX. atque Chaldæus, *& vendidit eos.* Nimirum ipſe Deus) *hoſtibus, qui habitabant per gyrum, nec potuerunt reſiſtere adverſarijs ſuis. Sed quòcumque pergere voluiſſent, manus Domini ſuper ipſos erat.* Additur Hebraicè *in malum.* Eſt enim vulgaris hebraiſmus, quo ſupplicium à Deo ſumptum denotatur. Actor. 13 numero 11. *Ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus.* Iudic 3. num. 8. *Iratuſque contra Iſrael Dominus tradidit eos* (Hebraicè vendidit eos) *in manus, &c.* Et cap. 4. num. 9. *In manu mulieris tradetur Siſara.* Hebraicè *in manu mulieris vendet Dominus Siſaram.*

235

Sed quia in omni emptione, & venditione, pretium intercedere neceſſe eſt: pretium eſt in primis ipſorum, qui venduntur, flagitioſa à vero Domino defectio: pretium ſunt peccata, ut perſpicuè colligitur ex ſuprà memoratis teſtimonijs, & diſertè affirmatur. Iſai. 50. num 1.

236

Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis. Deinde, ut pretium etiam acceptat Deº, operam sibi navatam ab hostibus diripiẽtibus. Sic Hierem. 25. num. 9. insolentissimum Tyrannum Nabuchodonosor vocat nihilominùs Deº *servum suum*, quia videlicet eius opera, ac ministerio ad exsequendam suam iustitiam utebatur. Denique usque eò Deº abiectissima ista mãcipia abalienare cupit, ut gratis illa, & sine ullo pretio vendat. Isai. 52. num. 3. *gratis venundati estis.* Psalm. 43. num. 15. *vendidisti populum tuum sine pretio.*

237 Eadem inest vis in altero, qui adiungitur, loquendi modo: *& Dominus concluſit illos*: videlicèt, ut habetur in eodem Psalmo 43. num. 22. tanquam oves morti destinatas, septis undique concluſas, ne quà ullum elabendi pateret effugium. 1. Reg. 26. num. 8. *concluſit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas.* Psalm. 30 num. 9. *nec concluſisti me in manibus inimici.* Ps. 77. num. 62. *& concluſit in gladio populũ suum.* 1. Machab. 4. num. 31. *conclude exercitum istum in manu populi tui.*

Numerus 31.

Non enim est Deus noster, ut dij eorum, & inimici nostri sunt iudices.

238 NOn est Deus noster lapis, aut truncus, ut muta gentium simulacra, quę neque suos cultores tueri, neque violatores ulcisci, aut punire possunt. Est enim supremum quoddam numen, infinitâ potẽtia præditum, qua sui cultus defertores, vel ab imbecillis hostibus, & numero longè imparibus, in fugam verti, aut etiam faciet crudelissimè necari. Cõtrà verò, cùm placabilem se, ac benevolum præbebat populo suo, cùm rebus illius paternè consulebat, nulla extitit unquam tam valida Natio, quæ vel diu oppugnatum populum expugnare tandem possет: quæ res adeò pervagata est, & illustris, tam multis exemplis comprobata, ut ne ipsi quidem hostes negare audeant. Quòd si aliquando in disceptationem veniat, ipsorum hostium tribunal adire nõ recusabimus; ius ipsi dicant, sententiam sine dubio pro nobis ferent, vel suo malo edocti veritatem enuntiabunt; opera enim divinitus patrata ad protectionem Israelitici populi, hanc confessionẽ vel ab invitis extorquebunt: ab Egyptijs quidem Exod. 14. num. 25. *Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Ab incolis terræ Sanctæ. Iosu. 2. n. 11. *Pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum: Dominus enim Deus vester ipse Deus est.* A Philistęis. 1. Reg. 4. num. 7. *Timueruntq; Philistiim dicentes, venit Deus in castra, & ingemuerunt dicentes, væ nobis, quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum?* Atque hæc testimonia sint satis, ne omnes hostes sigillatim persequamur.

Numerus 32.

De vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Comorrhæ.

239 IAM hinc aggreditur Moyses Gentilium flagitia commemorare, quibus divinam iracundiam irritarunt. Docetque vitia illa, quibus laborabant, non tolerabilia esse, & quæ emendari facilè possent: sed eiusmodi, ut hausta cum ipso lacte nutricis, usque eô adoleverint, ut in nativos mores, insitamque penitùs naturã conversa esse videantur. Cùm enim ex pessima radice vitis pessimam propaginem in animo plantaverint, quos fructus illa ferat, nisi venenatas uvas? ex pestiferis autem uvis, botrisque amarissimis, quodnam aliud exprimatur vinum, nisi felle madens, ac veneno imbutum? ita se res habet: dedisсit animus ferò, quod di-

dicit

dicit diu; & difficillimè exuuntur illa vitia, quæ trahuntur iam inde à primis annis ex infecta radice, & altè in animo insederunt. Ineſt ad formandos mores vis admirabilis in nativa origine, atque educatione. Hinc ardentes illæ exprobrationes, etiam apud prophanos Poetas, AEneid. 4.

240 *Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,*
Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hircanæque admorunt ubera Tigres.

Et Catullus de nuptijs Pelleı.

Quænam te genuit ſola ſub rupe leæna?
Quod mare conceptum ſpumantibus expuit undis?

Ezech. 16. num. 3. *Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan*, ideſt, tam efferatis, & barbaris moribus prędita es, ut nõ ex Abrahamo genita, ſed ex Chananæis originem ducere videaris. Hoc ſenſu vocabat Chriſtus Iudæos *genimina viperarum*. Matth. 23. num. 33. *& filios Diaboli*. Ioan. 8. num. 44. & Iſaias illorum principes, *principes Sodomorum*. cap. 1. num. 10. & Ioannes Phariſæos, *progenies viperarum*. Matth. 3. num. 7.

Senſus itaque huius loci, idem eſt, ac illius veteris proverbij, *mali corvi, malum ovum*, mutata ſcilicèt metaphora: *de mal vidueño mal majuelo*. Vt contrà portenti inſtar fuit, quod ſuo populo Deus obiecit. Hierem. 2. num. 21. *Ego autem plantavi te vineam electam, omne ſemen verum, quomodò ergo converſa es mihi in pravum, vinea aliena?* & Iſai. 5. num. 2. *Plantavit eam electam, & exſpectavit, ut faceret uvas, & fecit labruſcas.*

Vva eorum uva fellis, & botri amariſſimi.

241 MIrabile dictu eſt, quod de Sodomę, & Gomorrhę fructibus graves prodiderunt ſcriptores; cùm enim antequàm incendio divinitus immiſſo, regio illa conflagraret, fuiſſet omnis generis pulcherrimarum plantarum feraciſſima, &, ut Scriptura loquitur, Geneſ. 13. num. 10. *ſicut paradiſus Domini*; poſt horrendum illud excidiũ, aut nullas fert plantas, aut ſterilitatis admirandæ. Quod his verbis ſcriptum reliquit Tertullianus in Apologetico c. 40. [Olet adhuc incẽdio terra, & ſiqua illic arborũ poma conãtur, oculis ten², cæterùm cõtacta cinereſcũt.] Auguſtinus autem lib. 21. de Civit. cap. 8. [Prodigioſa fuligine horrori eſt, & poma eius interiorem favillam mendaci ſuperficie maturitatis includunt.] Eadem ſcribit Iſidorus li. 14. Etym. c. 3. [Naſcuntur ibi poma virentia, ſub tanta ſpecie maturitatis, ut edendi deſiderium gignant: ſi carpas, fatiſcunt, ac reſolvuntur in cinerem, fumumque exhalant, quaſi adhuc ardeant.] His patribus atteſtantur Ambroſ. lib. 1. de Abrah. cap. 6. Clem. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 10. Oroſius lib. 1. cap. 5. ſed & id antè prodiderat memoriæ Philo Iudæus lib. de Abraham pag. 319. & Ioſeph. lib. 5. de bello Iudaico cap. 5. [Colore quidem, & ſpecie, inquit, aliorum fructuum ſunt per ſimiles; tactũ verò in carpentium manibus reſolvuntur in fumum, ac cinerem.] Vide ex recentioribꝰ Lorinum ad illa verba Sapientiæ 10 n. 7. 242 *In teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat deſerta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores.* Et Pererium tom. 3. in Geneſ. cap. 19. num. 51. Pamelium in Apologetico Tertulliani num. 534. & Sotomaior in cap. 1. 1. ad Timotheum, columna 122.

Haud abſimiles erant fructus vitioſæ 243 illius propaginis Gentilitatis; pudet quidẽ referre, quod ipſos luce palàm facere nõ puduit: diſertis tamen verbis portentoſa illorum crimina recitavit Apoſtolus ad Roman. 1. Etiam ſplendidæ illæ philoſophorum virtutes, quæ omnium in ſe rapiebant, & detinebant oculos, ardens ille ſapientiæ amor, parciſsima frugalitas, extrema paupertas, invicta iniuriarum tolerantia, laborumque perpeſ-

ſio,

sio, larvæ duntaxat erant, & umbræ; nihil habebant solidi, nihil expressi, sed fucatam tantùm speciem imperitorum oculis obversantem, intùs in animo horrenda, atque immania flagitiorum monstra delitescebant; ut eruditè probat Michael de Medina lib. 2. de recta in Deum fide. folio 43.

244 Hic autem Moyses uvam huius exitialis vineę vocat uvam fellis. Subest Hebraicè, *Ros*. Quam vocem Latinus interpres paulò pòst, num. 33. *venenum* vertit, & *venenum aspidum insanabile*. Sed quia hęc ipsa vox in primæva sua significatione *caput* significat, ut ex sexcentis constat Scripturę locis, hunc aliquando illi significatū, etiam cùm de veneno sermo est, Vulgatus attribuit. Iob. 20. n. 16. *caput aspidū suget*. Imò, ut eruditè monstrat ibi Pineda, inde est derivata translatio, ut caput sumatur pro veneno, quia venenum aspidis est in capite: sicut & venenum etiam fel vocatur, quia, ut probat Guevara in id Habac. 2. num. 15. *mittens fel suum*, ubi Hebraicè subest, *Hema*, quam vocē hîc etiā Latinus interpretatur *fel*, numero sequēte, *fel draconum vinum eorum*, virus, venenumque serpentium nihil est aliud, præter eorum fel.

Frequentissimè itaque Vulgatus hāc
245 ipsam vocem, *Ros*, *fel* interpretatur. Psal. 68. num. 22. *dederunt in escam meam fel*. Hierem. 23. num. 15. *potabo eos felle*: & cap. 8. num. 14 *potum dedit nobis aquam fellis*. Thren. 3. num. 5. *circumdedit me felle, & labore*. LXX. in plerisque locis Græcè *chole* reddiderunt. Quod cùm ita
246 sit, nequeo satis mirari Ariam Montanū, qui Deuter. 29. num. 18. ubi habet Vulgata Editio; *radix germinans fel, & amaritudinem*; ipse in illa sua Regia Bibliorū recognitione, ad Hebraicā obrussam accuratissimè exacta, ita correxit *fructificās caput, & absynthium*, & Hierem. 23. num. 15. *potabo eos aquis capitis*. Nam etiam si caput, restrictum appositio *aspidis*, usurpetur pro veneno; & ut demus, etiam *fel* significare venenum in suprà recitatis locis, certè *caput* absolutè positum, ubi reposuit Mōtanus, ut levissimè dicam, obscurat orationem, & menti lectoris tenebras offundit, & Vulgati luminibus immeritò obstruit.

Ego quidem existimo *fel*, in præsenti
247 versu, ut etiam in sequente, pro veneno sumi: sive quia venenatum solet esse serpentium fel, ut paulò antè dixi, sive ex metaphora, qua probavi suprà num. 24. circa illa verba, *morsu amarissimo*, in arcano sermone, amaritudinem pro morte usurpari: est itaque *uva fellis*, uva exitialis, venenata, atque pestifera. Et isto quidē huius vineæ amarissimo fructu denotatur, Idololatrię germina esse lethalia peccata, quæ in sacra Scriptura *fel*, & *amaritudo*, nuncupātur, & mortifero suo toxico miserandam necem animis afferunt. Sic expressè vocantur, Deuter. 29. num. 18. *Ne fortè sit inter vos vir, aut mulier, cuius cor aversum est hodie à Domino Deo nostro, ut vadat, & serviat dijs illarū Gentium, & sit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem*. Quò alluśit Petr⁹ Simonem Magum acriter obiurgās, Act. 8. num. 23. *in felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis, video te esse*. Est autem peccatum fel, & amaritudo, tū quia Deo bilem concitat, *haze a Dios de hiel*. Oseę 14. num. 1. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum*. Tum quia Deum derelinquere, malum omnino, & amarum est. Hierem. 2. num. 19. lege Riberam in illa verba Oseæ 12. num. 14. *Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis*. Lorinum Act. 8. vers. 23. Viegam Apocal. 8. commentar. 1. sect.

12.

Numerus 33.

Fel Draconum vinum eorum, & venenum Aspidum insanabile.

248 NOnnullas voces Hebraicas huius versus, quoniam aliàs occurrerunt in hoc Cantico, ibi per otium explicavimus. *Hema* quidem, ideſt, *fel*, ſive *venenum*, numero 24. ubi etiam de Draconibus ſermonem fecimus. *Ros* autem, ideſt, caput, fel, atque venenum, proximè numero ſuperiore, cætera perſpicua ſunt; vinum enim ex venenatis uvis, ac peſtiferis expreſſum, exitiale item eſt, felle, ac veneno madens; ſive per vinum furor, & implacabilis iracundia intelligatur, temulentia enim in prælia trudit inermes. Proverbiorum 23. numero 29. *Cui rixæ? Cui ſine cauſa vulnera? &c.* Sive turpis, & obſcæna libido; *luxuriosa enim res eſt vinum.* Proverbiorum 20. numero 1. ſive aliud quod cumque vitium, aut cæcitatem mentis exponamus, quæ idololatriam neceſſariò conſequitur, & per vinum in ſacra Scriptura denotatur, ut probat Maldonatus Ierem. 13. numero 12. Omnia (inquam) Ethnicorum ſcelera, velut iacula veneno illita, inſanabile prorſus, ac lethiferum vulnus eorum animis infligebant.

Numerus 34.

Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in Theſauris meis?

249 SInt illi nunc ſanè, ſint metu liberi: in omni flagitiorum cœno ſecurè volutentur: ſua illa venena ſpargant impunè; tempore ſibi ad reſipiſcendum benignè cõceſſo per ſummã licẽtiam abutantur; de ipſa etiã impunitate gloriẽtur; ſerò tamen aliquando ſapient, clarèque cognoſcent, vel minutiſsima quæque illorum peccata meam aciem prætervolare non potuiſſe; ſingula monumentis conſignari, & tanquam in theca recondi, impreſſoque ſigillo muniri, ut præſtituto tempore ſimul expromantur.

Res ipſa perſpicua eſt, & innumeris 250
Scripturæ teſtata locis. Ac primò Deum quaſi in tabulas, & monumenta referre ſingulorum culpas, ne illa unquam oblivione deleantur, diſertè affirmat Iſaias cap. 65. num. 6. *Ecce ſcriptum eſt coram me, non tacebo, ſed reddam, & retribuam in ſinum eorum.* Threnorum 1. numero 14. *Vigilavit iugum iniquitatum mearum, in manu eius convolutæ ſunt.* Vertit Tigurina. *Impreſſum eſt iugum prævaricationum mearum manu eius.* Exponitque Vatablus. *Deus quibuſdam notis peccata mea in manibus ſuis deſignavit, ut illorum recordaretur.* An excidere poterunt è memoria iniquitates, quæ in ipſius Dei manu accuratè deſcriptæ ſunt? ſic viſus eſt Ezechieli Iudex ipſe inter Angelos, quaſi inter ſuæ iuſtitiæ ſadminiſtros, cap. 9. numero 2. *Et atramentarium ſcriptoris ad renes eius.* Hieronymus ibi, *ut* 251
omnium, inquit, *peccata deſcriberet.* Hi commentarij evolvuntur, quando inferendum eſt ſupplicium; ibi omnia in numerato habentur, ut pœna flagitijs ex æquo reſpondeat. 1. Reg. 15. num 2.

recensui quæcumque fecit Amalec. Recensere enim est non solùm in memoriam redigere, sed ad calculos revocare, & summam exactè subducere. Hi denique sunt illi libri, qui in extremo Iudicio proferentur, & clara voce recitabuntur, iuxta communiorem intelligentiam Expositorum. Daniel. 7. numero 9. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Apocalyp. 20. num. 12. *Et iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris.* Vide Suarez tomo 2. in tertiam partem, diputation. 57. sect. 9.

252 Asservari præterea, diligenterque recondi, & quasi sigillo obsignari singulorum peccata, tota clamat Scriptura. Iob. 14. num. 17. *Signasti quasi in sacculo delicta mea.* Et cap 21. numero 19. *Deus servabit* (Hebraicè abscondet, quasi in thesauro reponet) *filys illius dolorem patris.* Theodotio; *Deus reondet filys eius iustitias eius.* Dolor enim, ut solidè ibi exponit Pineda, est iniquitas, rapina, & violentia, quæ non solùm alijs, sed auctori etiam ipsi dolorem inurit; eamque Deus velut reconditam in abdito diligentissimè asservat, ut opportuno tempore in filios impij, ac nepotes effundat. Eleganter id exponit Gregorius lib. 12.
253 Moralium cap. 12. [Signantur, inquit, quasi in sacculo delicta nostra, quia hoc, quod nos exterius agimus, nisi pœnitentia intervenionte diluamus, in secreto iudiciorum Dei, sub quadam occultatione servatur, ut quandoq; de sigillo secreti exeat ad publicum iudicij.] Cur autem hominum flagitia sic obsignata Divinæ iustitiæ thesauri nominentur, ab ipsis peccatoribus congesti, iuxta illud ad Romanos 2. numero 5. *Thesaurizas tibi iram.* Et Iacobi. 5. numero 3. *Thesaurizastis vobis iram*; optimè explicat Pineda, Iob. 14. versu. 17. Vide etiam Maldonatum Ierem. 50. num. 25.

Numerus 35.

Mea est ultio, & ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum.

Apienter Leo magnus ser- 254
mone 5. de ieiunio Quadragesimæ. [Nemo patientiam bonitatis Dei de peccatorū suorum impunitate contemnat: nec idcò illum æstimet non offensum, quia nec dū est expertus iratum. Non sunt longę vitæ mortalis inducię, nec diuturna est licentia insipientium voluptatum in æternarū dolorem transitura pœnarum.] Priùs hoc ipsum monuerat Sapiens. Ecclesiast. 5. nu. 4. *Ne dixeris, peccavi: & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens reddítor.* Lento nimirùm gradu divina procedit ira; scribit contra nos amaritudines, Iob. 13. num. 26. Recondit velut in thesauro hominū flagitia, clauditq; illa quasi subsignaculo: reservat in posterum supplicium: cùm autem id iam exigit temporis præstituti maturitas, cùm scelerum commissorum turpitudo efflagitat, supplicij tarditatem gravitate compensat *Mea*, inquit, *est ultio*; mei iuris est ulcisci scelera; & cùm tēpus à me definitum accesserit, stomachum omnem erumpam, eaq; de sceleratis supplicia sumā, ut miserè ad terrā affligātur. *Vt labatur pes eorū.* Verbū enim *Mut* nō est simpliciter nutare, aut cadere, sed quasi inflicto vulnere prosterni. Psal. 93. n. 18. *Si dicebā, motus est pes meus*, ideſt, si impellentibus impijs, eorū impetu, moleq; premebar. Proverb. 25. nu. 26. *Iustus cadens coram impio.* Hebraicè *Mat.* Deiectus, prostratus. Et c. 24. n. 11. *Qui trahuntur ad interitum.* Hebraicè *Matim, impulsi, raptati.*

Hæc cùm expedita sit explicatio huius 255
loci, atque in hanc sententiam hæc verba citentur ab Apostolo ad Hebræos. 10. numero 30. ut videlicet divinam de sceleribus vindictam extimescamus; *scimus enim, qui dixit, mihi vindictam, & ego*

retri-

retribuam. Difficillimam tamen quæstionem habet locus alter eiusdem Apostoli, in quo hæc ipsa verba, sensu in speciem longè diverso, recitantur. Ad Roman. 12. num. 19. *Nos vos defendentes charissimi, sed date locum iræ: scriptum est enim; mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Non possunt exactè intelligi hæc Moysis verba, nisi totus iste Apostoli locus, qui obscurissimus est, paulò enucleatiùs, & accuratiùs enodetur.

256 Atque illud in primis est certum. *Defendere*, non hîc esse iniuriam arcere, sed ulcisci. Itaque *non vos defendentes*, idem est, ac ulciscentes. Græcè *Ecdicuntes.* Quod verbum solet efferre Vulgatus, *ulcisci, aut vindicare.* Lucæ 18. numero 3. Apocalyp. 6. numero 10. & cap. 19. numero 2. & eodem sensu usurpatur ab interprete Latinum *defendere.* Iudith. 1. numero 12. *Iuravit per thronum, & regnum suum, quòd defenderet se de omnibus regionibus his.* Et cap. 2. numero 1. & cap. 9. numero 2. *Qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum*, idest, ad ultionem, & vindictam. Et Psalm. 8. numero 3. ubi Editio vulgata habet, *ut destruas inimicum, & ultorem*, Romanum psalterium, quod sequitur Augustinus in Psalmorum expositione, tomo. 8. legebat, *ut destruas* 3 3 *inimicum, & defensorem.* Denique hæc ipsa, quæ nunc explicamus verba, ita recitat Tertullianus lib. 2 contra Marciõ. cap. 18. *Mihi defensam, & ego defendam.*

257 Est igitur prima expositio: hortari hîc Apostolum fideles, ne se ipsos ulciscantur, ne iniurias rependant, potiùs id reservent divinæ iracundiæ, quæ longè acerbiorem vindictam sumet. Imò esurientem inimicum pascant, sitientem potent, nam quò maior extiterit erga hostem, ipsorum benevolentia, eò atrociora erunt illius supplicia. Carbones enim igniti, hoc est, fulmina cœlitus vibrata in eum conijcientur. Tullianè omnino scripsit in hanc sententiam Tertullianus lib. de patientia cap. 15. [Adeò satis idoneus patientiæ sequester Deus; si iniuriam deposueris penes eum, ultor est: si damnum, restitutor est. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem?] Vide ibi Pamelium numero 100. ubi, Modestino Iurisconsulto definiente, *sequester est, inquit, apud quem plures eamdem rem, de qua controversia est, deponunt.* Idem Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 16. cùm hæc ipsa Moysis verba citavisset, patientiam vocat *vindictæ expectatricem.* Congruenter docet, ex cap. 20. Proverb. numero 22. iuxta. LXX. Cyprianus lib. 3. Testimoniorum ad Quirinum, num. 106. *Iniuria accepta, patientiam tenendam, & ultionem Deo relinquendam.*

Illa igitur Apostoli verba, *sed date locum iræ*, exponens Chrysostomus homil. 22. ait. [Cui iræ? Dei; nam si te ipse non fueris ultus, Deus te ulciscetur.] Theophilactus. [Si vos dimiseritis, Deus ulciscetur acerbiùs.] OEcumenius. [Si tu non vindictam de te sumas, veniet ira Dei super illos.] Consentanea his Theodoretus: qui omnes id confirmant ex præsenti Moysis testimonio, & locum illum Proverbiorum cap. 25. numero 22. *Prunas enim congregabis super caput eius*, eodem sensu interpretantur. Chrysostomus. [Nihil æquè iucundum est, atque de inimico sumptum videre supplicium: hoc ipsum Deus copiosè, & abundè dabit.] Theophilactus. [Nihil adeò suave est, atque hostem videre punitum. Vis ulcisci tè de hoste? Beneficium illi exhibe; tunc acerbiore eum supplicio affeciisti; eapropter dixit, carbones ignis congeres super caput eius, grave videlicet supplicium designans.] Sic Theophilactus.

Et quidem in sacro sermone, ut inusi- 259
tata prorsus locutio est, prunas ardentes

ſupra caput congerere, pro eo, quod eſt, beneficijs quempiam cumulare, eiuſque gratiam inire; ſic eſt frequens loquendi modus ad acerbiſsimum ſupplicium exprimendum. Pſalm. 17. num. 9. *Carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Et num. 14. *Grando, & carbones ignis.* Genebrardus ibi, num. 16. [Carbones igniti, ideſt, fulmina: pœnæ ſcilicèt, ac ſupplicia graviſsima, quæ Deus ſceleratis infligit.] Pſalm. 119. num. 4. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs.* Et Pſalm. 139. num. 11. *Cadent ſuper eos carbones; in ignem deijcies eos.* Eſt verò expreſsiſsimum teſtimonium in lib. 4. Eſdræ (quanvis enim is liber reiectus ſit è Canone, non nihil tamen auctoritatis retinet) cap. igitur ultimo num. 54. ita legimus: *non dicat peccator, ſe non peccaſſe, quoniam carbones ignis comburet ſuper caput eius.*

260 Neque alienum eſt à manſuetudine, lenitateque Sanctorum, illatas ſibi iniurias Deo committere, ac reſervare puniendas: non quidem ex affectu vindictæ, ſed ex zelo, deſiderioque iuſtitiæ. Plena ſunt exemplis ſacra monumenta. Vnum, vel alterum attingam. Ierem. 11. numero 20. *Tu autem Domine Sabaoth, qui iudicas iuſtè, & probas renes, & corda, videam ultionem tuam ex eis, tibi enim revelavi cauſam meam*, ideſt, *cõmendavi*: ad te enim, tanquã ad iuſtiſsimum iudicem confugi. Quin & de Salvatore noſtro Chriſto hoc ipſum ſcribit Petrus, Epiſtola 1. cap. 2. numero 23. *Cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iuſtè.* Græci enim libri, & enarratores legunt, *tradebat autem, vel committebat iudicanti ſe iuſtè. Crinonti diKeos.* Auguſtinus recitat Tractat. 21. in Ioann. *Commendabat illi, qui iuſtè iudicat.* Iuſtiſsimo videlicet Iudici Deo, & cauſam ſuam, & ultionem committebat. Iſidorus Clarius legit in ipſo textu, addendo nimirùm nomen de ſuo, *tradebat autem vindictam iudicanti iuſtè.* Tigurina item, *tradidit vindictam ei, qui iudicat iuſtè.* Vtrumque enim egit Chriſtus, & ſe permiſit à ſceleſtiſsimo iudice iniquè condemnari, & morti acerbiſsimæ addici; & ſupremo Iudici, ideſt, Patri æterno cauſam ſuam reſervavit.

Quamvis his omnibus, quæ ad ful- 261
ciendam Græcorum Patrum expoſitionem congeſsimus, aliquantulùm illa molliri videatur: ſed adhuc certè manet durior, atque horridior, quàm ut devorari queat. Quis enim ſibi perſuadeat, cadere in Chriſtianam ſuſtinentiam, ac lenitatem poſſe, eo quempiam animo iniuriam non ulciſci, ut det locum iracundiæ divinæ graviùs, & acerbiùs ulciſcenti? Atque adeò eo fine in hoſtem beneficia conferre, ut carbones igniti, ideſt, fulmina cœlitus contorta, ſuper caput eius congerantur? Hieronymus tomo 3. Epiſtola 150. ad Hedibiam quæſtione 1. cùm eam explicationem retuliſſet. [Iſta, inquit, non eſt miſericordia, ſed crudelitas.] Auguſtinus verò tomo 10. ſermone 168. de tempore [Avertat Deus huiuſmodi intelligentiam ab animis noſtris.] Et cùm veram loci ſententiam expoſuiſſet, adiungit *Ecce quomodò ſancti Patres hunc ſacræ Scripturæ locum intelligendum eſſe dixerunt.* Sanctus Thomas in cap. 12. ad Romanos. [Iſte ſenſus, inquit, omnino repugnat charitati.]

Concors itaque eſt Latinorum om- 262
nium interpretum explicatio: ardentes carbones in caput congeſtos, inſignia eſſe beneficia in hoſtem immerentem collata, quæ illius pectus vehementer urant, totumque hominem incendant, tum dolore inſectandi eum, quem ſibi pro iniurijs videt benefacta rependere; tum ardentiſsimo amore, quo inflammatus erubeſcat, non redamare illum, à quo, per ſummam iniuriam offenſo, videt nihilominùs ſe vehementiſsimè amari. Subſcribunt huic ſententiæ præter Auguſtinum, Hieronymum, & Sanct.

Tho-

Thomam, iam citatos. Ambros. aut Remigius, auctor scilicèt ille commentariorum in Paulum, qui Ambrosij titulo prænotantur, Haimo, Primasius, uterque Anselmus, Strabus, Lyranus, Carthusianus, Catharinus, Nicolaus Grandis, Magister sentent. Cornel. Musius, Caietanus, Gagneius, Naclantus, Vatablus, Dominicus Sotus, Isidorus Clarius, Adamus, Claudius, & ex nostris Sà, Pererius, Toletus, Salmerõ, & Gabriel Vazquez, & in cap. 25. Proverbiorum Beda, atque Iansenius.

263 Et, nisi me ipse fallo, primæ expositioni, tanquam omnino deviæ à Pauli consilio, & proposito, aditum ipse Apostolus præclusit, dum immediatè subiecit. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*. Quasi dicat: noli illius iniuria ad similem iniuriam inferendam trahi: enitere potiùs beneficijs cum illo certare; sic totum illum amoris facibus incendes, & glorioßissimum victoriæ genus reportabis: nam benignitate tua victus dabit manus, & ex hoste fiet amicissimus. Sapienter scripsit Valerius Maximus, lib. 4. cap. 2. [Speciosiùs iniuriæ beneficijs vincuntur, quàm mutui odij pertinacia pensantur.] Atque huius clarissimæ victoriæ luculentum exemplum peti potest ex 1. Regum. 24. numero 17. Vbi ignis amoris David ex durissimo illo pectore Saul, benevolentiæ, atque adeò lacrymarum scintillas excussit: vide etiam cap. 26 num. 21.

264 Nec insolens est, amorem igneis sive facibus, sive prunis significari, etiam apud prophanos scriptores. Is, quem paulò antè nominavi, Valerius Maximus lib. 4. cap. 6. sic loquitur de amore coniugali Porciæ. *Tuos quoque castissimos ignes cuncta sæcula debitâ admiratione prosequentur.* Vulgaria illa apud Poëtas. AEneid lib. 4. *Vulnus alit venis, & cæco carpitur igne.* Et lib. 1. de remedijs: *Contemptæque iacent, & sine luce faces.* Tibulli libro 2. Elegia ultima: *silicet, extinctas aspiciamque faces.* Vide Gelium lib. 19. cap. 9. nam sordent humana testimonia, ubi suppetunt divina.

Auctore Dionysio cap. 7. de cæl. Hier 265
supremi illi spiritus, qui ardentissima Dei charitate flagrant, Seraphim, idest, ardentes, & incensi nominantur ab incendio dilectionis, quo vehementer exardescunt. Ipsa enim dilectio vocatur ignis. Matth. 3. num. 11. *Ipse vos baptizabit in spiritu sancto, & igni*, scilicet charitatis, ut doctè probat Toletus Lucæ. 3. notatione 36. Hic est ille ipse amoris ignis, de quo Christus ait Luc. 12. numero 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Et quia ardens iste charitatis ignis cœlitus demittitur, de cœlo videlicet affulget amoris scintilla, qua concepta in nostris animis, ignis charitatis accenditur: quod autem e cœlo delabitur, primò caput attingit: propterea Apostolus carbones ignitos, ex beneficijs redundantes, super caput accendendos esse dixit. Sic multò certius est, dispertitas linguas, tanquam ignis, super Apostolorum capita consedisse Act. 2. num. 3.

Nec desunt amori sacro suæ prunæ, sui carbones adeò incensi, & inflammati, ut nequeant fluminibus obrui, aut aquarum inundatione exstingui. Nam verba illa Cant. 8. num. 6. *Lampades eius, lampades ignis*, sic vertit Tigurina. *Cuius carbones sunt igniti à flamma Dei.* Vatablus autem explicat, *ut prunæ adurunt, ita & amor.* Regia, *prunæ eius, prunæ ignis.* Legè, quæ suprà adnotavi de voce *reseph* num. 22. & 24.

Tantùm restat ut germanam, & litte- 266
ralem horum verborum Moysis explicationem ad Apostoli contextum accõmodemus; quod facili negocio fiet. *Non vos defendentes*, inquit, hoc est, *non vos ulciscentes*, vel, ut legit Cassianus collatione 16. cap. 27. *Non vos metipsos vindicantes, sed date locum iræ*, idest, ne statim calore iracundiæ perturbati stomachum erumpite: moram potiùs aliquam interponite: cedite tantisper, ardor iræ brevi defervescet.

267 Hæc tamen Moysis verba ab Apostolo in huius sententiæ confirmationem allata, Græcos Patres in eam intelligentiam compulerunt. Nam ubi dixit, *Date locum iræ*, continuò quasi rationem subiecit, *scriptum est enim, mihi vindicta, & ego retribuam*: sed ea verba sapientissimè, & eo, quem explicamus, sensu, idest, litterali, citata sunt ab Apostolo. Sēsus enim est Mei iuris est, ulcisci iniurias; ad me pertinet vindicta, & ultio. Meæ partes sunt; meum munus est, sceleratos punire; vos ergo date locum iræ; tenete iracundiam, ne illa effervescentes, ac vestras iniurias vindicantes, meum mihi munus præripiatis; ne supremi Iudicis officium vobis arrogetis; ne ulciscendi partes, quæ prorsus divinæ sunt, temerè vobis assumatis.

Iuxtà est dies perditionis, & adesse festinant tempora.

268 VAlidissimum telum est à Prophetis identidem vibratum ad per terre faciendos impios, illisq; suum interitum adventantē, atque adeò iā, iamque instantem, ob oculos ponendum. Ierem. 48. num. 16. *Propè est interitus Moab, ut veniat, & malum eius velociter accurret nimi.* Et eisdem ferè verbis, Isai. 13. num. 6. Ioel autem, cap. 1. num. 15. *A, à, à, diei, quia propè est dies Domini, & quasi vastitas à Potente veniet.* Ezechiel. 7. num 7. *Venit tempus, propè est dies occisionis.* Et cap. 21. num 25. *Tu autem prophane, impie dux Israel, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita.*

269 Atque in hoc extremo testimonio illud est obseruandum, supplicij diem suam trahere maturitatem, opportunitatem, ac præfinitionem, ex cumulo peccatorum, ex impleta iam mensura scelerum, quam diuini consilij inscrutabilis altitudo disposuit ad supplicium inferendum. Verè enim ipsa peccata effundendæ iracundiæ diuinæ, ac sumendæ vindictæ tempus accelerant. Et quemadmodùm humilis pœnitentia, etiam post intentatum, destinatumque diuinitus mortis diem, prophetia videlicet comminatoria, solet vitæ spatia ad multos etiā annos prorogare, ut constat in Ezechia. 4. Reg. 20. & Is. 38. sic peccata cumulata peccatis, etiam ante tempus, conditionato nimirùm decreto diuinitus præfinitum, dictamque, ac præstitutam supplicio diem, supplicium ipsum præpropera, ac præcleri festinatione maturant. Ezech. 22. num 4. *Appropinquare fecisti dies tuos, & adduxisti tempus, &c.* Verba illa Iob. 15. num 33. *Lædetur quasi vinea in primo flore botrus eius.* Sic extulerunt LXX. *Vindemietur ante horam, sicut acresta. Sea vendimiado en agraz, sin sazon, y antes de tiempo.* Et eodem sensu, diversa licèt metaphora, Regius Vates Psalm. 57. 270
n. 9. *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viventes, sic in ira absorbet eos.* Ducta videlicèt similitudine ab agricola, qui succrescentes in arvis spinas, licèt adhuc teneriores, antequàm prorsus obdurescant, suffocantes nihilominùs segetes, radicitus evellit, & cum indignatione quadam in ignem conijcit. Vbi *intelligere*, est augeri, & confirmari. Rectè itaque transtulit Symmachus. *Priusquàm augeantur spinæ vestræ, ut fiant rhamnus.* Est enim rhamnus horridior quædam, ac durior spina sylvestris, qua vineta sepiri, & vallari solent. Hispanè. *Çambronera.* Hoc ipsum sine ullis ambagibus legimus. Psal. 54. numer. 27. *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Quod confirmat notabile exemplum adolescētis duo deviginti annos nati, qui subitò incanuit in patibulo, ipsaque facies rugis exarata nonagenarium senem exhibuit; refert Lorinus Ecclesiast. 7. num. 18. & Bisciola. Tom. 1. l. 17. cap. 9. Horarum subcesivarum.

In huius rei confirmationem per illus- 271
tre peti potest testimonium ex historia libri Genes. nam cap. 6. n. 3. dixit Deus, *Eruntque dies illius centum viginti annorū.* Quę verba, ut cōcors fert doctiorum expositorum sententia, non ad hominum

vitam

vitam deinceps futuram, referenda ſunt, quaſi ea annos centum viginti tranſgreſſura non eſſet; nam, ut obſervavit Auguſtinus lib. 15. de Civit. cap. 24. etiam poſt diluvium, nonnullos quingentos exceſsiſſe annos, invenimus; ſed ad ſpatium temporis conceſſum hominibus ante diluviū, videlicèt ad agendam pœnitentiam, placandum cæleſte numen, divinamque irā impendentem avertendam: verùm quia perverſi illi homines ſcelera ſceleribus cumularunt, & pœnitentiam agere cōtempſerunt, noluit Deus tempus exſpectare præſtitutum, ſed viginti annorum ſpatijs amputatis, anno centeſimo agendę pœnitentię deſtinato, diluviū maturavit. Hęc eſt expreſſa ſententia Hieronymi, in Traditionibus Hebraicis, & Chryſoſtomi homil. 25. in Geneſ. lege, quæ adnotavi ſuprà, ad illa verba num 4. *& abſque ulla iniquitate*. Sed non poſſum pręterire egregia Theodoreti verba in cap. 22. Ezechielis. [Tempus certa quadam menſura pręfinitum, ſecundum divinam longanimitatem, iniquitas amplior effecta, contrahit: quod etiam factum fuiſſe Noe tempeſtate videre licet: cùm enim centum, & viginti annorum tempus hominibus illis, qui tunc vivebant, ad pœnitentiam præfiniſſet, conſpicatus eorum impietatem augeſcere, præfinitum tempus illud contraxit, & anno centeſimo per diluvium ſupplicium illis inflixit.] Hactenus Theodoretus.

272 Collegerunt hanc doctrinam Patres, ſupputatione accuratè ſubducta ex ipſo ſacro textu: nam Geneſ. 5. num. 31. dicitur Noe genuiſſe Sem, *cùm quingentorum eſſet annorum*. Procreato ergo, & in lucem edito Sem, facta eſt illa promiſsio differendi ſupplicium per centum, & viginti annos. Geneſ. 6. num. 3. Diluvium verò inductum eſt ſuper terram anno ſexcenteſimo vitæ Noe. Geneſ. 7. num. 6. *Eratque ſexcentorum annorum, quando diluvij aquæ inundaverunt ſuper terram*: quòd ſi ea verba locutus eſt Deus, cùm iā Noe quingentos annos natus eſſet, diluvium autem evenit anno ſexcenteſimo vitæ illius: ubi ſunt igitur alij viginti anni? imò ſi res exactiùs ad calculos revocetur, rotundare Moyſes numerum voluit, cùm aſſeruit Noe ſexcentos annos diluvij tempore natū eſſe; duo enim anni adhuc deſiderabantur ad hunc explendum numerū; ut perſpicuè mihi ſubducere videor ex ipſa Scriptura ſacra. Noe enim genuit Sem cùm quingentorum eſſet annorum, Geneſ. 5. num. 31. Sem verò non attigit centeſimum annum, niſi biennio poſt diluvium: Geneſ. 11. num. 10. *Sem erat centum annorum, quādo genuit Arphaxad biennio poſt diluvium*: cùm ergo diluvium opplevit, & vaſtavit terram, nondum Noe ſexcenteſimum annorum numerum expleverat.

Numerus 36.

Iudicabit Dominus populum ſuum, & in ſervis ſuis miſerebitur.

(?)

273 EXtat hîc verſus totidem omnino verbis, & in textu Hebraico, & apud LXX. Pſal. 134. num. 14. & utrobique Expoſitores miro conſenſu verbum illud *iudicabit*, benignam in partem interpretantur; ut idem ſit, ac ſuo præſidio defendet, patronum aget, ne cauſa cadant, ſecundum illos ſententiam feret, illatam vim æquiſsimo iudicio propulſabit, atq; adeò ſui populi hoſtes ulciſcetur. Hanc vim ſæpè habet in ſacra Scriptura, *iudicandi* verbū, Geneſ. 30. n. 6. *iudicavit mihi Dominus*, ideſt, benignè mihi proſpexit, liberos, qui iure debentur uxori, tandem mihi attribuit. Pſalm. 25. num. 1. *Iudica me Domine, quoniā ego in innocentia mea ingreſsus ſum*. Pſalm. 53. num. 1. *Deus in nomine tuo ſalvum me fac, & in virtute tua iudica me*. Vbi Pſalterium Romanū legit, *libera me*. Pſal. 71. num. 4. *iudicavit pauperes populi, & ſalvos faciet filios pauperū, & humiliabit calumniatorem*.

Sed

274 Sed miror, nullum interpretem obſervaſſe, Apoſtolum ad Hebræ. 10. nu. 30. hæc ipſa Moyſis verba in eam ſententiam citaviſſe, ut ex illis Deum efficeret, ſceleratos acriter vindicare. Itaque minimè dubius ita explico, *iudicabit*, ideſt, puniet, mulctabit, ſupplicio afficiet populum ſuum. Hanc etiam vim ineſſe *iudicandi* verbo, obſervat Maldonatus ad illud Ezech. 7. numero 3. *Iudicabo te iuxta vias tuas*, & Ribera Habac. 1. num. 48.

275 Et quanvis huic explicationi obſtare prima fronte videatur, quod hîc cõtinuò ſubnectitur; mirificè tamen cohęret; ſenſus enim eſt. Sumet quidem ſupplicium Deus de populo ſuo, & Gentilibus, tanquam indignationis virga, ad ſervos ſuos verberandos abutetur; ſed pro inſita ſua clementia, paternaque benignitate, ad primos plagarum crepitus, ad editos afflictorum clamores, ad expreſſas miſerorum lacrymas, illico miſericordia flectetur. *Et in ſervis ſuis miſerebitur.* Subeſt Hebraicè *Niham*, quod verbum in coniugatione *Niphal*, & *Hithpael*, ſignificat, *mutare conſilium.* Numer. 23. num. 19. *Facti pœnitentia duci.* 1. Reg. 15. num 35. Iudicum. 21. num. 15. *Conſolari*, paſsivè. Geneſ. 37. num. 35. & Pſalm 118. num. 52. Itaque ſcitè verterunt hîc. LXX. *Paraclethesete, in ſervis ſuis conſolabitur.* Amphibologiam ſuſtulit Tigurina. *Se ſolabitur.* Perinde quaſi doleret, ac mœreret Deus de ſupplicio, quod coactus intulerat, & ſolatium caperet mutatione conſilij, factique pœnitentia. Atque hoc ſenſu citarunt iſtum verſum ſtrenuiſsimi illi Machabæi, crudeliſsimis cruciatibus excarnificati. 2. Machab. 7. num. 6. *Deus aſpiciet veritatem, & conſolabitur in nobis, quemadmodum in proteſtatione Cantici declaravit Moyſes, & in ſervis ſuis conſolabitur.*

276 Vulgatus tranſtulit idem verbum in illo Pſalm. 134. num. 14. *In ſervis ſuis deprecabitur*: eodem videlicet ſenſu, quem expreſsit in ſua trãslatione Hieronymus, *in ſervos ſuos erit placabilis.* Chryſoſtomus, *exorabilis.* Chaldæus, *ad ſervos ſuos convertetur in miſerationibus ſuis.* Ab hac etiam radice Hebraica, ſunt illa Ioel. 2. num. 13. *Præſtabilis ſuper malitia.* LXX. *Pœnitens ſuper malitijs.* Cyprianus ſermone 5. de lapſis, *qui ſententiam flectat adverſus malitiam.* Hinc etiam eodem verbo, Exod. 32. num. 12, *Eſto placabilis ſuper nequitia populi tui.* Hebraicè. *Pœniteat te ſuper malum populi tui.* Et num. 14. *Placatuſque eſt Dominus, ne faceret malum.* Hebraicè. *Pœnituitque Dominum ſuper malum.*

Videbit, quòd infirmata ſit manus, & clauſi quòque defecerunt, reſiduíq; conſumpti ſunt.

277 EX benigno divinorum oculorum coniectu in eorum miſeriam, inde videlicet, tanquam ex fonte, redundabit in eos miſericordia. Exod. 3. num. 7. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & ſciens dolorem eius deſcendi, ut liberem eum.* Multum petebat humilis illa vox, Pſal. 24. num. 18. *Vide humilitatem meam, & laborem meum.* Threnor. 1. num. 11. *Vide Domine, & conſidera, quia facta ſum vilis.* Hinc illa gratiarum actio, Pſalm. 30. num. 8. *Quoniam reſpexiſti humilitatem meam, ſalvaſti de neceſsitatibus animam meam.*

278 Videbit ergo Deus, *quòd infirmata ſit manus.* Hebraicè, *quòd abierit manus.* Expreſsit Tigurina, quid manus nomine in Scriptura intelligatur, *nam videbit vires eorum abeſſe.* Delrius Adagio 77. *Quòd ſit ſine manu, quòd nihil poſsit.* Vt Levit. 25. num. 35. *Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu.* Eſt itaque *abire, ac defluere manum*, uſque eò vires illorum enervatas, & deiectas eſſe, nervos adeò inciſos, ut præ imbecillitate manus attollere vix poſſint. Idque optimè expreſserunt LXX. *Vidit enim diſſolutos eos, & deficientes in obductione, & remiſſos.* Atque ut lucem

affe-

afferamus obſcuræ voci; *obductio*, Græcè, *epagoge*; propriè illatio eſt, ſive inflictio calamitatum, & pœnarum: & quia illarum incurſione, quaſi cæca, & obſcura nebula vitæ ſerenitas, & tranquillitas obducitur, *obductio* ab interprete nominatur. Eccleſiaſt. 2. num. 2. *Ne feſtines in die obductionis*, ideſt, ingruente calamitate, patienter ſuſtine, & longanimiter expecta a Dei opem, ne per impatientiam ab ea liberari citò quæras. Et cap. 5. num 10. *In die obductionis, & vindictæ.* Eadem Græca vox redditur ab interprete *plagâ.* Eccleſiaſt. 23. num. 12. & cap. 25. num. 18. & *oppreßio*, cap. 40 num. 10.

279 Sed mirum eſt, quàm ſe torqueant interpretes in extremis huius verſiculi verbis explicandis. Neque vacat, neque lubet ſingulorum expoſitiones recenſere. Fluxit tam diverſa ſententiarum varietas ex ignoratione Hebraici proverbij, in arcano ſermone vulgatiſsimi; quod valde miror fugiſſe etiam accuratam Delrij, in colligendis ſacris adagijs, diligentiam. Hebraica ita exprimas verbum è verbo, ut expreſsit Vatablus. *Quod non ſit clauſus, & derelictus.* Iſidorus Clarius. *Finis clauſi, & derelicti.* Quo adagio ſacro extrema vaſtitas, crudeliſsima internecio, atque omnimoda prorſus extinctio denotatur; in qua nullus ſit ſuperſtes, ne ex illis quidem, qui vinculis conſtricti carcere clauduntur, aut ſenio confecti, vel morbo exhauſti etiam à ſæviſsimis hoſtibus pro derelictis prætermittuntur. Referam duntaxat locum præſenti quàm ſimillimum 4. Reg. 14. num. 26. *Vidit enim Dominus afflictionem Iſrael amaram nimis, & quòd conſumpti eſſent uſque ad clauſos carcere, & extremos.* Hebraicè, *& non clauſus, & non derelictus.* Sic 3. Reg. 14. nu. 10. & cap. 21. num. 21 & 4 Reg 9. num. 8. variat Latinus in his locis, & modò *noviſsimum* vocat, modò *ultimum.* Qui conſtanter dicitur *derelictus* in Textu Hebraico.

(:?:)

Numerus 37.

Et dicet, ubi ſunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam.

280 NOn probo ſententiam Abulenſis, & Vatabli, qui hæc irriſionis verba Iſraelitici populi hoſtibus adſcribunt: cum ſcilicet viderunt Iudæos ſuis viribus devictos, & ad extremam vaſtitatem redactos. Aptiùs hæret totus contextus, ſi pertexat Moyſes, quod aliquantulùm interruperat, minas videlicet intentatas à Deo in Gentiles, ſanguinarios ſui populi hoſtes; tum ob ferociam, & inſolentiam, qua in ſubiectos præter modum ſævierunt; tum ob incredibilem iactantiam, qua partam victoriam ſuis viribus arrogarunt. Cùm ergo tactus affectu miſericordiæ, miſerum populum ſublevaverit, arrogantes verò, ſibique præfidentes, in eaſdem calamitates, ac multò etiam atrociores cõiecerit, tunc nimirùm Deus ipſe, non ſine irriſione, & amarulento ſarcaſmo, perculſis illudet, proſtratis inſultabit, vanorumq; numinum impotẽtiam illis obijciet. Lege, quæ ad notavi numero 26. ad illa verba: *dixi, ubi nam ſunt?* Et numero 27. *Et dicerent, manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia.*

281 Moveor autem, præter aptam connexionem, totius ſententiæ filum ſerie continuata ducentem, quia expreſſè LXX. afflatu nimirùm Spiritus ſancti addiderunt de ſuo ad Hebraicum textum verbi ſuppoſitum: legunt enim, *& dixit Dominus, ubi ſunt Dij eorum?* Moveor deinde, quia etiam, cùm ſimilis irriſio gentibus attribuitur, non ſolet nomen Dei numero multitudinis efferri 4. Reg 18. numero 35. Iſaiæ 36. numero 20. & 2. Paralip. 32 numero 17. Pſalm. 78. num. 9. Pſal. 41. num. 11. Ioel. 2. num. 17.

282 Moveor tertiò, quia hîc additur num 38. *De quorum victimis comedebãt adipes:* id, quod

id, quod Israelitis erat severissimè prohibitum usque adeò, ut secùs facere, capitale esset. Levit. 3. num. 16. *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo, nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis.* Et cap. 7. num. 25. *Siquis adipem, qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo.*

Moveor denique, quia eodem numero 38. continuò adiungitur, *& bibebant vinum libaminum.* Et quanvis Israelitæ in quibusdam sacrificijs certam vini mensuram Domino libarent, ut constat Exod. 29. num. 40. cap. 30. num. 9. Numer. 15. num 5. num. 7. & 10. cap. 28. nu. 7. & 14. Ecclesiast. 50. num 16. Oseæ. 9. num 4. tamen, ut ipse etiam fatetur Abulensis, interdictum illis erat, vinum libaminum haurire; totum enim effundebatur. Vnde crebra illa locutio, *vinum ad liba fundenda.* Deducit hoc ex Hebraicę vocis proprietate Ribera lib. 4. de templo cap. 8. & Ioel. 1. num. 24. & apertissimè constat in aqua illa, quam David tantopere expetierat, cùm enim, ut appetitioni suæ frenum inijceret, nollet gustare, libavit eam Domino. 2. Regum 23. num. 16. & 1. Paralip. 11. num. 18.

283 Porrò illud frequentissimum est in Scriptura, idola gentium, vel eò nomine carpere, ac vellicare, quòd cultoribus suis in angustum deductis opem ferre minimè possint. Isai. 44. num. 9. *Plastæ idoli omnes nihil sunt, & amantissima eorum non proderunt eis.* Ierem. 2. num. 28. *Vbi sunt Dij tui, quos fecisti tibi? surgant, & liberent te in tempore afflictionis tuæ;* & cap. 11. num. 12. *Clamabunt ad Deos, quibus libant, & non salvabunt eos in tempore afflictionis eorum.* Lege eruditissimum Guevaram ad illa verba Habacuc. 2. numero 18.

Quid prodest sculptile? &c.

Numerus 38.

De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum: surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.

Hic versus totus ferè explica- 284
tus, & exemplis similis irrisionis illustratus est numero superiore; duo duntaxat observanda supersunt. Primum est, interdictum quidem esse Iudæis, pœna capitis proposita, adipibus vesci: sed id de adipibus victimarum duntaxat intelligendum esse; nam alioqui adipalia, pinguia, & medullata in cõvivijs adhibere, & in delicijs, ac summis bonis numerare soliti sunt. In hoc ipso Cantico, numero 14. *Cum adipe agnorum, & arietum.* Psalm. 62. num. 6. & Ezech 39. num. 19. præclaræ inde ducuntur similitudines, *sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea; comedetis adipem in saturitatem.* Gentilibus autem solenne erat lectissima quæque, ac pinguissima de victimis immolatis ad convivia celebranda seligere. Vide Riberam, in id Apocalyp. 2. num. 14. *Mittere scandalum, &c.* Et Lorinum Act. 15. num. 20. *Vt abstineant se à contaminationibus simulacrorum.*

Alterum est: frequentissimum etiam 285
fuisse Gentilibus in suis compotationibus, nõ modò in sacrificijs, generosa vina libare simulacris; deinde verò ex libata patera securè, largiterq; haurire. A Egrè adducor, etiã cùm ipsius sacrę Scripturę explicatio requirit, ut nostros commentarios prophanis historicorũ, aut poëtarum testimonijs inferciam; libentiùs digitum ad fontes intendo, relêgoque Lectorem ad viros eruditissimos, qui hæc per otium congesserunt. Quale itaq; futurum esset vinum sacrandum Dijs, quo ritu, qua cæremonia, quibus verbis conceptis libare-

tur

286 tur, tractat copioſè Briſſonius lib. 1. de formul. pag. 29. & 30. Quàm verò largè, & hilarè ſe proluerent, atq; ingurgitarẽt in convivijs libato mero, probat eruditionis apex Lipſius, lib. 3. antiquarum lectionum, cap. 1. & lib. 5. Poliorceticon. dialog. 10. & Turnebus lib. 24. adverſariorum cap. 35. & 40. & lib. 11. cap. 7. noſterque Pontanus ſæpe in ſuis ſymbolis 1. AEneid. col. 810.

Dixit, & in menſa laticũ libavit honorẽ.
Ille impiger hauſit
Spumantẽ paterã, & pleno ſe proluit auro.

Et lib. 3. columna 1050.

Aulai in medio libabant pocula Bacchi.

Et lib. 8. col. 1737.

In menſam læti libant, Divoſque precãtur.

Numerus 39.

Videte, quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me.

287 HEbraicè ſubeſtillativa particula *Hãta*, ideſt, *nunc*: quæ, ut obſervat Maſius Ioſue 1. verſu 2. & Agellius Pſalm. 2. num. 10. ex frequenti Scripturæ uſu non tam temporis ſignificationem in pleriſque locis habet, quàm illationis, & conſequẽtiæ; ut in eo loco Pſalmi. *Et nunc Reges intelligite*, ideſt, igitur ô Reges, tãdem aliquando ſapite. Atque ita efferre ſæpe ſolet hanc vocem ipſe Latinus interpres, ut illi inferendi, & concludendi vim attribuat. Geneſ. 3. num. 22. *Nunc ergo &c.* Hebraicè *& nunc*. Proverbio. 5. num. 7. *Nunc ergo filiimi*. Hebraicè *& nunc*. Sic etiam cap. 8. num. 32. Itaque potuiſſet rectè Vulgatus in iſto loco Hebraicam illationem exprimere, ut expreſsit Tigurina. *Videte igitur, quòd ego ſim ſolus.* Quaſi dicat: ex his igitur, quæ me geſsiſſe videtis, ſeriò animum advertite, & tandem intelligite, nullum eſſe præter me Deum.

288 Luculentum ex iſto loco peti poteſt teſtimonium ad Dei unitatem ſtabiliendam, cui veritati omnes Scripturæ fidem faciunt. Actum agerem, ſi loca congererem, videantur, præter cætera, Deuter. 4. num. 35. & 39. Iſai. 45. num. 5. num. 6. num. 14. num. 21. & 22. Illud fortaſſe minus perſpicacem lectorem prætervolaret, hoc ipſum diſertè contineri in illo Divinitatis elogio, toties inculcato ab Iſaia. cap. 41. num. 4. *Ego Dominus primus, & noviſſimus ego ſum*. Et cap. 48. num. 12. *Ego ipſe, ego primus, & ego noviſſimus.*

Mirum eſt, quantam explicationum varietatem hæc pauciſsima verba peperierint. Forerius periphraſim exiſtimat eſſe æternitatis: perinde ac ſi Deus diceret: antequàm quidquam eſſet, ego iam eram; & poſtquàm omnia interierint, vel etiam ſi omnia finiantur, ego nihilominùs ero. Oſorius. [Ego cuncta numine meo, atque poteſtate complector: ego ſum cuius vi, & rerum initium, & finis ultimus continetur.] Hector Pintus. [Ego ſum rerum omnium principium, à quo cuncta fluxerunt; ego finis, in quem inſita cupiditate ferũtur.] Arias Montanus. [Ego ſum, qui prima vobis contuli beneficia; & qui in noviſsimis etiam diebus promiſsiones Patribus factas fideliſsimè præſtabo.] Alij denique: ego ſum, qui quondam benignitate mea complexus ſum eos, qui ſe ſe mihi commiſerunt: & in poſterum nunquã eos, qui ſe in meam fidem contulerint, ope mea ſingulari deſtituam.

289 Ego exiſtimo hunc Hebraiſmum ſpectare ad falſos, fictitioſq; Deos excludendos: ita ut *primus, & noviſsimus* idem prorſus ſit, atque *unicus, & ſolus*. Ex Hebraiſmo fluxit Hiſpaniſmus, quo præſens locus inſigniter illuſtratur. Si enim ex noſtro collegio, toto anno ſuperiore unus duntaxat è vivis exceſsiſſet, vulgari idiomate diceremus, *Fue el primero, y el poſtrero, que murio*, ideſt, nullus alius obijt. Atque hanc eſſe germanam huius locutionis intelligentiam, apertè videre mihi videor in uno Iſaiæ teſtimonio, obſcurèque ſubodorari in altero. Primum eſt cap. 44. num. 6. *Ego primus, ego noviſsimus, & abſq; me non eſt Deus. Yo ſoy el primero, y el poſtrero, y no ay otro Dios fuera de mi.* Alterũ eſt

cap

cap. 43. numero 10. *Ante me non est formatus Deus* (ideſt, ego ſum primus,) *& poſt me non erit,* (& ego noviſsimus) *Ego ſum, ego ſum Dominus, & non est abſque me ſalvator.*

Ego occidam, & ego vivere faciam; percutiam, & ego ſanabo; & non est, qui de manu mea poſsit eruere.

290 EVidentiſsimum hoc eſt, etiam apud barbaras nationes Divinę poteſtatis argumentum. Vide Lambinum in Horatium lib. 1. ode. 34. *Valet ima ſummis mutare, & inſignẽ attenuat Deus, obſcura promens.* Itaq; deprimere arbitratu ſuo eos, qui ſibi non parent: & itidem, cùm reſipiſcunt, eoſdem rurſus attollere: modò ſuum populum, à recto tramite deflectẽtem, per hoſtes punire: modò in eoſdem hoſtes, plus nimio victorijs elatos, animadvertere: nec ullum omnino eſſe, qui ſe audeat interponere, qui valeat obſiſtere, & ultricem dexteram avertere, aut retardare; id verò proculdubiò ſolius Divinitatis eſt. Hoc illa argumento manifeſtiſsimè proditur. Iſai. 45. num. 6. *Vt ſciant hi, qui ab ortu ſolis, & qui ab occidente, quoniam abſque me non eſt. Ego Dominus, & non eſt alter formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum.* Legit Tertullianus lib. de fuga in perſecutione cap. 3. *Ego ſum, qui facio pacem, & condo mala,* ideſt, *bellum.* In meâ unius manu eſt, implacabili odio imbutum bellum inferre, aut rurſus, cùm mihi lubet, hoſtiles animos placare, & in concordiam adducere. Sapientiæ 16. num. 13. *Tu es enim Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis, & reducis*, ideſt, pro tua omnipotentia conijcis in præſentiſsima mortis diſcrimina, & omni ope deſtitutos, ad tuamq; miſericordiam ſuppliciter confugientes, inde benigniſsimè liberas; hæ ſunt in arcano ſermone portæ mortis, vel inferni. Pſalm. 9. num. 15. *Qui exaltas me de portis mortis.* Pſalm. 106. num. 18. *Appropinquaverunt uſque ad portas mortis.* Iſaiæ. 38. num. 10. *Vadam ad portas inferi.*

Hinc etiam confirmavit Anna, quod initio ſui cantici propoſuerat. 1. Reg. 2. n. 2. *Neq; enim eſt alius extra te, & non eſt fortis, ſicut Deus noſter.* Quia videlicet, *Dominus mortificat, & vivificat: deducit ad inferos, & reducit*, ibi num. 6. Hinc concluſit Tobias cap. 13. num. 2. *Non eſt, qui effugiat manum tuam*, quod hîc etiam concludit Deus, *non eſt, qui de manu mea poſsit eruere.* Et intulit etiam Sapiẽs in illo capite 16. num. 15. *Tuã manum effugere, impoſsibile eſt.* Tobiæ autem propoſitio fuit cap. 13. num. 1. *Magnus es Domine in æternum, quoniam tu flagellas, & ſalvas: deducis ad inferos, & reducis.* 292

Enim verò relucet etiam in hac viciſſitudine indulgentiſsimi patris in caſtigando clementia; qui & ſi perſonam iraſcentis aſſumat, ad primos tamen verberum ictus, ad excuſſas præ dolore filij lachrymas, ducitur affectu humanitatis, cupiens, ut converſus emendetur, & vivat. Thren. 3. num. 32. *Quia ſi abiecit, & miſerebitur ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum; non enim humiliavit ex corde ſuo. No le ſale a Dios de coraçon el afligirnos: hazelo violentado.* Non eſt illi cordi punire, imò ſuppliciũ infert *tactus dolore cordis intrinſecus.* Geneſ. 6. num. 7. non punit ex animo, ſed coactus noſtris ſceleribus; nihil autem violentum durare diu poteſt. 293

Trium dierum peſtilentiam minatus fuerat Deus. 2. Reg. 24. num. 13. vix tamen de mane uſque ad tempus conſtitutum, offerendi videlicet holocauſta, ideſt, uſque ad veſperam, (ut exponit ibi Vatablus) contagioſa illa lues graſſata fuerat, *& miſertus eſt Dominus ſuper afflictione, & ait Angelo percutienti populum, ſufficit, nunc contine manum tuam:* adeò ut pro tribus diebus, vix unum integrum immiſerit peſtem. *Nunquam enim à nobis miſericordiam ſuam amovet.* 1. Machab. 6. nu. 16. 294

291

Corripiens verò in adversis populum suum non derelinquit. Iob. 5. num. 18. *Quia ipse vulnerat, & medetur; percutit, & manus eius sanabunt.* Tobiæ. 13. num. 5. *Ipse castigavit nos propter iniquitates nostras, & ipse salvabit nos propter misericordiam suam.* Oseæ. 6. numero 1. *Venite, & revertamur ad Dominum, quia ipse cepit* (quasi Leo videlicet infixo ungue, dente vè fugientes apprehendit, ibidem cap. 5. numero 14.) *& sanabit nos: percutiet, & curabit nos.* Non enim Leonino more ideò capit, ut discerpat, famem exsaturet, sanguinem exsorbeat: nō devorare nos vult, sed prædam sibi facere; captos ergo, & in suam redactos potestatem ille ipse, qui ut caperet, vulnus inflixit, vulnus ipsum benignè curabit, fovebit, linteolisque alligabit: ut ex Editione LXX. & Hebraico textu, probat ibi Ribera.

Numerus 40.

Levabo ad cœlum manum meam, & dicam, vivo ego in æternum.

295 CErtum est in Scriptura Deū sæpissime ea, quæ hominibus annūtiat, interposita gravissima iuris iurandi fide, confirmare. Quanvis enim illa, hoc ipso, quòd asseruntur à Deo, divina nitātur veraçitate; humanæ tamen imbecillitati sese accommodans, iuramenti usurpatione eamdem suam auctoritatem rursus interponit. *Ut per duas res immobiles* (ut loquitur Paulus ad Hebræos 6. numero. 18. nimirùm immobilitatem consilij sui, & ius iurandum,) *quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.*

Cùm minas etiam peccatoribus iactat, iurat item Dominus, ut, si non credunt comminanti, iuranti certè fidem habeant: ut observavit Hieronymus ad illud Amos 8. nu. 7. *Iuravit Dominus in superbiam Iacob.* Et verò scriptum accuratissimè est de Dei iuramēto à nostris Theologis. Videātur Maldonatus in id Ps. 109. num. 4. *Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum.* Pererius tom. 3. in Genesim, ad illa verba capitis. 22. num. 16. *Per memetipsum iuravi.* disp. 12. Lorinus Actuum 2. versu 30. *Et sciret, quia iure iurando iurasset illi Deus.* Bellarminus Psal. 131. num. 11. *Iuravit Dominus David veritatem.* Ribera ad Hebræos 6. num. 56. *Quoniam neminem habuit, per quem juraret, maiorem.* Et Amos 6. num. 28. *Iuravit Dominus Deus in anima sua.* Prado Ezech. 5. versu 11. *Vivo ego, dicit Dominus.* Castro. Ierem. 4. num. 3. *& iurabis, vivit Dominus.*

Porrò manum in cœlum levare, in sacro sermone, ritus iurantis est, Genes. 14. 297
num. 22. *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum, &c.* Atque hinc illustrātur illa verba Exod. 6. num. 8. *Et induxerim in terram, super quam levavi manum meam, ut darem eam Abraham.* Danie. 12. num. 7. *Cùm elevasset dexteram, & sinistrā suam in cœlum, & iurasset per viventem in æternum.* Apoc. 10. num. 5. *Levavit manum suam ad cœlum, & iuravit per viventem in sæcula sæculorum.* Pete alia exēpla ex Maldonato Ezech. 36. numero 7. & cap. 44. numero 12. Salmerone tomo 1. prolegomeno 15. regula 32. Serario lib. 1. in Iosue cap. 3. quęstion. 25. Magalliano. 1. Timoth. 2. versu 8. Pineda Iob. 26. versu 9. Prado Ezech. 20. versu 5. Ribera Zachar. 2. nnmero 21. Delrio Adag. 16.

Formula autem iurandi varia, & 298
multiplex Deo est; sed illa omnium frequentissima, quam usurpat Deus in hoc loco, *vivo egò in æternum*: perinde ac si dicat: tam verum est, quod affirmo, quàm me esse Deum viventem; eòdem recidunt illa Ierem. 51. numero 14. & Amos 6. numero 8. *Iuravit Dominus exercituum per animam suam*, idest, *per vitam suam.* Sensusque est, nolo haberi Deus vivens, si, quod dico, verum non est.

Quod autem Deus in hoc loco iurat se facturum, sequentibus versibus explicatius continetur. Summa est; Israeliticum populum, sua culpa in extrema mala prolapsum, erecturum se nihilominus, ac sublevaturum esse; illius verò hostes, insolentia elatos, & in miserorum cæde bacchantes, depressurum.

Numerus 41.

Si acuero, ut fulgur, gladium meum.

299 INterpretatio illa, quæ affirmat, in his verbis nō adisci cō ditionem aliquā, sed fixam, & absolutam iuramenti materiam contineri, patronos habet LXX. qui ita locum reddiderunt. *Vivo ego in sæculum, quia exacuam, ut fulgur, gladium meum.* Confirmariq́ue hæc explicatio potest ex Vulgari Hebraismo. Vti enim solet Scriptura particula *si*, post iuramentum, oratione videlicet suspensa, concisaq́ue manente. Ac ne longè abeamus; sed ex iure iurando divino petamus exempla: duo clarissima suppetunt: Psalm. 88. numero 36. *Semel iuravi in sancto meo, si David mentiar.* Et Psal. 94. n. 11. *iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.*

300 Sed hi Auctores nō animadvertūt id, quod doctè observavit Ribera Amos. 8. nu. 21. *Si* cū verbis iurandi vim habere expresse negationis, sive suspensa maneat oratio, & aliquid intelligendum sit ad illam explendam, sive id ipsum, quod aliàs reticetur, disertis verbis exprimatur. Itaque in duobus allatis testimonijs, *Si David mentiar*: idem est, atque omnino non mentiar. *Si introibunt in requiem meam*, id-est, prorsus non introibunt. Hæc autem observatio constans est, atque perpetua in omnibus iuramentis. 1. Reg. 25. num. 22. & cap. 14 numero 45. Amos 8. numero 7. Psalm. 136. num. 5. Marci. 8. numero 12.

301 Quòd si in hoc etiā loco, particula illa *si*, non conditionē continet, sed materiā iuramēti, cōtrario omnino sensu exponēda est: perinde ac si dicat Deus. *Vivo ego in æternum, non exacuam ut fulgur, gladium meum.* LXX. verò conditionem ipsam affirmatè expressērunt, cœlesti videlicet afflatu prospicientes, eam certissimè affuturam. In Hebraico autem textu, Editione 302
neque Latina, terror est in speciem conditionatus, sed simpliciter absolutus; ac si vir strenuus iniurijs lacessitus ab hoste, & certus ulcisci suum honorem violatum, ita comminetur: vivit Dominus, si strinxero gladium meum, experietur ille suo malo, quem nunc impunè lacessat: sensus enim est, cùm strinxero gladium meum: eaque apposita conditione solùm denoratur, nondum opportunam ulciscēdæ iniuriæ maturitatem advenisse.

Neque verò insolens est in Scriptura dici Deum suæ iustitiæ gladium exacuere Psalm. 7. numero 13. *Gladium suum vibrabit.* Hebraicè. *Iiltos*, ideſt, *exacuet.* Ita Genebrardus, Pagninus, & Regia. Agellius, *Exacuendo vibrantem, ac fulgentem reddet.* Nec enim minùs certum est, gla- 303
dium diligenter exacutum, tersum, & expolitum, instar fulguris coruscare: utrumque verò præstat Deus ultori suo gladio. Ezech. 21. numero 9. *Gladius, gladius exacutus est, & limatus: ut cædat victimas, exacutus est: ut splendeat, limatus est.* Et numero 19. *Glady acuti, & limati ad fulgendum, &c.* Vt sic videlicet exacuta ferri acies, à sole collucens, ac vibrans, perstringat oculos, animū perterrefaciat, & ante inflictum vulnus, vulneris horrore percellat. Hinc apud Poetas enses fulminei, micantes, aut flammivomi sæpe nominantur: & multò luculentiùs in Scriptura. Genes. 3. num. 24. Nahum 3. numero 3. Iob. 20. numero 25. & Habac. 3. numero 11.

Et arripuerit iudicium manus mea.

Recta è omnino iudicium cum gladio 304
copulatur. Est enim gladius vagina vacuus apud plerasque Gentes insigne iudicij; ut eruditè probant Pineda Iob. 19.

versu

versu 29. & Iustinianus ad Romanos 13. numero 4. iudiciumque ipsum quasi distringit, ac defigit gladiū; unde scitè scriptum est. 2. Paralip. 20. num. 9. *Si irruerint super nos mala, gladius iudicij, pestilentia, & fames.* Supplicia enim divinitus illata sunt quasi gladius exacutus, & iudicij dextera in peccatorū viscera infixus. Præclarè itaque monuit Iob in illo capite 19. numero 29. *Fugite ergo à facie glady: quoniam ultor iniquitatum gladius est, & scitote esse iudicium.* Est verò admirabilis huius vocis in arcano sermone fecunditas; quod ad præsens facit institutum, aut iudiciariam potestatem, aut lationem ipsius sententiæ, aut denique supplicium ipsum, punitionemque significat. Itaque *iudicium manu arripere*, est causam decidere, supplicium denuntiare, sceleratos sententiæ mucrone ferire. Hoc ipsum sonat Hebraismus ille crebrò frequentatus. Psal. 9. numero 17. *Cognoscetur Dominus iudicia faciens.* Exod. 12. numero 12. & Ezechi. 30. numero 14. significat enim hæc locutio, Deum velut æquissimum Iudicem digna pro factis supplicia rependere.

Reddam ultionem hostibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam.

305 AD hoc videlicet exacuendus iustitiæ gladius, ad hoc iudicium arripiendum, ut iam diu commerita acerbissima ultio Israelitici populi, vel ipsius Dei potiùs hostibus superbissimis inferatur. Nam ad Dei iustitiam punitricem propriissimè vindicta spectat, suprà num. 35. *Mea est ultio, &c.* gladius autem exacutus est quasi huius iustitiæ satelles, & administer. Vnde iure optimo in sacro sermone gladius ipse Divinus, aut *ultor* nominatur, aut vindictæ socius, & comes attribuitur. Levit. 26. numero 25. *Inducam super vos gladium ultorem.* Sic Iob 19. numero 29. Psalm. 149. numero 6. ad Romanos 13. numero 4.

Neque verò à gladio, atque vindicta secernendum est iudicium; iudicium enim gladium exacuit, exacutumque, & vagina nudatum, ad sumendam vindictam Deo porrigit. Itaque congruētissimè tria hæc, inter se aptissima serie connexa, in hoc unico versu copulantur. Iudicium enim, hoc est, sententiæ mucro, sceleratos priùs causæ discussione, & supplicij denuntiatione feriens, quàm trucidet gladio, ita vindictam antegreditur, perpetuòque illi adhæret, ut vindicta ipsa sæpe iudicium nominetur. Quia videlicet æquissimo sumitur iudicio, & accuratissima divinę Iustitiæ lance exactissimè libratur. Isaiæ. 1. numero. 24. *Vindicabor de inimicis meis.* LXX. *iudicium de inimicis meis faciam.* cap. 34. numero 8. *dies ultionis Domini.* LXX. *dies iudicij Domini*, cap. 35. num. 4. *ultionem adducet retributionis.* LXX. *iudicium retribuit.* Proverb. 6 nu. 34. *non parcet in die vindictæ.* LXX. *iudicij.*

Numerus 42.

Inebriabo sagittas meas sanguine.

307 DIxi multa de divinis sagittis, num. 23. ad illa verba *Sagittas meas complebo in eis.* Nunc eadūtaxat attingam, quæ faciunt ad præsentem locum illustrandum. Non dubium, quin magna hostium interficiendorum strages hac figurata locutione denotetur: abundatque Scriptura similibus tropis; ad repræsentandam horribilem cædem, & carnificinam, terroremq; impijs incutiendum. Isai. 34. numero 5. *Inebriatus est in cœlo gladius meus.* cap 49. numero 26. *Cibabo hostes tuos carnibus suis; & quasi musto, sanguine suo inebriabuntur.* Numerorum 23 numero 24. *Quasi leo erigetur, non accubabit, donec devoret prædam, & occisorum sanguinem bibat.* Ierem. 46. numero 10 *devorabit gladius, & saturabitur, & inebriabitur sanguine eorum.*

308 Huc ſpectat illa elegans cruentę victoriæ exaggeratio, de multorum interpretum ſententia. Pſalm. 109. numero 7. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*, ideſt, tanta edetur hoſtium ſtrages, ut rivi cruoris per vias è vulneribus defluant, victorque Deus cæſorum hoſtium ſanguinem haurire, & illis depreſſis, ipſe caput attollere, glorioſiſsimamque victoriam oſtentare poſsit. Pſalm. 67. numero 24. *Vt intingatur pes tuus in ſanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.* Quaſi dicat: tantus cruor hoſtium effundetur, ut quacumque incedas, pes tuus redundante ſanguine mergatur, & rubeſcat; linguaque canum tuorum eumdem ſanguinem largè ex inimicorum vulneribus effluentem lambat.

309 Sed nulla exaggeratio in hanc ſententiam aut ſignificantior, aut illuſtrior eſt, quàm illa, quę ſumitur ex uvis in torculari calcatis, & expreſsis. Et quidem non ierim inficias, metaphoram illam ita explicari poſſe. Sceleratorum hominum peccata Deum quaſi in torcular conieciſſe, illiſq; calcatis, hoc eſt, eorum fœditate perpenſa iracudiæ Divinę vinum merum expreſsiſſe, ac illud in calice furoris ſui peccatoribus eiſdem propinaſſe. Apocal. 19. num 15. *Ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.* Ierem. 25. num. 15. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis Gentibus.* Pſal. 74. num 9. *Calix in manu Domini vini meri.* Iſaiæ. 51. num 17. *Bibiſti de manu Domini calicem iræ eius.*

310 Pleriſq; tamen Scripturę locis nō quadrat, niſi diverſa metaphora; Deum videlicet ira excandeſcētem, hoſtium ſuorum vulneratorum corpora, quaſi in torcular congeſsiſſe, eoſque vincentium pedibus calcandos, ac proterendos ſubſtraviſſe, indeq; tantum cruoris expreſsi circumquaque redundaſſe, ut exuberante ſanguine, vaſtæ cuiuſdam lacunæ, & latè ſtagnantis inſtar, omnia replerentur, nemoque niſi eques poſſet iter facere: imò ſanguis ipſe etiam equorū frenos attingeret. Apocal. 14. num. 19. *Vindemiavit vineam terræ, & miſit in lacum iræ Dei magnum, & calcatus eſt lacus extra civitatem, & exivit ſanguis de lacu, uſque ad frenos equorum.*

Sanguinem etiam expreſsum ſonat illa calcatio Iſaiæ 63. numero 3. *Torcular calcavi ſolus, &c. Conculcavi eos in ira mea, & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi.* Et eodem interpretor ſenſu illud Threnorum 1. numero 15. *Torcular calcavit Deus Virgini filiæ Iuda, &c.* Anteceſſerat videlicet numero 12. *Quoniam vindemiavit me, ut loquutus eſt Dominus in die iræ furoris ſui.* Et in hoc ipſo num. 15. diſertè explicatur, qui ſint huius vindemiæ racemi in torculari calcandi: *abſtulit omnes magnificos meos.*

311 In hanc explicationem huius metaphoræ aptiſsimè quadrat obſervatio Maldonati ad illa verba Ierem. 48. numero 33. *Nequaquam calcator uvæ ſolitum celeuma cantabit.* Hebraica enim ita reddas; *non calcabit celeumate, celeuma non celeuma.* Eſt enim celeuma cantus, quo qui ſimul laborant, ut remiges, aut qui calcant in torculari, ſe ad contendendas vires, cohortari ſolent. Celeuma igitur non erit celeuma calcantium uvas, & præ alacritate animi, cantu ſe incitantium ad laborem; ſed erit celeuma hoſtium cohortantium ſe ad cædem Ierem. 25. num. 30. *Celeuma quaſi calcantium concinetur adverſus omnes habitatores terræ.* Et cap. 51 numero 14. *Iuravit Dominus exercituum per animam ſuam, quoniam replebo te hominibus, quaſi bruchо, & ſuper te celeuma cantabitur.* Loquitur enim de Babylone hominibus innumeris, perinde ac racemis, confertiſsima: de Medis autem, & Perſis, tanquam de vindemiatoribus, ſe ad calcandum torcular, ſanguinemque effundendum, celeumate cohortantibus.

Et gladius meus devorabit carnes.

312 Similis item tropus eſt ad ſanguinariā carnificinam exprimendam. Dicitur

enim

enim gladius devorare carnes, cùm ad satietatem usque cruore imbuitur. Isai. 1. num. 20. *Gladius devorabit vos.* Nahum. 2. num. 13. *Leunculos tuos comedet gladius.* Ierem. 12. num. 12. *Gladius Domini devorabit.* Vide etiam Isai. 31. num. 8. Ierem. 2. num. 30. & cap. 46. num. 10. quibus in locis observanda est notabilis ista locutio, qua gladius dicitur carnes voraturus, perinde quasi ore, ac dentibus esset instructus. Sed ita profectò est, aciem ipsam gladij *os* Scriptura identidem vocat. Hinc frequentissima illa, & passim occurrētia, *cadere, aut percutere in ore gladij.* Quemadmodùm enim dentibus in ore constructis conciditur, & absumitur cibus; ita etiam gladius, acie exacuta, in frusta minutatim carnes secat, & quasi vorat, & absumit. Hinc *gladius utraque parte acutus.* Apocalyp. 1. num. 16. Et *anceps.* ad Hebræos. 4. num. 12. dicitur Græcè machæra, sive romphæa, *distomos*, hoc est, *duorum orium*, si Latinus sermo pateretur. Iudic. 3. num. 16. *Fecit sibi gladium ancipitem.* Hebraicè *& ei duo ora.* Similis est Hebraismus. Proverbior. 5. num. 4. & Psal. 149. num. 6.

De cruore occisorum, & de captivitate, nudati inimicorum capitis.

313 HEbraizantes in isto loco, & varias versiones obtrudunt, toto cœlo discrepantes à Vulgato; & easdem ita explicant, ut Latinæ Editioni vix possint accōmodari. In hoc ferè conveniunt Leo Iudas, Vatablus, Pagninus, Oleaster, & Isidorus Clarius, eum esse germanum horum verborum sensum, quem paucis verbis complexa est Editio Tigurina. *Propter sanguinem occisorum, propterque captivos, ut hosti summatim ultiones rependam.* Isidorus Clarius. *Vlciscetur*, inquit, *gladius meus gentes, quæ populi mei sanguinem fuderunt, & eum captivum abduxerunt.*

314 Sed nescio profectò, quid viros Hebraicæ linguæ scientissimos impulerit, ut desererent Vulgatum, ubi nulla prorsus erat causa deserendi. Nam præpositio illa *Min*, sexcentis in locis, quæ enumerare supervacaneum esset, non *propter*, sed *de*, vel *ex* ab ipsis etiam Hebraizantibus exponitur. Et in hoc ipso loco Arias Montanus *Midam*, non ut Pagninus, *propter sanguinem*, sed ut Vulgatus, *de sanguine, aut cruore*, fidelissimè vertit.

Est igitur literalis horum verborum 315
sensus, quem ingeniosè explicuit Agellius. Duo minitatus fuerat Deus, sagittarum inebriationem, & gladij satutitatem: his duobus per antapodosin duo item reddit. *Sagittas*, inquit, *inebriabo sanguine.* Quonam sanguine? *De cruore occisorum. Gladius méus devorabit carnes.* Quorum carnes? Hostium videlicet abraso capite captivorum, ideſt, ne captivis quidem gladius parcet, sed acriùs in eorum capita nudata desæviet. Lege, quæ adnotavi, num. 36. ad illa verba, *clausi quoque defecerunt.* Captivitas autem sæpè sumi solet pro captivis, abstractum videlicet pro concreto. Deuteron. 21. num. 10. *Captivosq; duxeris.* Hebraicè *captivaveris captivitatem.* 2. Paralip. 20. num. 11. *Reducite captivos*, Hebraicè *captivitatem.*

316 Et verò abrasum caput, vilissimæ servitutis habitum, in omni memoria apud plerasque gētes extitisse, & ex hoc, quem explicamus, loco, & ex innumeris alijs sacris, prophanisque testimonijs eruditissimè confirmant Prado Ezechiel. 24. numero 17. Guevara Habac. 3. versu. 13. à num. 122. Ribera Amos. 8. num. 30. Pineda Iob. 1. versu. 28. num. 11. Mendoza quæst. 5. positiva, Delrius Adag. 990. Satis erit unum, vel alterum locum indicare. Ezech. 29. num. 18. *Servire fecit exercitum suum servitute magna: omne caput decalvatum.* Ierem. 48. num. 37. *Omne caput calvitium, & omnis barba rasa, erit in cunctis manibus colligatio.* Vbi etiam vides vincula captivorum manibus iniecta.

Exigit verò non tam huius explicatio 317
loci, quàm defensio interpretis Vulgati adversus Hebraizātes, ut nostram Editionem ab eorum calumnijs vindicemus

Hebraicus textus ita habet *Meros Parhot Oieb*: illi autem, quibus nihil est antiquius, quàm novitatem venditare, quidvis potiùs reddant, quàm Latinæ Editioni subscribant; non lubet eorum meras nugas recitare, atque refellere; tantùm dico, Hebraica fideliter verbum è verbo, veritate convictum expressisse Ariam Montanũ, *de capite nudationum inimici*. Verbum enim *Paragh*. nemini dubium esse potest, quin sæpe significet nudare; & cùm capiti adiungitur, idem est, ac spoliare caput cæsarie. Solebant quidem Hebræi in magno luctu capillum, aut vellere, aut radere, ut ex multis Scripturæ locis probat Maldonatus. Ierem. 48. num. 37. & Ezechi. 7. num. 18. & Pineda ad illa verba Iob. 1. num. 20. *Tonso capite*, &c. id, quod præcipuè fiebat in charorum obitu. Ierem. 16. num. 6. *Non sepelientur, neque plangentur, neque calvitium fiet pro eis.* Hoc autem
318 erat interdictum Sacerdotibus. Ezechi. 44. num. 20. *Caput autem suum non radent.* Levit. 10. num. 6. *Capita vestra nolite nudare*, (idest, abradere, & Hebraicè subest. *Paragh.*) *& vestimenta nolite scindere.* Sic etiam cap. 21. num. 10.

Caput igitur *nudationum*, ex idiomate Hebraico, idem prorsus est, ac caput nudatissimum, & penitùs abrasum. Nam gignendi casus apud Hebræos appositi vicem gerit, cùm autem is est numeri multitudinis, mirè valet ad amplificandum, & superlativi locum obtinet; ut observat Ribera Oseæ. 1. num. 26. Sic dicitur *Deus ultionum*, Psalm. 93. num. 1. hoc est, maximè ultor, & Christus, *vir dolorũ*. Isaiæ. 53. num 3. idest, summis doloribus excruciatus; & Psalm. 54. num. 4. dicuntur *viri sanguinum*; ideſt, vehementissimè sanguinarij.

Numerus 43.

Laudate gentes populum eius..

319 HEbraicum verbũ *Ranan* grandius quiddam sonat: est enim plerumque ovationis, & acclamationis voces edere præ lætitia, gratulandique causa. Oleaster vertit, *acclamate*. Tigurina, *excitate ad iubilum*. Regia, *personate*. LXX. *lætamini gentes cum populo eius.* Hic autem populus, (interprete Apostolo Paulo,) non ille durę cervicis erit, quẽ paulò antè Moyses populũ stultũ, & insipientẽ, generationemque pravam, atque perversam appellavit; sed primitiæ illæ populi fidelis; primi illi, qui de circumcisione crediderũt. *Verè genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* 1. Petri. 2. num. 9. *qui aliquando non populus, tunc autem populus Dei.* Oseæ. 2. num. 24. Ad Roma. 9. num. 25. Hæc itaque verba Moysis Paulus interpretatur ad Romanos 15. num. 10 citans ea, ut sæpe solet, ex Editione LXX. *Et iterum dicit: lætamini gentes cum plebe eius.* Atque ex hoc testimonio convincit, Gentes non esse excludendas ab Evangelica gratia, sed simul cum populo Iudæorum coniungendas, eadem illustrandas luce, eisdem Spiritus sancti donis cumulandas, eadem denique boni nuncij, ideſt, Evangelij, lætitia perfundendas.

Quia sanguinem servorum suorum ulciscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum, & propitius erit terræ populi sui.

320 SOlemne Deo semper fuit, effusum servorum suorum sanguinem ulcisci. *A sanguine Abel iusti*, Matth. 23. nu. 35. Quanvis enim terra aperuit os suum, Genes. 4. num. 11. & cruorem è vulnere manantẽ exsorbuit: ille tamen cruor abditus

terræ

terræ viſceribus, clamores edidit ad cœlum uſque pertingentes. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Clamores autem effuſi ſanguinis ultionem depoſcunt. Luc. 18. num. 7. *Deus non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die, ac nocte?* Habes hunc clamorem Apocalyp. 6. num. 10. *Clamabant voce magna dicentes, uſquequò Domine non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum?* Et Pſalm. 78. num. 11. *Vltio ſanguinis ſervorum tuorum, qui effuſus eſt, introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum.* Cui clamori benignè reſpondet Dominus. 4. Reg. 9. num. 7.
321 *Vlciſcar ſanguinem ſervorum meorum.* De hac diuina vindicta non ſemel iam dictũ eſt in hoc Cantico, ad illa verba num. 35. *Mea eſt ultio, & ego retribuam in tempore*; & num. 41. *reddam ultionem hoſtibus meis.* Hoſtibus itaque ſupplicio affectis, *Deus propitius erit terræ populi ſui.* Placatum ſe iam, benignumque præbebit. LXX. *expurgabit Dominus terram populi ſui*, ideſt, terram illam, in qua generatio prava, atque perverſa Prophetas omnes crudeliter extinxit, Deum ipſum, Dominum Prophetarum, atrociſsimè in crucem egit; effuſo pretioſiſsimo ſuo cruore, ingratiſq; ac rebellibus longè pulſis, expiabit. Vt iure optimo illius terræ incolæ in eam gratiarum actionem prorumpant, Pſal. 84. num 1. *Benedixiſti Domine terram tuam.* Hebraicè. *Raſita.* LXX. *eudoKeſas.* Propriè vertas utrumque verbum, *complacuiſti tibi Domine in terra tua.* Tigurina, *propitius eris, ò Domine, terræ tuæ.* Vatablus, *rediſti in gratiam, reconciliatus es cum populo tuo.* Genebrardus, *beneplacito es proſequutus terram tuam, beneficus multis cumulaſti.* Vtinam hoc beneplacito nos iugiter proſequatur, doniſque ſuis cumulet Ieſus Chriſtus Dei Filius.

IN

IN CAP. XXXVIII.

ISAIÆ CANTICVM QVE EZECHIÆ.

COMMENTARII EXEGETICI LITTERALES.

AVCTORE

PATRE AVGVSTINO DE QVIROS

è Societate IESV.

ARGVMENTVM.

1 VM EZEchias in gravem, ac periculosũ morbum incidisset, venit ad eum invisendum, officij gratia, Propheta Isaias, serióque Regi denuntiavit Dei nomine, ut testamentum conderet, & domui suæ, Regnoque prospiceret: futurum enim, ut ex illo morbo minimè convalesceret. Obstupuit Ezechias ea tam acerba denunciatione, mortemque, florente adhuc ætate, iam ante oculos obversantem vehementer exhorruit. Verùm præsenti terrore emollitus, effusus in preces, lachrymasque divinam misericordiam flexit tam brevi intervallo, ut priusquàm Isaias Regiarum ædium limine pedem efferret, subitò divini Spiritus splendore illustratus regrederetur ad Regem, eique vitam in annos quindecim Dei munere propagãdam, certò polliceretur. Et quò illius fiducia excitata cœlesti miraculò vehementiùs firmaretur, Deique benignitas ad ignoscendum prona, luculento testimonio omnibus testatior, & illustrior appareret: prodigium sanè stupendum, & in omni sæculorum memoria nunquam aliàs editum, patravit: umbra enim, quæ sole iam in occasum vergente, in horologio altè descenderat, retrograda ipsius solis conversione, decem gradus rursus ascendit, dieique iam præcipitans denuò exoriri visus est. Ipse autem Ezechias confestim è morbo convaluit: qui de more illius Gentis luculẽtissimo cantico in gratiarum actionem prorupit, divinamque misericordiam meritis laudibus celebravit.

Numerus primus.

In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem.

2 MIrabile prorsus, in auditum, ac rarum est, quod de Ezechia Auctores gravissimi apertè sibi colligere ex sacra Scriptura, demonstrareq; videntur. Nempe genitum esse Ezechiam à parente Achaz, cùm ille undecimum duntaxat agebat annum. Summamita è sacra Chronologia perspicuè subducunt. Achaz regnare cœpit, cùm viginti esset annorum: sedecim verò annos Regni gubernacula tractavit. Vtrumque habetur expressè, 4. Reg. 16. num. 2. & 2. Paralip. 28. num. 1. Totum itaque tempus vitæ ipsius sextum supra trigesimum annum non excesit. Rursus Ezechias Regnum inijt, simul atque pater vita functus est. 4. Reg. 16. num. 20. & 2. Paralip. 28. n. 27. erat autem tunc annos natus quinq; supra viginti. 4. Reg. 18. num. 2. & 2. Paralip. 29. num. 1. Itaque si accuratè numerum annorum ineas, necessariò efficitur, Ezechiam ab Achaz undecimum annum agẽte fuisse procreatum. Vide Tornielũ, anno mundi 3285. & Barradam tomo 1. lib. 5. cap. 14.

3 Enimverò Hieronymus, epistola 132. ad Vitalem, cum iure iurãdo sanctè affirmat, se audivisse, per illud tempus mulierculam quamdam ex puero decenni concepisse. Eodemque loco disertè tradit, Salomonem undecimo etiam ætatis anno Roboamum genera sse. Sed de Salomone maior inter Auctores est dissensio, quã pacificare uberioris otij est. Lege Pinedam in suo Salomone libro 3. cap. 2. & libro 8. cap. 2. Vide etiam Tiraquellum. Lege 6. connubiali num. 37.

4 Gravissimus hic morbus corripuit Ezechiam eo ipso anno, quo Sennacherib Rex Assyriorum civitates munitas Iudæ obsidebat, oppugnabat, diripiebat. Vnde illa benigna promissio Dei, facta formidantibus, & à truculentissimo hoste, victorijsque insolentissimo iure sibi metuẽtibus, hîc numero 6. *De manu Regis Assyriorum eruam te, & civitatem istam, & protegam eam.* Hanc opinionem meam, annorumque summam ita colligo ex sacra Scriptura. Ezechias vixit annos quatuor, & quinquaginta 4. Reg. 18. numero 2. & 2. Paralip. 29. num. 1. inijt habenas Regni, ut constat ex eisdem locis, annum agens vigesimum quintum. Porrò Sennacherib intulit illi bellum, anno Regni eius decimo quarto. 4. Reg. 18. nu. 13. agebat itaq; tunc Ezechias trigesimum nonum ætatis annum, cui numero si quindecim divina liberalitate concessos adiungas, efficient iustam totius vitæ illius summam.

5 Itaque non dubito, hallucinatum fuisse Iosephum, qui libro 10. antiquit. capite 3. asserit, ægrotationem Ezechiæ contigisse post percussum, & vastatum Sennacheribi exercitum. Iosephum fortasse fefellit huius vastitatis illatæ ab Angelo, à sacris Scriptoribus anticipata narratio. 4. Reg. 19. num. 25. & 2. Paralip. 32. num. 21. & Isaiæ 37. numero 36. Sed obstat opinationi Iosephi divina illa pollicitatio, quæ 4. Reg. 20. num. 6. & in isto capite num. 6. recitatur.

6 Illo autem idiomate sacro, *ægrotavit usque ad mortem*, non dubium est, quin insanabilis, ac omnino lethalis morbus significetur: qui, nisi Deus miraculosè opem attulisset, brevi Ezechiam vita privasset. Sic loquutus est Paulus ad Philippens. 2. numero 27. *Infirmatus est usque ad mortẽ, sed Deus misertus est ejus.* Vide Ioannis interpretes ad illa verba capitis 11. num. 4. *infirmitas hæc non est ad mortem.*

Magis autem probo versionem LXX. & nostri Vulgati, quàm Massoretarum lectionem: qui diversis subscriptis punctis, & in hoc loco, & 4. Reg. 20. num. 1. & 2. Paralip. 32. numero 24. constanter legunt. *Ægrotavit (lamut) ad moriendum.* LXX. verò, & Latinus interpres sub eisdẽ litteris alia suppleverunt puncta, *lamavet*,

ad mortem. Quæ phrasis frequentissima est in arcano sermone. Iudic. 16. num. 16. *defecit anima eius, & ad mortem usque lassata est.* Vbi Vulgatus unicam comprehẽsionem Hebraicam, quam sic reddas verbum è verbo, *incisa, abbreviata, vel angustijs affecta est anima eius usque ad mortẽ*, duabus latinis expressit: ut vehementissimam afflictionem, prorsus vitalem spiritum opprimentem, atque adeò exhaurientem, significaret. Simili loquendi formula usus est Ionas cap. 4. num. 9. *benè iratscor ego usque ad mortem*: hoc est, usque eò exardesco iracundia, ut propiùs nihil absit, quàm ut præ ira ipsam animã exhalem. Plena enim exemplorum sunt Historiarum monimenta eorum, quibus flagrans excãdescentia, tabida mæstitia, imò interdum etiam effusum gaudium vitam ademerit.

7 In hanc sententiam plerique interpretantur verba illa Christi Matth. 26. num. 38. & Marc. 14. num. 34. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Græcè, *perilypos*, ideſt, undique mærore obsessa, ac circumvallata. Perinde ac si dicat, tanta est mæstitia, quę meam premit, & circumquaque in angustum adducit animam, ut vel ea sola mortem mihi acerbissimam afferre possit, nisi me Divinitas ad cęteros corporis cruciatus perferendos sustentaret. Lege Barradam tom. 4. lib. 6. cap. 9.

8 Atque hæc de gravitate morbi Regis Ezechiæ; sunt etiam, qui eius morbi causam solerter inquirant. Hieronymus in cap. 39. Isaiæ Hebræorum opinionem recitat. [Tradũt, inquit, Hebręi, ideo ęgrotasse Ezechiam, quoniam post inauditã victoriam Iudæorum, & Assyrij Regis interitum non cecinerit laudes Domino, quas cecinit Moyses Pharaone submerso, & Debbora interfecto Sisara.] Eamdem causam prodit Auctor ille de mirabilibus sacræ Scripturę lib. 2. cap. 28. qui extat inter opera Augustini, tomo 3. verùm hęc causa commentitia est, & falsa illa Iosephi opinione nixa, quam paulò antè refutavimus.

9 De eadem Rabbinorum fæce hausit Arias Montanus, quam ut indubitatam huius morbi causam, semel, atque iterum hîc inculcat, nempe voluntarium Regis Ezechię cœlibatum: ait enim, eum â ducenda uxore diutiùs, quàm par erat, dedita opera continuisse, metu suscipiẽdę prolis, quę impietate, ac vitijs paternam fœdaret domum, qualem Manassem evasisse legimus: cùm tamen oportuisset, illum sedulò curare, ne sua incuria Davidicę domus posteritas promissione divina fraudaretur. Quò non progreditur humani ingenij curiositas? arcanas etiam divinorum consiliorum causas, in abdito, atque profundo divinitatis pectore latentes perscrutari non veretur. Ego quidem ita statuo: non posse huius morbi causam sine curiositatis vitio quęri, & sine maiore temeritatis nota definiri. Non me fugit, verissimum esse id, quòd observavit Hieronymus explicans illa verba Matthæ. 9. n. 2. *Remittuntur tibi peccata tua. Datur, inquit, nobis intelligi, propter peccata pleraſque evenire corporis debilitates.* Et Strabus in eũ locum. [Ecce modus curationis: priùs dimittit peccata, tollens causam morbi: pòst curat corpus] Basilius item quæst. 55. ex ijs, quas fusiùs disputavit. [Morbi sępè numero, velut quędam peccatorum flagella sunt, quibus nihil aliud agitur, nisi ut vitam nostram in melius commutemus.] Paulus etiam scribit, inter Corinthios ægrotasse multos, imò & obijsse, quia non ea, qua par erat, reverentia ad sacram Eucharistiam accedebant. 1. Corinth. 11 n. 30. Deniq; universim pronuntiat Ecclesiasticus, cap. 38. numer. 15. *Qui delinquit in conspectu eius, qui fecit eum, incidet in manus medici.*

10 Verùm fidenter item assevero, plerosque iustos sine ulla prorsus ipsorum culpa, sed ad cumulanda patientię merita, sępe graviter ęgrotare. Ac ne multus sim in re perspicua, satis erit celebris illa Ambrosij sententia, qui expendens discipulorum quæstionem, cùm hominem à nativitate cæcum intuerentur. Ioann. 9. n. 2.

11

Quis peccavit, hic, aut parentes eius, ut cæcus nascèretur? sic ait in epist. 45. *Quàm stolidè discipuli interrogant, debilitates corporum referentes ad merita delictorum.* Caveamus itaque, ne sit hominis stolidi, aut certè plus nimio curiosi, quia morbum Ezechiæ legimus, in eius vitam, & actiones inquirere, crimenq; aliquod, quod morbi causam attulerit, pervestigare, & quasi nodum in scirpo quærere.

Et introivit ad eũ Isaias, filius Amos propheta, & dixit ei: hæc dicit Dominus: dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.

12 VEtus in hoc loco quæstio omnium interpretum ingenia torsit, quo modò decretum in speciem fixum, & absolutum, addita insuper negatione confirmatum: *morieris* (inquit) *tu, & non vives*: quod divinitus inspiratus propheta Regi denuntiavit: ait enim, *hæc dicit Dominus*, tam brevi intervallo potuerit revocari. An est quidquam magis inculcatum in sacra Scriptura, quàm Deum incommutabilem esse, mentiri nulla ratione posse? ad Hebr. 6. num. 18. *Impossibile est mentiri Deum.* Numer. 23. num. 19. *non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.* Sapienter Augustinus lib. 22. de Civit. Dei, cap. 25. *si volunt invenire, quod omnipotens non potest; habent prorsus, ego dicã: mentiri non potest.*

13 Sed sciendum est; divina decreta, atq; adeò Prophetarum oracula, & vaticinia, etiam si maximè fixa, & rata esse videantur, cùm supplicia mortalibus denuntiãt: plerunque tamen latentem includere cõditionem, videlicèt, modò illi à sceleribus non resipiscant: iactantur itaque sæpe divinitus suppliciorum minæ, non quidem absolutę, sed conditionatæ: conditionem ipsam disertis verbis expressit Hieremias. cap. 18. num. 7. *Repentè loquar adversus gentem, & adversus regnum, ut eradicem, & destruam, & dispergam illud. Si pœnitẽtiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam & ego pœnitentiã super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* Quæ verba sic expendit Theodoretus in caput 27. Ezechielis. [Igitur & fert Dominus sententiam, & latam antiquat: neque veritas mentitur: fert enim sententiã contra non pœnitẽtes, in ijs verò, qui pœnitentię remedium exceperunt, supplicij decretum nõ habet locum.] Non itaque mutatur decretum divinum, quia licèt prophetia comminatoria, si spectes duntaxat, quod sonant verba, mutari videatur, pro actionum humanarum mutabilitate: tamen hanc ipsam mutationem, pro infinita sua sapientia, ab omni ęternitate pręvidit, & pro benignissima misericordia, dependenter ab humana voluntate decrevit Deus.

14 Explicat hoc acutè satis, & Theologicè Gregorius versans hunc ipsum, quem enodamus Isaiæ locum lib. 12. Moralium cap. 2. [Per Prophetam Dominus dixit, quo tempore mori Ezechias merebatur: per largitatem verò misericordiæ, illo cũ tempore ad mortem distulit, quod ante sæcula ipse prescivit. Nec Propheta igitur fallax, quia tempus mortis innotuit, quo vir ille mori merebatur: nec dominica statuta convulsa sunt, quia, ut ex largitate Dei anni vitæ crescerent, hoc quoque ante sęcula præfixum fuit, atque spatium vitæ, quod inopinatè foris est additum, sine augmento in pręscientia fuit intus statutum.] Nec minùs sapienter Augustinus tom. 4. libro unico de Essentia Divinitatis, post medium: dum exponit, quatenus facti pœnitentia dicatur in Deum cadere, ut in eo, quem proximè citavimus, Hieremiæ loco. [Pœnitere Deus dicitur, non quòd more hominum pro trãsactis operibus suis pœniteat: qui enim omnia novit antè quàm fiant, pro præteritis factis suis pœnitere non potest: sed pœnitentia Dei est statuta mutare, & quod priùs aliter inchoatum fuerat, in aliud convertere.]

15 Verissimam itaque arbitror, & paternæ Dei benignitate, clementiaque dignissimam, observationem illam Theodoreti; enim Deus per Prophetas suos atrocissima intentat supplicia, minasque iactat terroris plenas: id plerùque agere, non ut homines puniat. Quorsum enim supplicij impendentis illos admoneret? Sed ut eo iniecto terrore, à vitijs coerceat, in officioque contineat. Theodoreti verba sunt in prooemio in Oseam. Neque eò Deus pœnas minatur, ut eas, quibus minatur, inferat: sed ut metu perterrefactos ad resipiscentiam revocet, & cùm nequitia, quam committunt, eos liberaverit, eis salutem afferat. Non enim minatus fuisset, si punire vellet. Hæ nimirùm sunt maximè propriæ benignissimi parentis minæ. Iudith. 8. numero 15. *Non enim*
16 *quasi homo, sic Deus comminabitur.* Quan-
17 vis ergo terrores absolutè, & sine ullo addito denuntientur, tamen ea concipienda est in animo comminantis latêre conditio, si modò homo non resipiscat, & neque lacrymis, neque precibus divinam misericordiam flectat. *Prædicere solet Dominus* (inquit Eucherius lib. 2. in Genes. cap. 31.) *sine dubio furorem, quod admonendo deum; sic dicitur ad Abimelech* (Genes. 20. numero 3.) *en morieris: & tamen mortuus non est, nec Deus mentitus est.*

Extat item luculentum exemplum, & ad hanc confirmãdam doctrinam crebrò à Patribus usurpatum, Ionæ 3. num. 4. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Quam sententiam, in speciem absolutè latam divinitus, severèque denunciatam à Propheta, nihilominùs Ninivitæ pœnitentia, & lacrymis rescidérunt. Nec propterea à mutatus est Deus, quin tacita illa conditio subesset: & ut sapientissimè dixit Gregorius, lib. 10. Moral. cap. 17. *Cùm exterius mutare videtur sententiam, interius consilium non mutatur. Quia de unaquaque re immutabiliter intus constituitur, quidquid foris mutabiliter agitur.*

Numerus 2.

Et convertit Ezechias faciem suam ad parietem.

17 Fecit Ezechias, quod cordati homines facere debent: morbo oppressus, & acerbissima mortis denuntiatione perculsus, ad implorandam Dei opem, cuius nutu vitæ nostræ momenta decurrunt, confugit supplex. Ecclesiastici 38. numero 8. *Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te.*

Res adversæ veluti quidam apparitores sunt, qui nos volentes nolentes supremo Iudici sistunt. Duo illi depravatissimi Reges Achab, & Manasses his apparitoribus vocati, depulso peccatorum veterno, extulerunt caput, & anteactam vitam deplorantes ad supremi Iudicis pedes supplices iacuerunt. De Manasse legimus 2. Paralipom. 33. numero 12. *Qui postquàm coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo.* De Achab verò 3. Reg. 21. numero 27. *Operuit cilicio carnem suam, ieunavitque, & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite.*

18 Et verò morbi sunt quasi vincula quædam nobis divinitus iniecta, quibus constricti trahimur ad Deum. Lege Pinedam in cap. 7. Iob versu 12. est autem admirabilis, & plusquàm paterna Dei cura, ac providentia erga Iustos ægrotantes. Non solùm opere præstat, quod verbis pollicitus est, Exodi 15. numero 26. *Ego Dominus sanator tuus*; quod expertus David canebat, Psalmo 102. numero 3. *Qui sanat omnes infirmitates tuas*; verùm etiam in ipso languore, quàm indulgentissimè tractat ægrotum.

Solet æger præ nausea, aut imbecillitate omnes cibos, hausturque stomacho fastidiente respuere: Deus itaque ad levandum fastidium, ad cõcitandam appetentiam, cibos ipse suis manibus apparat

suavissimè conditos, quibus avidè, libenterque vescatur, & à morbo recreatus multò, quàm antè fuerat, valentior, ac vegetior existat, atque adeò reiuvenescat. Hunc esse illorum verborum litteralem sensum, Psalm. 102. numero 5. *Qui replet in bonis desiderium tuum, renovabitur, ut Aquilæ iuventus tua*: probat ibi Agellius ex toto contextu.

19 Vexat etiam ægrotum affixum lecto ipsius lecti durities, & asperitas. Atqui Deus diligentissimi famuli vicem subiens, lectum identidem componit, stragula explicat, culcitram versat; æquabiliterque substernit, ut ægrotus suavius, ac molliùs cubet. Psalmo 40. numero 4. *Universum stratum eius versasti in infirmitate eius.*

Quòd si exulcerent ægrotantem vomicæ sanie, taboque manantes, quas medici manus dum tractat, asperius exacerbat; huius clementissimi medici divina manus, & leniter eas tractare, & medicina apposita, linteolis blandissimis alligare solet. Psalm. 146. numero 3. *Alligat omnes contritiones eorum.*

20 Cùm denique tædio languoris diuturni defectus viribus, exanimatusque doloribus, succumbit ægrotus, vi morbi superatus, animoque iam linquitur: præsentia sua Deus, quasi rore quodam vitali aspersum, languentem excitat, debilitatumque corroborat. Psalm. 40. numero 4. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius.* Hieronymus ita vertit Hebraica: *Dominus confortabit eum in loco infirmitatis suæ.* Verbum *Sahad*, propriè reddidere Pagninus, & Tigurina, *Dominus fulciat eum.* Explicatque Vatablus. *Si quando incidet in morbum, Dominus sit illi vice fulcri super stratum, in quo iacet.* Agellius autem: *Dominus sustentet, ac mollissima dextera sua suffulciat illum, dum viribus defectus ægrè se sustinere potest.*

21 Rectè itaque fecit Ezechias, cùm sæviente morbo, ad Deum benignissimum levatorem, sanatoremq; morborum precibus conciliandum properavit. Sed cur convertit faciem suam ad parietem? Duas ego causas apud probatos Auctores invenio; alteram hausta ex Paraphraste Chaldæo, atque Hieronymo sequuntur cõmuniter interpretes, oculos parietem versus conjecisse, ut sacrum Templum è regione exstructum spectaret, quod à palatio Regio murus ille dividebat. Alteram etiam causam adiungit Hieronymus. *Ne lacrymas suas assidentibus ostentare videretur.* Addo insuper tertiam: ut preces liberiùs funderet. Ita enim natura comparatum est, ut nescio quomodò, si quis nostras preces ad Deum fusas proximè audiat, ingenito pudore verecundemur. Vnde opportunum illud Senecæ monitum Epistola 10. *Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat: sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.* 21

22 Facit ad illustrandam primam illam causam, primo etiam loco allatam à Hieronymo, quòd cùm Scriptura referat, Salomonem, & Templum, & domum Regiam opere magnifico extruxisse. 3. Regum 9. numero 10. & 2. Paralipom. 8. numero 1. oculati testes Borcardus, & Adricomius memoriæ prodiderunt, Regiũ palatiũ in parte Australi montis Moriæ ædificatum, sacro Templo fuisse propinquum. Addit item Arias Montanus, à domo Salomonis ad Templum usque per artificiosam quamdam scalam ascensum patuisse. Recitat horum Auctorum verba, & sacræ Scripturæ testimonijs confirmat Barradas tomo 2. libro 3. capite 36.

23 Facit item, quod ij, qui intra augustissimi illius Templi ambitum præsentes orare non poterant, etiam longè absentes, & in captivitatem abducti, eminùs prospectare illud oraturi iubebantur. 3. Regum. 8. numero 48. *In terra inimicorum suorum, ad quam captivi ducti fuerint, & oraverint te contra terræ suæ viam, & Templi, quod ædificavi nomini tuo.* Et 2. Paralip. 6. numero 38. *Adorabunt te contra viam terræ suæ, & domus, quam ædificavi.* Ita

legimus

legimus factitatum à Daniele. cap. 6. numero 10. *Ingressus est domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Hierusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat.*

Et oravit ad Dominum.

24 VIde admirabilem Regis fiduciam. Denuntiata illi iam erat mortis sententia; præcisa omnis vitæ spes, præclusus omnis aditus obtinendæ salutis videbatur: inevitabile fatum subeundum animum deijciebat; nihilominùs confortatus est fide; velut alter Abraham. ad Romanos 4. numero 20. *Et contra spem in spem credidit, arbitrans, quia & a mortuis suscitare potens est Deus.* ad Hebræos 11. numero 19. & perinde quasi voluteret animo nobilem illam cogitationem Iobi. capite 13. numero 15. *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo:* constanti fiducia armatus, telum adversus Deum arripit, & intorquet valentissimum, nempe orationem: cui Deus ipse dat manus, victusque succumbit. Præclarè Chrysostomus, homilia 58. in Matthæum. *Nihil est homine probè orante potentius.* Nihil prorsus excipit Chrysostomus, ac ne ipsum quidem Deum. Omnipotens planè est oratio, imò omnipotentior omnipotente, (si ita loqui fas est,) quandoquidem Deum omnipotentem, quæ est ipsius Dei benignitas, vincit. Matthæ. 21. numero 22. *Omnia, quæcumque petieritis in oratione credētes, accipietis.* Vide omni-
25 potentiam orationis. Propterea enim Seraphinus Firmianus capite 2. pag 88. *Omnipotentem* vocat orationem, quòd nihil illi sit impossibile: eiusmodi enim est orationis omnipotentia, ut omnipotentem ipsum suis armis expugnet, quia is nimirùm se permittit oratione expugnari.

Excandescens ira Deus cœperat stomachum erumpere in populum rebellem. Numerorum 16. numero 44. penitusque impios illos deleviſſet, nisi Aaron precibus suis Deum expugnasset. Sapientiæ 18. numero 21. *Properans enim homo sine querela deprecari.* Græcè *proemacheſe.* Propriè reddas, *propugnavit, ac vicit ipsum Deum.* At quibus armis instructus tam gloriosam victoriam reportavit? Precibus scilicet, & oratione. *Proferens servituris suæ scutum, orationem.* Græcè *oplon.* Idest, proprij ministerij arma. Videlicet deprecari Deum, est Deum ipsum vincere, ac superare.

Observat hoc Hieronymus in epistola ad Gaudentium, explanans verba illa Exodi 32. numero 10. *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos.* [Quando dicit Deus, *dimitte me*, ostēdit, se teneri posse, ne faciat, quod minatus est; Dei enim potentiam servi preces impediebant.] Hoc ipsum orationis scutum à Ieremia oppositum, & obiectum irato Deo, Deus ipse quasi pertimescebat, cùm Prophetam sic alloquebatur. cap. 7. num. 16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, & non obsistas mihi.*

Iure celebratum fuit ab omni antiquitate stupendum illud prodigium, quòd sive ad commendandam, sive ad tuendam virginalem pudicitiam, Deus ipse edidit, aut ab aliquo Angelo edi permisit. Cùm enim Mater Deorum ex Phrygia navi adveheretur Romam, repentè in medio Tiberi navis ita hæsit, ut nullis funibus trahi, nulla vi hominum, boumque loco dimoveri posset. Flagrabat eodem tempore infamia violatæ castitatis Claudia Virgo Vestalis, propter cultum corporis amæniorem, ingeniumque liberius, quàm virginem deceret: illa igitur, quò suam illabatam probaret castimoniam, populo spectante, se discinxit, zonamque navi alligans, eam, quò voluit, negotio facili deduxit. Auctores sunt Augustinus libro 10. de Civitate, cap. 16. Livius decade 3. lib. 9. Ovidius lib. 4. Fastorum. Plinius lib. 7. cap. 35. & Suetonius in Tiberio cap. 2.

Enim verò vir iustus funiculum purpureum orationis habet, longè ista zona mirabiliorem, & potentiorem: *sicut vitta*

coccinea labia tua, ait Deus Canticor. 4. numero 3. ubi de multorum Patrum sententia, oratio significatur, quæ in arcano sermone per labia frequenter exprimitur. Sophoniæ. 3. numero 9. *Tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini.* Sic Psalm. 62. numero 4. & Psalmo 70. numero 3. Sed vitta coccinea orationis parum est trahi navim hærentem in flumine: nubes cœlorum oratione alligantur, & quò impulerit orantis voluntas, facilè trahuntur. Audi Eliam non magnificentiùs, quàm veriùs de se ipso prædicantem. 3. Regum 17. numero 1. *Vivit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluvia, nisi iuxta oris mei verba.* Expressit Iacobus orationis funiculum, quo nubes, & pluviæ ab Elia constrictæ trahebantur. cap. 5. numero 17. *Oratione oravit, ut non plueret super terram, & non pluit, &c.* Sed quia proposito exemplo viri penè omnipotentis, qui cœlum arbitratu suo claudebat, aperiebatque, poterat subire animum, tam stupendam efficacitatem ad immutandas naturæ leges, esse prorsus supra mortalem conditionem, admonet Iacobus, Eliam *similem nobis fuisse passibilem*, sed orationis vi ad Dei omnipotentiam proximè accessisse. An non nubes ipsas quasi funiculo traxit, cùm preces eo fundente, primò apparere cœpit nubecula parva, quasi vestigium hominis, 3. Regum. 18. numero 44. deinde verò totum cælum nubibus coopertum, & arida terræ facies largissimis imbribus irrigata fuit?

28 Sed quid mirum est, orationis funiculo nubes trahi? Tota cælestium globorum machina torquetur, ac flectitur vi orationis: mox videbimus in isto capite, numero 8. omnes cœlestes orbes, postulante Ezechia, decem ipsos gradus Isaiæ precibus retroactos. Et quasi parum esset, sensus expertes orbes orationis funiculo quoquò versus cieri, atque circumagi: intelligentias ipsas cælorum præsides, fortissimos, inquam, illos exercitus Angelorum orationis vitta colligatos Elisæus ad terram deduxit. 4. Regum. 6. numero 17. *Cùmque orasset Elisæus, &c. Ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi.*

Illud verò, & fidem, & admirationem 29
omnem excedit, etiam Deum ipsum, Angelorum Regem, vitta orationis illigatum, atque devinctum ad Iustos trahi. Et oratione quidem, tanquam vinculo quodam, teneri Deum, paulò antè vidimus ex Hieronymo, qui hoc ipsum inculcat in caput 13. Ezechielis. *Cui enim dicitur, dimitte me, ostenditur, quòd tenendi habeat facultatem.* Sed est apprimè observandum, quod sapienter advertit Magnus Dionysius, libro de Divinis nominib⁹, capite 3. cùm Iusti dicuntur suis precibus vincire, atque adeò trahere Deum; vincitur quidem Deus oratione, sed hoc arctissimo nodo illi trahuntur ad Deum potiùs, quàm Deus trahatur ad ipsos. Dionysij verba sunt. [A precibus nobis ordiendum est, non ut vim illam ubique præsentem, & nusquam, trahamus, sed ut divinis commemorationibus, invocationibusque nos metipsos, & tradamus ei, & coniũgamus.] Quod duobus exemplis Dionysius illustrat: catenæ videlicet cœlitus demissæ, inibique fortiter affixæ, & funis scopulo alligati, iactatique navi, fluctibus impulsæ; quę qui manibus ad se traheret, potiùs ipse ab illis traheretur. Concludo hunc de orationis efficacitate commentarium memorabili illa Augustini sententia tomo 10. sermone 226. de Tempore. [Oratio iusti clavis est cœli: ascendit precatio, & descendit Dei miseratio.]

Nume-

Numerus 3.

Et dixit: obsecro Domine, memento quæso, quomodò ambulaverim coram te.

30 ANimus bene sibi cõscius valde excitat fiduciam orandi. 1. Ioannis 3. numero 21. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* Tob. 4. numero 12. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus faciẽtibus eam.* Cyprianus in sermone de opere, & eleemosynis, sub finem. [Præclara, & divina res salutaris operatio; solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium; munimentum spei, tutela fidei, medela peccati.]

31 Nihil contrà ita dejicit orationem, ac malè sibi conscius animus. Gregorius libro 10. Moralium cap. 11. [Ab spei fiducia protinus anima frangitur, si intenta precib⁹ necdum devictę culpę memoria mordetur. Diffidit namque accipere se posse, quod appetit, quæ profectò reminiscitur, nolle se adhuc facere, quod divinitus audivit.] Sic pręclarè Gregorius.

Propterea solent sancti, cùm calamitatibus premuntur, & ad Dei opem implorandam, tanquam ad aram supplices confugiunt, etiam si omnem suam spem pręcipuè fixam, ac locatam habeant in divina misericordia, atque veracitate; tamen sese ad postulandum erigere, refricantes memoria bona opera, quæ gesserunt. Rectè omnino ait hic Hieronymus. *Felix conscientia, quæ afflictionis tempore bonorũ operũ recordatur.* Exempla passim in Psalmis occurrunt. Sed duo tantùm perillustria aliunde excepta memorabo. Nehemiæ unum, Estheris alterum. 2. Esdræ 5. numero 19. *Memento mei Deus meus in bonum, secundum omnia, quæ feci populo huic.* Esther 14. numero 16. *Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum, &c.*

Non itaque abhorret à sanctorum humilitate, in bonis operibus, quæ, Deo aspirãte, gesserunt, (modò superbia caveatur,) fiduciæ aliquid collocare; & si propter incertitudinem meritorum; & inanis gloriæ periculum, longè tutius sit, fiduciam omnem in Dei benignitate reponere. Danielis 9. numero 18. *Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.* Hoc testantur publicæ preces, quas Ecclesia Catholica ad altare fundere solet. Nã in collecta sexagesimæ sic orat. *Deus, qui cõspicis, quia ex nulla nostra actione confidimus.* Et in secreta Dominicæ Adventus. *Vbi nulla suppetunt suffragia meritorum, tuis nobis succurre præsidijs.* In Canone verò post consecrationem. *Intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor, admitte.*

Illud verò præsenti loco apprimè quadrat. Vsque eò certum esse, conscientiam purã, & nullius sceleris, aut labis sibi conscium, excitare spem, erigereq; fiduciam, ut in sacro sermone conscientia bona pro spe usurpetur: idemque prorsus sit puram conscientiam, atque fiduciam nominare: adeò sunt, videlicet inter se arctissimè copulata, ut conscientiam, aut spem dicere, perinde sit. Testem laudo Apostolum. 1. Timoth. 1. numero 5. *Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Quem locum enarrans Augustinus, præfatione in Psal. 31. [Pro spe (inquit) conscientiam posuit; ille enim sperat, qui bonam conscientiam gerit. Quomodò enim mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe.] Et sibi constans Augustinus eamdem inculcat expositionem tomo 3. libro 1. de doctrina Christiana capite 39. [Cõscientiam bonam subiunxit propter spem; ille enim se ad id, quod credit, & diligit, perventurum esse desperat, cui malæ cõscientiæ scrupulus inest.].

Enim verò quèadmodùm ex cõscientia bona oritur fiducia, & fiducia, rectaq;

conscientia ita sunt inter se connexæ, ut una pro altera usurpetur: sic etiam consequenter ex ipsa fiducia existit in animo profusa quædam hilaritas, beataque lætitia: quæ usque eò inter se copulantur, ut fiduciam habere, idem omnino sit in sacro sermone, atque eximiè lætari; *secura enim mens quasi iuge conuiuium.* Proverb. 15. numero 15 *Spe gaudentes*, ait Apostolus ad Romanos 12. numero 12. & cap. 5. numero 2. *Gloriamur in spe filiorum Dei.* Sed age, id, quod proposuimus, sacræ Scripturæ testimonijs comprobemus.

36 Quod legimus in Editione Vulgata. Iob. 22. numero 26. *Tunc super omnipotentem delitijs affluues, & eleuabis ad Deum faciem tuam: rogabis eum, & exaudiet te.* Sic illustrarunt LXX. exprimendo tam effusæ exultationis causam, nempe solidam in Deo fiduciam collocatam. *Tunc fiducialiter ages coram Domino, inspiciens cœlum hilariter.* Vbi planè vides, idem prorsus esse fiducialiter agere coram Domino, & super illum delicijs affluere. In eodem libro. cap. 27. numero 9. *Nunquid Deus audiet clamorem eius*, (impij scilicet, & hypocritæ) *cùm venerit super eum angustia? Aut poterit in omnipotente delectari, & invocare Deum omni tempore?* Posterius hoc mẽbrum sic expressêrunt LXX. *Habet nè fiduciam coram eo? Aut tanquam si invocaverit eum, exaudiet eum?* Vbi etiam animadvertis, delectari in omnipotẽte idem esse, atque coram eo fiduciam habere. Similiter Isaiæ 58. num 14. *Tunc delectaberis super Domino.* Vbi LXX. *eris confidens super Dominum.*

37 Sed redeamus eò, unde paululùm defleximus, & orationem Ezechiæ pertexamus. Erigebat illius spem ea cogitatio, quòd sibi conscius esset, se coram Deo ambulasse, atque adeò à recta conscientia, ne transversum quidem digitum discessisse. Est hoc idioma in arcano sermone frequens, *ambulare cum Deo, sive coram Deo*: quo perfectissima vita, & omnibus expleta partibus, omnibus numeris absoluta denotatur. Quam phrasim constantissimè illustravere LXX. notabili alio idiomate, qui, *ambulare coram Deo*, sæpe reddiderunt, *placere Deo*. Cùm vellet Deus Abrahamum ad eximiam, & excellentem virtutis ideam informare, hanc illi rectè vivendi compendiariam normam præscripsit, Genes. 17. numero 1. *Ambula coram me, & esto perfectus.* LXX. *place in conspectu meo, & esto inculpabilis, seu irreprehensibilis.* Augustinus libro 16. de civitate. c. 26. legit absolutè, *place, & esto sine querela.* Cùm simile Thaletis Mi- 38
lesij monitũ recitasset Tullius libro 3. de Legibus: nimirùm assiduè voluntãdum animo esse, non solùm facta, atq; dicta, verùm etiam cogitata divinis oculis patere; præclarè adiecit Cicero, *omnem virtutis Philosophiã hoc uno verbo Thales cõplexus est.* Addit explicatiùs Valerius maximus libro 7. cap. 2. §. 7. [Vt non solùm manus, sed etiam mentes puras habere vellemus, cùm secretis cogitationibus nostris cœleste numen adesse credidissemus.] Potentissimum frenum putavit Seneca iniecisse se Lucilio, ad turpes animi motus coërcendos, cùm hoc illi consilium dedit, epistola 25. *Sic vive, tanquam sub alicuius boni viri, ac semper præsentis, oculis.* Si ergo vir gravissimus, tanquam præsens animo informatus duntaxat, hominem in officio continere posset, quid non componet nostræ vitæ continuus severissimi Iudicis aspectus, quẽ certa fide tenemus re vera esse præsentem? Sapienter Augustinus in soliloquio cap. 14. *Magna nobis est indita necessitas iustè, rectèque vivendi, qui cuncta facimus ante oculos iudicis, cũcta cernentis.*

De innocentissimo illo Abel scribit Io- 39
sephus, libro 1. Antiquitatum capite 4. *In omnibus, quæcumque gerebat, Deum putabat esse præsentem.* De sanctissimo Enoc legimus, Genes. 5. numero 24. *Ambulavitque cum Deo.* Vbi verterunt LXX. *beneplacuit Deo.* Quorum versionem sequuti sunt Apostolus ad Hebræos 11. numero 5. *Testimonium habuit, placuisse Deo.* Et Ecclesiasticus cap. 44. n. 16. *Enoch placuit Deo.* Ecce, qui cũ Deo ambulavit,

dignam

dignam sanè divinis oculis, sub quibus degebat, vitam traduxit, atque adeò Deo vehementer placuit. Quid ni semper placeat divinis oculis, qui in omnibus, quæ facit, aut cogitat, nusquam ab eorum cõspectu suos ipse demovet oculos?

Frequentes sunt in hoc illustri idiomate LXX. locos duntaxat attingam, & lectori expendendos relinquam. Tantũ moneo Græcè ubique subesse, *Evaresteo*. Genes. 6, num. 9. *Noe vir iustus, atque perfectus cum Deo ambulavit*. LXX. *Placuit Deo*. 40
Genes. 24. num. 40. ait Abraham, *Dominus, in cuius conspectu ambulo*. LXX. *Dominus Deus, cui placui ante ipsum*. cap. 48. nu. 15. benedixitque Iacob filijs Ioseph, & ait: *Deus, in cuius conspectu ambulaverunt patres mei*. LXX. *Deus, cui placuerunt patres mei in conspectu eius*. Quod habemus in versione Vulgata, quæ translata est in Psalterio ex editione LXX. Psalmo. 114. num. 9. *Placebo Domino in regione vivorũ*. Sic legitur Hebraicè. *Ambulabo coram Domino in terra viventium*.

In veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis, fecerim.

41 VIDE, quàm cõgruenter ad ea, quę observavimus, ista connectantur; scilicet, qui ubique veretur divinos oculos, qui Deum semper præsentem intuetur, qua fronte, vel transversum unguẽ, sciens, ac prudens ab eius voluntate defle&et? Hìc etiam LXX. Idiomatis sui memores, reddiderunt, *& placita in conspectu tuo feci*; Græcè. *aresta*. Solent enim viri isti sapientissimi, Spiritu Sancto afflati, quia id demum, vel potiùs id solum, placere divinis oculis certò sciunt, quod bonum, ac rectum sit; cùm hæ voces subsunt in originali, frequenter *placitum* exprimere. Exodi. 15. num. 26. *Si quod rectum est coram eo, feceris*. LXX. *si quæ placent coram illo, feceris*. Et multis alijs locis. Quod idioma ipse etiam Vulgatus imitatur, qui vertens hęc ipsa Ezechię verba 4. Reg. 20. n. 3. ita reddidit, *& quod placitum est coram te, fecerim*. Sic Deut. 12. n. 25. *Cùm feceris, quod placet in conspectu Domini*. Et capite 13. num. 18. *Vt facias, quod placitum est in conspectu Domini Dei tui*. utrobique habetur Hebraicè *iasar*, id est, *rectum in oculis Domini*.

Ille autem facit bonum, rectum, atq; placitum in oculis domini, qui ambulat coram illo in veritate, & in corde perfecto. LXX. *En cardia alethine*, id est, in corde vero. Itaque existimo, hanc posteriorem partem exegeticam esse prioris, & idem omnino significare, *in corde perfecto, atque in veritate*. Moveor primò, quia in veritate ambulare coram Deo, est non fictè, non simulatè ei servire: quemadmodùm etiam diligere proximum in veritate. 2. Ioannis 1. num. 1. est, caritate, non verbis adumbrata, sed vera, atque germana prosequi. 1. Ioannis 3. num. 18. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate*. Hoc autem ipsum in arcano sermone aliàs significanter sic exprimitur. 3. Reg. 8. num. 23. *Qui custodis pactum, & misericordiam servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo*, id est, in veritate: & capite 9. num. 4. *Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulavit Pater tuus in simplicitate cordis*. 42

Moveor deinde, quia ambulare coram Deo in corde perfecto, sive in corde vero, ut reddiderunt LXX. sive in toto corde, aut in simplicitate cordis, ut in locis, quæ modò recitavimus, ex idiomate sacræ Scripturæ, opponitur duplicitati cordis, atque adeò idem prorsus est, atque ambulare in veritate. Vbique detestatur sacra Scriptura duplices corde. Ecclesiastici. 2. num. 14. *Væ duplici corde*. 1. Paralip. 12. num. 33. *Venerunt in auxilium, non in corde duplici*. Cui opponitur ibidem, *corde perfecto venerunt*: & paulò pòst in eodẽ numero, *corde uno*. Vbi observãdum est, cor verum, simplex, atque perfectum, cor unum appellari: quia vir fictus, dolosus, & fraudulentus non unum, sed duo corda 43

habere

habere dicitur. Psalm. 11. num. 3. *Labia dolosa in corde, & corde loquuti sunt.* Symmachus solvit Hebraismum; vertit enim, *in corde alio, atque alio*; altero videlicet blando, verbis ementito, perverso altero in pectore latente. Hanc vim habet gemi nata illa eiusdem nominis repetitio, *in cor de, & corde*; id est, duplici corde: ut conf
44 tat ex simili Hebraismo, Proverbiorum 20. num. 10. & num. 23. *Abominatio est apud Dominum pondus, & pondus.* Id est, duplex pondus: unum ad emendum ma-
45 ius, alterum ad vendendum minus: cui mox adiungitur, explicationis gratia, *statera dolosa.* Opponitur autem illi Proverbiorum 11. num. 1. *Pondus æquum.* Hebraicè, *perfectum.* Ecclesiastici 1. numer. 36. *Ne accesseris ad illum* (scilicet Deum) *duplici corde.* Quid autem sit accedere ad Deum duplici corde, disertè explicatur num 40. *Accessisti malignè ad Deum, & cor tuum plenum est dolo, & fallacia.*

Moveor deniq;, quia vox Hebraica *Salem*, quæ subest in hoc loco, quam variè illustrant Vulgatus, & LXX. & cordi frequentissimè apponitur, significat rem integram, atque perfectam: ac proinde veram, non divisam, non adulterinam, aut fucatam. 1. Paralip. 29. num 9. *Toto corde offerebant ea Domino.* Vbi LXX. *Pleno corde.* 3. Regum 15. num. 14. *Cor Asà perfectum erat cum Domino.* 2. Paralip. 16. nu. 9. *Oculi Domini contemplantur universam terram, & præbent fortitudinem iis, qui corde perfecto credunt in eum.* Et sexcētis alijs locis.

Et flevit Ezechias fletu magno.

46 INGENS pondus ad impetrandum precibus accrescit ex lacrymis. Vix re perietur, qui non à Deo, quod petiit, obti nuerit, modò preces lacrymis cumulaverit. *Quando orabas cum lacrymis*, aiebat Raphael Tobię capitè 12. num. 12. *ingemuit scilicet, & cœpit orare cum lacrymis.* cap. 3. num. 1. Raguel etiam capite 7. num. 13. *Non dubito, quòd Deus preces, & lacrymas meas in conspectu suo admiserit.* Iudith verò. capite 8. num. 14. *Indulgentiam eius fusis lacrymis postulemus.* Tertullianus quidē fusis Ezechiæ lacrymis adscribit, placatum ei fuisse Deum. Ait enim libro 5. cōtra Marcionem capite 11. *Facilis Deus Ezechiæ fletibus flecti.* Præclarè Anselmꝰ Laudunensis in ea verba Tobiæ 3. num. 11. 47
In oratione persistens cum lacrymis deprecabatur Deum: oratio (inquit) *Deum lenit, lacryma cogit; hæc ungit, illa pungit.* Stimulat videlicet acriter, & planè cogit lacryma Deum. Quia si venustorum oculorū eximia pulchritudo voluntaria quædam, ac violentâ tyrannis est, qua capti, & vulnerati spectatores ad amorem sponte rapiūtur: nihil venustius spectat Deus oculis lacrymantibus. Chrysostomus tomo 1. homilia 30. in Genesim, sub finem. *Quidnã, dic oro, oculis illis formosius, perpetuo lacrymarum imbre, & quasi margaritarum decore ornatis?*

Illud insuper observo in sacro sermo- 48
ne, non modò lacrymas, vim, & pondus precibus addere, verùm etiam si nullæ ore tenus preces fundantur, lacrymas ipsas solas tacitè manantes ex oculis, efficacissimas esse preces, atque adeò clamare, dum tacent, & placido illo silentio ad cælum usque clamorem contendere. Notavit hoc Maximus Taurinensis in homilia de pœnitentia sancti Petri, in qua pleraq; hausit ex Ambrosio in caput 22. Lucæ. circa illa verba numeri 62. *Egressus foras Petrus flevit amarè.* [Ergo Petrus prorupit ad lacrymas, nihil voce precatus. Invenio enim, quòd fleverit: non invenio, quid dixerit. Lavat lacryma delictum, quod voce pudor est confiteri; lacrymæ tacitæ preces sunt: veniam non postulāt, & merentur.] De Magdalena etiam idē observant Expositores. Luc. 7. num. 38. *Lacrymis cœpit rigare pedes eius.*

Atque hinc fluxit notabile illud idio- 49
ma sacrum, quo lacrymis vox attribuitur, ac proinde à Deo non spectari dicuntur, sed audiri. Psalm. 6. num 9. *Exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Psalm. 38. nu. 13.

Auribus percipe lacrymas meas. Threnorū 2. num. 18. *neque taceat pupilla oculi tui.* Imò, si eidem Sancto Maximo credimus, ut par est credere, contentiores, expressioresq; sunt lacrymarum voces, quàm precum. [Vtiliores (inquit) lacrymarum preces sunt, quàm sermonum. Quia sermo in precando fortè fallit, lacryma omnino non fallit: sermo enim interdum non totū profert negotium, lacryma semper totū prodit affectum.] Flectitur igitur Deus gemitibus, ac precibus, non voce tenus editis, sed ab intimo corde ductis. At lacrymæ doloris in animo concepti testes incorrupti sunt, omnicq; exceptione maiores, & latentis in corde pœnitentiæ evi
50 dentissimi indices. Acutè satis Nissenus, in oratione funebri de Placilla: *dolor* (inquit) *in corde delitescens per fletus, & lamentationes significatur, ac vulnerum animi tanquam sanguis lacrymæ sunt.* Quid ergo mirum, si Deus, qui corda præcipuè, & affectus spectat, lacrymis magis, quàm precibus capiatur? Ecclesiastici 35. n. 18. *Non né lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas?* (vide clamorem lacrymarum, ac vide etiam quò clamor iste perringat) *à maxilla enim ascendunt usque ad cœlum.* Mirabili sanè modo, dum ubertim effusæ lacrymæ deorsum per genas defluere videntur, contrario prorsus, celeriq; motu, ad cœlum usque sursum ascendunt. Iure exclamat Laurentius Iustinianus, in libro de Ligno vitæ, capite 9. [O lacryma humilis, tua est potentia, tuum est regnum. Tribunal Iudicis non vereris: amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis: nō est, qui te ad Deum accedere vetet: si sola intres, vacua non redibis. Quid plura? vincis invincibilem, ligas omnipotentem, aperis cœlum, fugas diabolum.]

51 Enim verò illud est lacrymarum maximè proprium, animorum sordes eluere, maculasque peccatoris omnino delere. Propterea enim solēt Patres lacrymas cū baptismo comparare. Isidorus libro 2. de officijs Ecclesiasticis, capite 25. eas vocat *Baptisma laboriosum.* Leo Magnus sermone 9. de passione Domini. [Felices, sancte Apostole, tuę lacrymæ, quę ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis.]

Cautè tamen legenda est Ioannis Climaci exaggeratio de hac re: ait enim Gradu 7. *Maior, ac potētior baptismate post baptisma (& si audax dictu id videatur,) fons lacrymarum est.* Exaggerationis huius causam ibi subiungit. Baptismo enim lustrātur originalis culpa; & actualia peccata, in ignorantiæ tenebris admissa: lacrymis verò eluuntur longè graviora flagitia, accepta iam Evangelij luce, patrata. Baptismus nos semel duntaxat abluit, lacrymis verò identidem abluimur. De Piorum lacrymis agens Nazianzenus, oratione 1. contra Iulianum, ait: *Quorum lacrymæ peccati diluvium sunt, & mundi expiamentum.* Chrysostomus autem censet nusquam aliàs fructuosè lacrymas collocari, nisi cùm ad abluenda peccata profunduntur: ait enim homilia quinta de pœnitentia. [Propter hoc tristitia facta est, ut ipsa ad delenda peccata utamur. Mulctatus est quispiam pecunia; tristatus est: mulctam non emendavit: filiū amisit, doluit; mortuum non resuscitavit: in morbum periculosum quis incidit, luxit; morbū non sustulit, sed difficiliorē reddidit: vides horum nulli prodesse tristitiam? Peccavit quis; lacrymatus est; peccatum delevit.]

52

Admirabilem hanc lacrymarum efficacitatem ad eluenda peccata, significare voluit Samuel, cùm populum illum flagitioso simulacrorum cultu contaminatum, nova, & nusquam in sacris libris aliàs memorata cerimonia, ad detestationem, & pœnitentiam suorum scelerum informavit 1. Regum 7. num. 6. *Et convenerunt in Masphat, hauseruntque aquam, & effuderunt in cōspectu Domini: & ieiunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi, peccavimus Domino.* Quorsum spectat tam insolita actio, tamque inaudita, ubi tam sedulò agebatur de concipienda peccatorū pœnitentia? Quid efficacitatis habet effu-

53

sio ista aquę ad placandum Divinū numē, sceleribus violatū? An ut conditionis humanæ fragilitatem, ac miseriam ingenuè faterentur, atq; adeò Deum ad misericordiam inclinarent? Perinde ac si universus populus facto illo testaretur, *sicut aqua effusus sum.* Psalm 21. num. 15. incurri in illam maledictionem Ruben. Genes 49. num 4. *effusus es, sicut aqua: non crescas.* An ut nova illa ceremonia testatum omnibus relinquerent, se iam ex animo nuntium idolis remittere, eaque sic penitus è corde abijcere, quemadmodùm aqua illa effundebatur, sine ulla spe eā rursus colligēdi: imò sine ullo prorsus in vase vestigio relicto, neque saporis, neq; odoris?

54 Cadunt hæc omnia mirificè in animū verè pœnitentē. Sed ego existimo Chaldaicum Paraphrastē huius insolitæ actionis mentem assequutum. Sic enim locū illustravit. *Hauserunt aquas è puteo cordis sui, & abundè lacrymati sunt coram Domino pœnitentes.* Sic Latinè reddit eius verba Vatab. in eum locū, & eòdem recidit Latina versio, quæ habetur in Biblijs Regijs. *Implevērūt aquas, & effuderūt in pœnitētia ante Dominum cor suum.* Sic etiam explicavit Gregorius in Cōmentario illius loci. [Quid est aquā haurire, nisi de profunda animi pœnitentis confusione, lacrymarum fluenta producere? velut enim aquā haurimus, dum quàm profunda iniquitate cecidimus, considerantes plangimus.]

55 Huc respicit modus ille loquendi in sacra Scriptura. Idem enim est Threnorum 2. n. 19. *effunde sicut aquam, cor tuum ante cōspectū Domini*, & ibid. n. 18. *deduc quasi torrentem, lacrymas.* Ps. 61. n. 9. *effundite coram illo corda vestra.* Præclarè enim Rodiginus lib. 12. antiquarum Lectionum, cap. 3. *Non est*, inquit, *aliud lacryma, quā aquosus humor ab oculis profluens ex imo corde.*

Itaq; hauserunt aquam, & effuderunt coram Domino, perinde quasi tacita ceremonia palàm enuntiarent. Peccavimus, ò summe Deus, innumera contra te, eaque gravissima scelera commisimus: ad ea eluenda rivis lacrymarum nobis opus erat. Vtinā his manarēt corda nostra, tota in fletus uberes resoluta. Tu ea pro tua pietate emolli: excute ex silice pectoris fluēta lacrymarū. Interim, quia nos ob insitā duritiē lacrymas nō possumus ubertim effundere, quod possumus, hanc aquā largè effusam earum loco tibi deferimus.

Deniq; hæc lacrymarū eluvio usq; eò 56
potens est, ut voraces illos inferorū ignes, vastasq; fornaces, in omnem æternitatē accensas, prorsus extinguat. Testatur id eloquentissimus Chrysologus, serm. 93 [O quanta vis est in lacrymis peccatorum! rigant cœlum, terram diluunt, extinguunt gehennā, delēt in omne facinus latā divina promulgatione sententiā.] Paternè satis Chrysostomus monet in illa homilia 5. de pœnitentia. [Præoccupet pœnitentia pœnā: rogum peccatorū extinguimus, nō iam aquis multis, sed parvis cū lacrymis.] 57
Huc refert Chaldæus verba illa per obscura; Ps. 83. n. 6. *Beatus vir, cui est auxiliū abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarū.* Quorum verborū litteralē sensum, quoniam difficilior est, quā ut leviter, & in transcursu examinari debeat, petes ex Agelio, Bellarmino, & Genebrardo: Hebraica ita redduntur verbū è verbo. *Transeuntes per vallem fletus, fontē ponent eam.* Tigurina. *fontibus abūdantē reddēt.* Quæ sic illustrat Chaldæus Paraphrastes, Latinè reddit à Genebrardo, ibi n. 7. *Peccatores, qui transeunt per profundū gehennæ; flentes fletu; sicut fontē ponent illud.* Videlicet, qui horribiles illos flāmarū globos, quibus damnati usq;, & usq; acerrimè concremantur, alta mentis cogitatione volutaverit: seq; ob peccata, quę admisit, tam atrox supplicium commeruisse animadverterit, immortales agēs Deo gratias, quòd se vorācibus illis flammis eripuerit, indeque vera ob Deum offensum contritione conceptā, uberes lacrymas profundet, quibus non modò incendium illud extinguet, verùm ex eo etiam, tanquam ex perenni fonte, hac iugi meditatione, lacrymatione que, gratiarum in se fluenta derivabit.

Atque

58 Atque hinc etiam est, quod meritò affirmat Petrus Cellensis in libro de Panibus capite 12. (habetur tom. 9. Bibliothecæ.) Vbi de diabolo agens ait: [Suam tolerabiliùs sustinet flammam, quàm lacrymam nostram. Acriùsque contriti cordis lacryma, quàm flāma infernalis incendij torquetur.] Hunc frequēter dæmoni peracerbum dolorem inuramus, mentesq; nostras cœlestibus donis, fletu partis cumulemus.

Numerus 4. & 5.

Et factum est Verbum Domini ad Isaiam, dicens: vade, & dic Ezechiæ: hæc dicit Dominus Deus David Patris tui: audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas.

59 [E]Xprimitur 4. Regum 20. temporis circunstatia, quam hîc prętermisit Isaias, & quæ celeritate ipsa egregiè commēdat divinam clementiam, quæ ad primā lacrymam obortam reo, ad primum gemitum editum in oratione, ferò denunciatam sententiam capitalem revocaverit. Sic enim ibi legimus num. 4. *& antequàm egrederetur Isaias medium partem atrij, factus est sermo Domini ad eum dicens: revertere, & dic Ezechiæ, &c.* Nondum Propheta regiarum ædium limine pedē extulerat, nondum totum atrium egressus fuerat, cùm iam Ezechias intentati divinitus supplicij cōdonationem impetraverat. Quàm verè pollicitus est pijssimus Deus, flectique facillimus, Isaiæ 30. n. 19. *Plorās nequaquam plorabit,* (id est, non multis lacrymis ad placandum benignissimū Iudicem opus tibi erit,) *misericors misereberitur tui: ad vocē clamoris tui, statim, ut audierit, respondebit tibi.*

60 Expēdens Salvianus lib. 1. de Providētia, in ipso statim initio, verba illa Psalmi 33. num. 16. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorū.* [Vide, inquit, qua benignitate agere cum suis Deū, Scriptura dicit: in hoc siquidem, quod ait, oculos Dñi super iustos esse, affectus aspicientis ostenditur: in hoc autem, quòd aures in precibus paratas, semper exaudientis largitas demonstratur: quamvis per id, quod dicit, divinas aures in precibus semper esse iustorum, non audientia tantùm, sed quædam quasi obedientia Dei designatur.] Explicat statim nullam aliam esse istam divinarum aurium ad iustorum preces obedientiam; *nisi ut semper exaudiant, nisi ut promptè audita tribuant, nisi ut illico exaudita concedant.*

61 Neq; verò debent nostræ aures in illo Salviani in speciem audaci *obedientiæ* vocabulo peregrinari: quando nec illud horret ipsa Scriptura, Iosue 10. num. 13. *obediente Domino voci hominis.* Neque horruit Iosephus, dum editum ab Onia Sacerdote miraculū enarraret, lib. 14. Antiquitatum, cap. 3. *Onanti Oniæ obediens factus est Deus.* Exaggerat enim hoc vocabulum immensam Dei erga homines bonitatē, qua fit, ut quasi per voluntariā subiectionem ipse Deus, antequàm id iusti vel cogitare audeāt, se sponte obliget, obstringat que ad ea celeriter patranda, quæ ipsius pręveniente instinctu, fidenter illi postulaverint. Lege Serariū quæst. 19. in cap. 10. Iosuę.

62 Et quia illa demum promptissima, atq; exactissima obedientia est, quæ non modò iubentis imperium, sed etiam nutum prævertere solet. Ita Deus obedit iustorum precibus, ut antequàm illę verbis cōcipiantur, Deus ipse pareat, precesque anteverta. Observavit hoc Bernardus sermone 9. in Cantica. [non vocatus adfuit, & delectatus verbis prævenit preces. Arbitror, quòd interdum nec verba expectat, sed solis cogitationibus advocetur.] Isaię 65. num. 24. *eritque antequàm clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Psalm. 9. num. 17. *desiderium pauperum exaudivit Dominus.* (Antè scilicet, quàm precibus illud enuntiarent.

Proverb. 10. num. 24. *desiderium suum iustis dabitur) præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Cùm videlicet illi præpararent ante orationem animam suam. Eccles. 18. num. 23. Attentas præparationi ipse aures admovebat Deus. Symmachus *prothesin: proposuit cordis eorum audivit auris tua.* Propositum iustorum, animo dumtaxat conceptum, nondum verbis confirmato, auscultare, & obedire solet Deus. Psalm. 118. num. 57. *dixi* (id est, deliberate proposui, statuì decrevì, ut Psal. 38. n. 2. *dixi, custodiam vias meas.* Psalm. 76. n. 11. *& dixi, nunc cœpi.*) *Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Antequã id, quod animo proposueram, re ipsa exequerer, tu, ô summe Deus, propositum meum, orationis loco suscepisti, meoque desiderio vix dum vocis animi conceptu obtemperasti. Luculenter sanè exclamat Nazianzenus oratione 40. in sanctum Baptisma, circa medium. [O miram beneficentiæ celeritatem! ô facilem contrahendi rationem! hoc bonum solo voluntatis pretio emendum tibi proponitur: appetitionem ipsam Deus ingentis pretij loco habet: sitit sitienti, bibere cupientibus potum præbet: cui ab eo beneficium petitur, beneficio id ducit: prompta, munifica, atq; prolixa natura est: iucundius dat, quam alij accipiunt.]

Non involvam silẽtio in Hebraico textu legi verbum singulari numero, *Dimhartica, & vidi lacrymam tuam.* Sic etiam Psalmo 55. num. 9. *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo:* Hebraicè *Dimhati, lacrymã meã.* Vix dũ obortæ Ezechiæ lacrymula, antequàm deflueret in genas, in bonigenos, & attentos Dei oculos incurrit, patetnumq; illud pectus ad misericordiam emollijt. Expostulavit graviter Antipater cum Alexandro Magno per litteras, de Olympiade Alexandri ipsius matre, quòd exiguè contumelijs à Rege, ut illatæ sibi per summam insolentiam iniuriæ quàm primum resarciretur. Legit sedatè quietus Alexander, & nobili illo apophthegmate respondit, *ignorare videtur Antipater, quòd una mi-*

tus lacryma multas delebit epistolas. Una peccatoris lacryma, ighe diquata contritionis, muleas, easque gravissimas illatas Deo delebit iniurias. 82

Diximus 30. quantum Deus capiatur peccatorum lacrymis, nunc illud tantùm adiungo. Etsi verè dixit Bernardus, sermon. 9. in Cantica. *Lacrymæ pœnitentium vinum sunt Angelorum.* Sed certè parum dixit. Vinum etiam suavissimum sunt, quo sitim sedat, & oblectatur ipse Deus. Verba illa Psalm. 55. num. 9. *posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Ita vertit ex Hebræo Tigurina. *Lacrymas meas repone in lagunculam tuam, an non in rationario tuo?* Regia: *tu pone lacrymam meam in utre tuo; non ne in libro tuo?* Paraphrasi illustrat Agellius, *Oro, ut lacrymas meas temerè fundi, ac perire non sinas. Sed eas per stillas quodãmodò collectas in utre tuo condas, & in rationibus tuis diligestum earum numerum habeas. No se le pierde a Dios una sola lagrima vertida por su amor: en una tarrefa las mandaguardan, como vino, que se sirve en sumesa, y las recibe por cuenta, i escribe en su libro de memoria.* Isidorus Clarius. *Pone lacrymas meas in lagunculam tuam, & in libro rationum tuarum scribe eas.* Vatablus. *An non sunt in commentarijs tuis?* Genebrardus, *In memoria tua.* 66

Nequo silentio prætereundũ est, quod non modò hîc, sed 4. Regum capite 20. num. 5. Deo etiam tanquã excellens quidam attribuitur. *Hæc dicit Dominus Deus David patris tui.* Eadem omnino verba habentur in epistola illa, quam Elias scripsit ad Ioram 2. Paralip. 21. n. 12. & de pijssimo Iosia legimus, 2. Paralip. 34. n. 3. *Cùm adhuc esset puer, cœpit quærere Deũ patris sui David.* Admirãda prorsus divinæ pietatis dignatio, ut qui rerum omnium conditor est, Deum se David dici, & hoc quasi cognomine compellari glorietur. Exodi. 3. num. 6. cùm enim ita se vocasset, *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Continuò subiecit num. 15. *Hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem.* 67

Perinde ac si dicat Hoc nimirum nomen erit, per quod homines mei in posterum
68 recordabũtur. Solent, qui Regi ministrãt, honorificis illis titulis gloriari, *OEconomus Regis*, *consiliarius Regis*, *&c.* At Regem, qui alicuius famuli nomen suo adiungat, qui eius se Regem esse, ducto ab eo cognomine glorietur, vidimus omnino neminem. Atqui Deus tanti suos famulos æstimat, *ut non confundatur Deus, vocari Deus eorum*, ad Hebræos 11. num. 16. in quem locum ait Teophilactus. [Deus adeò eos magni facit, ut cùm sit totius mundi Deus, hoc est, visibilis, & eius, qui sub visum nostrum nõ cadit, non erubescat, peculiariter vocari eorũ Deus: perinde quasi ipsi omnibus creaturis sint æquiparandi.] Quomodò autem ex isto Dei titulo colligat Christus animorum immortalitatem, corporumque resurrectionem, eruditè tractant Maldonatus Matth. 22. numero 31. Barradas tomo 3. libro 8. cap. 16. & Pererius in cap. 3. Exod. disp. 9.

Ecce ego adijciã super dies tuos quindecim annos.

69 Hic etiam nonnulla desiderantur, quæ 4. Regum 20. num. 5. expressè referuntur. *Et ecce sanavi te, die tertio ascendes Templum Domini.* Ego verò ad huius morbi, curationisque illius pleniorem intelligentiam, antevertendum etiam, & interserendum esse arbitror versiculum 21. huius capitis, quem sua sede motum esse, & alieno loco positum, concors post Hieronymum interpretum omnium sententia fert. Sic enim ibi legimus, *& iussit Isaias, ut tollerent massam de ficis, & cataplasmarent super vulnus, & sanaretur.* Vbi Hieronymus [Hoc priùs legendum est, quàm oratio Ezechię. Antè enim cataplasma vulneri positum est, & priùs signũ ab eo petitum futuræ sanitatis, quàm gratias ageret Domino.]

70 Atque ut à Regis vulnere explicationẽ ordiamur, sciendum est: gravissimum, plane perinde ac si dicat Hoc nimirum nomen erit, per quod homines mei in posterum recordabũtur. Solent, qui Regi ministrãt, honorificis illis titulis gloriari, *OEconomus Regis*, *consiliarius Regis*, *&c.* At Regem, qui alicuius famuli nomen suo adiungat, qui eius se Regem esse, ducto ab eo cognomine glorietur, vidimus omnino neminem. Atqui Deus tanti suos famulos æstimat, *ut non confundatur Deus, vocari Deus eorum*, ad Hebræos 11. num. 16. in quem locum ait Teophilactus. [Deus adeò eos magni facit, ut cùm sit totius mundi Deus, hoc est, visibilis, & eius, qui sub visum nostrum nõ cadit, non erubescat, peculiariter vocari eorũ Deus: perinde quasi ipsi omnibus creaturis sint æquiparandi.] Quomodò autem ex isto Dei titulo colligat Christus animorum immortalitatem, corporumque resurrectionem, eruditè tractant Maldonatus Matth. 22. numero 31. Barradas tomo 3. libro 8. cap. 16. & Pererius in cap. 3. Exod. disp. 9.

Ecce ego adijciã super dies tuos quindecim annos.

69 Hic etiam nonnulla desiderantur, quæ 4. Regum 20. num. 5. expressè referuntur. *Et ecce sanavi te, die tertio ascendes Templum Domini.* Ego verò ad huius morbi, curationisque illius pleniorem intelligentiam, antevertendum etiam, & interserendum esse arbitror versiculum 21. huius capitis, quem sua sede motum esse, & alieno loco positum, concors post Hieronymum interpretum omnium sententia fert. Sic enim ibi legimus, *& iussit Isaias, ut tollerent massam de ficis, & cataplasmarent super vulnus, & sanaretur.* Vbi Hieronymus [Hoc priùs legendum est, quàm oratio Ezechię. Antè enim cataplasma vulneri positum est, & priùs signũ ab eo petitum futuræ sanitatis, quàm gratias ageret Domino.]

70 Atque ut à Regis vulnere explicationẽ ordiamur, sciendum est: gravissimum, plane nèque lethalem fuisse Ezechiæ morbum: propterea enim dicitur *ad mortẽ ægrotasse*. Morbus ille vocatur Hebraicè, *sehin*, de qua voce sic Hieronymus in commentario. [Aiũt Hebræi *sehin* ulcus sonare, non vulnus; nam & Aquila, Symmachusq;, & Theodotio *elcos*, interpretati sunt.] Vulgatus ipse ulcus interpretatur, non aliàs modò, sed etiam cùm de Ezechia sermo est. 4. Regum 20. numero 7. *Dixitque Isaias, afferte massam ficorum, quam cùm attulissẽt, & posuissent super ulcus eius, curatus est.* LXX. etiam constantissimè in omnibus locis, ubi Hebraicè subest hæc vox, *sehin*, *ulcus* reddiderunt. Exodi 9. numero 6. 10. & 11. Leuit. 13. nu. 19. & 20. Deuter. 28. numero 27. & 35. Arias Montanus Isaiæ 38. num. 21. importunos, difficilesque tumores, ex putrescente sanguine conflatos, quos apostemata chirurgi vocant, interpretatur. Consentaneè Forerius, nosterq; Pineda, Iob. 2. vers. 8. sectio. 3. ulcus, & apostema, ex ardore proveniens ferventis, & acerrimi humoris, exponit. Regia in hoc loco vertit *inflammationem*. Atque hæc de morbo; nunc de medicamento.

71 In Hebraico Textu massa illa ficorum iubetur in pulveres comminui, & ulceri applicari. Sic vertit Hebraica Forerius. *Sumant massam ficuum, & contundant super ulcus, & vivet.* LXX. verò. *Sume massam de ficis, & tere, & cataplasma, & sanus eris.* Existimantque nonnulli, hoc ficorum cataplasma admotum apostemati, ad illud sive resolvendum, sive maturandum, natura ipsa valere. Quibus favent verba illa Tertulliani, in libro de Corona militis, capit. 8. *Memini, & Isaiam Ezechiæ languenti aliquid medicinale mandasse. Scit & Paulus stomacho vinum modicum prodesse.*

72 Magis tamen inclino in eam opinionem, quam Hieronymus primo loco ponit, atque probare magis videtur: nihil ardentissimo apostemati, inflammationique vehementissimæ fingi, aut excogitari posse nocentius, magis vè

contrarium, ficcioribus ficis, minutê contusis, nativoque calore flagrantibus. Quare ad augendam potiùs morbi calidissimi vim, amplificandumque insito ardore cruciatum, illud cataplasma natura valeret. Adijcit Hieronymus dignam Hieronymo sententiam: *ergo ut Dei potentia monstraretur, per res noxias, & adversas sanitas restituta est.* Addo etiam, ut Ezechiæ fides exerceretur: de illo enim plerique explicant Pauli verba ad Hebræos 11. num. 34. *Sancti per fidem, &c. cõvaluerunt de infirmitate.*

73 Resplendet itaque Divina omnipotentia, sapientiaq; cùm ex contrarijs contraria prorsus eruuntur. Ponderat hoc Chrysostomus, homilia 4. in Epistolam ad Corinth. circa illa verba capitis 1. num. 22. *Iudæi signa petunt.* [Apostoli (inquit) non per signum, sed per id, quod signis contrarium est (crucem videlicet, non virtutis, sed imbecillitatis argumentum) mundum vicerunt; quod & in cæco operatus est Christus, quem cùm sanare vellet, per rem oculis cõtrariam cæcitate liberavit, quippe qui lutum oculis imposuit.] (Ioann. 9. num. 6.) subdit deinde Chrysostomus. *Ita etiam fecit in creatione, per contraria cõfirmans, & stabiliens contraria: arena quidẽ mare munijt, infirma validum, & forte fræna.*

74 Licebit exempla similia ex sacris monumentis depromere. Hausturus aquas Moyses ê rupe sitienti populo, silicẽ virga percussit, à quo ignis potiùs scintillas excuteret, Numer. 20. num. 11. *Percutiens virga bis silicẽ, egressæ sunt aquæ largissimæ.* Elias contrà crematurus holocaustum, tantum aquæ circum altare iussit effundi, ut totum aquis redundaret. 3. Regum 18. num. 35. Elisæus verò aquas pessimas, & amaras infuso sale reddidit dulces, atque salubres. 4. Regum 2. num. 21.

Numerus 6.

Et de manu Regis Assyriorum eruam te, & civitatem istam, & protegam eam.

75 Minutè exprimitur, qualis futura esset impendentis periculi depulsio: Isaiæ 37. num. 33. & 4. Regum 19. numero 32. *Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam sagittam, neque occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio.*

76 Verbum porrò Hebraicum, quod respõdet Latino, *protegam*, significantissimum est: ut etiam observavit Arias Montanus, Isaiæ 37. num. 35. est enim translatitium, ductumque à clypeis, & scutis, *Veganoti.* Ego me, (inquit Deus) tanquam clypeum opponã, & obijciam adversus quoscumquê hostes in hanc urbem irruentes: divinæ meæ potentiæ oppositu, atque obiectu, tela in eam contorta propulsabo. Iure enim David gloriabatur, 2. Regum 22. numero 3. *Deus fortis meus, scutum meum:* & numero 31. *Scutum est omnium sperantiũ in se.* Vtrobiq; verò Deus à LXX *Hyperaspistes* nominatur. Ideſt, satelles, ac stipator: quæ vox à Vulgato redditur, *protector*, Psalm. 17. num. 3. & Psalm. 30. num. 5. & Psalm. 83. num. 12. Hieronymus rectè vertit ex Hebræo, *Sol, & clypeus Dominus.* Deute. 33. num. 29. *Quis similis tui populo, qui salvaris in Domino? scutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ.*

77 Illud etiam animadvertit Arias, verbũ præteritum hîc futuri loco positum. Hebraicè, *& protexi*, phrasi videlicet familiarissima Prophetis, propter fixam, atq; constantem eius, quod prædicitur, certitudinem. Quale est illud Hannibalis apud Livium: *si tales animos in prœlio habetis, quales hic ostenditis, vicimus.*

78 Colligebam suprà ex isto loco, cùm exponerẽ prima huius capitis verba: *in diebus illis, &c.* in eumdem annum incurrisse Ezechiæ morbum, quo Assyriorum

Rex

Rex Sennacherib Iudæam invasit. Ac proinde hallucinatum fuisse Iosephum, qui aiebat, post fusum Assyriorum exercitum, post centum octoginta quinque militum millia ab Angelo trucidata, Ezechiam in morbum incidisse. Ego verò mihi videor validissimo argumento ex his Isaiæ verbis ducto, meam illam opinionẽ confirmare. Quis enim non videat, luce meridiana clarius esse, post cæsa tot hominum millia, non ex Tyrone collectitio, nõ ex fæce exercitus, sed ex lectissimo flore, ac robore militari: sic enim legimus. 2. Paralip. 32. num. 21. *Et misit Dominus Angelum, qui percussit omnem virum robustum, & bellatorem, & Principem exercitus Regis Assyriorum.* Post ipsum Regem Sennacherib turpiter in fugam aversum, & paulò pòst à liberis suis vulneribus confossum: omnino lãguere, atque frigere promissionem hîc divinitus factam *De manu Regis*
79 *Assyriorum eruam te? &c.* At cùm Sennacherib finitimas urbes diriperet, popularetur agros, omnia ferro, flãmisque vastaret, cùm vel ipso rumore nuncio, qui afflabatur è castris, urbi regiæ Hierosolymæ clades, exitium, extremaque vastitas à truculentis hostibus impenderet: cùm animo consternati suis quisq; rebus, fortunisque metuerent. 2. Parali. 32. nu. 2. *Cùm vidisset Ezechias venisse scilicet Sẽnacherib, & totũ belli impetum verti cõtra Hierusalem.* In tãto terrore, trepidationeque ab imminenti sanguinario hoste, quàm opportuna, quàm plena consolationis, ac lętitiæ, hæc accideret divina promissio? *De manu Regis Assyriorum eruam te: non ingredietur urbem hanc: non mittet in eam sagittam, &c.*

80 Accedit, quòd si annorũ summa accuratè subducatur, nõ aliter constare potest, quã sacra Scriptura prodit, Ezechię Chronologia, nisi in eumdem annum expeditio bellica Sennacherib, & Regis morbus inciderint. Colligunt enim interpretes ex ipsis sacris monumentis, bellum illud Assyriorum biennium integrum perduravisse. Isaiæ 37. numero 30. *Comede hoc anno, quæ sponte nascuntur, & in anno secundo pomis vescere: in anno autem tertio seminate, & metite*: in quæ verba Hieronymus ait: *Deum polliceri, quòd intra biennium, & Rex Assyriorum interiret, & urbi Hierusalem securitas redderetur.* Atqui Ezechias Regnum inijt annum agens vigesimum quintum. 4. Regum 18. numero 2. & 2. Paralip. 29. numero 1. Sennacherib verò ascendit ad bellum inferendum anno Regni Ezechiæ decimo quarto, ex 4. Regum 18. nnmero 13. huic summæ si addas biennium integrum, quod duravit bellum, quo profligato, atque confecto, dicitur Ezechias ægrotasse: & insuper adiungas quindecim annos divina liberalitate cõcessos, totum tempus vitæ Regis Ezechiæ non erit annorum quatuor, & quinquaginta, ut disertè prodit sacer textus. 4. Regum 18 num. 2. & 2. Paralip. 29. num. 1. sed conficiet summam annorũ quinquaginta sex, quod est perabsurdum, & omnino falsum.

Illud verò, quod adiungitur promissioni diuinę. 4. Regum 19. numero 34. & capite 20. numero 6. *Protegam urbem istam propter me, & propter David servum meum.* & Isaiæ 37. num. 35. *Ut salvem eam propter me, & propter David servum meum.* Apertè ostendit, quanti Deus fecerit David, cuius causa civitatem illam, ac Regnum, quàm diutissimè conservavit, posterisque suis innumera beneficia contulit. Quater hoc repetitur libro 3. Reg. cap. 11. nu. 12 num. 13. & 32. denique num. 34. *Ducem ponam eum* (scilicet Salomonem) *cunctis diebus vitæ suæ propter David servum meum, quem elegi, qui custodivit mandata mea.* Sic etiam. 3. Regum 15. num. 4. & 4. Regum 8. nume. 19. *Noluit autem Dominus disperdere Iudã propter David servum suum.* 81

Meruit autem David tàm eximiè esse in oculis Dei, propter raram, & excellentem sanctitatem, cuius extant luculenta in sacris litteris testimonia. Ego, ne multus sim in re perspicua, unicum dumtaxat ponderabo. Ecclesiastici 47. numero 2. *Quasi adeps separatus à car-* 82

ne, sic David à filys Israel. Præceperat Deo Levitici 3. numero 16. *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo.* Confert itaque Davidem cum adipe hostiæ, qui multò præstantior, & sanctior erat ipsa carne; atque adeò totus Deo in odorem suavitatis in altari incendebatur: caro verò partim Sacerdotibus, partim offerentibus cedebat. Ita David fuit longè præcellentior cæteris Israelitis, & eximia quadam sanctitate illustrior. Lege Lorinum in id Actuum 13. numero 22. *Inveni David filium Iesse, virum secundum cor meum.*

83 Est autem altè in animo defigēda Dei misericordia. Qui propter unius iusti merita, etiam longo pòst intervallo, egregia confert in immerentes beneficia. Chrysostomus homilia 24. in Genesim expendens, quemadmodùm Deus propter merita Noe, filios eius, & nurus eluvioni terrarum eripuerit. *Consuetudo,* inquit, *misericordis Dei est, honorem hunc dare servis suis.* Ambrosius verò libro de Abraham capite 5. agens de Sodomorum incendio, quòd vel decem in ea urbe reperti iusti prorsus avertissent, Genesis 18. numero 32. sic ait. [Propter paucorum iustitiam Deus impunitatem toti populo promisit. Vnde discimus, quantus murus sit patriæ vir iustus. Iustorum nos fides servat, illorū iustitia ab excidio defendit.]

84 Ausus est Cæsar mira confidentia, inturbulentissima maris tempestate, Navarcho iam de salute desperanti fortiter inclamare; *ne timeas; fortuna te namq; Cæsaris comitatur: Cæsarem vehis.* Sic Plutarchus in eius vita, & Appianus libro 2. de Bello civili. Poëticè verò Lucanus lib. 5. vers. 578.

Sperne minas, inquit, pelagi, ventoque furenti
Trade sinum, Italiam, si cœlo auctore recusas,
Me, pete. Sola tibi causa est hæc iusta timoris,
Vectorem non nosse tuum, quem numina nunquam
Destituunt.

Quid miramur in simili procella Paulum, perculsis metu, mortemque iam expectantibus in momenta singula vectoribus fidenter suasisse, Actuum 27. nu. 22. ut bono animo essent. *Amissio enim,* inquit, *nullius animæ erit ex vobis.* Videlicèt donaverat Apostolo Deus omnes, qui cum illo navigabant, ibi num. 24.

Illud autem non exaggerationem modò, sed admirationem etiam, atq; omnem prorsus cogitationem excedit. Vsque eò Deum in oculis ferre iustum, tāti eius merita æstimare, ut ea propemodùm æquare, adiungere certè, & annumerare videatur infinitæ suæ bonitati, qua ad benemerendum de hominibus impellitur. *Propter me,* inquit, *& propter David servum meum.* Quamquàm ille ipse amor, quo Deus prosequitur iustos, ex eodem perenni fonte divinæ bonitatis manat. Nomen illud inditum est amabilissimo puero Salomoni. 2. Reg. 12. nu. 25. *Dilectus Domini, sive amabilis Domino, eò quòd diligeret eum Dominus.* Sed in Hebraico textu, & in Editione LXX. digitus intenditur ad fontem, unde fluxit iste amor, sic enim utrobique legimus, *& vocavit eum dilectum Domino, propter Dominum.*

85

86 Et verò *universa propter se metipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malam.* Prover. 16. num. 4. Ideò videlicèt conditus est à Deo hic mūdus adspectabilis, idcirco creatæ sunt supremæ illæ Intelligētię, ut in hoc operepulcherrimo, velut in speculo nitidissimo Divinitatis, infinita eius attributa resplēdeāt. Hęc manifestatio divinæ Gloriæ finis Deo fuit in huius mundi molitione. Cùm enim nihil sit præstantius Deo, cuius causa ipse operetur, & cuius bonum ultimò intendat, consequens necessariò fit, ut ad suum ipsius bonū, non quidē intrinsecū (quod ab omni ęternitate semper illi adest, neq; augeri, neq; minui potest) sed extrinsecū, tota mundi molitio referatur; nēpe ut ipsius absolutissimę, & excellētissimę perfectiones innotescāt. Relucet verò eius iustitia punitiva, cùm impium sponte sua in scelera

lera prolapsum æternis cruciatibus addicit. Nullibi tamen ita resplendet absolutum exemplar divinæ gloriæ, ac in viro iusto, omnibus virtutibus, & charismatis cumulato: de quo ad Ephesios 1.num.19. & Iacobi 1.num.18. *Vt simus initium aliquod creaturæ eius.*

Numerus 7.

Hoc autem tibi erit signum à Domino: quia faciet Dominus verbum hoc, quod locutus est.

87 NOn est dubium, quin Ezechias signum ab Isaia postulaverit. Habetur id expresse 4.Regum 10. num 8. *Quod erit signum, quia Dominus me sanabit, & quia ascensurus sum die tertia Templum Domini?* Quare ultimus versiculus huius capitis 38. Isaiæ, suo loco motus, ante hunc ipsum, quem explicamus, tanquam in propria sede reponendus est. *Et dixit Ezechias: quod erit signum, quia ascendam in domum Domini.*

88 Quod autem Rupertus observavit in ea Abrahami verba, Genesis 15. num 8. *Domine Deus, unde scire possum, quod possessurus sim eam?* Et Rupertum laudãs noster Delrius approbat, nullatenus Abraham in fide dubitasse, quam paulò antè ipsa Scriptura tantoperè commendaverat, numero 6. *Credidit Abrahã Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Sed signũ aliquod petijsse, ut certò sciret, nihil posteros commissuros, cur hæc divina promissio effectu suo frustraretur. Hoc ipsum mihi videtur egregiè cõvenire in Ezechiam: non enim hæsitavit ulla diffidentia, aut incredulitate: sed qui vix dum reipsa expertus fuerat, terrorem sibi divinitus iniectum obeundæ mortis, non absolutum fuisse, sed conditionatum: timere iure, ac meritò potuit, ne divina item pollicitatio ex aliqua tacita conditione penderet; atque adeò ad illam penitus firmandam signum aliquod postulavit.

89 Neque enim dubitari potest, duo esse Divinorum promissorum genera. Vnum omnino absolutum, quod proinde nulla pravitate impediri potest, quale fuit promissum Incarnationis. Alterum conditionale: quod implendũ videlicet non sit, nisi ea conditio adsit, quã aut Deus tacitè mente concepit, aut ab ijs, quibus promittitur, expresse postulavit. Iere. 18.num 9 *Subitò loquar de gente, & de Regno, ut ædificem, & plantem illud: si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pœnitẽtiam agam super bono, quod locutus sum, ut facerem ei.* Acutè notavit hoc Theodoretus Danielis 9 numero 3. [Etsi millies bona polliceatur Deus, si nos metipsos tali munere præbeamus indignos, divinæ munificentiæ impedimento sumus.] Exẽpla luculenta peti possunt ex 1. Regum 2 num. 30. & 4. Reg. 21. num. 8.

90 Propter huius tacitæ conditionis periculum Gedeon, cuius fides commendatur ad Hebræos 11. num 3 signum item flagitavit Iudicum 6. num. 17. *Si inveni gratiam coram te, da mihi signum, quod tu sis, qui loqueris ad me.* Scilicet, ut doctè exponit ibi Serarius q. 9. nu 4. petit ab Angelo, ut signo aliquo monstret, atque confirmet, se talem esse, cui divinam opem, victoriamque promittenti, fides haberi meritò debeat.

91 Observo etiã in sacris literis, Hebræorum Gentem, & suopte ingenio, atq; natura, & à primis suis exordijs rebus admirabilibus assuetam, quæ in lege vetere divinitus olim contigerunt; fuisse suprà, quàm credi potest, signorum appetentissimam. *Iudæi signa petunt,* inquit Apostolus. 1. Corinth. 1. nu 22. Hinc illa querimonia, Psal. 73. num 9. *Signa nostra non vidimus.* Hinc etiam ortum, ut qui minùs huic insitæ appetentiæ temperarunt, in gravissimas sæpe culpas incurrerint. Quoties Scribæ, & Pharisæi signum à Christo postularunt? Matthæ. 12. numero 38. *Volumus à te signum videre.* cap. 16. numero 1.

Vt signum de cœlo ostenderet eis. Lucæ 11. numero 16. *Alij tentantes signum de cœlo quærebant ab eo.* Ioan. 2. numero 18. *Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?* Leviùs quidem peccavit Zacharias, signum quærens, sed tamen peccavit, & diffidentia sua illi carò stetit. Vide Maldonatum in ea verba Lucæ 1. num. 18. *Et dixit Zacharias ad Angelum, unde hoc sciam?*

Numerus 8.

Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz, in sole, retrorsum decem lineis.

92 MInimè item dubium est, quin Isaias non elegerit, utrum ex duobus ederet signum; sed optionem liberam fecerit Ezechiæ, utrum mallet eligendi. 4. Regum 20. numero 9. *Vis, ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidē gradibus?* Mira Prophetæ fiducia. Quali etiā animatus idem Isaias Dei personam sustinens, Ezechię parenti Achaz fidenter spopondit. Isaiæ 7. num. 11. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo, sive in profundum inferni, sive in excelsum suprà.*

93 Est hæc illa fides, quam Theologi vocant miraculorum. Hæc & Deum posse quævis miracula patrare certò credit, & tali loco, tali tempore, talibus denique circunstantijs, Deum illa edere velle, non dubiè sibi persuadet. Vnde in rebus tam arduis, tam à communi naturæ usu remotis, tam adversantibus, repugnantibusque stato ordini Vniversi, ea in sanctis viris existit fiducia, ut vel rebus inanimis, vitâ, sensuque carentibus, animose ipsi imperare audeant. Matthæi 17. num. 19. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* Hoc fi-
94 dentissimum imperium observant Patres in illis Iosue verbis, capite 10. numero 12. *Sol contra Gabaon ne movearis.* Tertullianus lib. adversus Psychicos, capite 10. *Iesus Nave ipsis elementis stationē imperavit.* Ambrosius libro 1. Officio. capite 40. *Magnitudine mentis, & fidei clamavit, stet Sol, & stetit.* Hieronymus in cap. 28. Isaiæ. *Fiducia habitantis in se Dei locutus est Iesus: stet Sol.*

Verùm quia Christus ad hæc miracula patranda, perexiguam exigit fidem, videlicet sicut granum sinapis, atque adeò minimam; Apostolus verò requirit ingentem, vel potius maximam. 1. Corinth. 13. numero 2. *Si habuero omnem fidem ita, ut montes transferam*: ac proinde videtur Paulus à Christo dissentire. Videantur in ea loca Maldonatus, & Iustinianus, qui in hac pacificanda discordia ingeniosè elaborarunt.

Facta itaque Regi optione, utrum 95
mallet signum eligendi, quod sibi patratu difficilius videbatur, efflagitavit. 4. Regum 20. numero 10. *Facile est umbram crescere decem lineis: nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus.* Ab insita videlicet mortalibus opinione, id nimirùm per quàm mirabile, arduumque esse existimantibus, solem incitatissimum suum cursum, aut insistere, aut reflectere: id verò per facile, ac proclive, gradum sponte præcipitantem impellere, & solito ocyùs accelerare. Vnde Ma- 96
gæ illæ, quæ arte dæmoniaca fretæ, potestatem sibi pervertendi arbitratu suo naturæ leges arrogabant, illud vel maximè gloriabantur, posse scilicet se præcipitem astrorum cursum, aut inhibere, aut etiam retrò agere. Sic apud Virgilium. 4. Aenei.

Sistere aquam fluvys, & vertere sidera retrò.

Et apud Ovidium Medæa:

Illa reluctantem cursu deducere Lunam
Nititur, & tenebris abdere Solis equos:
Illa refrenat aquas, obliquaque flumina sistit.

Petronius Arbiter inducit sagam sic gloriantem.

Trepidæsque furentes
Flectere Phœbus equos, revoluto cogitur orbe.

Grandiloquentiùs Lucanus lib. 6.

Cessavere vices rerum, dilataq; longa
Hæsit nocte dies: legi non paruit æther:
Torpuit & præceps audito carmine mundus:
Axibus & rapidis impulsos Iuppiter urgens
Miratur non ire Polos, &c.

97 De Antichristo etiam affirmant Lactantius, & Hyppolitus similia portenta editurum: ille quidem, lib. 7. capite 17. *Iubebit ignem descendere de cœlo, & solem à suis cursibus stare.* Hic autem in oratione de consummatione mundi. *Siccis pedibus ambulabit super mare: solem circumaget, quò libuerit.* Verùm quod attinet ad hanc potentiam Antichristi, sagarum vé, atque adeò ipsius dæmonis, ad inhibendum, aut reflectendum solis cursum; aniles fabulæ sunt, ac meræ nugæ. Neque enim cœlorũ orbes, ac multò minùs illorum motrices Intelligentię dæmoniaco subiacẽt imperio. Lege duos eruditissimos viros, Delrium in Disquisitionibus Magicis p. 1. l. 2. quęst. 11. & Serarium in cap. 10. Iosue. quæst. 15.

98 Si ergo naturæ totius vires spectes, solem gradum referre, aut solito citiùs maturare, æquè difficile est. Si divinam consideres omnipotentiam, æquè facile: & solitus est non nunquam Deus solem itẽ accelerare. Expressè id testatur Ambrosius sermone 10. de Nativitate. *Si stella per diem alieni temporis officium ministravit, cur non credamus, quòd sol quoque nocturnis horis aliquantulum adventu maturiore decerpserit? Ex eo denique factum puto, ut nox decresceret, dum sol festinus ad dominicæ Nativitatis obsequium, antè mundo lucem protulit, quàm nox cursum sui temporis consummaret.* Et Chrysologus sermone 82. de Christi resurrectione, expendẽs verba quædam difficillima Marc. 16. n. 2. *si valde mane*, inquit, (& ut affirmat Ioãnes cap. 20. num. 1. cùm adhuc tenebræ

99 essent) *quomodò orto iam sole? sic nescit Evangelista, quid dicat? non est erroris ista relatio; veritatis est. Sol, qui ut suo commoreretur auctori, ipsam meridianam suam mortificaverat claritatem, ut cõsurgeret auctori suo, evictis tenebris, antelucanus erupit.*

Et reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat.

CErtum est, Isaiam priùs quàm hoc miraculum patraret, in preces effusum suppliciter Divinam opem implorasse. 4. Regum 20. nu. 11. *Invocavit itaque Isaias Propheta Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus iam descenderat.* 100

Malignè mihi videntur hoc tam grande portentum extenuare Paulus Burgensis in Additionibus, lib. 4. Regum capite 20. & magis ex professo Arias Montanus in hoc loco: asserentes, non ipsum quidem solem retroactum, sed umbram duntaxat regressam, atque adeò solùm in horologio Achaz contigisse miraculum, ibi præcisè spectatum fuisse. Longè sublimiùs sentit de hoc tam raro prodigio Magnus ille Dionysius, cuius hæc sunt verba in epistola 7. ad Polycarpum. *Alia quædam dies perpetuo lumine triplò fermè, quàm solet, maior effecta est; & cœlum intra viginti horas, quem iam exegerat cursum, retrogrediens repetit, atque revertitur, tam mirabilibus contrarijs conversionibus.* Itaq; existimat Dionysius id, quod est rationi, & rerum naturæ magis cõsentaneum, non modò solem, sed omnes cœlestes sphęras simul retroactas. Vt de statione solis imperata à Iosue eruditè id, ac solidè probant Serarius in cap. 10. quęst. 26. & Magallanes ibi sec. 1. annot. 3. Auctor item de Mirabilibus Scripturę lib. 2. capite 28. apud Augustinum 3. disertè affirmat. *Solis in ortum ab occasu per decem horas cursum necaidivo Deus tramite retorquet: quatenus inde veluti manè iterum festinare inciperet, qui diei totius exceptis duabus horis, spatium consummasset.* 101

Sed

102 Sed Montani explicationem ipsa mihi videtur Scriptura refellere. Expressè enim hîc legimus. *Et reversus est sol decẽ lineis*: & Ecclesiastici 48. num. 26. *in diebus ipsius retrò redyt sol, & addidit regi vitam.* Græcè *anepodisen.* Regressus est, repedavit, retrocessit. Cuius verbi vim expendens Serarius in cap. 10. Iosue quęst. 13. (subest enim idem verbum Ecclesiastici 46. num. 5.) probabile censet, etiam in illo miraculo edito à Iosue, solem quidem primò subitò regressum, deinde verò constitisse fixum, & immotum. Solam autem quietem exprimi Iosue 10. num. 13. solam reversionem Ecclesiastici 46. num. 5.

103 Accedit, quòd si hoc miraculum spectatum dũtaxat fuit in horologio Achaz, nõ in alijs solaribus horologijs urbis Hierosolymæ, nedum apud exteras Gentes, ut asseruit Montanus, quomodò stabit, quod refert Scriptura 2. Paralip. 32. n. 31. *Legatos missos fuisse à Rege Babylonis ad Ezechiam, ut interrogarent de portẽto, quod acciderat super terram?* Vbi in primis hoc miraculum Scriptura vocat portentum. Hebraicè *Mopher.* Quę vox, ut Latina etiam *portentum*, longè grãdior, ac significantior est, quã *or*, id est, *signum*: & ita verti solet à Vulgato *mopher*, *ostentum*. Exod. 4. num. 21. *Omnia ostenta, quæ posui in manu tua*: aut, *prodigium*, Ioel 2. num. 30. *dabo prodigia in cœlo.* Sic Deuter. 6. num. 22. Psalm. 70. num. 8. Psalm. 77. numer. 43. Denique *portentum* Ezechielis 12. n. 6. *Portentum dedi te Domui Israel.* Sic Isai. 8. num. 18. cap. 20. num. 3. & Hierem. 32. num. 20.

Deinde legati referunt, hoc portentũ accidisse super terram: & Genebrardus in Chronographia p. 137. prodit, etiam Herodotum lib. 2. huius admirandi ostenti meminisse. Cur igitur tam angustè Montanus illud intra unius horologij limites includit? Minutum verò grammaticum agit, cùm Hebraicum articulum terræ adiunctum, ad certam illam terram, fortasse in qua horologium erat descriptũ, denotandam restringit. A page grammaticas istas subtilitates, & hebetes prorsus argutias.

Ego quidem mihi persuadeo, portentum hoc non solũ incurrisse in Chaldęorum aspectum, qui astrorum, cœlestium 104
que Phænomenòn fuere curiosissimi observatores, indagatoresque solertissimi. Verùm etiam apud pleraſque Nationes spectatum, omnium in se oculos, linguas, animosque cõvertisse. Extitit enim longissima illa dies, triplò videlicet maior, quàm communiter esse solet, atque adeò nusquã alia post hominum memoriam similis visa est. Affirmat hoc disertè Dionysius in ijs verbis, quæ paulò antè recitavimus: cuius auctoritas satis, superque nobis esse poterat: sed agè; summam ex ipsa Scriptura accuratè subducamus. Percurrerat iam sol in horologio decem 105
gradus, sive lineas, atque adeò totidem horas lucis exegerat. Scitũ enim est, apud antiquos etiam eam viguisse consuetudinem, quam nostris temporibus observamus, singulis quibusdam grandioribus lineis, singulas item horas denotari: Persius Satyra 3.

Stertimus indomitum, quod despumare falernum
Sufficiat, quinta dũ linea tangit umbra.

Quòd fortasse etiam alluſum ab Horatio libro primo Epistolarum. Epist. 16. *Mors ultima linea rerum est.*

Solis itaque sphæra, vel potiùs universa cœlestiũ orbiũ machina, ijsdẽ spatijs, eodem incitata tenore motus, à calce ad carceres revocata, ac post latè diffusam toto hemisphęrio lucem per viginti integras horas, rursus diem, (minimum duodecim horarum,) pedetentim de more exorsa, suum denique spatium emensa, duarum supra triginta horarum diem integrum, ternis revolutionibus effecit. Quis ergo talem diem, triplò fermè cęteris longiorem, ut aiebat Dionysius, non stuperet? Quid miramur Babylonium Regem legatos Hierosolyma misisse, qui tam insoliti portẽti occultas causas indagarent?

Sed

106 Sed video, quid mihi obijci possit: Scriptura affirmat Iosue 10. numer. 14. *Non fuit antea, nec postea tam longa dies.* Atqui ego Ezechiæ diem facio Iosuana productiorem. Vt mea quidem fert sententia, iure facio: nam de illa prodit Scriptura duplò duntaxat fuisse solito maiorē. At triplò longior fuit dies Ezechiana. Sic enim legimus Iosue 10. n. 13. *stetit itaque sol in medio cœli, & non festinavit occumbere spatio unius diei.* Et Ecclesiastici 46. num. 5. *An non in iracundia eius impeditus est sol, & una dies facta est quasi duo?* Et quam vis nescio, quid tricetur Abulensis in isto *quasi*, quæst. 87. in cap 10. Iosue, sed apertè refellitur ex Græco textu, quē ita vertit Serarius ibi, quæst. 23. *Vnus dies factus est in duos, seu dierum duorum instar productus est.* Iam verò *non né duodecim horæ diei sunt?* Ioannis 11. num. 9. In Palęstina verò, ut viri eruditissimi prodiderunt, etiam solstitialis dies quatuordecim horas ad summum attingit. Fac itaq; 107 solstitialem fuisse Iosuanam diem: duplica deinde summum hoc spatium: horarum octo supra viginti summam non excedet: atqui duas & triginta horas duravit Ezechiana dies.

Ad verba autē illa Iosue 10. num. 14. facilis est solutio: scilicet ad illud usque tempus, quo sacer scriptor, (quisquis ille fuerit,) ea litteris mandavit, & in Iosue librum inseruit, nullam omnino extitisse diem Iosuana longiorem. Vide Serarium in cap. 10. Iosue quæst. 25. & Magallianum ibi. sec. 1. annotatione 4. n. 8.

Numerus nonus.

Scriptura Ezechiæ regis Iuda cùm ægrotasset, & convaluisset de infirmitate sua.

108 EX tremam partem commodè vertas ex Hebræo: *& revixisset de morbo suo.* Perinde quasi admirabilis illa sanitas ex tam lethali, ac desperato morbo fuisset quædam veluti à mortuis benigna suscitatio. Vt ergo tam insoliti beneficij extaret memoria, non pressa leviter ad exigui prædicationem temporis, sed ad omnem posteritatem æternis monimentis consignata: ut videlicet exemplo suo posteros edoceret, divina beneficia non sine debita gratiarum actione excipienda esse: non contentus Ezechias hoc canticum animo gratissimo, & in Deum maximè intento, (propterea enim *orationem* illud vocant LXX.) recitasse, ijsdem ipsis, quibus conceperat, verbis, aut exaravit manu propria, aut in solidiore aliqua materia iussit incidi: indeque exēpla descripta divulgari, quæ suæ erga sospitalem Deū gratitudinis testes essent fidelissimi.

Numerus decimus.

Ego dixi: in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.

109 NArrat (inquit Hieronymus) *quid tempore prementis angustiæ, imminentisque languoris tacitus cogitaverit.* Sed singula verba accurata explicatione indigent. *Dixi* in arcano sermone sępe idem est, ac deliberatè proposui, firmiter statui, omnino decrevi. Psalm 31. numer. 5. *Dixi: confitebor adversum me, &c.* Psal. 38. n. 1. *Dixi: custodiam vias meas.* Interdum verò significat, firmam aliquam persuasionem animo combibere. Psalm. 29. num. 7. *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum.* Id est, in animum induxi meum, ad veritatem mihi persuasi. Psalm. 76. num. 11. *& dixi: nūc cœpi.* Hoc est, in eam denique sententiam veni, eam animo concepi opinionem, nunc tandem me cœpisse respirare, & ex turbulentissimis tot calamitatū fluctibus caput emergere. Sic in præsentia. *Ego dixi.* Id est, omnino fixum, ac ratum habui denuntia tum mihi divinitus mortis decretum: mortem ipsam conceptam in præcordijs

gessi,

gessi, formidandum iam eius horrorem animo devoravi.

110 Implicatior multò difficultas est in altera enodãda voce, scilicet *in dimidio*. Hebraicè *Demi*. Quæ nusquã aliàs similibus affecta punctis extat in Scriptura: ac mirum est, quàm varient in ea exponenda ferè omnes interpretes. Hieronymus, cui primæ iure deferendę sunt in pernoscenda proprietate vocum Hebraicarũ, refert in cõmentarijs Aquilam, Symmachum, & Theodotionem reddidisse. *In infirmitate, & silentio dierum meorum*. LXX. verò unius litterulæ similitudine deceptos, (*Res* enim, & *Dalet*, vel attentissimos oculos fallent,) vertisse *in excelso*. Sed mirum est, Ecclesiam versionem, quæ ex errore fluxit, obvijs ulnis excepisse. Alios deniq; refert, interpretatos fuisse, *in sanguine*. Neque verò se Hieronymus, (quod erat optandum,) in tanta discordia pacificatorem interponit, contentus dissidij capita retulisse.

111 Nec minor est inter Hebraicè doctos recentiores dissensio. Pagninus vertit. *In excusione dierum meorũ*. Mercerus, *in silentio, & cessatione*. Brixianus, *in imaginatione*. Isidorus Clarius, *in succisione*. Arias Mõtanus, *in subtractione, & curtatione dierũ meorum*. Tigurina, *in præcisione*. Forerius, *in silentio*. Novam aliam versionem recitat Agelius. *Ego dixi: in stupore meo*. Id est, dum re improvisa territus, ac stupore defixus, moriendum mihi esse cogitarẽ. Quis non videat, hoc unum esse certum, nihil certi in tam discrepante sententiarum varietate definiri posse? Ita profectò fit: temerè iaculamur, ubi à certo scopo discessum est. Ac vellem elaborasset aliquis in hac concilianda discordia, tuendaque auctoritate Vulgati, & LXX. quos cœlesti ductu vertisse, atque adeò digitum nusquam aberrasse, plusquàm certum est; sed qui in re tam egregia operam suam collocaverit, invenio neminem. Meam igitur coniecturam proponam, quę eò mihi maximè displicet, quia mea est.

112 Aio itaque, vocem *demi*, deductam à radice *dama*, (quæ, ut advertit Mercerus, propriè significat silere, aut quiescere,) in sua nativa significatione idem esse, ac silentium, quietem, aut cessationẽ. Atque in hac nominis proprietate omnes ferè conveniunt Hebraizantes.

Addo deinde, Vulgatum sequutũ, ut plerumque solet, non grammaticũ vocis significatum, sed germanum intelligẽtiæ sensum, significantissimè, scientissimèque vertisse, *in dimidio dierum meorũ*: non enim accipio, *quietem, cessationẽ, aut silentium*, pro excisione, curtationeq; dierum, ut acceperunt citati interpretes, sed ut accipit Vulgatus, pro vigore, roboreq́, ætatis. Græci *acmen* solent appellare: nos tempestivam maturitatem, summumq́; incrementum Latinè efferemus. Vulgatus verò *dimidium dierum* scienter expressit: quia cùm quis proximè accedit ad quadragesimum annum, hoc est, annorum dimidium, tunc vel maximè solent corporis vires vigere, atque florere. Vt enim lapis sursùm proiectus, suam in extremo illo motu recto quietem, tametsi momentaneam, habet; cùm illum neque impetus impressus ulteriùs propellit, neque insita gravitas deprimit deorsum: sic etiam nostra vita suam maturitatem, summumque incrementum nacta, consistentem quamdam ætatem habet, in qua neque augescit vigor, neque verò decrescit, sed in summo quasi persistit. Hũc itaque vitæ statum, incrementi cessationem, & quietem, Hebraicoq́; idiomate, 113
silentiũ iure nominaveris. De hac ętatũ partitione, viriliq́;, ac tẽpestiva maturitate, & quiete ex varia Priscorũ, recentiumque doctrina differit accuratissimè Bisciola lib. 2. Horarũ subcesivarum. cap. 1.

Et quamvis discordent viri sapientissimi in assignando præcisè momento, aut etiã anno, in quo vigor ille maturæ ætatis sensim inclinat, & ad senium tacitè vergit: alij enim anno 46. alij 50. definiunt; sed in omni opinione certum est, Ezechiam, qui (ut suprà inito annorum numero confirmavimus,) cùm hoc carmen

edidit,

edidit, trigesimum nonum agebat annũ, ad constantem iam perveniſſe ætatem, quæ trigesimo quinto ineunte continetur; minimè verò devexam, aut inclinantem attigisse. Spectata verò communi propagatione vitę hominum illius ætatis, quorum plerique septuagesimum annum excedebant, aut, si habitu corporis essent firmiore, etiam octogesimum, Ezechias tunc in dimidio dierum suorum esse videbatur.

114 Enimverò ut æquissimo animo oppetitur mors, cùm quis acta iam, & quasi decursa ætate, senio confectus non aliter, ac sua sponte consumptus ignis extinguitur: ita contrà cùm in hominem florentem ætate transversa incurrit immatura mors, ut cùm aquæ vis grassantem flammam opprimit, obire solet animo iniquissimo. Regius ille Propheta clamabat Psal. 101. nu. 25. *Ne revoces me in dimidio dierum meorum*: & supplicium illud improbis, & flagitiosis intentatur à Deo. Psal. 54. num. 24. *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos*. Iob. 21. numer. 21. *& si numerus mensium eius dimidietur*.

115 Atque hæc mihi facere visa sunt ad conciliandam Vulgatam editionem cum Hebraico textu: in eamdem verò sententiam existimo vertisse LXX. *in excelso dierum meorum*. Nullatenusque discrimẽ inter duas illas litterulas; (ut aiebat Hieronymus,) perspicacissimos illorum oculos fugisse; sed genuinam legisse vocem *demi*, eamque, quoad sensum, rectissimè, atq; elegantissimè explanasse. Verè enim summum illud ætatis incrementum, perfectaque maturitas, *excelsum*, Græcè, *ipsos*, id est, altitudo, atque sublimitas annorum est. Eò videlicet pervenire crescendo potest vigor, roburque naturæ: ubi eam altitudinem maturitas attigit, in eaque aliquantisper constitit, mox ingravescens ætas, ducta metaphora ab eadem altitudine, devexa, & inclinata, ad interitum vergens, atque adeò præcipitans, & ruens, passim à Latinis Auctoribus vocatur.

Extrema autem illa verba, *vadam ad portas inferi*, elegantem periphrasim esse arbitror, qua summum, ac præsentissimũ mortis periculum aptè denotatur: perinde, ac si diceret Ezechias; actũ iam prorsus erat de mea vita: alterum ferè pedem in sepulturam intuleram. 116

Subest in hoc loco vox illa *Seol*, de cuius significatu inter Catholicos, & hæreticos magna hodie contentione certatur. Novatores enim ubique *foveam, scrobem, aut sepulcrum, speluncam, fossam, aut voraginem*, imò etiam *bustum*, denique quidvis potiùs, quàm infernum interpretentur. Sed copiosè demonstrant Catholici, in multis Scripturæ testimonijs, subterranea illa loca, in quibus aut olim detinebantur Patriarchæ, aut modò torquentur impij, iusti vè purgantur, ea voce significari. Nolim tamen negare quempiam, quod immeritò negavit Delrius. tom. 1. adagio 196. pro morte etiam, aut sepulcro eamdem vocem, & qua Hebraicam efferunt LXX. scilicet *Aden*, nonnunquam in sacris literis usurpari. Ego verò in his Ezechiæ verbis eo sensu usurpari credo, eamdemque futuram fuisse huius loci sententiam, si dixisset Ezechias, vadã ad portas mortis, aut sepulcri, ut Pagninus, Vatablus, & Montanus in præsenti Hebraica reddiderunt. Doctè observavit Agelius in id Psalm. 87. num. 3. *Vita mea inferno appropinquavit*: idem in plerisq; sacræ Scripturę locis esse infernum, ac mortẽ: quia veteres illi Sancti, nondum paradiso per Christi crucem reserato, simul ac mortem oppetebant, sine ullius exceptione, inferos statim adibant, & sinuoso illo recessu, quẽ Limbum Theologi vocant, claudebantur. Quare quod legimus in editione Vulgata 2. Regum. 22. num. 6. *funes inferni circumdederunt me*, reddiderunt LXX. *dolores mortis circumdederunt me*. Ipse etiam Latinus interpres, ita vertit vocem *Seol* Oseæ 13. n. 14. *de manu mortis* (Hebraicè, infer) *liberabo eos*: & in eamdem sententiam Psalm. 29. num. 4. *eduxisti ab inferno animam meam*, 117

id est,

id est, me à præsentissimo mortis periculo, ab ipsis faucibus orci liberasti. Psalm. 140. num. 7. *dissipata sunt ossa nostra secus infernum.* Exponit Genebrardus, *iuxta sepulcrum.* Alterum iam pedem in cymba Charontis habuimus.

118 Quod habetur item in Vulgata, Tobiæ 6. num. 15. *Deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos*, ita verbum è verbo expressit è Græco Editio Vaticana LXX. *& deducam vitam patris mei, & matris meæ cum dolore super me in sepulturam ipsorum.* Græcè, *is ton taphon.* Vbi perspicuè vides, inferos accipi pro sepulcro. Pro morte verò Danielis 3. numer. 88. *Eruit nos de inferno, et salvos fecit de manu mortis.* Eiusmodi etiam sunt illa Genesis 37. num. 35. *descendam ad filium meum lugens in infernum.* capite 42. numer. 38. *deducetis canos meos cum dolore ad inferos*, & capite 44. num. 29. Denique 2. Machabæorum 6. num. 23. *dicens, præmitti se velle in infernum.*

119 Enim verò depingitur mors in arcano sermone, tanquam suprema quædam regina, rerum humanarum potens, quæ regale palatium habeat, portasque seris validissimis obfirmet, & ianitoribus vigilātissimis muniat. Qualem etiam Orci Regiam effinxere Poetæ. Horatius li. 2. Od. 18. *Nulla certior tamẽ rapacis Orci fine destinata aula divitem manet.* Virgilius 6. Æneï. *Vnum oro, quando hic inferni ianua Regis dicitur.* Plura è Prophanis testimonia congerūt Delrius tom. 2. adagio 32. & Guevara in Habac cap. 2. vers. 5. n. 115. nos accedamus ad divina. Verba illa Sapientiæ 1. num. 14. *Nec inferorum regnū in terra.* Græcè *ude Ádu Basilion*, rectè vertas, nec Orci, sive inferni Regia, seu Basilica super terram.

Atque huius palatij regij celebratissimę in primis portę sunt: quibus præsentissimum vitę discrimen, ac summū iam, iamque instantis mortis periculum ea de causa significatur, quia per has portas in lethum rectà, & compendio quodā itur. Minimùmque à morte abest, qui Regiæ ipsius limẽ iam attingit. Hinc fluxere illa 120
in sacro sermone frequentata. Psalm. 106. num. 18. *appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Psalm. 9. num. 15. *qui exaltas me de portis mortis.*

Nec desunt huic palatio regio sui vigilantissimi ianitores, qui viventes ingressu prohibeant, atque adeò limine arceāt: ac vita iam defunctos duntaxat admittant. Iob. 38. nu. 17. *Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis? aut ostia tenebrosa vidisti?* Vbi LXX. *Numquid tibi aperiuntur metu portæ mortis? aut ianitores inferni videntes te timuerunt?* Solùm videlicet Deum formidant mortis ianitores, qui pro sua infinita omnipotentia, ut est in libro Sapientię capite 16. num. 13. vitæ, & mortis habet potestatem, *& deducit ad portas mortis, & reducit.* Quod alijs verbis, idem tamen significantibus, expressit Samuelis mater 1. Regum 2. num. 6. *Dominus mortificat, & vivificat: deducit ad inferos,* (id est, ad portas mortis,) *& reducit.* Christus etiam habet harum portarum claves, Apocalyps. 1. nu. 18. *& habeo claves mortis, & inferni:* in quem locum legendus est Viegas, Comment. 2. sect. 18. & 19. & Alcazar, notatione. 15.

Quæsiui residuum annorum meorum.

NOnnulla hîc etiam est cum Hebraizantibus pro Latino interprete velitatio. Legunt illi, *Pucadti*, in coniugatione passiva *Puhal.* Fidenterque affirmat Pagninus in Thesauro, verbum esse omnium Hebræorum consensione, passivum. Variè itaque de more suo vertunt. Tigurina. *Visitatus sum, cùm adhuc supereßent anni.* Pagninus, Vatablus, Mercerus, & Iansen. *Privatus sum residuo annorum meorum.* Isidorus Clarius; *destitutus sum.* Nonnulli Hebræorum magistri. *Deficere, aut carere factus sum.* Montanus. *Fui iam de cetero desideratus.* Agelius. *Recensitum est in me reliquum annorum meorum.* Quod quia obscuriùs dictum videbatur, 121

apertius,

apertiùs expon it. *Mihi reliqui anni ex numero desiderati sunt.*

122 Ego verò, vel mille Hebraizantibus unicum Latinum interpretem oppono: aioque multò fidentiùs, & verbum activum esse, non passivum, & germanũ eius significatum fidelissimè Vulgatũ expressisse. Forerioq; fidem habeo, nusquam talem constructionem huius verbi in sacra Scriptura reperiri. Nam exemplum, quod ex 1. Regum 20. num. 25. adducit Montanus, ex eadem coniugatione *Puhal*, optatum ab illo, atque confictum est potiùs, quàm inventum.

123 Monere sæpe soleo, Massoretas perperam pleriq; vocibus Hebraicis appinxisse puncta, & hac patefacta quasi errorum ianua, eas obtorta gula, ad longè diversam significationem, sive sententiam detorsisse. In præsenti igitur verbo, si mutatis dũtaxat punctis, *Pacadti* legerimus, Vulgatum egregiè vertisse comperiemus. Significat hoc verbum in coniugatione activa *Kal*, desiderare, atque requirere, & in eius passiva *Niphal*, requiri, desiderariq; : cuius significationis crebra extant exempla in arcano sermone, & ab interprete insigniter illustrata. Erit operę pretium ad percipiendam sententiam huius loci, nõnulla vel leviter indicare. 1. Reg. 14. num. 17. *Requirite, & videte, quis abierit ex nobis.* Hebraicè *PiKdu*. Et cap. 20. num. 6. *Si respiciẽs requisierit me pater tuus. Si me echare menos.* Subest idem verbum, quod luculentè illustravit Vulgatus 1. Regum 25. num. 15. *Nec quidquam aliquando periit.* Hebraicè. *Nec requisivimus quidquam.*

124 Eodem sensu solet usurpari coniugatio passiva *Niphal*. Numerorum 31. numero 49. *Recensuimus numerum pugnatorum, & ne unus quidem defuit.* Hebraicè. *Lo nipKad*: non desideratus, aut quæsitus est. Iudicum 21. numero 3. *Vt hodie una tribus auferretur ex nobis.* Hebraicè *requireretur*. 1. Reg. 20. num. 19. *Cras Kalendæ sunt, & requireris: requiretur enim sessio tua.* Et num. 25. *Vacuus apparuit locus David.* Hebraicè. *IipaKed*, desideratus est.

Iam itaque liquet horum verborum 125
sententia, à qua ne ipsi quidem Hebraizantes longè aberrant. Cùm florente adhuc ætate, immatura morte præriperer, cùm me vix dimidium annorum meorum attigisse animadverterem, dolebam, & angebar vehementer, abripi me in medio vitæ cursu, annosque residuos, quos iuxta communem naturæ ordinem, vivere adhuc possem, tanquam intempestivè subtractos, & ereptos, anxiè requirebam. Sic exponit uno verbo Hieronymus. *Quæsivi*, inquit, *residuum annorum meorum, non me putans ultrà esse victurum.* LXX verò. *Relinquam annos residuos.* Quæ verba nova quadam interpretatione, neque cum Hebraici, aut Græci verbi proprietate, neque cum Vulgato, neque cum serie contextus cohærente, explanat Agelius. *Reliquum*, inquit, *annorum meorum, cùm ipse mecum ferre non possim, deponam apud Deum, ut in resurrectione futura mihi illos cum fœnore restituat.*

Numerus 11.

Dixi: non videbo Dominum Deum in terra viventium.

DVplex èsse potest, ut mea fert 126
sententia, litteralis horũ verborũ sensus: neuterq; suâ aut auctoritate, aut probabilitate caret. Incredibile dictu est, quàm ardenti flagrarent desiderio sanctissimi illi Patriarchæ, inde usque à primæva mundi ætate, spectandi suis oculis Salvatorem divino sibi munere promissum. De Abraham affirmavit Christus, Ioannis 8. num. 56. *Exultavit, vt videret diem meum.* Et universè Lucæ 10. numero 23. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis: dico enim vobis, quòd multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderũt.* Hinc erumpebant flagrantissima illa vota Isai. 64. num. 1. *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes.*

127 Hoc itaq; ægerrimè ferebat Ezechias, præcidi sibi spem hauriendi oculis gratissimum, optatissimumq; spectaculum, in quod toto animi impetu inhiabat. Si enim in throno David lucernam illam ardentem, ideſt, Christum reliquisset, æquissimo animo verba illa Iacob usurpasset, Genes. 46. num. 30. *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitè te relinquo.*

Facem mihi præferunt ad hanc intelligentiam LXX. qui ita hæc verba reddiderunt: *Dixi: nequaquam ultrà videbo salutare Dei in terra viventium.* Quod præclarè in hanc sententiam Hieronymus interpretatur. *Hoc est, omne quod metuit: ne salutare Dei ductus ad inferos nequaquam*
128 *mereatur aspicere.* Porrò Complutensis Editio LXX. iteratis negationibus emphatica est, & consternationis, ac doloris plena. Sic eam exprimas verbum è verbo. *Dixi: non iam, non, non videbo salutare Dei in terra viventium.* Scitum verò est, in reconditis litteris, humani generis Salvatorem Salutare Dei nuncupari. Multa suppeditant testimonia: unum, vel alterum indicabo. Extremâ diem clausit Patriarcha Iacob pijssimis illis verbis, Genes. 49. num 18. *Salutare tuum expectabo Domine.* Quæ sic illustravit sua Paraphrasi Chaldæus: *Non expecto redemptionem Gedeonis, quæ est salus temporalis: neque redemptionem Sansonis, quæ est salus transitoria: sed expecto redemptionem Messiæ filij David, qui venturus est, ut adducat sibi filios Israel.* Isaiæ verba ex cap. 40 num. 5. *Videbit omnis caro pariter, quòd os Domini loquutum est,* ita recitantur, & exponuntur Luc. 3. num 6. *Videbit omnis caro salutare Dei.*

Sed non prætermittam luculentum in
129 hanc sententiam Augustini testimonium. tomo 10. sermone 3. de Verbis Apostoli. Exponens enim ea verba Psalm 95. nu. 2. *Annũtiate diem ex die salutare eius;* sic nimirùm legit Augustinus. [Quid est, inquit, salutare eius, nisi Christus eius? Pro isto salutari orabamus in Psalmo, salutare tuum da nobis. Desiderabant hoc antiqui iusti salutare, de quibus Dominus dicebat discipulis: multi voluerunt videre, quæ vos videtis. Dicebant iusti, salutare tuum da nobis; Christum tuum, dum in hac carne vivimus, videamus: videamus in carne, qui nos liberet à carne: veniat caro mundans carnem. In hoc desiderio erat ille sanctus senex Simeon; sine dubio, & ipse dicebat, salutare tuum da nobis: in hoc desiderio, in talibus precibus responsum accepit, quia non gustaret mortem, nisi videret Christum Domini. At ubi natus est Christus: ubi Divinam infantiam pia senectus agnovit, accepit eum in manus suas, & dixit. Nunc dimittis Domine servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuũ.] Hactenus Augustinus.

Constanter verò LXX. Christum *So-* 130
terion, ideſt, salutare, ut in præsenti Isaiæ loco nominarunt. Sic apud eumdem Prophetam, (ne aliunde testimonia corrogemus) Isaiæ 12. num. 9. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* LXX. *Soterium*: cap. 26. num. 1. *Salvator ponetur in ea murus*, cap. 51. num. 5. *Propè est Iustus meus: egressus est Salvator meus*: cap. 62. num. 1. *Et Salvator eius ut lampas accendatur.* Vbique LXX. pro Salvatore *Soterion*, id est, *salutare*, dixerunt.

Magnum item huic explicationi ex 131
Hebraico textu robur accedit. Quod totidem verbis ita fidelissimè vertas, ut vertit Leo Castrius. *Dixi: non videbo Deum Dei, sive Deum de Deo, in terra viventium.* Quod idem prorsus est, ac salutare Dei, sive Christum Filium Dei. Egregiè enim Augustinus, to. 4 lib. 2. Quæstionum super Exod. q. 98. legens, ut dicebã, illa verba Psalm 95. num 2. *Bene nuntiate diem ex die salutare eius*; sic exponit. *Quid est aliud, si diligenter attendamus, quod ait, diem ex die, nisi lumen ex lumine, hoc est, Deum ex Deo, quod est unigenitus Filius?* Subest verò Hebraice in isto loco dupli- 132
catum nomen *Ia.* Quod unum est ex decem nominibus Dei, ac Deitatis maximè proprium, deductum videlicet ab existẽtia, quam à se ipso Deus necessariò habet. Ipse enim est, qui est: cui⁹ esse, est eius

essen-

essentia; creaturis autem omnibus esse liberaliter impertit. Vide in Psal.67.nu. 5. *Dominus nomen illi.* Hebraicè. *Ia nomen eius.* Symmachus *per Ia nominatio eius.* Celebre etiam illud spiritualis lætitiæ symbolum, *Halleluia*, toties in Psalmorum titulis decantatum, tam crebrò ab Ecclesia repetitum, hoc sacro nomine terminatur. Cuius significatum luculenter expressit Iustinus q. 50. ad Orthodoxos dum *Halleluia* explicat. Græcè. *Hymnesate meta melus to on*, id est, *laudate cum cantu, celebrateq; id, quod est.*

133 Hæc cùm certa sint, assentior simul viris Catholicis, & Hebraicè doctis, asserentibus, hoc nomen *Ia* esse nomen illud *Iehova*: contractũ quidem, ac decurtatũ, ac proinde in plerisq; sacræ Scripturæ locis, in Verbum abbreviatũ per Incarnationẽ aptissimè quadrãs. Fortasse etiã punctum *Mapic*, affixum in littera *He*, exulq́ue sonũ magis extundẽs, adspectabilem exprimit naturam, Divino Verbo hypostaticè copulatam. Neque Mercerum moror, cui hæretico scilicet supercilio hæc æstimanti, curiosa, frigida, aut etiã aliena videãtur.

134 Pluris est apud me Catholicorũ auctoritas, præsertim Fororij Hebraicæ linguæ scientissimi. Hic expendens locum nostro quã simillimũ Isai. 26.n.4. *In Dño Deo forti in perpetuũ*, Hebraica exprimit verbũ è verbo. *Quia in Ia Iehova est petra sæculorũ.* Cùm *Ia*, inquit, *sit nominis ineffabilis quædam abbreviatio, non possum non subolfacere mysteriũ, ut putem Ia Iehova esse: ac si diceres, Deũ de Deo, aut Filium Dei.* Quid aptius, quid cõgruentius ad præsentẽ locum illustrandũ? Explicat itaq; Forerius vaticiniũ illud Isaiæ. *In filio Dei est petra sæculorũ*: id est, firmitas, tranquillitas, securitas, quia solùm illi consistere possunt, qui isti petræ innixi fuerint. Geminꝰ huic locus est Isai. 12.n.2 *Fortitudo mea, & laus mea Dñus: & factus est mihi in salutem.* Vertit Hebraica Forerius. *Robur meũ, & Psalmus Ia Iehova: & fuit mihi in salutẽ.* Cõsentaneèq;, & graviter intelligit *Ia Iehova, Deũ de Deo, sive Dei filiũ, qui datus est nobis à Deo in salutẽ.*

Altera etiã explicatio neq; minùs huic 135
loco quadrat, neq; rationũ momento, aut interpretũ patrocinio destituitur. Hoc scilicet Ezechiã malè habuisse, quòd visione tabernaculi, atq; adeò Divini cultus exhibitione, quæ illi summopere cordi erat, per mortem privaretur.

Mirũ dictu est, quàm ardẽti desiderio tenerentur veteres illi Patriarchę adeundæ domus Dei, & quàm acerbo dolore excruciarẽtur, cùm sive captivitate, sive exilio, sive morbo impediebãtur, quominùs augustissimũ illud Tẽplum statis tẽporibus inviserent. Locupletissimus testis nobis esse potest Rex David, toto Psal. 41. ubi se tã ardenter anhelare, ac suspirare profitetur ad cõspiciendũ, venerandũq; in suo Tẽplo divinũ Numen, quàm solet fatigatus à venatoribus cervus, præ flagrãtissima siti æstuare, & fõtes aquarũ expetere. Hinc erũpebant illa vota; *quando veniã, & apparebo ante faciẽ Dei? Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meã, quoniam trãsibo in locũ tabernaculi admirabilis, usq; ad domum Dei.* Vbi egregiè probat Agelius ex 1. Re- 136
gum 1. nu. 15. *effundere animam* idẽ esse in sacro sermone, atq; ex tacito mærore, gemitu, singultibusq; vehementer angi, & conflictari, ac penè in ceræ modũ doloris igne tabescere. Lege eumdẽ Agelium in illa verba Psal. 62.nu. 2. *in terra deserta, invia, & inaquosa, & sic in sancto apparui tibi; ut viderem virtutẽ tuam, & gloriam tuã.* Vbi maximum, & ardẽtissimũ desideriũ, quo flagrabat Regius vates visendi tabernaculum, comparat eum ea siti, qua terra arens, & siccitate laborans expetit pluviã.

Obiter in hoc loco notandũ est, Arcã 137
Testamẽti in recõditis litteris, *virtutẽ, & gloriã nominari.* Psal. 77.n.61. *Et tradidit in captivitatem virtutem eorũ, & pulchritudinẽ eorũ* (Hebraicè *Tiparto*, idest, gloriã eorũ) *in manus inimici.* 1. Reg. 4.n. 21. *Trãslata est gloria de Israel, quia capta est Arca Dei.* Psal. 25.nu. 8. *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.*

Enim verò usque eò molestè ferebant 138
sancti illi Patres iucundissimo glorię Do-

mini conspectu privari, ut id mortis instar esse ducerēt. Hoc David amantissimè querebatur. Psalm. 30. num. 23. *Proiectus sum à facie oculorum tuorum.* Hebraicè. *Excisus sum.* Quem locum illustrant illa verba Ionæ 2. num. 5. *Et ego dixi; abiectus sum à conspectu oculorum tuorum, verumtamen rursus videbo Templum sanctum tuum.* Itaq; proijci, sive exscindi à conspectu oculorū Dei, est, aditu augustissimi illius Templi prohiberi. Iuxta illud. 2. Paralipom. 26. num 21. *Fuit igitur Ozias Rex leprosus usque ad diem mortis suæ, & habitavit in domo separata, plenus lepra, ob quā erectus fuerat de domo Domini.* Hebraicè subest idem verbum, quod Psalm. 30. num. 23. *Nigraz*, excisus fuerat.

139 Suspicor etiam, terram sanctam sæpe aliàs in sacris litteris, & in hoc, quem explanamus, loco, ob hanc ipsam causam, *terram viventium*, apellari. Mitto sublimiorem aliam intelligentiam, qua cœlestis illa beatitudo hac periphrasi designatur: certè humiliore, & historico sensu, terra Israel vocatur terra vivētium, quia, ut bene probat Delrius tomo 2. adag. 307. vivere absolutè positum, est tranquillè, ac iucundè spiritum ducere, partisque opibus frui. Qui ergo incolebant vberrimam illam tērram, lacte, melleq; manantem; hoc est, pinguedine soli, cœliq; salubritate præstātem: qui statis vicibus, ideſt, ter quot annis, sacrum Templum invisebant, ij demùm, vel potiùs ij solùm vivere iure dicebantur.

Accedit, quòd ibi cultores habitabant Dei viventis. Hoc enim est proprium epithetum Dei, ad Hebræos 10. n. 31. & c. 12. n. 22. Vnde meritò cultores ipsi viventes etiam nominātur. In alijs verò provincijs degebant cultores lapidum, & stipitū, hoc est, verè Deorum mortuorum, mortui ipsi rectiùs appellandi: similes enim idôlis fiunt, *qui faciunt ea, & omnes, qui confidūt in eis.* Psalm. 113. num. 8.

140 Cùm ergo Israelitæ ab exilio captivitatis Babylonicæ revocantur in patriam, tanquam redivivi à mortuis excitari dicuntur, apud Ezech. c. 37. David etiam patrijs sedibus expulsus, & eiectus, ut nō habitaret in hæreditate Dñi, cùm ei multi invidentiæ veneno suffusi insusurrarent. 1. Reg. 26. nu. 19. *Vade, serui Dijs alienis.* Ipse contrà ea se consolatione sustētabat, in eo Psal. 26. quem edidit, *priùs, quàm liniretur*: ut constat ex eius inscriptione: ideſt, antequàm ungeretur in Regem, in solioq; regali collocaretur. Cùm Saulis irā fugiēs exularet, aiebat, ibi n. 13. *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Eiusdem est illa vox Psal. 114. nu. 9. *Placebo Domino in regione viuorum.* Vertes Hebraica verbū è verbo. *Ambulabo coram Domino in terra* 141 *viventium.* Hinc illud eiusdem Prophetæ desiderium, animoq; concepta spes, cùm hostilē in modum insectatus à Saule per saxa, per rupes, mortem fugitaret. 1. Reg. 24. abditus in spelunca exclamavit Psalm. 141 nu. 5. *Perijt fuga à me.* Continuò tamen ipse se erexit, & confirmavit. num. 6. *Dixi, tu es spes mea, portio mea in terra viventium.* Hinc illæ ab eodem Propheta iactatæ in dolosum minæ. Psalm. 51. nu. 7. *Evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium.* Lege Pradū in ea verba Ezech. 26. nu. 20. *Cùm dedero gloriam in terra viventium.*

Si ergo tantæ felicitatis erat, sanctam 142 illam urbem, augustissimumque Tēplum frequentare, ut moribundus senex Tobias meritò in eas voces eruperit, Tobiæ 13. num. 20. *Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndā claritatē Hierusalem.* Quid mirum, si ægrè ferat Ezechias, tam eximio per mortem, privari bono? In hanc sententiam exponit istum locum Paraphrasis Chaldaica. *Non apparebo amplius in conspectu terribilis Domini, in terra domus Maiestatis eius, in qua est longitudo vitæ, & non serviam coram eo amplius in domo Sanctuarij.*

Atque in his Paraphrastæ verbis, illud Idioma notandum est. *Non apparebo in conspectu Domini.* Ipse enim Paraphrastes, imò etiam LXX. atque adeò Latinus interpres religione quadam ducti, refugere

solent affirmare, Deum à nobis videri: cùm tota Scriptura clamet, Deum esse prorsus invisibilem ab ijs, qui corporis
143 sarcina prægravantur. Quare plerisque in locis ita vertunt Hebraica, ut à Deo nos videri potiùs, quàm Deum ipsum videri à nobis, asseverent. Passim suppetunt exempla. Exod. 23. numero 17. *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo.* Psalmo 16. num. 15. *Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo.* Psalm. 41 numero 2. *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Sic quod legimus Exod. 24. numero 11. *Viderunt que Deum, & comederunt, atque biberunt.* Expresserunt LXX. *Et apparuerunt in loco Dei, & manducaverunt, &c.*

Non aspiciam hominem ultrà, & habitatorem quietis.

144 ELeganter exprimitur affectus hominis iam iam moribundi, rebusque, quas ferebat in oculis, postremum vale dicentis. Sic pastor æternùm discessurus ab amænissimo loco, solet depingi lamẽtabundus: non iam deinceps has sylvas, hęc prata, hos fontes intuebor. Sic contrà, ad erigendam spem ægroti penè desperati, dicitur Iob 33. numero 27. *Respiciet homines.* Lege ibi Pinedam.

145 Hæc cùm perspicua huius loci sententia sit, periphrasis illa hominis, qua *habitator quietis*, nominatur, nõ mediocrẽ difficultatem affert. An quidquam est, quod minùs quadret in hanc ærumnosam, & turbulentam vitam, quę veluti mare turbatum ventis, ac fluctibus, sic ipsa, assiduè reciprocante variarum calamitatum æstu exagitata, nunquam conquiescit, quàm eã quietẽ appellare? Distraxit interpretes hæc difficultas in varias explicationes. Forerius Hebraicam vocem ait, totum humanę vitę curriculũ, atq; spatium denotare. Isidorus Clarius *orbem vertit.* Tigurina. *Sæculum.* Regia. *Tempus.* Agelius verò trahit ad significandam *caliginem, defectũque lucis*; nam qui in hac vita sumus, in dẽsissimis errorum tenebris, & alta ignorationis caligine versamur. Hector Pintus repetitionem arbitratur membri superioris per epexegesim. Perinde ac si dicat. Si decessero è vita, non videbo Deũ factum hominẽ, qui est habitator quietis, & æternæ beatitudinis. Iansenius, & Adamus. Neque videbo ampliùs populum Domini post percussum Sennacherib in pace, & quiete feliciter habitantem. Osorius. Iam non potero hominibus benignè facere, civium mores disciplina equabili, hoc est, pacis fœdere, devincire.

146 Germana intelligentia petenda est ex proprietate Hebraicæ vocis, *Hedel*, quæ est à radice *Hadal*. Radix autem propriè significat, cessare, quiescere, deficere: etiã cùm de morte sermo est. Iob 3. nu. 17. *Ibi impij cessaverunt à tumultu.* Deuteron. 15. num. 11. *Non deerunt pauperes in terra.* Iudicum 5 nu. 7. *Cessaverunt fortes in Israel, & quieverunt.* Ierem. 51. nu. 30. *Cessavenũt fortes Babylonis à prælio.*

Præclarè itaque vertit ab Aria Mõtano, in commentario vox *Hedel, cessatio.* Quod idem est, ac quies: hoc est, discessus ex hac vita. Forerius ipse in versione nova, quam è regione adiunxit veteri, eamdem vocem ita reddit: *seculum deficiens.* Tacitè enim opponit Ezechias brevissimo huius vitę curriculo, angustis, ac per exiguis circũscripto terminis, perennem illam æternitatem, quæ nos manet in omnem posteritatem consequentium sæculorum duratura. Eò qui iam commigrarunt, non habitatores quietis, idest, cessationis, defectionisque vitæ, sed ævi interminati incolæ iure vocabuntur.

147 Et verò consentaneum rationi fuit, ut moribundus Rex, & elapsam iam velocissimè suam ætatem, non secùs, ac temporis dũtaxat momentũ, punctumq; respectãs, huius mundi incolas, qui ut habetur apud Amos, ex Edit. LXX. cap. 6. num. 5. fluxa hæc, ac citò peritura, *quasi stantia putaverunt, & nõ quasi fugientia*, habitatores quietis, hoc est, extremæ, & ultimæ defectionis vitæ nominaret. Rectissimè enim hius vitæ brevitas ex eius termino

æstimatur: nihilque videtur diuturnum, ubi pervenitur ad extremum. Sapientissimè ait Hieronymus in epitaphio Nepotiani. [Inter eum, qui decem vixit annos, & eum, qui mille, postquàm idem vitæ finis advenit, & irrecusabilis mortis necessitas: transactum omne tantumdem est.] Congruenter item Seneca Epistola 49. [Infinita est velocitas temporis, quæ magis apparet respicientibus: nam ad præsentia intentos fallit: punctum est, quod vivimus, & adhuc puncto minus.] Itaque respiciētibus ocyssimè decursam vitam, ea minor puncto fuisse videtur: atque adeò tota nihil esse aliud, nisi ut sapiens quidam dixit, *nasci, denasci, oriri, aboriri*. Ac proinde quies, cessatio, sive decessus, iure, ac meritò nominatur.

148 Talis apparebat antè acta vita, & stolidissima fuisset, illis, qui clamabant, Sapiētiæ 5. num. 13. *Nos nati continuò desivimus esse.* Iob etiam totius vitæ decursum nihil prorsus esse arbitrabatur: capite 7. numero 16. *Nihil enim sunt dies mei.* Neque aliter æstimabat Regius vates, cùm voce huic, quam versamus, simillima, dicebat. Psalm. 38. num. 6. *Substantia mea tanquam nihilū ante te*: vertit Hieronymus Hebraica, *& vita mea quasi non sit in conspectu tuo.* Sed sciendum est Hebræam vocem *Heled*, Metathesi litterarum duntaxat, ut placet doctioribus, discrepare ab ea, quæ subest in hoc Isaiæ loco, ac proinde cessationem, & quietem, seu deficientem quamdam durationem significare.

149 Vox item Græca *hypostasis*, quam usurpant LXX. non perinde accipienda est, ut metaphysici solent, pro subsistentia, sive ultimo termino naturæ; sed pro quadam existentiæ permanentia, & duratione, sive momentanea, sive diuturna sit. Aquila scienter illustravit, & consentaneè Latino interpreti in hoc Isaiæ loco, *Catadysis, Occasus, atque vespera mea* (tantùm non dixit, quies, & cessatio mea,)

propemodùm non est
ante te.

Numerus 12.

Generatio mea ablata est, & convoluta est à me, quasi tabernaculum pastorum.

150 NOn possum aptioribus, quā Hieronymi verbis, excerptis ex commentario, hunc locum illustrare. [Flevit Ezechias fletu magno, propter promissionē Domini ad David, quam videbat in sua morte perituram. Eo enim tempore Ezechias filios non habebat: nam post mortē eius Manasses, cùm duodecim esset annorum, regnare cœpit in Iudæa: ex quo perspicuum est, post tertium annum concessæ vitæ, Manassem esse generatum. Ergo iste omnis est fletus, quòd desperabat Christū de suo semine esse nasciturum.] Consentaneè Auctor libri de Mirabilibus Scripturæ libro 2. cap. 28. apud Augustinum tomo 3. idcirco asserit Ezechiā mortem suam deplorare, quia sine liberis decedebat. [Quia in Christi vēturi generatione sui generis prosapiā in throno David lucernam non dereliquit.] Confirmāt 151
hanc explicationem LXX. qui non solùm hîc legunt, *defecit ex cognatione mea*, hoc est, sine sobole decedo; stirps Regia meo interitu funditus excisa est; verùm illa verba num. 19. *Pater filijs notam faciet veritatem tuam*, sic in hanc sententiam illustrāt LXX. *ab hodie enim filios faciam, qui annuntiabunt iustitiam tuam.* Forerius etiam in sua versione nova, ita exprimit versiculum 10. *Ego dixi: in silentio dierum meorum, ibo ad portas inferni.* Explicatque in commentario, *cum silentio dierum meorum morior.* Ideſt, non relicta prole, teste vitæ meæ: absque filio, qui me vixisse testetur.

Sed in eo valde dissentio ab hoc sacræ 152
linguæ scientissimo interprete, qui non dubitanter asseverat vocem *Dor*, quam Latinus *generationem* hîc vertit, sericm, seu revolutionem vitæ significare, ac proinde reddit in nova sua versione,

Series vitæ meæ recessit, & evanuit à me. Consequenterque nostram, atque adeò communem huius loci explicationem prorsus excludit. Immeritò sanè; nam ut demus, illum significatum in Hebraicum nomen aliquando cõvenire, sed luce meridiana clarius est, eamdem vocẽ *Dor*, sobolem etiam, posteritatẽ, ac prolem frequentissimè denotare. Omitto
153 exemplum, quo id confirmat Agelius, ex Psalmo 111. num. 2. *Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur.* Occurrunt enim clariora verba illa editionis Vulgatæ Iosue 22. num. 27. *In testimonium inter nos, & vos: & sobolem nostram, vestramque progeniem.* Ita leguntur Hebraicè. *Et inter generationem nostrã post nos.* Vbi subest idem nomen *Dor.* Quod expressêrunt LXX. *ton tecnon: inter filios, sive inter liberos nostros.* Quis hîc poterit tam aperto testimonio refragari? Accipe alia non minus perspicua, ex capite 30. Proverb. num. 11. 12. 13. & 14. ubi quater inculcatur vox Hebraica *Dor. Generatio, quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit, &c.* Quis est tam plũbeus, qui non videat, frigere prorsus hîc sententiam, si Latinè exprimatur, series, aut revolutio vitę, quæ patri suo maledicit? Certè LXX. in omnibus quatuor locis, (quę extant apud ipsos capite 24.) constantissimè reddiderunt. *Ecgonon ca con*, id est, *filius malus.*

154 Non erit abs re, illud hîc obiter adnotare: universè fuisse olim summo probro, atque dedecori in populo Israelitico, nõ procreare liberos. Sic sterilis Rachel, ubi primùm peperit filiũ, gratias Deo agens, dixit Genesis 30. num. 23. *Abstulit Deus opprobriũ meum.* Sic ancilla illa exprobravit Saræ Tobiæ 3. num. 9. *Amplius ex te non videamus filium.* Sara autem in oratione persistens, numer. 11. *Cum lacrymis deprecabatur Deum, ut ab isto improperio liberaret eam.* Vide Expositores Isaiæ, circa illa verba cap. 4. num. 1. *aufer opprobrium nostrum.*

155 Observo etiam, apud Romanos honori duci solitum, quàm plurimos liberos procreasse. Hoc significat Tacitus libr. 2. Annal. [Plerique nitebantur, ut numerus liberorum in Candidatis præpolleret, quod lex iubebat.] Gelius verò apertè prodit, libro 2. cap. 15. [Priori ex Consulibus fasces sumendi potestas est. Non qui plures annos natus est, sed qui plures liberos, quàm collega, aut in potestate habet, aut in bello amisit.] Nec minùs disertè Plinius lib. 7. Epistolarũ. [Calestrium familiarissimè diligo: simul quæstores Cæsaris fuimus: ille me in Tribunatu liberorum iure præcessit.]

Quòd ad tabernaculi similitudinem 156
attinet, quam hîc usurpat Ezechias, latissimus se nobis aperiebat cãpus accuratæ explicationis huius similitudinis, tam crebrò ab Scriptura, & Patribus frequentatæ. Sed ea excursione lubens supersedeo, tum quia, verum ut fatear, parum ad rem præsentẽ mihi videtur spectare: ubi non comparat Ezechias cũ tabernaculo corpus suum, sed orbitatem liberorum cum tentorij pastoritij amotione contendit. Tum quia hoc labore accuratissimè perfuncti sunt Pineda in ea verba Iob. 18. num. 14. *Avellatur de tabernaculo suo fiducia eius.* Maldonatus in id Ioannis 1. nume. 14. *& habitavit in nobis:* legitur enim Græcè *eskenosen*, id est, in tabernaculo in nobis habitavit. Lorinus explicans illud 2. Petri 1. num. 13. *Quandiu sum in hoc tabernaculo*, & num 14. *certus, quod velox est depositio tabernaculi mei.* Iustinianus in illa verba Pauli 2. Corinth. 5. numero 4. *Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati.* Denique eruditissimus Biscióla ex Platone, Trismegisto, Democrito, & Cicerone lib. 11. Horarum subcesivarum cap. 24.

Hîc verò tota vis similitudinis in eo 157
consistit, quòd quemadmodùm pastores, instar illorum, de quibus Horatius lib. 3. Ode 24. *Campestres melius Scythæ, quorum plaustra vagas ritè trahunt domos*; tantisper figunt alicubi tentoria, dum pastionis ratio exigit. At ubi aliò commigrã-

dum

dum est, refixo, & convoluto tabernaculo, ne vestigium quidem relinquunt ullum. Sic Ezechiæ soboles, Ezechia ipso orbato liberis, de medio sublato, sic prorsus abolita, & extincta est, ut ne scintilla quidem ulla remaneret, unde ignieulus suscitaret, & lucerna regalis familiæ rursus accendi posset. Ita solet Scriptura extremam vastitatem hac similitudine declarare, Isaiæ 24. num. 20. *Et auferetur, quasi tabernaculum unius noctis.* Sic exponit Maldonatus verba illa Thren. 2 n. 6. *Dissipavit, quasi hortum temporium suum: demolitus est tabernáculum suum*: & illa Ieremiæ 43. num. 13. *Sicut amicitur pastor pallio suo, & egreditur.* Lege Delrium tomo 1. adagio 984. in id Isaiæ 1. num. 8. *Derelinquetur filia Sion, ut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario.* Et adagio 987. ex Micheæ 1. num. 6. iuxta LXX. *Ponam Sa maxiam in pomorum custodiam.*

Præcisa est velut à texente vita mea: dum adhuc ordirer, succidit me.

158 EST totum hoc elegantissimum Ezechiæ canticum venustissimis metaphoris, tamquam vermiculato emblemmate distinctum, picturatumq; Novam itaque doloris causam, quæ ægrotantis animum acriter pungebat, atq; adeò exulcerabat, sub egregia allegoria vix dum orsę, & inchoatę telæ, sed in primis filis repentè precisę, modò repręsentat. Augescit videlicet insitus mortis sensus, cùm immaturè, inopinatòquè deceditur.

159 Constans est veterum Patrum sententia, Ethnicos illos, profanæ sapientiæ antistites, Philosophos, atque Poetas pleraque hausisse ex sacris monumentis, ea tamen suis referssisse, atque inquinasse fabulis, & mendacijs impudentissimis splendorem veritatis obscurasse. Exemplo sint, in re omnium sermone pervagata, diluvium Deucalionæum, & superbissima Gigantum pugna, cum ipsis cœlitibus commissa, ex Noetico diluvio, & Babylonica turri exstructa à Gigantibus, adspersis figmentis, deflexa, atque detorta. Quare etiam, atque etiam probo Agelij coniecturam existimantis ea, quæ Poetæ de tribus Parcis unius cuiusque vitę filal deducentibus, abrumpentibus vé fatalia stamina, finxerũt, ex præsenti Isaię loco, alijsque similibus, depromptisse, figmentis verò suis commaculasse. Affirmat hoc Agelius in ea verba Psalm 87. nu. 5. *Et ipsi de manu tua repulsi sunt.* Quæ sic explicat Agelius ex Hebræoi perinde quasi Dei manu fila vitę illorum excisa sint, & stamina detruncata.

Est autẽ insignis locus Ezechielis 37. 160
n. 11. *Periit spes nostra, & abscissi sumus.* Subest Hebraicè *Tichva.* Quæ vox spem significat, & filum, ut probat Pagninus in Thesauro ex Iosue 2. num. 18. & n. 21. Magis tamen assentior Mercero, qui ex proprietate radicis *Cava*, id est, colligere, agglomerare, & congregare aptè deducit potius significare glomum, orbem scilicet illum, in globi figuram, ex filis nendo deductis convolutum, & implicatum colo. Itaque rectè vertas Ezechielis locum; *periit glomus noster, & succisi sumus.* In eamdem explico sententiã verba illa, Proverb. 23. num. 18. *Habebis spẽ in novissimo, & præstolatio tua non auferetur.* Cùm enim subsit idem nomen in posteriori membro, & verbum *Carat* in germano suo significatu sit *succidere*, propriissimè reddas totam comprehensionẽ, *erit tibi novissimum, & glomus tuus non succidetur.*

Sed venia mihi sit, ad meliùs percipiẽ- 161
da hæc ipsa Scripturæ loca, unde Poetæ Parcas suas effinxerunt, tantisper digrediendi ad totam istam fabulam enucleatiùs explicandam. Res erit non iniucunda scitu: ab eo certè, quem enodamus, loco, minimè aliena. Tres omnino Parcas vitæ, necisque nostrę præsides superstitiosa excogitavit Antiquitas, Quarum una colum gestabat, lana obvolutum, altera fila sensim è lana deducebat, coloq;

agglome-

agglomerabat. Tertia denique cùm fato pręstitutum aderat temporis momentũ, repentè stamina secabat, vitamque præcidebat. Elegãter eas depingit Catullus in epithalamio Tethydis.

AEternumque manus carpebant ritè laborem:
Lœva colum molli lana retinebat amictam;
Dextera tũ leviter deducens fila supinis
Formabat digitis, tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum.

162 Parcarum porrò crebra mẽtio apud Poetas. Martialis libro 9. epigr. 18. ad AEsculapium.

Latonæ venerande nepos, qui mitibus herbis
Parcarum exoras pensa, breveque colos.

Horatius libro 2. Ode. 3. *Dum res, & ætas, & sororum fila trium patiuntur atra.* Quo in loco miror, non obseruatum à Lambino, pulla à Parcis deduci stamina, aut infelicibus, aut iam, iamque morituris. Ouidius 2. Fastorum.

Vltima volventes oravit pensa sorores,
Vt traherent parva stamina pulla mora.

Martialis libro 6. epigr. 58.

Si mihi lanificæ ducunt non pulla sorores
Stamina, nec surdos vox habet ista Deos.

163 Nam candida, aurea vê fila deducebantur felicibus, diuque victuris. Statius lib. 1. Syluarum in Epithalamio Stellæ.

Ergo dies aderat Parcarũ conditus albo
Vellere.

Accommodatè que Martialis Iuliã effingit quasi Parcarum præsidem, celebreq; illud aureum vellus in aurea fila deducentem, lib. 6. epigr. 3.

Ipsa tibi niveo trahet aurea pollice fila,
Et totam Phrixi Iulia nebit ovem.

Atque sub eadem hac fictione aurati velleris extat heroicum carmen Hieronymi Amalthęi ad Pium 4. quo nescio, an unquam legerim concinnius, elegantius vê poema: sed quia longius est, quàm ut hîc describendum totum videatur, clausulam duntaxat venustissimam attexam.

Sed quid ego, ô nentes vitalia pensa puellæ,
Aspicio his oculis? decrescunt stamina, dum vos
Assiduo nimium vestitis pollice fusum.
Nete Deæ optati paulatim Principis annos,
Et lenta tenuate manu tam nobile vellus,
Et trahite ad seros hæc aurea sæcla nepotes.

Age verò Parcarũ nomina à Grecis formata verbis, atque è re commodissimè ficta videamus. Prima ab ipso nendi opificio Clotho nominatur. Altera Lachesis, id est, *sortitio*, à *Lagchanin*, id est, *sortiri*, quasi sortitò vitæ spatia hominibus obtingant. Hæc enim est, quæ fila ducit. Martialis libro 1. epigr. 89. 164

Cùm mihi supremos Lachesis perneverit annos.

Huius item nominis vestigium in sacris monumentis reperimus. Nam ubi legitur in Hebraico textu. Psal. 30. num. 16. *In manibus tuis tempora mea*, reddiderũt LXX. *In manibus tuis sortes meæ.* Voluerunt nimirùm sapientissimi viri (ut doctè ibi obseruat Agelius) Parcarum fabulas corrigere, ad veramque sententiam traducere. Asserebãt Poetæ spatia vitæ cuique, vel fato obtingere, aut sorte sua temerè evenire, unde Parcarum unam Lachesim, hoc, est sortitionem appellabant. Hoc mendacium refutarunt LXX. & sortitionem omnem in Dei manu esse dixerunt: ab eo vitæ spatia mortalibus tribui, ab eo propagari: ab eo deniq; pro ęterno suo consilio, arbitratuque finiri: licèt sortitò, & quasi temerè hominibus hæc accidere videãtur: quia latentes in abdito Deitatis pectore tãtę varietatis causas investigare non possimus.

Tertia demũ Parca vocabatur Atropos: ad verbum reddas *invertibilis*, aut si Latinius mavis, inexorabilis, implacabilis, inflexibilis. Quia fatalis illa moriendi necessitas, ubi adest instans præstitutum, nullo modo flecti, aut immutari potest. Tibullus, libro 1. eleg. 7. 165

Hunc cecinere diem Parcæ fatalia nentes
stamina non ulli dissoluenda Deo.

Martialis lib. 3.

Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit, obseruant, quẽ statuere diẽ.

Huius Parcę munus est, fixo illo, ac longè antè præfinito temporis puncto, vitæ filū resecare. Martialis lib. 9. Epigr. 78.

Invidit de tribus una soror,
Et festinatis incidit stamina pensis.

Recitat in commentario illius loci Raderus noster vulgò iactatum versum.

Clotho colum retinet, Lachesis net, & Atropos occat.

166 Iam verò fixam, & stabilem ex hac vita decedẽdi necessitatem, ante omnem æternitatem à Deo decretam, cùm adest divinitus præstituta dies, nullis opibus, nullis viribꝰ, aut arceri, aut retardari posse, quis dubitet, profanos scriptores etiã è sacris hausisse? Extat vetustissima Iobi sententia, cap. 14. num. 5. *Breves dies hominis sunt: numerus mẽsurę eius apud te est: constituisti terminos eius, qui præteriri non*
167 *poterunt.* Quòd si etiam fila præcisa, & abrupta subitò stamina desideres, suppetit elegans locus Psalm. 89. num. 10. *Quoniam supervenit mansuetudo, & corripiemur*, ideſt, celerrimè rapiemur ex hac vita. Hebraica vertit ad verbum Genebrardus: *quoniã tonsio velox est, & evolabimus.* Qui explicationis gratia protinus adiungit. *Allusio Poeticæ est, ut cùm apud nostros Parcæ filum vitæ nostræ ducere, & secare memorantur.* Symmachus ita reddidit Græcè: *excisi enim subitò avolamus.* Sumpta videlicet metaphora à filo præciso ex vellere, unde ducebatur: quod pleruмque vento raptum evolare solet.

168 Neque minùs frequens est in arcano sermone altera, ab hac, quam explicuimus, parcè deflexa, telæ similitudo: quam circa illa verba Iob. 7. num. 6. *Dies mei velociùs transierunt, quàm à texente tela succiditur*, luculentè sic explicat Gregorius lib. 8. Moralium cap. 7. [Sicut tela filis, sic vita mortalis diebus singulis proficit: sed quo ad augmentum proficit, eo ad incisionem tendit.]

Ex hac similitudine ducuntur verba illa Psalm. 138. num. 15. *Substantia mea in inferioribus terræ*: si Hebraicam lectionem expendas, quam sic illustrant ex antiquioribus Symmachus, è recentioribus autem Genebrardus, & Agelius: *variegatus sum*, ideſt, *variè contextus, & quasi polymito opere elaboratus in utero matris.* Variegatum autem se esse dicit, quòd multis, diversisque partibus, tanquam versicoloribus filis, compositus sit: nimirùm ossibus, nervis, cartilagine, carnibus, &c. Nec desunt, qui huc etiam tra- 169
hant verba illa Iob cap. 38. numer. 36. *quis posuit in visceribus hominis sapientiã?* ea enim sic leguntur apud LXX. *Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, aut variegandi scientiam?* Solus videlicet Deus est, qui polymitam hanc humani corporis telam, in maternis visceribus, & mirabili artificio orditur, & accuratissimo opere pertexit.

Hæc autem tela adeò fragilis est, ut vix 170
dum orsa repẽtè præcidatur. Quàm multi vix dum editi, atque susceptι in lucem, ab ipso vitæ limine subitò revocantur? *Dum adhuc ordirer* (inquit Ezechias) *succidit me.* Nihil mirum, si tenuissima, & delicatissima tela in primo statim stamine abrumpatur. An in hoc genere quidquam fingi potest, aut excogitari fragilius, quàm aranearum tela? Eo symbolo denotare solet Scriptura: quod maximè imbecillum, & contemptissimum est. Isai. 59. num. 5. & 6. *telas araneæ texuerunt: telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis.* Iob 8. numero 14. *sicut tela aranearum fiducia eius.* Oseæ cap. 8. numer. 6. *in aranearum telas erit vitulus Samariæ.* Atqui tela hæc 171
humanæ vitæ prorsus aranearum tela est: ut mirandum valdè sit, tamdiu illam durare, ac non potiùs quolibet flatu, aut perlevi incursu statim abrumpi.

Psal-

Psalm. 89. num. 9. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*: id est, æstimabuntur: instar telæ aranearum erunt. Vbi observandū est, *araneā* apud Latinos Scriptores pro ipsa bestiola, aut pro eius tela sumi, ut doctè probant Delrius tomo 2. adag. 104. & Lorinus Psalmo 38. vers. 12. & utraq; significatio mirificè quadrat in hunc locum, & in eumdem ferè sensum recidit.

172 Nam sicut aranea sese eviscerat, & exhaurit, ad texendam telam, qua innoxia venatur, & interimit animalcula: itaque studium eius omne nihil est aliud, quàm fraus, laqueus, & rete: quod tamē interdum in ipsius recidit caput, scopis enim circumductis, è tela se propripiens faciliùs in terram decutitur, pedibusque calcatur: sic plerique mortales araneæ telas ad circumveniendos alios ordiūtur, quæ tamen, & fragiles sunt, & vanæ, ac proin de momento resecantur. Sæpe etiam texentibus pernitiosæ: nam eisdē telis, quasi vinculis quibusdam constringuntur, capiunturq;: id, quod maximè cōtingit avaris, nam ad coacervandas opes, quasi ad texēdas aranearum telas, viscera ipsa profundunt. Ecclesiastici 10. num. 10. *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet: quoniam in vita sua proiecit intima sua.* Sed in ipsas telas aranearum, quas tāto sudore texuerunt, quasi in laqueos acerrimè constringentes induuntur. Ecclesiastes 5. num. 12. *Divitiæ conservatæ in malum Domini sui.*

173 Eamdem araneæ cum vita nostra similitudinem reperimus Psalm. 38. num. 12. *Et tabescere fecisti sicut araneā animā eius.* Enim verò, ut summa huius telę fragilitas vivis coloribus, quasi in tabella depicta, oculis ipsis cerni possit: agè, quid fragilius ea tela, quam sine cultro, aut incisione ulla, repentinum quoddam gaudiū, vel subitus mæror, aut pudor abrumpit? Mitto Anacreontem Poetam acino uvæ passæ pertinaciùs in faucibus hęrente: Fabium verò Senatorem unico pilo in lactis hausțu gutturi trāsverso, strangulatos. Auctores sunt Plinius lib. 7. cap. 7. & Valerius Maximus lib. 9. cap. 12. Quis non 174
obstupescat, Chilonem Spartanum, dū victorem Olympiæ filium amplecti itur, præ gaudio inter filij amplexus animam efflasse? refert Plinius lib. 7. cap. 32. Quis non admiretur Clidemum Atheniēsem, dum victor ipse ab histrionib⁹ ob præstātiā auro coronatur, repentè obijsse? Tertullian⁹ libro de anima capite 52. Sophoclem, cùm in certamine tragędiam dixisset, ancipiti sententiarum eventu diu solicitum, victorem denique renuntiatum, subitò prę gaudio expirasse? Valerius Maximus lib. 9. cap. 12. Quis non tacita miseratione prosequatur Romanam illam Matronā, cui filij mors falsò nūtiata fuerat, ad primum conspectum redeuntis è prędio sospitis filij, repentino gaudio exanimatam? Livius libro 2. Decade 3. Plinius lib. 7. cap. 58. Valerius Maximus lib. 9. cap. 12.

Illud verò, quod refert Gelius libr. 3. 175
cap. 15. & miserationem, & admirationē elicit. Habuit Diagoras tres filios adolescentes, singulos in singulis certaminibus præstantes, eosque omnes vidit vincere, coronariq́ue eodem Olympię die. Cùm verò illi certatim ad Patrem accurrerēt, suaviarentur, coronasque sibi detractas illius capiti imponerent: cùm gratulabundus populus eò convolaret, ac flores undique in talium filiorum parentem iacerēt: in ipso stadio, inspectante populo, in oculis, ac manibus filiorum, animam exhalavit. Heu mortalium dementiam! Eāt nunc, qui tam fragilē ordiūtur, texūtq; vitę telā; & vix dum post lōgā, ac diuturna sęcula præcidēdam fore, sibi temerè polliceantur. Sapienter concludit Tertullianus cap. 52. lib. de Anima [Vis est & illa navigijs, cùm longè à saxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quassata decumanis, adulante flatu, labente cursu, lætante comitatu, intestino repentè perculsu, cum tota securitate desidunt. Non secùs naufragia sunt vitæ etiam tranquillæ mortis eventus].

De mane usq; ad vesperam finies me.

176 HEbraica, nullo sententiæ discrimine, sic vertas: *à die usque ad noctem consumes me.* Atque hęc ipsissima verba rursus inculcantur num. 13. continent scilicet luculentam descriptionem brevitatis humanæ vitæ, quę tantam huius telæ fragilitatem consequitur: adeò exiguis terminis circumscribitur totius vitæ periodus, ut rectè æstimantibus unius diei instar esse videatur. Si conferatur illa quidem cum æternitate, brevior etiam spatio diurno meritò apparebit. Aurea sunt in hanc sententiã Ciceronis verba in prima Tusculana [Aristoteles ait, bestiolas quasdam nasci, quæ unum diem vivant; ex his igitur hora octava, quæ mortua est, provecta ætate mortua est: quę verò occidente sole, decrepita: eò magis si etiã solstitiali die. Confer nostram longissimam ætatem cum æternitate: in eadem propemodùm brevitate, qua illæ bestiolæ, reperiemur.] Hoc nimirùm est, quod asseruit Ecclesiast. c. 18. num. 8. *Numerus dierum hominum, ut multum centum anni: quasi gutta aquæ maris deputati sunt: & sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi.* Et Ecclesiast. 11. num. 8. *Meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum: qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita.*

177 Regio etiã vati longissima nostra ętas, æternitati collata, similis omnino videtur non diei, cùm sensim agitur, & matutino tempori per intervalla succedit vespertinum: sed diei, quę iam effluxit; cuius nihil reliquum est. Psalm. 89. num. 4. *quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquã dies hesterna, quæ præterijt.* Consentaneè Petrus Epist. 2. cap. 3. num. 8. *Vnus dies apud Dominum, sicut mille anni, & mille anni, sicut dies unus.* Itaque tota vita Mathusalem, qui unus mortalium omnium quàm diutissimè vixit, & annum attigit nongentesimum sexagesimum nonum, Genes. 5. num. 27. si cum æternitate cõparetur, vix unius diei instar obtinet. Memoratque Irenæus sub finem lib. 5. quosdam existimasse, propterea denuntiatum Adamo fuisse Genes. 2. nu. 17. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*; quia sic re vera accidit: post esum enim pomi vetiti Adam vivendo non explevit diem unum, quia ad millesimum annum non pervenit.

Sed in præsenti loco Ezechias non respiciens ad æternitatem, sed vitæ suæ brevitatem attendens, perexiguo quidem spatio, hoc est, nõ integrę diei artificialis, sed quamdiu Sol ab ortu suo in Occasum vergit, eam circumscribit. *De mane*, inquit, *usque ad vesperam finies me.* Cui mirificè consonat Propheta Regius, Psalm. 89. num. 6. *Mane sicut herba transeat, mane floreat, & transeat: vespere decidat, induret, & arescat.* Vbi comparat nostram vitam cum decidua, diurnaque herba: quæ primo mane vestita frondibus, & roris guttulis aspersa, amænissimè viresci Sic videlicet pueritia viridis spei, ac succi plena oculos pascit. Deinde tamen herba calore solis tepefacta flores emittit: sic pubescens adolescentia floret. Tandem æstu solis exusta herba languescit, & humore exsiccato duratur, ac decidit; sic etiã vita nostra laboribus exercita, exhausto succo, vergenteque senio, festinanter ad interitum venit. De hac solstitiali herba, quæ unum duntaxat diem durat, lege Delrium to. 2. adagio 103.

Floribus frequentiùs cõvenit tam exigua duratio; qui unico die vigent, & propterea à Græcis vocãtur *hemerocallis.* Cum his caducis flosculis sæpe in sacro sermone vita nostra comparatur. Iacobi 1. num. 10. *Sicut flos fœni transibit: exortus est enim Sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit.* Sic Eccles. 14. num. 18. Isaiæ 40. num. 6. Iob. 14. num. 1. & 1. Petri 1. num. 24. Egregiè Plinius lib. 21. cap. 1. [Flores Natura in diem gignit: magna hominum admonitione, quæ spectatissimè floreant, celerrimè marcescere.] Lege poëma Virgilij de Rosa. *Quàm longa una*

178

179

dies

dies, ætas tam longa rosarum. Sapientissimè itaque Nazianzenus, oratione in laudem Cæsarij. [Insomnium fumus instabile, spectrum, quod vestigium non habet: pulvis, vapor; ros matutinus, flos pro tempore nascens, atque marcescens.]

180 Neque sunt meliore conditione, vel Imperatores, vel Reges: quippe, & ipsi homines nati. Ecclesiast. 10. num. 12. *Sic & Rex hodie est, & cras morietur.* Cui accinit Senecæ chorus in Thyeste post Actum 3.

Ima permutat brevis hora summis:
Ille, qui donat diadema fronti,
Quem genu nixæ tremuere Gentes;
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.

Perpende, quàm momentanea sit regalis felicitas. Vnde meritò celebratur versus ille Euripidis, quem recitat Plutarchus in libello consolatorio ad Apollonium: *non est stabilis felicitas, sed in diem durans.* Quo in loco Demetrius Phalereæus Poetam, alioqui laudatum, reprehendisse legitur, qui nō unum diem, sed temporis punctum dicere debuerit. Causam acutè reddit Seneca lib. 7. naturalium Quæstionum cap. 32. [Fluit tempus, & avidissimos sui deserit. Nec quod futurum est, meum est, nec quod fuit: in puncto fugientis temporis pendeo.]

181 Pindarus omnium optimè videtur hanc celerrimam vitæ brevitatem unico expressisse verbo; dum eam totam vocat in Pythijs. Hymno 8. *SKias onar*, ideſt, *umbræ somnium.* Nihil est inanius umbra: videtur illa quidē esse, cùm nihil sit. At hac quoque reperit Pindarus inanius quiddā; nempe somnium ipsius umbrę. Lege Adagiographum illustrantem tritum illud vetustate proverbium, *homo bulla.*

182 Sed quando huc incidimus, existimo nullum fortasse symbolum, non dicam in tota natura reperiri, sed ne cogitatione quidem ipsa fingi posse: quod aptiùs, & significantiùs exprimat, quàm bulla, tum fugacitatem, tum miram fragilitatem, & varietatem humanæ vitæ. Videre enim est, cùm pluit, tenuissimas bullas repentè tumere in aquis, & magnificè se se efferre, caputque attollere, ac pellucidam illam speciem oculis obversantem, quasi in pompa ostentare. Sed totus ille tumor, atque splendor, nihil habet solidi; inanissimus duntaxat subest ventus. Itaque aliæ simul atque exortæ sunt, momento evanescunt; altę quidem paulò diutius durāt, sed omnes brevissimo diffluunt intervallo; allæque alijs per momenta fere singula succedunt. Quis hîc non videat non adumbratam modò, sed vivis coloribus expressam mortalitatis imaginem? Neque verò hoc luculentissimum bullæ symbolum desideratur in Scriptura. Vbi nos legimus Psalm. 89. num. 5. *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*: ut advertit Genebr. Hysterologia est sic ordinanda. *Eorum anni erunt ea, quæ pro nihilo habentur.* Subest Græcè in posteriore membro unicum duntaxat nomen, apud LXX. *exudenomata*. Quod tota hac periphrasi illustravit Vulgatus: &, si fingere vocabula liceret, ita Latinè reddi posset, *eorum anni erunt nihileitates*: hac enim voce Latina exprimit vim Græcæ Delrius tom. 1. Adagio 102. Sensus verò Latinę Editionis est: anni hominū, cùm brevissimi sint, ac penè nulli, celerrimèque finiantur, numerandi, existimandique omnino sunt inter ea, quæ despicatui ducuntur, ac pro nihilo habentur. Atq; hæc satis sint pro interpretatione Vulgati, & LXX.

183

184 Legerunt autem ipsi LXX. in Hebraico codice *zerem*: cuius vim expendens Mercerus in Thesauro Pagnini, asserit propriè significare subitam, repentinamque fluxionem, cum impetu decidentem. Vulgatus Ezechielis 23. nu. 20. reddidit *fluxum*. Habacuc. 3. num. 10. *gurgitem* vertit, *gurges aquarum transijt*. Iob 24. num. 8. *imbrem*. Isaiæ 30. num. 30. *turbinem*. Vides ubique celerrimam fluxionem, inundationemque denotari. Sed in hoc loco Psalmi Hebraicæ linguæ scientissimi Eugubinus, Genebrardus, nosterq; Delrius,

bullam reddi posse aiunt. *Bulla eorum anni erunt.*

Et quia secundũ huius versiculi nomẽ, quod LXX legerunt *Sana*, ideſt, *annus*, D. Hieronymus, & Hebraici codices, qui vulgò circumferuntur, diversis punctis legunt *Sena*, hoc est, *somnium*; nova item, eaque appositissima similitudine, huius vitæ vanitas significanter exprimitur. Totum igitur locum sic reddit ex Hebræo Tigurina: *Ceu nimbum dilabi illos impetu quodam facis: sunt velut somnium.* Explicatque Vatablus. *Velut somnium traduntur oblivioni.* Isidorus Clarius: *diffluent velut somnus.* Flaminius: *rapuisti eos, ut impetus aquarum: sunt veluti somnium.* Campensis in sua Paraphrasi sic illustrat. [Velocissimè properare annos hominum iubes: & priusquàm ad se reversus homo cogitet, quid sibi in vita acciderit, elapsos sentiet illos veluti somnium.] Sic est profectò, sic est: somnientibus similes sumus; quos contenta voce excitat Chrysologus ser-
185 mone 124. [Quid stupemus? Vbi sumus? Quis est iste, qui nos eludit somnus? quæ est ista, quæ nos tenet, oblivio lethalis? Quare non cælo mutamus terram? Quare non caducis emimus æterna? Quare non perituris manentia comparamus?] Næ ille altè stertit, qui ad hæc vehementia tonitrua, fulminaque verborum non expergiscitur. Nec minùs ardenter intonat Nazianzenus oratione 16. [Quis prætereuntia præteribit? Quis stabilibus, & æternis mentem adiunget? Quis de præsentibus rebus, tanquam de abeuntibus cogitabit? Quis picturam à veritate; quis umbram à vita sempiterna discernet?] Congruenter denique Seneca Epist. 110. [Quid miraris? Quid stupes? Pompa est. Ostenduntur istæ res, non possidentur: & dum placent, transeunt: ad veras potiùs te converte divitias.]

Numerus 13.

Sperabam usque ad mane.

Nihil erat causæ, cur Hebraizantes tantopere hîc à Vulgato dissentirent. Pagninus, & Vatablus vertunt: *statui usque ad mane.* Arias Montanus in Regia: *posui*; in commentarijs verò adiungit etiã: *gemebam usque ad mane.* Tigurina: *supputabam usque ad auroram.* Quam versionem, & sequitur Forerius, & ita explicat. [Noctem ducebam insomnem: & mente volvebam, quid rei hoc esset, quòd tam brevi vitam meam absumeres.] 186

Ego verò primùm existimo sapientissimè vertisse Vulgatum. Nam LXX Iob 15. num. 31. idem Hebraicum verbum *siva*, Græcè *hypomeno*, ideſt, sustineo, sive spero, reddiderunt. Deinde ad cõtextum, & Ezechiæ sensum accommodatissime: mortem enim impendentem iam vóraverat, conceptamque in præcordijs gerebat Ezechias: totum itaque vitæ spatium, quod effluxerat, vix unius diei instar obtinere sibi videbatur: credebat in singula momenta instare mortem: cùm Sol illuxerat, vix sibi persuadebat, usque ad vesperam se victurum: at ubi transacta dies erat, seque adhuc conspiciebat animam ducere; rursus ea nocte, ante Solis ortum, se è vita decessurum metuebat. Planè ut in se ipso experiretur Ezechias, quod minatus fuerat Deus Deuteron. 28. nu. 66. *Et erit vita tua quasi pendens ante te*, ideſt, erit ante oculos tuos vita, quasi ex tenuissimo suspensa filo, ut iam iam ruitura videatur. Verè enim cecinit Ovidius 4. de Ponto. 187

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo;
Et subito casu, quæ valuere, ruunt.

Explicatiùs itaque deinde subiungitur: *timebis nocte, & die; & non credes vitæ tuæ. Mane dices, quis mihi det vesperũ? Et vespere, quis mihi det mane?* Hęc verba perspicuè

mihi

mihi ob oculos ponunt mentem, sensumque Ezechiæ. Quibus affinia sunt illa Iob 15. num. 22. *Non credit, quòd reverti possit de tenebris ad lucem*: & num. 23. *Novit, quòd paratus sit in manu eius tenebrarũ dies.* Lege ibi Pinedæ nostri commentarium.

188 Obstare videtur huic explicationi verbũ illud, *sperabam*. Quis enim sperat mortem in horas singulas imminentem, ac non potiùs illam vehementer timet, ac reformidat? Sed frequẽtissimum est apud Græcos, Latinosq; scriptores, *sperare* pro *timere*, ut eruditè probat Cerda noster lib. 1. Æneidos vers. 347. nu. 9. Deinde quid vetat, quominùs exponamus; sperabam usq; ad mane me vitam productũrũ? Postremò Hebraicum verbum, ut auctoritate LXX comprobavi, nõ tam sperare significat, quàm *hypomenin*: sustinere, obdurare, animumque ad excipiendam mortem iam iam impendentem erigere.

Quasi leo, sic contrivit omnia ossa mea.

189 CVm huius verbi suppositũ suppresserit Ezechias, neque enim differè ait, quis eius ossa contriverit: nonnulla est hìc explicationũ varietas inter Expositores, dum alij ad Deum, alij ad morbum, alij denique ad vehementissimum, quo afflictabatur, dolorem referunt. Sed citra ullum, ut ego arbitror, sententiæ discrimen: nam omnia demum ad Deum auctorem morbi, doloriscque referenda sunt.

190 Illud observo; adagialem locutionem esse in arcano sermone, dum ad exprimẽdam sive morbi, sive doloris vim, intimè is ad ipsa usque ossa penetrare dicitur. Indicabo nonnulla duntaxat exempla. Psal. 6. num. 3 *Conturbata sunt ossa mea*. Et Psal. 101. num. 4. *Ossa mea, sicut cremium aruerunt*. Iob. 30 num. 30. *Ossa mea aruerunt præ caumate*. Threnor. 1. num. 13. *Misit ignem in ossibus meis*. Sic etiam apud Poetam 2. Æneidos. *Geliduscque per ima cucurrit ossa tremor*. Et in opusculo de livore. *Intactis vorat ossibus medullas*.

Et quia inter vastas Palæstinæ solitudines frequenter leones occurrebant; unde strenuissimi viri in suscipiendo certamine cum leonibus vires, ac robur ostentabãt. Sic Samson dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerpens, Iudicum 14. num. 6. David cum leonibus lusit, quasi cum agnis, Ecclesiast. 47. num. 3. & 1. Regum 17. num. 34. Banaias item percussit duos leones, 2. Regum 23. num. 20. contrà etiam multi à leonibus occidebantur, ut constat. 3. Regum 13. num. 24. & c. 20. num. 36. & 4. Regum 17. num. 25. 191

Hinc factum est, ut in sacris litteris ad significandam immanem stragem, horrendamq; carnificinam, similitudo leonis frequentissimè usurpetur. Psalm 7. nu. 4. *Ne quando rapiat, ut leo, animam meam*. Psal. 16 nu. 12. *Sicut leo paratus ad prædã*. Psal. 21. num. 14. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiẽs*. Sic Eccles. 13 nu 23. & Michææ 5. nu. 8. Etiam crudelissimus ille carnifex dæmõ, nostri sanguinis exorbendi sitientissimus, dicitur ab Apostolo Petro Epist. 1. c. 5. nu. 8. *Tanquã leo rugiens circuit, quærens, quẽ devoret*.

Et quidem mirabile est, quod de leonis rugitu duo gravissimi Patres memoriæ prodiderunt. Basilius homilia 9. in Hexameron, Ambrosius item in Hexameron lib. 6 cap. 3. Si quando feræ cursus celeritate leonem insequentem antevertant, illiusq; ungues, ac dentes effugiãt; leonem horribilem edere rugitũ, quo illico attonitæ, & cõsternatæ, quasi ictu teli transfixæ exanimantur, & corruunt. Quò fortasse alluditur in Scriptura. Amos. 3. num. 4. *Numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam?* Et num 8. *Leo rugiet: quis non timebit?* Isaiæ 31. num. 4. *Quomodò si rugiat leo, & catulus leonis super prædam suam*. Eccles. 51. nu 4. *A rugientibus præparatis ad escam*. Psalm 103. nu. 21. *Catuli leonum rugientes, ut rapiant*. 192

Ait verò Ezechias, ossa sua doloris vi, perinde ac leonis dentibus, fuisse comminuta: quia inest à natura incredibile robur dentibus leonis: quibus illi captã prędam 193

minutatim discerpũt, validissimèq; comminuũt. Vnde aiebat Martyr Ignatius in Epist. ad Romanos, *Dentibus bestiarum molar.* Et de peccato lethali animam occidẽte legimus Eccles. 21. num. 3. *Dentes leonis dentes eius.* De hostili verò exercitu valentissimo Ioelis 1. nu. 6. *Dentes eius, ut dentes leonis: & molares eius, ut catuli leonis.*

Numerus 14.

Sicut pullus hirundinis sic clamabo.

194 ADagialem hanc locutionem esse, existimat Delrius tom. 1. Adagio 764. Vbi multa ex Poetis eruditè congerit, & Vulgati patrocinium suscipit; quẽ etiam acriter tuetur Agelius hîc adversus Hebraizantes; qui admiranda Metamorphosi ex hirundinis pullo in nidulo pipiente, altivolantẽ gruem ut minimũ confinxerunt.

195 Ego quidẽ censeo, exemplũ esse quàm aptissimũ ad significandum Ezechiæ animum, humiliter indigentiam suam agnoscentẽ, in precesq; ardenter effusum. Quale item illud, quod usurpavit Chananæa Matt. 15. nu. 27. *Et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorũ.* Nihil enim habet hirundinis pullus, quo se sustentet, nisi querulo illo, & crebro fritinnitu matrem absentem instãter sollicitet. Nulla itẽ salutis spes affulgebat Ezechiæ, humanis remedijs ad arcendam mortem prorsus destituto, nisi Divina præsidia cõtentis, & assiduis clamoribus evocaret. 2. Paralip. 20. nu. 12. *Hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*

196 Neque verò Deus aversabitur, aut irritas dimittet humilium preces. Psal. 73. nu. 21. *Ne avertatur humilis factus confusus.* Iudith. 9. nu 16. *Humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Eccles. 35. num. 21. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit: & non discedet, donec Altissimus aspiciat.* Psal. 101. num. 18. *Respexit in orationẽ humilium.* Hebraicè, *Aharhar.* Vertit Pagninus Paraphrasticè, *eorum, qui sunt velut myricæ.* Et consentiunt quidem Vatablus, & Genebrardus, Hebraicam vocẽ significare *myricam*: aliunde verò notum est, ut probat Cerda ad illum Virgilij versum Egloga 4. *Non omnes arbusta iuvant, humilesque myricæ*; symbolum esse myricam proverbiali penè locutione ad humile quidpiam, abiectum, ac nullius pretij denotandum. Vnde illud eiusdem Poetæ Egloga 6. *Te nostræ Vare myricæ, &c.* Itaq; rectissimè Vulgatus, & LXX. sensum magis attendentes, quàm verba, *orationem humilium* reddiderunt.

Fatetur etiam Genebrardus, & cum 197
eo viri alij Hebraicè docti, non minùs propriè verti potuisse, *respexit in orationem cicadæ.* Est autem huius bestiolæ peculiare quiddam, quod in orationem bellissimè quadret. Tum præcipuè cantum edit, cùm æstate media, ardente Sole, æstu flagrantissimo torretur. Vides, quàm aptè id cadat in Ezechiam, ardentissimo caumate laborantem? Lege eumdem Cerdam in eum versum Egloga 2. *Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.* Et lib. 3. Georgic. *Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ.*

Deinde cicada stridulum illum sonitum format non ore, dentibus, aut lingua, quibus omnino caret, ut scribit Plinius lib. 11. cap. 36. sed pinnulis assiduè præcordia quatiẽtibus. Nam illa demum oratio flectit Deum, quæ non in ore duntaxat nascitur, sed ex imis præcordijs ducitur. Vnde congruenter ex aliorum sen- 198
tẽtia vertit hîc Vatablus. *Respiciet ad orationem excitantis se*, vel *seduli ad orationẽ* Denique cicada alimonia non indiget: cœlesti duntaxat rore victitat: ê cœlo tota pendet. Quis hîc non videat luculenter exprimi virum deditum orationi? Vide item Cerdam Egloga 5. *Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ.* Et lege eiusdem bestiolæ Anacreontis encomium: cuius illud initium est. *O ter, quaterque felix.* Clausula verò: *Cantus amica, & omnis mali, & doloris expers: ipsis abes parum à Dijs.* Arias Montanus vertit in Regia: *respexit ad orationem solitarij:*

solitudo

Solitudo autem, & cicadæ gratissima est, & fundendis Deo precibus aptissima.

199 Arbitror ad hanc humilitatem orationis, ortam ex cognitione indigentiæ propriæ, spectare etiam notabilem illum, & sanè quàm molestissimum corporis habitum, quo se se ad orandum composuit Elias 3. Regum 18. num. 42. *Pronus in terram posuit faciẽ suam inter genua sua.* Laboriosissimam enim, & molestiæ plenissimam hanc positionem esse, discet, qui experiri volet. Nostrates quidem flagitiosos servos, cùm turpe aliquod facinus admiserunt, funibus constrictos ita solent acerbissimi supplicij causa, molesta illa corporis reductione, quasi in orbem circumvolvere: quod Hispanè dicimus. *Puesto a la ley de Bayona.* 200 Sed est maximè notandum, illum ipsum esse habitum corporis infantilis, dum in utero matris continetur. Auctorem laudo Aristotelem lib. 7. de historia Animaliũ cap. 8. *Homo in semet conglobatus sic gestatur, ut nasum inter genua, oculos super genua, aures extra genua habeat.* Confer hunc ipsum corporis habitum cũ eo, quem assumpsit Elias: eũdẽ prorsus esse reperies. Itaq; co voluit significare vates, perinde se totũ orantẽ ex divino nutu, providentiaque pendere, ac solet imbecillus infantulus intra materni uteri angustias delitescẽs, ubi divina ope vel maximè indiget, iuxta Prophetam Regium Psa. 21. nu. 11. *In te proiectus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu.* Et Psal. 70. num. 6. *De ventre matris meæ tu es protector meus.*

Meditabor, ut columba.

201 HEbraica efferunt Tigurina, Forerius, & Isidorus Clarius. *Gemebam, velut columba.* Et quidem quemadmodùm apud Latinos *meditari*, non cogitare modò significat, sed cogitationem ipsam prodere, ac foras erumpere. Virgilius Egloga 1. *Sylvestrẽ tenui Musam meditaris avena.* Et Egloga 6. *Agrestem tenui medi-* *tabor arundine Musam.* Vtrobique enim significat, pangere carmen rusticum: ita non minùs certum est, Hebraicum verbum significare vehementiorem quemdam animi affectum, ac motum, qui incondito sono externo declaretur. Vnde 202 etiam transfertur ad frementes, ac rugientes præ fame feras: non modò ad homines præ acerbissimo mærore gementes, & ululantes. Isaiæ 31. num. 4. *Quomodò si rugiat leo*: cap. 16. num. 7. *Vlulabit Moab.* Et cap. 59. num. 11. *Quasi columbæ meditantes gememus.* Vbi perspicuum est, quo sensu Latinus interpres in hoc loco *meditandi* verbũ usurpaverit. Subest enim ibi geminatum Hebraico idiomate verbum *haga.* Itaque sic exprimas verbum è verbo. *Tanquam columbæ gemendo gememus.* Vbi apertè vides, idem prorsus esse gemere, ac meditari. Hieronymus in eo Psalterio, quod ex Hebraico textu traduxit, nomẽ *hagigi*, ab hac ipsa radice derivatum, Psalm. 5. num. 2. *rugitum* vertit: Vulgatus, *clamorem*: alij *murmur.* Sic & affine aliud nomẽ, modò *sonus*, Iob. 37. num. 2. modò *carmen lugubre*, scilicet, & cum lamentatione coniunctum, Ezechielis 2. num. 9. Latinè redditur ab interprete. Atque hęc de vocis proprietate.

Quod ad rem spectat, vel ipsa experiẽ- 203 tia teste, comprobatum est: quod scribit Augustin. in ea verba Psalm. 54. num. 7. *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ.* [Nihil, inquit, tam amicum gemitibus, quàm columba. Die, noctuque gemit, tanquam hîc posita, ubi gemendum est.] Gregorius verò ob eam ipsam causam existimat, tam sæpe Sponsam à cælesti Sponso columbã nominari, Cantic. 2. num. 10. & 14. cap. 5. num. 3. cap. 6. num. 8. exponens enim Gregorius verba illa Canticorum 1. nu. 14. *Oculi tui columbarum*, sic ait. [Columba quippe in amore pro cantu gemit: & bene sancta anima columbę comparatur: quia dum in temporalibus gemit, ad æterna desideria rapitur.]

Hinc frequẽter in sacro sermone, colũ- 204 bis gementes prę afflictione comparãtur.

Paulò antè recitavi verba ex cap. 59. Isaiæ num. 11. Sic Nahum 2. num. 7. *Ancillæ eius minabantur gementes, ut columbæ.* Noster Delrius adagialem existimat locutionem tom. 1. adagio 898. confirmatque ex cap. 7. Ezechielis num. 16. *Erunt in montibus quasi columbæ convallium, omnes trepidi.* Legunt codices LXX Regij, & Complutenses, *quasi columba meditans.* Quod Theodotioni attribuunt Scholia Vaticana: Theodoretus verò interpretatur, *ut columbæ suspirantes, & gementes.*

205 Et sanè iure optimo gementem columbam symbolum sui voluit esse Spiritus sanctus. Matth. 3. num. 16. *Vidit Spiritum Dei descendentem, sicut columbam.* Quod adeò proprium illi fuit, ut affirmet Delrius lib. 2. Disquisitionum Magicarum quæst. 22. sect. 3. sub finem, & quæst. 28. sect. 3. initio, nunquam permissum fuisse dæmonem ad fallendos homines speciem columbæ, Spiritui sancto dicatam, induere. Quadrat verò quàm aptissimè gemebunda columba Spiritui illi, *qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ad Ro. 8. num. 26. hoc est, qui nos afflatu suo impellit ad edendos ex imo pectore gemitus inenarrabiles, ducendaque ob admissa scelera ex intimo corde suspiria. Atque adeò tanquam optimus gemituum artifex, docet nos gemitibus Divinam misericordiam implorare. Nam, & Paulus de se, cæterisque Apostolis Spiritu sancto plenis aiebat, ad Rom. 8. num. 23. *Nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, &c.* Atque hæc de gemitu Ezechiæ, columbæque similitudine, pro instituta nostra brevitate sufficiant. Qui volet plura de columba, ad mores conformandos, eruditè congesta, legat Barradam to. 2. l. 1. cap. 15. & Ghislerium in ea verba Canticorum 1. num. 15. *Oculi tui columbarum.*

Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in Excelsum.

206 SApienter dixit Tullius lib. 1. de Legibus. *Oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur.* Ita profectò est: quod in pectore latet, non tam certò lingua, quæ sæpe fallit, quàm oculis exprimitur. Imago quidem animi vultus est: oculi verò indices certissimi. Pudor, hilaritas, amor, iracundia, cæterique affectus oculis se se produnt. Congerit multa in hanc sententiam Lambinus ad illa verba Horatij lib. 1. Epist. 18. *Deme supercilio nubem.*

Quia igitur ita natura cõparatum est, ut repentina aliqua premente calamitate, præsentissimoque periculo urgente, statim nostræ imbecillitatis conscij, insito quodam instinctu, ad Divinam opem implorandam confugiamus; innatum nobis etiam est, oculos tunc in cœlum tollere, eoque tacito conjectu, vel nullo edito verbo, nõ secùs, ac fusis precibus, divinum Numen invocare. Itaque levare oculos, in 207 arcano sermone idem prorsus est, ac preces fundere. Ezechielis 18. num. 5. *Si oculos suos non levaverit ad idola.* Vbi Pradus, & Maldonatus. Levare oculos gestus est orantis, & auxilium postulantis. Psal. 120. num. 1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Danielis 4. num. 31. *Oculos meos ad cœlũ levavi, & sensus meus redditus est mihi.* Vbi clarè vides, perinde esse dicere, oculos in cœlum sustuli, ac Deum imploravi. Lege Riberam in ea verba Michææ. 7. num. 7. *Ego autem ad Dominum aspiciam*: qui ex isto orandi ge- 208 stu explicat illud Psal. 5. nu. 5. *Mane astabo tibi, & videbo.* Vide item Psalm. 122. *Ad te levavi oculos meos, &c.* Et Psal. 24. num. 15. *Oculi mei semper ad Dominum.* Sic orabat Sara Tobiæ 3. num. 14. *Ad te Domine faciem meam converto: ad te oculos meos dirigo.* Eodem etiam habitu sæpe oravit cælestis orandi Magister. Ioan. 11. num. 41. *Iesus autem elevatis sursum oculis*: cap. 17. num. 1. *Sublevatis oculis in cœlum.* Hauserunt hoc à Christo primævi Christiani, tanquam discipuli à magistro. Tertullianus in Apologetico, cap. 30. [In cœlum suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocui; capite nudo, quia

non

non erubescimus; sine monitore, quia de pectore oramus.]

209 Enim verò quia oculi continenter defixi in cælum, si in eo obtutu diutiùs hęreant, labore debilitātur, defatigationeq; deficiunt; propterea sacro idiomate significatur hoc loquendi genere, preces non statim exaudiri, sed postulata nostra procrastinari, atque differri. Valde illustrat hunc Hebraismum locus ille Iob. 31. nu. 16. *Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci.* Hebraica reddas ad verbum: *& oculos viduæ consumpsi, aut deficere feci.* LXX. *non tabefeci oculū viduæ.* Similis itẽ locus est Iob. 11. num. 20. *oculi autem impiorum deficient, & effugium peribit ab eis.*

210 Oculi verò iustorum attenuati suspiciētes in excelsum, Deo etiam atque etiā placent, & aliquando tandem parentem benignissimum flectent. Baruch. 2. num. 18. *Anima, quæ tristis est super magnitudinem mali, & oculi deficientes.* Sępe David amantissimè expostulat cum Deo, attenuari iam præ labore, ac deficere suos oculos, sublatos in cælum: queriturque trahi diutiùs spem suam. Psalm. 118. num. 82. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: quando consolaberis me?* Psal. 68. num. 4. *Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.* Huc etiam arbitror spectare verba illa Psalm. 87. num. 9. ut constat ex toto contextu, *Oculi mei languerunt præ inopia: clamavi ad te Domine tota die: expandi ad te manus meas.*

211 Ex his autem Ezechiæ precibus, ac totius rei gestæ serie, salutare nobis capiendum est nunquam abijciendæ spei, & cōtinuandæ semper orationis documentū. Vbi primùm Rex in morbum incidit, & à medicis intellexit, periculosum illum esse, atq; adeò in quo vita in discrimen verteretur. Supplex cōfugit ad preces, votaq; Deo pro impetranda salute fecit; nihilò tamē propterea meliùs habuit: imò in horas singulas ingravescebat magis, magisq; morbus, & omnem spem obtinendæ salutis præcidebat. Neq; ideo tamen Ezechias quidpiam de orandi contentione remisit. Venit tunc ad Regem invisendum Isaias, & tantùm abfuit, ut illius animum erigeret, ut potiùs, denuntiata divinitus immatura morte, omnem prorsus expectationem ademerit. Nihilominùs Ezechias contra spem in spem credidit, precesque, & lacrymas ardentissimè fudit, atque hac perseverantia precandi Divinā tandem misericordiam flexit.

212 Mirum dictu est, quantum ad impetrandum habeat ponderis constās hæc in precando assiduitas: ac proinde quantopere in sacra Scriptura commendetur. Hæc est litteralis intelligentia verborum Christi, Lucę 18. num. 1. *Oportet semper orare, & non deficere.* Græcè: *non defatigari*, idest, non despondere animum, nō cessare ab oratione præ tędio, aut impetrandi desperatione. Monet enim Christus, cùm quidpiam à Deo flagitamus, nō priùs precandi studium, contentionemq; remittere, quàm id, quod petimus, aliquàndo tandem assequamur. Itaque non deficere, idem est, ac non abijcere orandi studium, unà cum impetrandi spe: etiam si fortè non tam citò, quàm vellemus, voti compotes efficiamur.

213 Hunc esse germanum sensum, perspicuè cōstat ex exēplo iniqui Iudicis, quod ad hanc doctrinam confirmandam Christus adducit: quod sic ponderat Aug. to 4. lib. 2. Quæstionum Evangelicarum cap. 45. [Hic iniquus iudex non ex similitudine, sed ex dissimilitudine adhibitus est, ut ostenderet Dominus, quātò certiores esse debeant, qui Deum perseveranter rogant, fontem iustitiæ, ac misericordiæ; cùm apud iniquissimum iudicem usque ad effectum implendi desiderij valuerit deprecantis perseverantia.]

214 Alterum exemplum in hanc sententiam allatum à Christo, Luc. 11. num 5. amici intēpesta nocte panes importunè postulantis: sic expēdit Chrysost. homil. 19. in Matth. [Dormientem de lectulo suscitavit, quod non tam familiaritate, quàm sedulitate promeruit. Probat itaq;

Christus plus apud amicum assiduitatem postulantis potuisse, quàm amicitiam: nõ enim concessit amico, & tamen instanti, & perseveranti tribuit.] Vbi advertendũ est, in illis verbis Lucæ 11. num. 8. *& si non dabit illi surgens, eò quòd amicus eius sit: propter improbitatem eius surget*; subesse Græcum nomen *anædian*: quod propriè reddas, *impudentiam*: quasi amicus adeò inverecundus fuerit instando, & urgendo, ut pudorem abiecisse, & frontem perfricuisse videretur. Et hoc apud Latinum interpretem significat *improbitas*: assiduam videlicet, ac penè impudẽtem flagitandi importunitatem. De hac scribit Iacobus cap. 5. num. 16. *Multùm enim valet deprecatio iusti assidua*. Græcè, *energumene*. Vertunt Regia, & Tigurina, *efficax*. Vatablus, & Erasmus *operans*: quia videlicet perseverans, & vivida oratio id ipsum, quod optat, efficaciter assequitur: & perinde est, assiduam illam, sive operantem appellare: nam ex assiduitate redundat ei⁹ efficacitas. Observo Evangelistas, 215
& Apostolos, cùm de oratione verba faciunt, Græcum quoddam verbum significantissimum usurpare: illud est *proscartereo*: cuius vim expendẽs Auctor Thesauri Græcæ linguæ tom. 5. *Cum tolerantia*, inquit, *& perseverantia quadã insisto, seu incumbo: assiduus, & multus sum aliqua in re*. Eo verbo usus est Lucas Actuum 1. num. 14. *Erant perseverantes unanimiter in oratione*: Erasmus, *perdurantes*. Vbi Lorinus; denotat, inquit, sedulum, & non intermissum orandi studium. Paulus itẽ ad Roman. 12. num. 12. *Orationi instantes*. Explicat Cornelius: *in oratione assiduè perdurantes*. Erasmus verò ait; verbum assiduam sonat instantiam. Ad Colossens. 4. num. 2. *Orationi instate*. Regia: *in oratione perdurate*: nam, & Vulgatus hoc Latino verbo Græcum expressit Actuum 2. num. 46.

216 Verùm occurrit hîc vetus illa quęstio, sæpe ab Ecclesiæ Patribus agitata; cur Deus, qui suapte natura bonus, & tanquã indulgentissimus Parens, procliviss imus est ad benemerendum, quique nostram indigentiam apprimè callet; non modò se rogari vult, verùm etiam nos precantes diu suspensos tenet, dum sæpe differt in menses, & annos postulata concedere.

Respondeo, id sapientissimè à Deo fieri. Primò, ut assidue orando ingentia lucra virtutum excellentium, quæ orationem subindè comitantur, reportemus. Ibi enim in primis exercetur fides; nam qui petit, credit id fieri posse ab eo, à quo petit: deinde spes; nemo enim petit, nisi sperans id factum iri, quod petit: edit præterea orans specimen charitatis: unusquisque enim diligit illum, à quo, & beneficia accepit, & se in posterum maiora accepturum esse confidit: humilitatem itẽ exercet: qui enim petit, alterius ope se indigere ingenuè confitetur. Huc fortasse respexit Clemẽs Alexand. cùm lib. 7. Strom. dixit: [Plùs paratus esse debet homo petere à Deo, etiam si non impetret, quàm impetrare non petendo: adeò eximium bonum est petitio, si rectè fiat.]

Secunda huius dilationis causa crebrò inculcatur à Sanctis. Basilius in lib. de Constitutionibus Monasticis cap. 2. ait. [Propterea differt, quæ datur⁹ est, ut hoc modo magis te ad assiduitatem vocet: & ut intelligas, quòd sit donum Dei, & ut datum diligenter custodias. Siquidem nititur unusquisque, quod magno labore invenit, id maiori etiam diligentia custodire.] Anselmus lib. de mensuratione Crucis. §. 2. [Sæpe Domine differs, quod petitur; ut excites magis appetitum: non differs, quod nolis dare, sed ut aucto desiderio, abundantiùs possis dare.] Augustin. in Psalm. 83. [Desiderium differtur, ut crescat: & crescit, ut capiat.] & Sermon. 5. de verbis Domini. [Cùm aliquando Deus tardiùs dat, commendat dona sua, non negat: diu desiderata, dulciùs obtinentur: citò autem data vilescunt] Denique Eusseb. Emissenus, vel potiùs Eucherius Lugdunensis hom. 3. ad Monachos. [Non vult Deus bona sua nimia inveniendi facilitate vilescere. Pretiosa, & 217

concu-

concupiscibilis merces cupidum amatorem, & avidum negotiatorem requirit.]

Domine vim patior, responde pro me.

218 MAgna nobis est in hoc loco, non cum Hebraizantibus modò, sed cum illis etiam, qui Latinum interpretem in oculis ferunt, illiusque proinde auctoritatem pro virili tuentur, suscipienda cõcertatio. Nihil itaque miror Pagninũ, Leonem Iudam, Isidorum Clarium, Vatablum, & Ariam Montanum, verbum illud *responde* de textu refixisse, aliudque arbitratu suo subrogasse: id enim de more suo faciunt. Acerrimos aliàs Vulgati vindices valde miror; Leo enim Castrius reijcit item ex ipso textu idem verbum, & pro illo *sponde* substituit. Idem facit Agellius in huius Cantici commentario, edito in lucem, posteà quàm Vulgata Editio Vaticana emendatissima prodijt. Forerius item mendum subesse credit, & pro *responde*, *sponde* reponendum esse existimat. Longiùs progreditur Iansenius, qui indubitatè de mendo pronũciat; affirmatèque asseverat, Hebraicam dictionem nullo modo significare *respondere*, sed spondere, ac fide iubere.

219 Ego quidem inficiari nullo modo possum, inter varias, ac multiplices significationes verbi *harab*: unam esse, eamque præcipuam, *spondere*. Suppetunt, vel in unico Proverbiorum libro multa huius significationis exempla, cap. 6. num. 1. *Fili mi, si sponderis pro amico tuo, &c.* cap. 11. num. 15. *Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo.* cap. 17. num. 18. *Stultus homo plaudet manibus, cùm sponderit pro amico suo.* cap. 22. num. 26. *Et qui vades se offerunt pro debitis.* cap. 20. num. 16. & cap. 27. num. 13. *Tolle vestimentum eius, qui fideiussor extitit alieni.* Vbique subest idem verbum; & sanè mirum est, quàm sæpe dehortetur ab spõsionibus Spiritus sanctus.

220 Si itaque tota res coniecturis transigenda videretur, proclivis essem ad suspicandum, Hieronymum hîc, *sponde* transtulisse: sed quia in Romana Editione castigatissima, etiam num *responde* retinetur: illud omnino retinendum esse, non opinione solùm, sed ad veritatem prorsus mihi persuadeo. Atque in primis, cũ varia, & multiplex sit significatio Hebraici verbi *harab*, etiam inter ipsos Hebraizantes minimè convenit. Tigurina vertit, *fideiube*. Forerius in editione nova, *recipe me in fidem tuam*. Congruenter quidem hi cõmuni verbi significationi, quã paulò antè testimonijs comprobavimus; sed Arias Montanus in cõmentario, contrario prorsus reddit sensu: *pignus, & fidẽ à me cape*. Pagninus autem in Latina quidem versione Bibliorum, *quiescere fac me*: in Thesauro verò, *iucunda me*. Vatablus vertit: *da mihi requiem*. Isidorus Clarius, *refrigera me*, aut, *mitior sis erga me*: Leo Castrius, *dulcis esto mihi*. Vide quanta nouarum versionum sit diversitas.

221 Censeo deinde, parum referre, utro modo legas: eadem enim sententia constat: nam *respondere* apud Latinos pro spõdere, ac fide iubere, compositum videlicet pro simplici, ubi mutua, sive iterata intercedit sponsio, non inusitatum est: itidẽ, ut restipulari. Lege Brissonium lib. 6. de Formulis pag. 629. Quin etiã interdum significat *respondere*, præsenti pecunia solvere. Sic explicat Turnebus l. 9. Adversariorum cap. 22. locum illum difficilem Ciceronis lib. 16. ad Atticum, Epistola 2. *Fit sæpe, ut ij, qui debent, non respondeant ad tempus.*

222 Atq; hæc de Hebraico, & Latino verbo, nunc de loci sententia agendum est. Commemorat Ezechias, quæ verba fecerit precabundus, cùm vi morbi oppressus in summum vitæ discrimẽ adductus est. Vtiturque venustissima metaphora. Domine, inquit, apertam mihi vim inferri video, & ab hoc gravissimo morbo, tanquam ab exactore mortis crudelissimo, ante maturitatem temporis, hominibus à natura præstituti, mihi tanquam debitori per vim eripi vitã animadverto. Pec

cavi: deliqui; fateor: meis flagitijs meritum immaturæ mortis supplicium incurri. Polliceor tamen in posterum, me omni cautione peccata vitaturum: ego spondeo, me deinceps ita facturum: tu item, ô benignissime Deus, vicissim pro me respondē: te item sponsorem, obsecro, ac fideiussorem interpone; imò verò debitum ipsum in te recipe, atque adeò præsenti pecunia solve: ut non modò datis prædibus, ac vadibus, verùm etiam debito, quod ego contraxeram, tua benignitate persoluto, violentissimi exactoris vim, & manus effugiam. Sic videtur hūc locum intellexisse Hieronymus: ait enim in commentario. *Sed, & si quid erravi, convertar ad melius: tu respondē pro me.*

223 Confirmatur hæc intelligētia cùm ex genuina Hebraici verbi proprietate, tum etiam ex duobus alijs locis quàm simillimis. Primus est Psalm. 118. numer. 122. *Non tradas me calumniantibus me: suscipe servum tuum in bonum; nō calumnientur me superbi.* Vbi observandum est, Hebraicè subesse idem verbum *harab*; ac proinde rectè Aquilam, Theodotionem, Hieronymumque vertisse: *Sponde, fide iube pro servo tuo in bonum.* LXX verò in eādem sententiam usi sunt verbo *ecdechomæ*, id est, *suscipio*; quo non ipsi modò LXX, sed Vulgatus etiam vim Hebraicæ vocis expressērunt. Genesis 43. num. 9. *Ego suscipio puerum*, (Hebraicè, *ego spondeo pro puero*:) *de manu mea require illum*: & cap. 44. num. 32. *In meam hunc recepi fidem, & spopondi dicens: nisi reduxero eum, peccati reus ero.* Vbi commodissimè adiecit de suo, explicationis gratia, Vulgatus: *In meam hunc recepi fidem*: cùm semel duntaxat sit verbum *harab*: quod satis expressum Latinè erat, *spopondi*. LXX verò extulerunt: *Puer enim tuus suscepit parvulum.* Itaque apud Vulgatum, & LXX idem prorsus est, *suscipere*, ac *spondere*, seu fideiubere. Sensus igitur Regij vatis est. Ne obsecro, violentiæ calumniatorū me permittas: ne exigāt illi à me per vim, quod iure exigere non possunt: quòd si quando urgeant, meque per calumniam, & potentiam ita opprimant, ut cum illis ex iure agere, iusque meum obtinere, tue rique non possim: tu, ô Deus, suscipe servum tuum in bonum: tu spondē, ac fide iube pro servo tuo calumniatoribus potentioribus; tu me in fidem tuam recipe, ut bene mihi sit: ut tali sponsore patrocinium meū suscipiente, bonis non evertar; honore, ac vita non spolier.

Alter locus est Iob 17. num. 3. *Pone me iuxta te, & cuiusvis manus pugnet contra me.* Subest hîc eadem radix *harab*: & quamvis inter se, & à Vulgato discrepēt Hebraizantes, non est dubium, quin Hebraica ita rectè ad verbum exprimantur: *Sponde, seu fideiube mihi, iuxta te.* Lege Pinedam in Commentario illius loci; ubi egregiè ait, Iobum in his verbis perspicuè recognoscere, nusquam, nisi in Deo tutam esse fidem; neminem reperiri ex tam multis, arctissima sibi familiaritate coniunctis, qui in re capitali velit pro illo sponsorem se præbere. 224

Enim verò quia verbum originale *harab*, non solùm significat spondere, sed re ipsa tradere, ut constat Isaiæ 36. num. 8. *Et nunc trade te Domino meo Regi.* Hebraicè: *sponde, aut fideiube*: Latinum item *respondeo*, ut paulò antè ex Turnebo confirmavi, aliquando significat, æs alienum præsenti pecunia dissolvere. Valde suspicor, Ezechiam insigni quadam mentis illustratione perfusum, *Salutare Dei*, de quo in hoc ipso Cantico num. 11. verba fecerat, signatè compellare, obsecrareq;, ut se fideiussorem interponat: Regem addictum morti in fidem suam recipiat: pro illo se vadem offerat, imò verò debitum ipsum appendat. *Vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium*, id est, *Diabolum: & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant servituti.* Ad Hebræ. 2. num. 14. & 15. 225

Et quoniam sponsores, cùm se vadimonio obstringerent, solemni quodam ritu manus defigebant: Proverb. 6. numer. 1. *Si sponderis pro amico tuo, defixisti apud* 226

extraneum

extraneum manum tuam. & cap. 22. n. 26. *Noli esse cum his, qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis.* Nã præter quàm quod solemnib⁹ verbis cõceptis fideiussores se obligabant Proverb. 6. n. 2. *Illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprys sermonibus*; tendebant etiam alteri manum, cui suam adstringebant fidẽ, & cum illius manu tenaciter apprehensa, implexam, & implicatam suam, & quasi defixam diu tenebant. At noster Sponsor Christus utramque manũ trabalibus clavis in cruce defixas habuit, cũ pro nobis spopondit. Sapientissimè itaque nos monet Ecclesiasticus cap. 29. numer. 20. *Gratiam fideiussoris ne obliviscaris: dedit enim pro te animam suam.* Videlicet fideiussores cæteri ad summum iacturam faciũt rei familiaris; Christus verò pro nobis sanguinem, vitamque profudit.

Numerus 15.

Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?

227 INvitus, ac repugnans toties cum Hebraizantibus in arenam descendo. Quis enim nisi coactus in tam arida, & spinosa dumeta compellatur? Nova tamẽ hic cum illis ineunda pro Vulgato pugna est. Verùm quia in hoc certamine meritam lauream Forerius iam, & Agelius rev exerunt, ego lubens labore pugnandi supersedeo.

Est tamen de re etiam ipsa inter Expositores non nulla sententiarum varietas. Sunt, qui velint, hinc iam Ezechiam totum sese in gratiarum actionem effundere: perinde ac si dicat. Quid eloquar? quibus verbis; quo genere orationis tam insignem in me Dei benignitatem explicabo? Quam laudem, quamvé gratiarum actionem tãto beneficio parem inveniã? Quidvé adhuc expectem, ut mihi respondeat? Neque enim distulit: adfuit; promisit; effecit: oraculo prophetico spem sanitatis ostendit; eoque vix edito, absque ulla mora, sanitatem ipsam mihi restituit. Consspirant in hanc sententiam plerique interpretes; quibus favent LXX, qui sic totum locum illustrarunt. *Ad Dominum, qui erunt me; & abstulit à me dolorem animæ.* Et est probabilis explicatio.

Sed mea quidem sententia, nisi vis afferatur verbis, contextus ipse videtur exigere, ut usque ad illa verba numer. 17. *Tu autem eruisti animam meam, ut non periret;* Ezechiæ preces fusæ, dum morbo premeretur, pertexantur. 228

Magis itaque probo Hieronymi explicationem, quam ille in commentario his verbis luculenter expressit. [Quid dicã, quidvé causabor, contra te factorẽ meũ? aut quid mihi respondebit, qui fecit ipse, quod voluit? sustinenda ergo sunt, quæcunque decreverit.] Pro cuius explicationis intelligentia, & confirmatione, observandum est: proxima illa verba, *Domine vim patior*, sic legi in Hebraico textu: *Iehova haseca ly.* Ita ad verbum reddes. *Domine, vim fecit mihi.* Itaque supplendum necessariò est illius verbi suppositũ. Quia tamen verbum ipsum tertia persona est feminini generis (est enim Hebræis peculiare, genera etiam in verbis distinguere,) commodè satis à Pagnino suppletur, *infirmitas*: quamquàm in eo non rectè facit, quòd nomen hoc, additum de suo, in ipsum textum sacrũ intrudit. Legit enim: *Domine, infirmitas vim fecit mihi.* Prudentiùs se gessit Tigurina, quæ passivè vertit: *vis mihi fit, ò Domine.* Subauditque Vatablus congruenter, *à morbo.* Consentaneè Isidorus Clarius, cùm in textu reddidisset, *Domine graviter crucior*; exposuit in Cõmentario: *opprimit me languor meus.* Totum itaque locum illustrat luculenta Paraphrasi Osorius. [Domine summa quidem morbi vis hæc est: cui iam non possunt ulla remedia hominum artibus invẽta resistere: ad mortem rapior.]

Cùm ergo Ezechias superiore versu tã 229

graviter

graviter de morbo questus esset, opportunè subiungit. Quid dicam? Quid de morbo conquerar? Quid me per vim oppressum ab hoc acerbissimo dolore lateris expostulem? Quidvè Deũ alloquar? Quid ab ipso responsi expectem, cùm morbum ipse immiserit? Atque adeò minimè dubitandum sit, quin æquissimè, ac iustissimè fecerit. Hic est genuinus huius loci sensus, atque ex eo prudentissimè Hieronym. colligit. *Sustinenda ergo sunt, quæcumque decreverit.*

230 Hac se mirifica consolatione sustẽtant Sancti: non dico solùm, cùm, aut ipsi in morbum incidunt, aut subito naufragio eorũ opes absorbentur, aut siccitate exuruntur agrorum fructus, aut imbre lapideo decutiuntur. Tunc enim perspicuũ est, ista cœlitus immitti. Etiam tũc, cùm capitalis quispiam illorum hostis, odij veneno suffusus probra iactat, rei familiari damna infert, corpus, aut honorem vexat: solent iusti ad Deum recurrere, in eiusque voluntate acquiescere. Etiam tunc humiliter dicunt, 1. Machabæor. 3. num. 60. *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* Aut, 1. Regum 3. numer. 18. *Dominus est; quod bonum est in oculis suis, faciat.* Non quòd Deus auctor sit, aut esse possit culpæ, quæ in illis iniurijs intercedit; sed quia quatenus mala pœnæ sunt, quæ iustos exercent, ea Deus benignissimè permittit, ac dispensat.

231 Propterea in Scriptura Reges impij, qui populum illum infenso animo vastabant, ac diripiebant, appellantur *Virga furoris Domini*, Isaiæ 10. num. 5. Quod sapienter exponit August. in Psalm. 73. [Facti sunt instrumentum irati, non regnum placati: facit hoc enim Deus, quod plerũque facit & homo. Aliquando iratus homo apprehendit virgam iacentem in medio, fortasse qualecumque sarmentum: cędit inde filium suum, ac deinde proijcit sarmentum in ignem, & filio servat hæreditatem. Sic aliquando Deus per malos erudit bonos.] Sic Augustinus.

232 Edidit nobis David prędara huius doctrinæ documenta. Nam Psalm. 16. num. 13. sic Deum deprecatur. *Eripe animam meam ab impio: framcam tuam ab inimicis manus tuæ.* Vertit Hieronymus Hebraica: *Salva animam meam ab impio, qui est gladius tuus.* Regia. *Erue animam meam ab impio, gladio tuo.* Isidorus Clarius, appositivè item legit in textu: *ab impio, framea tua.* Expònitque in Commentario: *qui est veluti gladius tuus*: quo scilicet vice flagelli Deus utitur. Consentaneè Vatablus. *Quo tanquam gladio uteris, per quem me affligis.* Et in hanc sententiam accipienda sunt verba Vulgati, ut ingeniosè explicat Agelius: *extorque, ò Deus, ab illis gladium tuum.* Vim, & potentiam, quam impijs ad me affligendum tribuisti, qua illi plus nimio per insolentiam abutuntur, excute, obsecro, ab inimicis manus tuæ: non decet eos, qui manui tuæ adversantur, tuo gladio adversus tibi addictos, ac devotos hostiliter armari.

Sed tum vel maximè prodidit Regius 233
vates, quàm altè hanc veritatem animo combibisset, cùm illum Semei peteret lapidibus, maledictis incesseret, probrisque proscinderet. Fidelibus enim servis, qui ad ulciscendas illatas Domino tam petulantes iniurias, generoso quodam impetu rapiebantur, his verbis David frænum iniecit. 2. Regum 16. num. 10. *Dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David: & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Perpende quàm congruenter verbis Ezechiæ, *cùm ipse fecerit.* In Psalm. autem 38. ubi ex Græcorum, Latinorumque sententia, ut eruditè probat ibi Lorinus, de hac ipsa petulãtissima iactatione contumeliarum sermo est, disertis verbis testatur Propheta, se hac consolatione animum leniisse suum, & effundendæ iracundiæ impetũ compressisse, atque adeò linguam ipsam silẽtio arctissimo frænasse, num. 9. & 10. 234
Opprobrium insipienti dedisti me: obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti, inquit; & opportunè statim addit nu. 11. *Amove à me plagas tuas.* Augustin. legit:

flagella

flagella tua. Sed utrumque aptè cadit in linguam Semei. Eccles. 28. nu. 21. *Flagelli plaga livorem facit: plaga autem linguæ comminuet ossa*. Et quanvis David procacissimi homuncionis lingua incesseretur, & hoc quasi flagello hostis caderetur, ab eo tamen cogitationem avertit, Deumque solum oblectat, ut flagella sua iam remittat, ut verberandi, & affligendi finem faciat. Quia is nimirum altissimo suæ providentiæ consilio contumelias illas sibi inuri permittebat.

235 Memoria tenebat Ioseph, se à fratribus suis hostilem in modum fuisse divenditum mercatoribus, qui eum in miseram servitutem abducerent, Genes. 37. nu. 25. & 28. & nihilominùs ait Genesis 45. n. 8. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.*

236 Accedit autem ingens pondus ad huius doctrinæ confirmationem ab exemplo Christi; qui Petrum districto gladio impetum facientem in lictores, qui ad se comprehendendum venerant, cōpescuit his verbis, Ioannis 18. num. 11. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Perinde ac si diceret: erras profectò, erras ô Petre: nescis, quid facias; dum te existimas iniquis horū conatibus obviam ire, hac tua intempestiva defensione quod Pater æternus sapientissimè disposuit, per imprudentiam avertis. An ego recusem haurire calicem, quem mihi Pater amantissimus temperavit? Simillimis etiã verbis fastū Iudicis repressit, Ioannis 19. num. 11. *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Lege Lorinum in ea verba Actuum 4. n. 28. *Facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri.*

237 Atque hinc facilè concordari potest varietas illa inter Latinum, Græcumque textum 1. Petri 2. nu. 23. Vulgatus enim legit: *tradebat autem iudicanti se iniustè*, id est, propria voluntate, ac sua sponte, se se Pilato, Iudæisque permisit, causam suam iniquissimè iudicantibus: Græci libri, & Enarratores ipsi legunt constātissimè: *tradebat autem iudicanti se iustè*. Et ex antiquioribus Latinis Augustin. tractatu 21. in Ioannem, & Fulgentius lib. 1. ad Trasimundum, c. 11. Vtrumq; videlicet fecit Christus: nam præcipuè se tradebat pro peccatis populi Deo Patri, qui propter scelus populi sui percussit eum, Isaiæ 53. num. 8.

Illud valde miror in Scriptura, etiam tunc, cùm sanguinarius humani generis hostis dæmon, ab insita malitia homines infectatur, illud ipsum malum, quod illis infert, quatenus pœnæ malum est, attribui Deo. Explicat hoc Theologicè satis, disertèque Gregorius, expendens lib. 18. Moraliū, cap. 3. difficillima illa verba. 1. Regum 18. num. 10. [De diabolo, inquit, scriptum est: invasit Spiritus Dei malus Saul. Vbi iustè quæritur; si Domini, cur malus; & si malus, cur Domini dicitur? Sed duobus verbis comprehensa est, & potestas iusta in diabolo, & volūtas iniusta. Nam, & ipse dicitur Spiritus malus, per nequissimam voluntatem; & idem Spiritus Dei, per acceptam iustissimam potestatem.] Eadem docet Augustin. ponderans enim verba illa Iob 1. nu. 21. *Dñus dedit, Dominus abstulit*; sic altè enarrans Psalm. 31. [Non dixit, Dominus dedit, diabolus abstulit. Prorsus ad Deum tuum refer flagellum tuum: quia hoc diabolus tibi aliquid facit, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem.] 238

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

NOn est tam facilis explicatio huius loci, quàm prima fronte intuentibus apparet. Præcipuum difficultatis caput, est ignoratio significationis propriæ verbi, *dada*. Quod bis duntaxat in tota Scriptura reperitur: & incredibile dictu est, quanta sit inter Auctores in eius explicanda genuina proprietate dissensio. Hieronymus in commētario vertit, *reputabo*. Pagninus in sua Editione, *incedam*: in Thesauro verò, *migrabo*. Regia, *vagabor*. 239

Mercerus tardiorem, mollioremq; incessum instar gradientium paulatim in pompa, eo verbo significari affirmat. Tigurina notabilē hîc versionem repræsentat. *Motitando caput, cōcutiendo corpus meditabor.* Vatablus, *leniter incedam.* Leo Castritis, *commovebo caput.* Forerius. *Perambulabo.* Arias Montanus in cōmentario, *vovebo.* Agelius: *horrebo, & contremiscam: aut expellam, sive excutiam.* Hieronymus in Psal. 41. num. 5. ubi extat idem verbum, reddit illud Latinè, *tacebo.* Genebrardus ibidem. *Movebo me.* Deus bone! quis se in tanta discordia pacificatorem interponat?

240 Ex tam varia ergo, & multiplici significatione verbi, varia itē, & multiplex, pro cuiusq; interpretis opinione, fluxit intelligentia huius loci. Fastidium, ac tædiū pararem, si eas omnes sigillatim recenserem. Illa, quę frequentiùs cōcionatoribus probatur, & ad amaram præteritæ vitæ pœnitudinem refertur, & si Adamo pia duntaxat, sed parum probabilis videatur: tamen neq; auctoritate, neq; rationis momento destituitur; præsertim cùm illi gravis Tridentinæ Synodi pondus accedat, Sess. 14. c. 4. Cui etiam accommodari potest versio illa notabilis Agelij, apta ad cōcipiēdum firmissimum emendationis futuræ propositum, quod veram pœnitentiam sæpe comitatur: *Expellam somnum meum, omnem prorsus soporē excutiam.* Cui Montani item explicatio convenit: *vitæ meæ annos omnes additos, illius cultui, & laudibus devovendo decerno.*

241 Auctores illi, quos superiore versu memorabā, qui ad gratiarum actionem hæc verba referunt, congruenter sententię suę sic exponūt. Nunquam huius tanti angoris, & acerbitatis, quæ me vehemēter affli xit, memoriā abijciā: sed de illa, quoad vita suppeditabit, noctes, & dies cogitabo. Non mihi ullus dies vacuus à recordatione salutis acceptæ præteribit. Itaq; sic ordinant verborū seriem: per omnes annos vitæ meæ recogitabo super amaritudine animæ meæ. Quis hîc non videat, quod paulò antè huic explicationi obijciebam, vim apertam Vulgati verbis afferri? Isidorus Clarius audaciùs etiam peccat, qui textū sacrū pervertit, & pro Scripturę verbis suam nobis explicationē obtrudit. Legit enim, *recogitabo omnibus annis meis hanc amaritudinem animæ meæ.*

Magis propendeo in explicationē Fo- 242
rerij, atq; Iansenij. Itaq; hūc Ezechiæ sensum fuisse credo. In summo illo, quo premebar, angore animi: cùm, amarissima ægritudine medicinam omnem superante, actū de me prorsus arbitrarer; animadvertens te, tanquam æquissimum iudicē, per eum morbū meritas à me pœnas exigere, obmutescebam planè, & contrà hiscere non audebam. Tantùm volutabam animo, revocabam iterum, atq; iterum in memoriā pręteritos annos meos, qui cùm per se fuissent pauci, ac perexigui, tunc verò respicerentur iam elapsi, nihil prorsus videbantur. Cōsumptos verò fuisse in sęculi vanitate consectanda, etiā atq; etiam animo dolębam. Cum hac explicatione apprimè cohæret, quod continuò subiungit: *Domine si sic vivitur*: ut mox videbimus. Favet huic explicationi Hieronymus, cuius hæc sunt verba in cōmentario. [Nulla res lōga Mortalium est. Omnisq; felicitas sęculi dū tenetur, amittitur. Cùm enim tribulationis tempus advenerit, omne, quod præteritū est, nihil adiuvat sustinentem. Ergo Ezechias reputare se dicit omnes annos Regni sui.] Lege ad illustrādum istum locum, quæ adnotavi suprà, num. 12. in illa verba: *de mane usque ad vesperam finies me.*

Numerus 16.

Domine, si sic vivitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & vivificabis me.

243 Atentur omnes interpretes, hunc locum esse perdifficilem; sed, ut mea fert sententia, Hebraizātes difficiliorem illum, horridis quibusdam, ac perobscuris versionibus effecerunt. Non est animus in illis recitandis, ac refellendis operā

ludere:

lúdere: planè censeo, Vulgatum Prophetæ mentem egregiè assecutum: Hebraica verba, ut fidum interpretem decet, non numerasse, sed appendisse. Duplicem ergo potest hic locus sensum continere.

244 Primus est: Domine si sic vivitur, si talis est humanæ vitæ conditio: si hîc in tanta amaritudine animæ degitur: si in tantis angoribus nullus trãquillus spiritus ducitur; si hinc dolores acerbissimi urunt corpus, illinc atrocissimi terrores impendẽt animo: satis in tam misera vita supplicio rum est, satis verberum: nihil opus est morte ad debitas peccatorum meorum pœnas repetendas. Hîc, hîc, obsecro, quando tot flagella suppetunt, me corripe. Hîc paternè in filium tibi rebellem animadverte, ut benignè castigatus tuo beneficio vivam, quoad susceptа prole lucernam in solio David post me relinquam.

245 Hanc emphasim habet particula illa *sic*. Scilicet; si tantis hæc vita calamitatibus referta est. Hieronymus in commentario. *Si tali fuimus conditione generati*. Et quidẽ si res ipsa momento suo, non fallaci hominum opinione pendatur; re vera diuturnitas huius vitæ, assiduis morbis, alijsq; laboribus conflictatę, acerbius ipsa morte supplicium est. Disertè affirmat Spiritus sanctus, Eccles. 30. n. 17. *Melior est mors, quàm vita amara; & requies æterna, quàm languor perseverans*. Apollonius Tyanæus, (ut auctor est Philostratus lib. 1. de eius vita) cõsultus à Rege Babylonis, quo supplicio afficiendus esset Eunuchus, qui in gravissimo facinore deprehensus fuerat, nullum, dixit, immanius suppliciũ vita ipsa statui posse. [Si enim, inquit, in vita permanserit, ô Rex, difficilia, & toleratu aspera multa feret.] Cõsentaneè Seneca lib. 2. de Beneficijs, c. 5. [Acerbissima crudelitas est, quę trahit pœnam; & misericordię genus est, citò occidere: quia tormentum ultimũ finem sui secum affert; quod antecedit tẽpus maxima venturi supplicij pars est.]

246 Atque hinc oboritur lux litterali, (ut plerique existimant,) intelligentiæ illius loci Genesis 4. num. 14. cùm desperans animum, planèque desperans, dixit Cain: *omnis igitur, qui invenerit me, occidet me*. Graviter ea verba exponit Alcuinus, Bedæ discipulus, magister autẽ Caroli Magni, in Quæstionibus in Genesim, quæ extant tom. 3. Bibliothecæ. *Desperando dixit, velut compendio mortis cruciatus evaderet præsentes*. Sed non ita erit, ait Dominus; non te ex diuturnis ærumnis, quas incurres, brevissima morte liberabis, n. 15. *Sed omnis, qui occiderit Cain*. Vbi, de multorum interpretum sententia, ponendus est punctus, ut oratio suspẽsa maneat per reticentiam; qualis & illa Neptuni apud Poetam: *quos ego. Sed motos præstat componere fluctus*. Subaudiri itaque oportebit, 247 *Gravissimè à me mulctabitur*. Id autẽ, quod sequitur: *septuplum punietur*. LXX. *Septem vindictas exolvet*; ad ipsum Cain, non ad eius interfectorem referendum est; perinde ac si dicat Deus. Nolo eum tam citò perire: nolo momentaneum de immanissimo fratricida supplicium sumi; sed adeò diutũrnum, *que pague su delito con las setenas*. Sic expresse Hieronymus. *Nolens eum Dominus compendio mortis finire cruciatus*. Ambrosius etiam lib. 2. de Cain, c. 10. *Ergo ista Cain longævitas indulta, vindicta est*. Causam ibi sapiẽtissimè subnectit Ambrosius. [Mors enim una est in secessione animę, & corporis; quę simul, ut venit, omnes corporis dolores auferre, nõ augere cõ suevit. Metus verò, qui hanc vitam viventibus frequenter ingruunt, mæstitiæ, dolores, gemitus, diversique cruciatus, plurimas etiam mortes generi humano inferũt: ut ista mors remedium esse videatur, non pœna.]

Contrà verò summi beneficij loco numeratur, contrahere Deum spatia huius ærumnosæ vitę, & ab ipso pene eius limine hominem celeriter abripere. Psal. 89. num. 13. *Quoniam supervenit mansuetudo, & corripiemur*. Vertit Hebraica Hieronymus: *quoniam transibimus citò, & avolabimus*. Genebrardus: *quoniã tõsio velox*. Agelius. *Excisio properat*: *evolabimus* Tigurina: *velociter trãsit* (scilicet molestia huiꝰ vitę) 248

nosque avolamus. Paraphrasi illustrat Isidorus Clarius. *Laboriosis miseriis pleni abeunt velocissimè: & nos toti velut alis assumptis avolamus.* Vbi clarè vides, non esse acerbitatem, aut inclementiam Dei, sed mãsuetudinem potiùs, ac lenitatem, huius calamitosæ vitæ miserias, quàm ocyssimè morte cõcludere. Hinc (inquit Regius vates) tãta nobis vitæ brevitas: è paterna tua videlicet in nos benignitate fluxit: non patitur mãsuetudo tua, mollis planè, ac tenera, tam acerbis miseriis indulgentissimos tuos filios diutiùs premi, & conflictari.

249 Congruenter ad hanc sententiã explicant Patres verba illa, quibus eijciẽs Deus Adamum de Paradiso, solicitè præcavit, ne de fructu arboris vitæ vesceretur, atq; adeò vitam quàm diutissimè propagaret. Genes. 3. n. 22. *Ne forte mittat manũ suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* Misericorditer enim consuluit Adamo, ne qui miser futurus erat, æternùm miser fieret! Irenæus lib. 3. contra Hæreses, c. 37. [Non invidẽs ei lignũ vitæ, sed miserans eius, ut non esset malum interminabile.] Hilarius, in Psal. 68. [Ne lignum vitæ attingens in æternitate pœnæ maneret.] Nazianzenus Homil. 2. de Paschate. [Ne malum esset immortale, fit pœna misericordia.]

250 Obsecrat itaque Deum Ezechias, ut quando sic vivitur in hoc mundo, ubi flagella non desiderantur, imò verò passim suppetunt, paternè se, de more, benigneq; corripiat. *Corripies me*, inquit, *& vivificabis me*: proprium sanè filiorum Dei est ab amantissimo parente castigari. Hæc erat solida illa, & sincera consolatio, qua Iudith populum iacentem, & afflictum excitabat, c. 8 nu. 27. *Reputantes, peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse: flagella Domini, quibus quasi servi corripimur, ad emendationem, non ad perditionem nostram evenisse credamus.* Et 2. Machabæ. 6. n. 12. *Obsecro autem eos, qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter adversos casus; sed reputent ea, quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri.* Moyses etiam, cùm illiùs populi afflictiones memorasset, continuò subiecit, Deuter. 8. nu. 5. *Vt recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudivit te.*

Stat itaque fixa, & omni memoria lu- 251
culentissimis exemplis comprobata Salomonis sententia, Proverb. 3. n. 11. *Disciplinam Domini, fili mi, ne abijcias; nec deficias, cùm ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.* Recitat Apostolus hunc locum ex Editione LXX. ad Hebræos 12. nu. 5. *Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Ponderat autem egregiè Augustinus hæc extrema verba, in Psalm. 31. prope finem [Flagellat, inquit, omnem filium, quem recipit; ne te sine flagello speres futurum, nisi fortè cogites exhæredari. Ita ne omnem? Vbi te volebas abscõdere? omnem, & nullus exceptus. Vis audire, quàm omnem? etiam unicus sine peccato, non tamen sine flagello.]

Rectissimè itaque colligit ibi Paulus 252
num. 7. *Quis enim filius, quem non corripit Pater? Quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & nõ filij estis.* Subest Græcè vox *nothi*. Quare sine dubio sensus est. Si extra disciplinã estis, non veri, germani, & legitimi filij, sed *nothi*, spurij, & adulterini estis. Fortasse ob eam causam Apostolus scribens Tito, legitimum filium eum vocat: quia videlicet laboribus exercitum, c. 1. num. 4. *Tito dilecto filio.* Græcè *legitimo*, ac germano filio, non adulterino, neque degeneri. Rectè etiã Bernardus, sermone 42. in Cantica, perpendens verba illa, indignationis plena, Ezechie. 16. nu. 42. *Auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius.* [Solo auditu contremisco; ego, inquit, quos amo, castigo. Si ergo te zelus deseruit, & amor: neque eris amore dignus, qui indignus castigatione censeris. Vides, quia tunc magis irascitur Deus, cùm non irascitur?]

Miror Senecã in medijs cęcę Gẽtilitatis 253

tene-

tenebris, huius eximiæ doctrinæ luce fuisse perfusum; ut iure optimo Lactantius illius verba recitaturus, hęc ipse præmiserit sua, lib. 3. Divinarū Institutionū, c. 23. [Sumat eū Senecæ librum, cui titulus est, Quare bonis viris multa mala accidāt, cū sit providentia? In quo ille multa non planè imperitia sæculari, sed sapienter, & penè divinitus elocutus est. Deus, inquit, homines pro liberis habet; sed corruptos, & vitiosos luxuriosè, ac delicatè patitur vivere, quia non putat emendatione sua dignos. Bonos autem, quos diligit, castigat sæpius, & assiduis laboribus ad usum virtutis exercet.] Quis neget ista Senecā ex Divinis oraculis hausisse, atq, adeò penè divinitus ea monimentis suis consignasse? Legat, qui volet, caput 2. libri illius de Providētia: caput item 4. Vbi inter cętera. [Ad suspicionem vulneris Tyro pallescit: audacter Veteranus cruorem suum spectat, qui scit, se sæpe vicisse post sanguinem. Hos itaq; Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet.]

254 Hunc, quē fusiùs exposui, arbitror esse litteralem sensum verborum Ezechiæ, à Vulgato fideliter expressum. Non tamen inficias ierim, alterum etiam gēnuinum subesse posse Hebraico Textui congruētem, nec Latino repugnantem. Cōstantissimè enim legitur Hebraicè: *halehen liiu: Domine ultra eos vivent, supra ipsos vitam ducent.* Vbi citra dubium, ex proximo versu subaudire oportet, *annos*; sensuq; efficitur contextui aptè cohęrēs, & Ezechiæ precatione non indignus. Domine, si in hac nostra, Patrūq; memoria, multi ultra meos annos, quos amarissimè recēsui, &, subducta summa, toti illi quadragesimū non attingunt, vitā propagarunt; si sic vivitur, & ultrà etiā ordinariè vivitur: si quā plurimi reperiuntur, qui hac ætate, atq; adeò grandiore, & provectiore, trāquillum adhuc spiritum ducunt, & iis talibus vita spiritus mei: tu, pro tua benignitate me paterne castigatum, emendatumq;, largiore etiam huius lucis usura donabis: *corripies me, & vivificabis me.*

Numerus 17.

Ecce in pace amaritudo mea amarissima.

255 Communis explicatio est illa, quam sic luculentè tradit Agellius. Ecce, cùm ad summū felicitatis fastigium evectus essem, & hostem potentissimum à me, vrbęque Regia, precibus ad Deum fusis fugassem, cunctoq; hostili exercitu ferè ad internecionem cæso: pace iam, & quiete populis parta, amaritudo amarissima, & dolor meus maximus invasit, & infeliorem bello pacem reddidit, ut pene ad ipsum limen mortis accesserim. Hanc ipsam explicationem animadverto Hieronymo placuisse; ut minùs mirandum sit, consequētibus sęculis, eamdem etiam fuisse pleriſq; ferè interpretibus probatam. Hieronymi verba hæc sunt in commentario. [Pacem tribuisti, fugato Assyrio, sed pax mea omni mihi amaritudine fuit maior. Quia tranquillitate populis reddita, & urbe secura, ego solus limina mortis intravi.] Tota hæc explicatio nititur pervagato illo errore, (errorem enim fidens appello) quem ex Iosepho pleriq; hausērūt Expositores: videlicet Ezechiā in hūc periculosum morbum incidisse, postquam cęsumq; ab Angelo Sennacheribi exercitum. nam ih cō hallucinatum fuisse Iosephum, nisi me valde fallo, num. 1. & nu. 6. huius capitis, perspicuis argumentis demonstravi; quæ hîc rursus iterare opus non est. 256

Est igitur altera expositio Forerij; qui sibi omnino persuadet, quod ante illū sibi persuaserat Isidorus Clarius, corrigendum ita esse Vulgatum. *Ecce in pacem amaritudo mea amarissima.* Ipsęque Forerius vertit in Editione nova. *Ecce in incolumitatem amaritudo, quam habebam amaram.* Atque explicat in commentario, hanc esse morbi amaritudinem, quæ Ezechiæ animum valde exulcerabat; divino tamen beneficio in salutem, incolumitatemque subitò fuisse conversam. 257

Consentaneè Tigurina. *Ecce ad incolumitatem cedet mihi amara hæc amaritudo.* Ita Leo Castrius, Adamus, Osorius, atque Iansenius: licèt eorum aliqui non penitus in hoc sensu acquiescentes subscribant Hieronymi sententiæ.

258 Huic expositioni nihil fortius habeo, quod opponam, quàm ipsius Vulgati auctoritatẽ, quæ Catholicis omnibus item, ut æquum est, debet esse fortissima. In castigatissima Editione Vaticana legitur, *in pace*: accedit etiam particula illa adversativa versiculi sequentis, *tu autem eruisti, &c.* Quæ, ut acutè vidit Iansenius, hũc sensum prorsus excludit; nisi rursus, ut ipse Iansenius animadvertit, manus audacter afferatur Vulgato, & pro adversativa *autem*, causalis *enim* in textum intrudatur.

259 Explicatio Ariæ Montani planè singularis est. Textum in primis immutat, ne dicam, pervertit. *Ecce ad pacem amarum mihi amarum.* Supplet deinde de suo, *quod attinet*, ut sensus integer constet; quod ad pacem quidem attinet: id profectò acerbissimum mihi est, cùm agros ferro, flammáque vastari, urbesque ab hostibus diripi, vehementer doleam. Quam suam sententiam versibus ita comprehendit idem Montanus.

Ecce, sed pacis mihi amara restat
Cura: pax nostra procul urbe distat:
Et gravi me iam premit iste morbo
Amarior hostis.

In eo duntaxat hic Auctor collimavit, quòd Ezechiæ morbum in eum ipsum annum, quo cœpit Sennacherib vastare Iudæam, animadvertit incurrisse.

260 Ego quidem minimè dubius existimo, hæc verba redditionem continere proximè antecedentis propositionis, *Domine sic vivitur.* Si talis est huius miseræ vitæ conditio: si tanta tibi hîc suppetit copia flagellorum Subiũgit appositè Ezechias huius rei confirmationem, ab exemplo suo ductam: vide, obsecro Domine, qualis hæc vita sit, quàm lubrica, & inconstãs eius felicitas, quàm amaræ, ac repentinæ miseriæ. Ecce in pace, hoc est, in summa bonorum omnium copia, & affluentia; cùm ætatis robore florerem, valerem viribus, opibus abundarem; cùm omnia mihi prospera in multos annos securè pollicerer. Vatablus: *ecce in flore ætatis, quo tẽpore homines sani, & incolumes esse solent.*

Cùm minùs opinabar, repentinus mihi morbus incessit, animumque languentem amarissimo, iam iamque impendentis mortis horrore perfudit. Quis securitatem sibi in medijs huius vitæ calamitatibus polliceatur, si tam multa subitò prosperitatem ipsam interturbant? Et quidem hac explicatione aptissimè filum duci, nemo erit, qui ambigat; sed eam ex ipsa proprietate sermonis comprobemus

Pacis nomine in arcano sermone, ea 261
bona comprehendi, quæ homines in votis habere solent; salutem, sospitatem, opum affluentiam, solidamque lætitiam, Vulgò iam notum est. Vulgaris quippe fuit illa salutatio, qua pacem sibi, id est, copiam bonorum omnium precabantur. Hebraismum huiusmodi salutationis interdum retinent Vulgatus, & LXX: interdum illustrant. Psalm. 121. num. 6. *Rogate, quæ ad pacem sunt Hierusalem.* Tigurina. *Precamini felicitatem ipsi Hierusalem.* Genebrardus. *Optate illi bonorum omnium affluentiã.* Agelius apertè convincit, salutationis formam esse. Nam quod legimus, 1. Regum 25. num. 5. *Salutabitis eum ex nomine meo pacificè*, expresserunt LXX. *Rogate eum nomine meo, quæ ad pacem*: illustratque mirificè ad nostram sententiam Tigurina: *Salutabitis eum, diceritisque: vitam, pacẽ, & incolumitatem optamus tibi.* Item, 1. Regum 10. ubi pacem suppressit Latinus interpres, contentus dixisse num. 4. *Cùmque te salutaverint.* Tigurina, *qui te salutato in pace.* LXX. eadem utuntur locutione, *rogabunt te, quæ ad pacem.*

Huc etiam spectant alia similia loca. Exodi 18. num. 7. *Salutaverunt se mutuò verbis pacificis.* Regia. *Optarunt vir socio suo ad pacem.* Vatablus. *Bene precati sunt alter alteri.* Genes. 43. n. 27. *Clementer resalutatis eis.* Regia. *Postulavit eis ad pacẽ.*

262 Signatè verò pacis nomine bonam valetudinem, & incolumitatẽ contineri, mihi videor posse apertissimè ex sacro sermone demõstrare. Genesis 29. numer. 6. *Sanus né est? valet, inquiunt.* Vtrobique legitur Hebraicè, *pax ei.* Cap. 43. nu. 27. *Salvus né est pater vester senex?* Regia: *nũ pax patri vestro seni?* ibidem numero 28. *Qui respondérunt, sospes est.* Hebraicè, *pax est illi.* Iosue 10. num. 21. *Reversus est omnis exercitus, sani, & integro numero.* Hebraicè, *reversi sunt in pace.* Genesis 28. num. 21. *Si reversus fuero prosperè ad domum Patris mei.* Hebraicè item habetur: *Si rediero in pace.* Cap. 37. num. 14. *Vade, & vide, si cuncta prospera sint erga fratres tuos.* Hebraicè: *Vade nunc, & vide pacem fratrum tuorum.* Pagninus, *incolumitatem.* Tigurina: *vide, si rectè habeant fratres tui.* Vatablus: *quo pacto valeant.* Itaque evidentissimum est ex sacri sermonis usu, *in pace*, idem esse, atque integra valetudine, prospero, ac florente rerum statu.

263 Iam altera vox *amaritudo* minùs controversa est. Nam, si unum excipias Ariã Montanum, qui *bellum* interpretatur, à communi opinione intelligente morbũ Ezechiæ, dissentit nemo. Et quidem congruentissimè morbus lethalis, & humanitus insanabilis, qualis ille fuit, *amaritudo* nominatur. Videlicet mors, & amaritudo in Scriptura, & inter se sæpenumero iunguntur, & interdum una pro altera usurpatur. Hinc fluxerunt illa 1. Regum 15. num. 32. *Siccine separat amara mors?* Ecclesiastici 41. num. 1. *O mors, quã amara est memoria tua!* Ecclesiast. 7. n. 27. *Inveni amariorem morte mulierem.* Psalm. 63. num. 4. *Intenderunt arcum, rem amaram.* Id est, sagittas veneno lethali imbutas, atque adeò mortem afferentes.

Vicissim item observo, amaritudinem in Scriptura vocari mortem: usque eò propria mortis est amaritudo, ut vocabula ipsa confundantur. 4. Regum 4. n. 40. *Mors in olla, vir Dei.* Non quia lethalis esset olla, sed quia præ amaritudine herbarum, felle amarior erat. Vide nostrum Prado in id Ezechielis 21. num. 6. *In amaritudinibus ingemisce coram eis.*

Tu autem eruisti animam meam, ut non periret.

264 HActenus memoravit Ezechias anxias, formidolosasq; cogitationes, animo suo inter morbi angustias identidem obversantes: hinc iam in gratiarum actionem totum se se effundit. Hæc, inquit, mecum ego tacitus, ac mæstus cogitabam: has fundebam ad te preces, cũ me vis illa morbi incredibiliter affligebat. Sed tu, ò Deus, pro insita tua bonitate, eximio quodam amore complexus animam meam, eam ab exitio, & interitu vindicasti: flagitiaque, quibus iracundiã tuam provocaveram, sempiterna oblivione contrivisti.

265 Subest in hoc loco Hebraicũ verbũ significantissimũ *hasac*. Cuius vim, ac pondus nihil est in toto Latio, quod semel adequet, nedum exhauriat. Elaborant Recentiores in eius exprimenda vi, sed omnia Latina verba frigent, præ illius ardore. Significat enim ardentissimo, flagrãtissimoque amore prosequi, arctissimè inhærere rei amatæ, fortissimisque amoris vinculis illigari. Vertit itaque Tigurina. *Tu dilexisti animam meam, ut eam erueres è fovea.* Vatablus. *Tu optasti eripere animam meam.* Pagninus. *Tibi placuit eruere animam meam.* Forerius: *amanter suscepisti.* Arias Montanus: *complacuisti, voluisti, & curasti.* Leo Castrius: *tu amasti animã meam.* Osorius. *Animam meam eximia benevolentia fuisti prosecutus.* Regia. *Tu es amplexus amore animam meã.* Hector Pintus. *Desideraſti, & coniũxisti tibi animam meam, ne periret.*

266 Sed omnium optimè Vulgatus assecutus est vim verbi; quatenùs Latinè assequi licet, quatuor in locis, in quibus ad eius notionem penitus exhauriendam, totidem illi Latina subiecit: *adamare.* Deut. 21. num. 11. *Et videris in numero captivorum mulierem pulcram, & adamaveris eã.*

Adhæ-

Adhærere. Genesis 34. num. 8. *Filij mei adhæsit anima filiæ vestræ. Iungi.* Deuter. 7. num. 7. *Vobis iunctus est Dominus, & elegit vos.* Denique: *Conglutinari*, cap. 10. numer. 15. *Patribus tuis conglutinatus est Dominus.*

267 Enim verò sicut languent singulæ verba Latina, si totum Hebraici verbi significatum velint semel exhaurire; ita profectò, imò verò multò magis frigent verba omnia, simul coacervata, ad exprimẽdum infinitum illum Dei amorem, quo homines complectitur. Intendit itaque digitũ Ezechias ad fontẽ divinæ erga nos liberalitatis. Summa beneficia, quibus quotidie afficimur, ex isto uberrimo fonte, ex ardentissimo Dei erga nos amore redundarunt. Hoc agnoscebat Regius vates Psalm. 17. numer. 20. *Salvum me fecit, quoniam voluit me*, & 2. Regum 22. n. 20. *Liberavit me, quia complacui ei.* Perinde ac si diceret: nulla mea merita Deum provocarunt: sola illius benefica voluntas intervenit, meque ê tãtis periculis extraxit. Illi etiam, qui clamabant Psalm. 21. n. 9. *Salvum faciat eum, quoniam vult eum*: & si iniquissimo animo clamores illos edebant, sed non longè à vera causa liberationis aberrabant. 1. Ioannis 4. numer. 10. *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Est insignis locus in hanc sententiam, Isaiæ 62. num. 4. *Non vocaberis ultrà derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata: sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata; quia complacuit Domino in te.*

268 Sive autem in hoc loco animæ nomen accipiatur propriè pro ipsa anima Ezechiæ, quam Deus amanter complexus, ex inferni baratro, atque ex ipsius orci faucibus misericorditer eripuit: sive animę vocabulo intelligamus vitam iuxta frequens idioma Sacræ Scripturæ. Genesis 49. numer. 6. *In consilium eorum non veniat anima mea*, id est, eorum consultationi vitam meam minimè crediderim. Levitici 17. numer. 11. *Anima carnis in sanguine est,* id est, vita sanguine continetur. Lege Agelium in id Psalm. 7. num. 2. *Ne quando rapiat, ut leo, animam meã.* Pinedam Iob 2. num 6. *Verumtamen animã illius serva:* & Maldonatũ Matth. 6. n. 25. *Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis:* sive denique animę nomine totus homo cõprehendatur. Genesis 14. num. 21. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* LXX. *Da mihi viros*: & magis ad rem præsentem, Psalm. 40. num 4. *Sana animam meam*, id est, me ipsum; ut doctè ibi exponit, & cõfirmat Agelius quocũque modo animæ vocẽ capias, cadẽ semper sententia cõstat.

Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

269 Vide hîc admirabilem Dei benignitatem. Conqueritur ipse iure optimo de hominibus, se ab illo per peccatum avertentibus, Ieremiæ 2. numer. 27. & cap 32. num. 33. *Converterunt ad me tergũ, & non faciem.* Illa etiam intorquetur in eosdem acerbissima expostulatio 2. Esdrę 9. num. 26. *Provocaverunt te ad iracundiam, & recesserunt à te, & proiecerunt legem tuam post terga sua.* Atqui benignissimus Deus, si peccatores ex animo pœnitentiam agant, tantùm abest, ut acceptas gravissimas iniurias, alta mente repostas, recordetur: ut eas potiùs post tergum proijciat: ab illis faciem, & oculos avertat, ut oblivione deleat sempiterna. Hanc existimo subesse in hoc Hebraismo vim, ut peccata post tergum proijcere, prorsus idem sit, ac non ampliùs illa respicere, eorumque memoriam obliterare. Vno verbo, illud ipsum, quod David deprecabatur, Psalm. 50. numer. 11. *Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.* Vel, ut legit Gregorius 3. part. Pastoralis admonitione 30. *Averte oculos tuos à peccatis meis.*

270 Moveor ex vulgari illo Æsopi figmẽto, quo acutè notabat, solere homines

aliena vitia curiosiùs intueri, quã sua. Aiebat enim, gestare unũquẽque nostrũ manticas duas: alterã à tergo pẽdentẽ, à fronte alteram: atque in ea quidem, quæ ante oculos est, aliena peccata reponere: in posteriore, nostra. Huc facetè allusum identidem à Poetis. Persius Saty. 4.

Vt nemo in se se tentat descendere, nemo:
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

Horatius lib. 2. Sermonum, Saty. 3.

Respicere ignoto discet pendentia tergo.

Catullus ad Varum. *Non videmus manticæ, quod in tergo est.* Proijcere itaque peccata post tergum, est, ea in posterum nũquam aspicere, aut recordari.

271 Et verò cùm ad excitandam fiduciam nostram, tum, ut ego quidem arbitror, ad explodendam iam inde ab heroicis illis tẽporibus, & omnino iugulandam mõstrosam hoc misero sæculo nascituram de nõ imputatione Hęresim, quam doctè refellunt, Bellarminus toto lib. 2. de Iustificatione, & Suarez tom. 4. de Pœnitentia disput. 9. sect. 4. mirum est, quàm diserte, quã perspicuè testetur Scriptura, peccati labem prorsus elui per pœnitentiam; inustam maculam omnino deleri; æternæ pœnæ reatum extingui; quidquid intercesserat iniuriæ, à Deo condonari; interdum etiam, si ferventissima contritio animo concipiatur, temporalẽ item peccati pœnam remitti. Mirum etiam est, quàm multis exemplis, quàm varijs, quã significantibus, hanc veritatem Spiritus Sanctus illustret: ea parcè duntaxat attingemus: nam singula pro dignitate expendere, multi negotij, & uberioris otij esset.

272 In primis dicitur Deus peccata, quæ condonat, operire, atquè contegere; ut ne à curiosis quidem oculis, eaque sedulò inquirentibus dispici possint: quippe quæ iam nusquam extant. Psalm. 31. numer. 1. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Psal. 84. num. 3. *Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.*

273 Deinde pollicetur Deus, abluturum se peccatorum labes, easque detersuru; atque adeò hominem nive ipsa candidiorem effecturum. Isaiæ 1. num. 18. *Si fuerint peccata vestra, ut coccinũ, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana albà erunt.* Hoc supplicitèr obsecrabat David Psalm. 50. num. 4. *Amplius lava me ab iniquitate mea:* & n. 9. *Lavabis me, & super nivem dealbabor.*

Et quia peccatum semel admissum, in 274
ære quasi inciditur, ut maturo tempore puniatur. Iuxta illud Iob 13. num. 26. *Scribis contra me amaritudines: & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* & Ieremiæ 17. num. 1. *Peccatum Iuda scriptũ est stylo ferreo in ungue adamantino.* Simul atque concipitur à peccatore verà pœnitentia, Deus peccati scripturam penitus delet: atque adeò, quod adversus nos erat debiti Chirographum, exaratum in tabulis, concerpit. Isaiæ 43. num. 25. *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Contrà verò præfractis, obstinatisque in peccato, dira illa imprecatio impendet. Psalm 108. num. 14. *In memoriam redeat iniquitas Patrũ eius, in conspectu Domini, & peccatum matris eius non deleatur.* Quare germanum illud veræ pœnitentiæ exemplum, Regius Vates toties inclamat Psalm 50. num. 3. *Dele iniquitatem meam*: & num. 11. *Omnes iniquitates meas dele.* Præterea non modò obliteraturum se peccata in adamante insculpta, 275
sed memoriam suam, ipso adamante diuturniorem, pollicetur, se Deus abiecturum. Isaię 43. num. 25. *Peccatorum tuorum non recordabor.* Ieremię 31. num. 34. *Propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum nõ memorabor amplius.* Ezechielis 18. num. 22. *Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.*

Denique hoc ipsum luculentè signifi- 276
catur Michęæ 7. num. 19. *Deponet iniquitates nostras, & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Ecclesiast. 3. n. 17. *Sicut in sereno glacies, solvẽtur peccata tua.* Isaiæ 44. num. 22. *Delevi, ut nubem, iniquitates tuas, & quasi nebulã, peccata tua.*

Vides, discussa in ventos nube, aut nebula in tenuem vaporem evanescente, vel glacie sensim calore solis tabefacta, & in humorem resoluta, paulò pòst ne vestigium quidem ullum remanere.

Numerus 18.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te.

277 Onfiteri in hoc, & sequente versu, ut observat Hieronymus in Commentario, est Deo gratias agere, illumque laudibus celebrare. Subest enim Hebraicè radix *Iadà*, cui in coniugatione *Hiphil* vulgaris hæc est significatio. Genesis 49. num. 8. *Iuda te laudabunt fratres tui.* Vbi est in Hebraico textu elegans quædam allusio, venustaque paronomasia, quam nõ assequitur sermo Latinus. Delrius noster, ut quoquo modo eam exprimeret, Hebraica sic vertit. *Confessio tu*, (scilicet vocaris,) *Confitebuntur tibi fratres tui.* Perinde ac si diceret: meritò, faustoque omine inditum tibi fuit nomen Iudæ, id est, confessionis, & laudis, nam cæteræ Tribus te laudibus efferent.

278 Enim verò usq; eò sumus assueti pervagatæ significationi Latini verbi, *confiteor*, quod propriè significat delicta confiteri, ut in altera, tanquam insolenti, & nova, aures nostræ peregrinentur. Iucundum scitu est, quod refert Augustinus tom. 10. Ser. 8. de Verbis Domini. Invaluerat Augustini ætate ea consuetudo in Ecclesia, inter peragendam rem Divinam, ut simul atque fideles audirent, pronuntiari verbum *confiteor*, certi id ad sacram peccatorum exomologesin pertinere, pugnis continuò pectus verberarent; quia ea ceremonia conceptus animi dolor indicatur. Docuit enim natura ipsa pœnitentes id facere, quasi conscientiam suam manu pulsantes, pœnas de ea sponte susciperent. Lucæ 18. num. 13. *Nolebat oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum.* & cap. 23. num. 48. *Percutientes pectora sua revertebantur.* Cùm itaque recitaretur in Ecclesia Evangelium illud Matth. 11. num. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ*; narrat his verbis Augustinus quid acciderit. [Mox, ut verbum hoc sonuit, secutus est etiã sonus tunsionis pectoris vestri. In hoc ipso, quòd sonuit *confiteor*, pectora vestra tutudistis. Tundere autem pectus, quid est, nisi arguere, quod latet in pectore, & evidenti pulsu occultũ castigare peccatum? Quare hoc feciſtis, nisi quia audistis, *confiteor tibi Pater? Confiteor*, audistis; qui confitetur, non attendistis.] Concludit hinc Augustinus. [Si *confiteor*, Christus dixit, à quo est longè omne peccatum: non solius est peccatoris, sed etiam laudatoris. Confitemur ergo sive laudantes Deum, sive accusantes nos metipsos.] Hactenus Augustinus.

279 Ergo ne peregrinemur & nos in hac frequenti huius verbi significatione, lubet eam auctoritate LXX confirmare. Quatuor verbis Græcis illustrant LXX. Hebraicum *hoda*, id est, *confiteor*. Ex quibus perspicuè constat hæc significatio. Reddunt in primis *Æneo*, id est, laudo, in hoc ipso Isaiæ loco, ubi etiam metonymiam explanant, qua continens sumitur Hebraicè, atque Latinè pro contento. *Non enim qui in inferno, laudabunt te.* & 2. Paralip. 7. num. 3. ubi etiam Vulgatus: *Adoraverunt, & laudaverunt Dominum.* Hebraicè: *Confitebantur Domino.* Secundò vertunt LXX. *Eulogeo*, id est, benedico, ut hîc num. 19. *Viventes benedicent tibi.* Tertiò: *hymneo*, id est, celebro. Isaiæ 25. num. 1. *Domine, Deus meus es tu: exaltabo te, & confitebor nomini tuo.* LXX. *celebrabo nomen tuum.* Quartò: *ado*, id est, *canto.* Ieremiæ 30. num. 19. *Egredietur de eis laus.* Hebraicè, *confessio.* LXX. *egredientur cantantes.*

280 Et quoniam incidimus in nomen *confessio*, sciendum est, illud in arcano sermone, non modò peccatorum confessionem, sed laudem etiam, & gloriam sæpe

significare.

significare. Psalm. 8. num. 2. *Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos.* Felix vertit: *confessio tua.* Estque adagialis locutio, qualis & illa Poetæ. *Fama super æthera notus.* Quasi Regius vates sic alloquatur Deum. Fama nominis, gloriæque tuę, non modò ad cœlos usque pertingit, sed supra illos etiam prætergreditur. Ps. 148. num. 14. *Cõfessio eius super cœlum, & terram.* Habacuc. 3. num. 3. *Operuit cœlos gloria eius.* LXX nomen Hebraicum *Todà* subinde vertere solent, *Æneſis*, id est, *laus.* 1. Esdræ 10. num. 11. *Et nunc date cõfessionem Domino Deo.* LXX. *date laudẽ.* Eos, tanquam præclaros duces, sequitur sæpe Vulgatus, Ionæ 2. num. 10. *Ego autẽ in voce laudis immolabo tibi.* Psalm. 25. num. 7. *Vt audiam vocem laudis tuæ.* Psal. 49. num. 14. *Immola Deo sacrificium laudis.* & num. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Vbique subest in textu Hebraico, *confessio.*

281 Itaque verba illa Psalm. 95. numer. 6. *Confessio, & pulchritudo in conspectu eius,* in eo sensu interpretanda sunt, quasi ipsa laus, ipsaque pulchritudo Deo continenter assistant. At Psalm. 103. num. 1. dicitur Deus usque eò laudabilis totus esse, ut ipsa laude circum amictus videatur. *Confessionem, & decorem induisti:* atque hæc de voce, nunc de sententia.

282 Nimis mihi videtur horum verborum sensum restringere Bellarminus, qui Psal. 6. num. 5. de damnatorum inferno interpretatur. Auctorem laudat Hieronymum huius explicationis: sed si attentè legatur Hieronymi Commentarius disertè Limbum exponit: ait enim. [Qui in inferno est, non expectat iudicij veritatem, sed misericordiam Dei; maximè cùm Salvator ad inferna descenderit, ut vinctos de inferis liberaret.] Quid aperti? An Christus damnatos ab inferis extraxit? an illi aut exspectant modò, aut exspectarunt unquam divinam misericordiam? Accedit, quòd pijssimus Rex Ezechias tantũ abest, ut de æterna sua salute desperaverit: aut, si eo decederet morbo, se ad inferorum cruciatus detrudendum esse crediderit, ut potiùs denuntiata mortis sententia, fidenter Deo repræsentaverit n. 3. *Memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis, fecerim.* Quòd si etiam peccata recognoscit n. 17. *Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea:* facit id de more Sanctorum, qui leviſsimas etiam, & quotidianas dolent culpas, imò ibi sæpe culpam agnoscunt, ubi culpa non est.

Itaque existimo, inferni nomine infera loca, ubi tunc iusti tenebantur, atque adeò Purgatorium, & Sinum Abrahæ cõprehendi. Nam & si utrobique sanctiſsimæ illæ animæ Deo confitebantur, tamẽ quia linguæ usu ad laudes ritè celebrandas destitutæ, neque ipsæ divinos canere honores, neque suis cantibus mortales ad Dei laudes prosequendas poterãt provocare: solebant veteres illi Patriarchæ, hinc argumentum ducere, atque à Deo vitæ propagationem deprecari, ne eius laus, memoriaque apud homines deperiret. Non quòd obiecta utilitatis specie, Deũ capi sibi persuaderent: certò enim sciebant, nihil ad illum utilitatis ex suis laudibus redundare; sed quia illum humanę salutis amantiſsimum esse cognoverant, usque eò, ut, cùm nobis bene est, sibi cõmodari existimaret. Quid autem utilius hominibus esse potest, quàm Dei laudes continenter celebrare? 284

Hinc ergo erumpebant frequẽtes illæ voces; Psalm. 87. num. 11. *Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuã, & veritatem tuam in perditione?* (id est, apud inferos, ut Iob 26. num. 6. *Nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni.*) *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra oblivionis?* Mortuorum statum terrã oblivionis iure vocat, quia simul, atq; homines moriuntur, eorum memoria penitus obliteratur. Psalm. 30. num. 13. *Oblivioni datus sum, tamquam mortuus à corde.* 285

286 Sic etiam Psalm. 29. num. 10. *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* hoc est: quid commodi ad te, ô Deus, ex mea morte redundabit? Quid emolumenti ex meo interitu existet? *Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* Quin potiùs, cùm exanime cadaver in pulverem redactum laudare te non possit, aliquid damni ad te pertineat, necesse est, ô summe Deus: cui, nempe nostri amantissimo, quidquid nostra refert, in ipsis oculis est. Hæc eadem est vis, & momentum rationis illius Psalm. 6. num. 5. *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui,* (Genebrar. in loco, & statu mortis, non est, qui te commemoret,) *in inferno autem quis confitebitur tibi?* Psalm. 113. numer. 17. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum: sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino.* Baruch 2. num. 17. *Non mortui, qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est à visceribus suis, dabunt honorem, & iustificationem Domino: sed anima, quæ tristis est super magnitudinem mali.*

Denique; Eccles. 17. n. 25. (qui locus horũ 287
verborũ Ezechiæ luculentissimus cõmẽtarius est,) *Cum vivis, & dantibus confessionem Deo: à mortuo quasi nihil,* (perinde ac si iam nihil sit, in pulverem, cinereśque redactus; tametsi non totus in morte fuerit extinctus,) *perit confessio.* (ore videlicet, & lingua facta,) *Confiteberis vivens, vivus, & sanus confiteberis: & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus illius.* Quoniam verò novi Hæretici imperitè, & ineptè, ne dicam impudenter, & stolidè, his testimonijs recitatis ad tollendum Sanctorum patrocinium abuntur, lege nostrũ Mald. Baruc. 2. n. 17. illorum imperitiam doctè confutantem.

Non exspectabunt, qui descendũt in lacum, veritatem tuam.

288 LOcus iste, ut ingenuè fatear, perdifficilis mihi est; alijs fortasse non itẽ. Difficultas partim sita est in verbis, partim in re ipsa. Atque in primis quod attinet ad verba; censeo, statui certò non posse, quid *lacus* nomine denotetur. Subest Hebraice *bor*, cuius vocis germana proprietas, (quantũ expẽsis accuratè locis, in quibus ea reperitur, coniectura assequi possum,) ea est. Vt primò significet fossã, sive cisternã excisam ad aquas pluvias cõtinendas. Hinc illa sunt 2. Regũ 23. n. 15. & 1. Paralip. 11. num. 17. *O, si quis daret mihi aquam de cisterna Bethlem.* Proverb. 5. num. 15. *Bibe aquam de cisterna tua.* Isaiæ 36. num. 16. *Bibite unusquisque aquam cisternæ suæ:* & aliàs sæpe.

Quia tamen cisternæ solẽt, aut exhauriri, aut exsiccari, aut ita dissipari, ut aquas non valeant continere, Ieremiæ 2. num. 13. solet item ea vox usurpari absolutè pro spelunca, sive fossa subterranea. Psal. 7. numer. 16. *Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foveam, quam fecit.* Genesis 37. numer. 20. *Mittamus in cisternam veterem.* 1. Regum 13. numer. 6. *Absconderunt se in speluncis, in antris, & in cisternis.* & 2. Regum 23. numer. 20. *Ipse descendit, & percussit leonem in media cisterna.*

Et quia arctissimus carcer solebat es- 289
se instar cisternæ altè defossę, Hispanè *mazmorrá*, hæc vox carcerem etiam significat. Genesis 40. num. 15. *Hic innocens in lacum missus sum.* & cap. 41. numer. 14. *eductum de carcere.* Hebraicè, *de lacu.*

* Rursus, quia mortuos sepeliebant Hebręi in speluncis, in rupe excavatis. Genesis 23. num. 9. cap. 49. num. 29. Matth. 27. num. 59. & Ioannis 11. num 38. *bor* etiam significat sepulchrum. Ieremię 41. n. 9. *Lacus, in quẽ proiecerat Ismahel omnia cadavera virorum.* Ezechielis 32. num. 23. *Qui ceciderunt gladio: quorum data sunt sepulchra in novissimis laci.* Thren. 3. num. 53. *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.*

Quia verò simul corpus defodiebatur 290
in sepulchro, simul anima in aliquod subterraneũ receptaculũ descẽdebat; aliquã-

do lacus

do lacus signatè sumitur pro Limbo, ut, ex communi consensu Expositorum, Zacharię 9. nu. 11. *Tu quoque in sanguine testamẽti tui emisisti vinctos tuos de lacu.* Aliquando pro Gehenna. Isaiæ. 14. num. 15. *Verumtamẽ ad infernum detraheris, in profundum laci.* Hoc enim sensu Ecclesia interpretatur ea verba: [Libera animas omnium Fidelium defunctorũ de pœnis Inferni, & de profundo lacu.]

292 Denique vox *lacus*, frequentissimè usurpatur universè, & generatim, sive pro sepulchro, sive pro Inferno, sive pro Limbo, aut Purgatorio. Psal. 142. num. 7. *Nõ avertas faciem tuam à me, &* (idest, quia) *similis ero descendẽtibus in lacum.* Psal. 27. num. 1. *Assimilabor descendentibus in lacum.* Psal. 29. n. 4. *Salvasti me à descendẽtibus in lacum.* Psal. 87. nu. 5. *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum.*

Cùm ergo tam varia, multiplexq; huius vocis notio sit, & si contextus necessariò requirat, ut in isto loco ad statum mortuorum eius pertineat significat⁹, incertum tamen omnino est, an sepulchrũ, an verò aliquod signatè denotet mortuorum receptaculum, an denique generatim accipienda sit.

293 Enim verò, ut de voce simul, ac de re tota paucis aperiam sententiam meam. Ego hîc lacum, Infernũ damnatorum interpretor. Nec video, quî possit aliter huius loci intelligentia constare. Itaque *Inferni* nomine, Limbum; *mortis*, sepulchrum; *lacus* verò, Gehennam intelligo. Affert mihi vim sanè efficacissimum argumentum. Divina veritas, ut ex sexcentis patet Scripturæ testimonijs, est fidelitas in præstandis promissis. Lege Toletum, & Iustinianum in ea verba Pauli ad Romanos 15. numer. 8. *propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum.* Hîc verò hunc significatum exigit *exspectandi* verbum, quia nimirùm id solemus expectare, quod ex veraci, ac firma pollicitatione confidimus affuturum. Quid ergo vetabat, quominùs sancti illi Patriarchæ, qui in Limbo detinebantur, donec Christus cæli ianuam effuso sanguine reseraret, subinde Divina veracitate fulti, in spem sibi promissi Salvatoris erigerentur? Nam etsi corpore exuti non poterant illi quidem ore, & cantibus Divinas laudes personare; at fide, & spe confirmati liberationem sibi promissam exspectare sine dubio poterant. Imò verò usque eò in illo carcere hac sê spei 294
consolatione sustentabant, ut Zacharias, tanquam maximè proprio nomine, eos *vinctos spei* compellet, cap. 9. num. 12. Quid aliud nobis innuit moribundus ille senex, qui in extremo spiritu aiebat, Genesis 49. num. 18. *Salutare tuum expectabo Domine?* Illa item spes sanctissimas illas mentes recreabat, adfuturum aliquando tempus, ex Divina veracitate, cùm rursus corporibus unitæ suis, eximio splendore circumfusis, reviviscerent. Nam & patientissimus Iob, qui ibi morabatur, postquàm futuram suam resurrectionem magnificis verbis prædicavit, tandem concluſit. cap. 19. num. 27. *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Et fortissimus ille adolescens 2. Machab. 7. num. 14. cùm iam esset ad mortem, sit ait: *Potius est, ab hominibus morti datos spem exspectare à Deo, iterum ab ipso resuscitandos.* In hos ergo vinctos spei, in hos sanctissimos viros Divinæ veracitatis præcones, an convenire ullo pacto potest, *non exspectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam?*

Video, qualiter interpretes huic difficultati satisfaciant. Hieronym. cuius verba paulò antè recitavimus, culpat LXX, qui hunc locum sic enuntiant. *Neque sperabunt, qui apud inferos sunt, misericordiam tuam.* Aitque, eos, qui in Limbo detinebantur, non exspectare iudicij veritatem, sed Dei misericordiam. Ego verò expositionem meam existimo validè confirmari translatione LXX. Nam illi, qui ad Inferos detrusi sunt, (sic videlicet LXX. lacum expressêrunt) non dico Divinam veritatem, sed ne mi-

sericordiam quidem exspectare iam possunt.

296 Forerius,& Vulgatum deserit,novũq; verbum obtrudit, *intuebuntur*, sive *spectabunt*: & hoc ipsum verbũ, *intueri* prorsus inusitatè exponit, *laudibus celebrare*: quòd nemo sit, qui in Dei veritatem oculos figat, qui se continere queat, quin eã admiretur,& in ipsius laudes prorumpat.

297 Sed Hebraicum *sibbar*, non modò Vulgatus reddit, *exspecto*,& LXX hîc *elpizo*; ideſt, *spero*; sed & Psal. 103.num.11. *exspectabunt onagri in siti sua*,& num.27. *Omnia à te exspectant, ut des illis escam in tempore*: & Psal.118. n. 166. *exspectabam salutare tuum Domine*. Ruth. 1. n. 13. *Si eos exspectare velitis*: quibus locis minimè quadrat significatio Forerij.

Numerus 19.

Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie.

298 Ota hæc sentẽtia perspicua est, & numero superiore fusiùs à nobis explicata. Vbi expendimus, quid propriè sit in arcano sermone, *confiteri*: similiaq; testimonia citavimus, qualia sunt Psalm. 113. n. 18. *Sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino.* Et Eccles. 17. n. 27. *Confiteberis vivens, vivus, & sanus confiteberis, & laudabis Dominum.*

299 Et profectò æquissimum est,eum, qui divino beneficio vivit, vitæ largitori in momenta singula profusis laudibus confiteri. *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Actuum 17.n.28. *Magna hominis miseria est* (inquit Augustin. lib. 14. de Trinitate cap. 12.) *cum illo non esse, sine quo non potest esse. In quo enim est, proculdubio sine illo non est.* Præclarè Nazianzenus orat.4. quæ est de cura pauperum [Non tam sæpe respirare oportet, quàm Dei meminisse.]

300 Egregiamque hanc sententiam inculcat iterum oratione 33. quæ est prima de Theologia. [Neque tam sæpe spiritum ducere, quàm Dei meminisse debemus: imò, si hoc dici potest, aliud nihil, quàm hoc faciendum.] Congruit Augustin. tom. 9. in Manuali cap. 29. [Sicut nullum est momentum, in quo homo non fruatur Dei misericordia: sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem nõ habeat in memoria.] Ex Augustino eamdem sententiam totidem verbis excerpsit Bernardus, de interiori Domo cap.9.

301 Atque hunc mihi persuadeo litteralem esse sensum extremorum verborum Psalterij Davidici, ut excellentissimus liber, cuius singula verba singulares Dei laudes sunt, absolutissima clausula terminetur. Psalm. 150. num. ultimo: *omnis spiritus laudet Dominum.* Scholiastes Editionis Romanæ LXX. ait, meliùs fortasse verti potuisse: *Omnis spiratio, aut respiratio laudet Dominum.* Apertiùs quidẽ, & explicatiùs verteretur, ut unica intelligentia constaret, sed ambiguam vocem Græcam, & Hebraicam, ambiguè item scientissimè reddidit Latinus interpres. Sensus itaque erit: quoties homo respirando vivit, quoties de cælo spiritum ducit, toties toto cordis affectu in divinas laudes erumpat, necesse est: ipsa muta respiratio, laudatio tacita sit Dei. Certè vocem Græcam *pnoè*, qua hîc utitur LXX. in hanc sententiam usurpavit Paulus Actuum 17. n. 25. *Cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem*. Græcè, *pnoen*: eademque vox subest apud LXX. Danielis 5. num. 23. *Deum, qui habet flatum tuum in manu sua, non glorificasti.* & Isai. 42. n. 5. *Dans flatum populo*; quibus in locis indubitatum est, vocem *pnoè* respirationem significare.

302 Neque minùs id constat de Hebraica voce *nesama*, quæ extat in hoc Psal. 150. num. 5. & Danielis 5. num. 23. & Isai 42. numer. 5. quam sapientissimè Vulgatus vertit *spiritum.* Ne viam præcluderet alteri intelligentiæ, cuius est etiam capax citra dubium: videlicet, *quidquid spirat:*

hoc

hoc est, quidquid respirando vitam ducit, Deum laudibus prosequatur. Eamdem tamen vocem Hebraicam variè, ut solet, illustrat Vulgatus. Genes. 7. n. 22. *Cuncta, in quibus spiraculum vitæ est in terra.* LXX *Pnoè, respiratio.* Danielis 10 num. 17. *Sed & halitus meus intercluditur*, idest, *respiratio mea.* 3. Reg. 17. n. 17. *Ita ut non remaneret in eo halitus.* Iob. 27. n. 3. *Donec supersit halitus in me.*

303 Itaque apud Vulgatum in hoc Psalm. *omnis spiritus*, idem est, ac omnis respiratio: ut Isaiæ. 2. num. 22. *Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius est.* Vbi Hebraicam vocem *Nesama*, vertit in sua editione Forerius, *halitus*, in Commentario autem, *afflatus*, sive *anhelitus.* Tigurina, *in cuius nare flatus est.* Explicat Vatablus: *cuius vita consistit in respiratione: qui spiritum vitalem per nares haurit.* Si tamen sensus spectet ad Christum, ut Forerio placet, & ad incredibilem pertineat effundendæ iracundiæ vim: perinde, ac si moneat Propheta: cavete vobis ab homine, in cuius naso est afflatio, idest, qui vel solo anhelitu hostes valentissimos disijciet; & nostra cõfirmatur explicatio, & grãdior efficitur sententia. Qualis illa Iob. 4. n. 9. *Flante Deo perisse*: ubi Hebraicè subest, *nesama*, halitu Dei perijsse. Sic 2. Reg. 22. n. 16. & Ps. 17. n. 16. *ab inspiratione spiritus iræ tuæ*: ubi Hebraicè, rursus *nesama.* Apud LXX. verò *Pnoe*, & utrobique evidens est, inspirationem, & anhelitum ab ipso spiritu, & aere, qui anhelando, & respirando ducitur, perspicuè discerni.

Vsus verò Latinæ vocis *spiritus*, pro respiratione, apud Ciceronem frequentissimus est: cuius illa sunt: *aer spiritu* (idest, respiratione) *ductus alit animantes: cùm ei spiritus esset angustior*, idest, cùm angustiùs respiraret: *longissima est complexio verborum, quæ volvi uno spiritu potest.*

Pater Filijs notam faciet veritatem tuam.

SOlenne fuit hoc apud Hebræorum 304
Gentem. Parentes erga filios magistrorũ munere fungebãtur. Passim suppeditant exẽpla: Genes. 18. n. 19. *Scio, quòd Abraham præcepturus sit filijs suis*, &c. Exod. 10. n. 2. *& narres in auribus filij tui.* c. 13. n. 8. *Narrabisque filio tuo.* Deut. 4. n. 10. *Doceantque filios suos.* c. 32. n. 7. *Interroga Patrem tuũ, & annuntiabit tibi.* Ps. 77. n. 5. *Quanta mãdavit Patribus nostris, notã facere ea filijs suis?* Prov. 4. n. 3. *Nã & ego filius fui Patris mei tenellus, & unigenitus corã matre mea: & docebat me, atque dicebat*: scilicet, ipse pater, ut liquet ex Hebraico textu, ubi verbũ est generis masculini. c. 13. n. 1. *Filius sapiens, doctrina Patris.* Vatablus; *ex disciplina Patris evadit filius sapiens*: & n. 24. *Qui autem diligit illũ, instãter erudit*: & c. 29. n. 17. *erudi filium tuũ.* Eccl. 7. n. 25. *filij tibi sunt? erudi illos.*

Numerus 20.

Domine salvum me fac, & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

POllicetur Ezechias, adeò se 305
deinceps memorem accepti beneficij, gratumq; futurum, ut nullo unquam vitæ suæ tẽpore patiatur, adeptæ salutis memoriam extingui: nulla in posterum dies de divinis laudibus conticescat: quod & re ipsa præstitit: nam & cantores in templo cõstituit, & psallẽtium choros cõcinnavit, & cantoribus ipsis, atque Levitis statas vices, ordinesque distribuit. 2. Paralip. 29. n. 25. & n. 30. Præcepitq;, ut psalmis editis à David Deum assiduè celebrarent, & vitæ, atque incolumitatis suę largitorem meritis laudib⁹ efferrent. Cui est honor, & gloria in sęcula sęculorum, Amen.

IN NAHVM PROPHETAM COMMENTARII EXEGETICI LITTERALES.

AVCTORE PATRE AVGVSTINO DE QVIROS è Societate IESV.

1 DIxerat Ionas Ninive vastitatem, non quidē decreto Dei fixo, & absoluto, sed cōminatorio, & conditionato: videlicet, nisi à suis sceleribus resipiscerent. Egerūt illi pœnitentiam, placaruntque sibi cœleste numen, sub ea rursus conditione, modò in ea ipsa pœnitentia, & scelerum emendatione persisterent, neque ad pristina flagitia relaberentur. Eisdem itaque rursus in scelera prolapsis, & quod mirū est, tam brevi intervallo, ut idem ille regnaret Sardanapalus, qui ad clavum sedebat, prophetante Iona, ut probat Torniellus to. 2. anno mundi 3215. funestum nūc excidiū, urbis eversionem, civium sanguinē, ac cædē hic Propheta minitatur. Hęc est Hieronymi mens prologo in Ionam. [Ad Ionæ prędicationē, acta pœnitentia, veniam consecuti erant Ninivitæ: postea verò in pristinis vitijs perseverantes, Dei in se provocavere sententiam.]

2 Huius Prophetæ vaticinium paucissimis verbis complexus est moribundus senex Tobias, c. 14. nu. 6. *Propè erit interitus Ninive: nō enim excidit verbū Domini.* Expresserunt LXX. quodnam istud esset verbum Domini: qui sic legunt: *abi in Mediā fili, quoniam credidi quæcumque locutus est Ionas Propheta de Ninive, quia subvertetur.* Nec reticuit subversionis causam: nu. 13. *Video enim, quia iniquitas eius finē dabit ei.*

Numerus. 1.

Onus.

3 HEbraica vox *Masà* ducta à verbo *Nasà*, idest, ferre, sustinere, portare, non est dubium, quin propriè significet *pōdus*. Eam enim sæpe expresserunt Græcè LXX. *bastagma*, sive *phortion*. Latinus interpres, *onus*. Exodi 22. num. 5. *Si videris asinum odientis te iacere sub onere.* 2. Reg. 15. nu. 33. *Eris mihi oneri.* Psalm. 37. n. 5. *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.*

5 Exiſtimant ergo communiter Expoſitores, vocem *onus* transferri à Prophetis ad ſignificandum grave, & acerbum vaticinium; Gentibuſque, quibus denũtiatur, formidoloſum, & infauſtum. Atque hæc eſt expreſſa ſentẽtia Hieronymi, non uno teſtata loco: nam in cap. 13. Iſaię. [Verbũ, inquit, Hebraicum *masá*, vel onus, vel põdus intelligi poteſt: & ubicunque præpoſitum fuerit, minarum plena ſunt, quæ dicuntur.] Et in cap. 23. Ieremiæ. [Vbicunque grave eſt, quod Dominus comminatur, & plenum ponderis, ac laboris, & importabile, in titulo quoque *pondus* dicitur.] Hoc apertiſsimè cõſtat ex Scriptura: nam Regem Ioram ſagitta transfixum, præcepit Iehu inhumatum proijci in agrum Naboth: cauſamq; reddit. 4. Regum 9. num. 25. *Quòd Dominus onus hoc levaverit ſuper eum, dicens, ſi non pro ſanguine Naboth reddam tibi in agro iſto.* Iſaias etiam, cùm horribile vaticinium hoc titulo inchoaſſet, cap. 21. num. 1. *Onus deſerti maris*; continuò ſubiecit: *viſio dura nuntiata eſt mihi.*

6 Hinc terrores illi apud eũdem Prophetam, *onus Babylonis, onus Moab, onus Damaſci.* Hinc oracula Malachiæ, & Habacuc minarum plena, hoc itidem titulo prænotantur. Hinc locus ille celebris Ieremiæ 23. à num. 33. ubi per irriſionem uſurpantibus, *onus Domini, onus Domini*; quaſi Prophetæ nihil aliud intonarent, eleganti alluſione, cuius venuſtas Latinè exprimi non potuit, minitatur Deus, nu. 39. *Propterea ecce ego tollam vos portans.* Perinde ac ſi diceret; propterea iſto vos onere onerabo.

Notat verò Forerius Iſaiæ 13. num. 1. triſtia hæc vaticinia, non propterea ſolùm onera appellari, quòd ſupplicij pondere premunt eos, quibus intentantur: ſed quia ipſis etiam Prophetis ea denuntiare, (quanvis parẽdum eſſet Spiritui ſancto,) grave nimis eſſet, ac peracerbum.

7 Quod autem obſervat Cyprianus Ciſtercienſis, cuius in hunc Prophetam extant culti commẽtarij, nuſquam in vetere Teſtamento ante Iſaiam, vatum prædictiones hoc titulo prænotari: ſi de voce Latina intelligit, verum eſt; ſi de Hebręa, apertè falſum. Habetur enim Prover. 30. nu. 1. ubi Vulgatus reddit, *viſio*; Regia, *aſſumptio*: Tigurina: *diſciplina gravis.*

8 Sed, ut hæc ſunt plana, ita illud difficillimum: quid ſibi velint LXX. qui vocem *Masà* multis in locis *lemma*, ideſt, *aſſumptio*, reddiderunt. Et Græci quidem Patres eam cauſam afferunt, quòd Prophetæ mens quaſi aſſumitur à Deo, abſtrahiturque à corpore, cùm ad futura præſentiẽda divinitus illuſtratur. Rectè illi quidem, ſi vim ſpectes Græcæ vocis; minùs tamen congruenter Hebraicæ, atq; Latinæ. Aquila vertit Græcè *arma*, ideſt, *elevatio*. Et ſine dubio eſt Hebraiſmus, quo *aſſumptio* ponitur pro re aſſumpta; elevatio pro one re elevato. Ita ut idẽ ſit aſſumptio, quod geſtamen, atque pondus. Vulgare enim, 9 ac frequens eſt in arcano ſermone idioma illud, quo actio ponitur pro obiecto, ſive materia actionis: ut auditio pro re audita; viſio pro ſpectro; plantatio pro germine, abominatio pro re deteſtanda; laus, ſive laudatio pro re laudanda; timor, aut terror pro re timenda; & ſexcenta alia, quæ ſigillatim enumerare, cùm paſsim exempla ſuppetant, ſupervacaneum eſſet. Hac verò explicatione Græcæ vocis *lemma*, & vox ipſa originalis *masà*, & Vulgatus, & LXX. inter ſe mirificè cohærent.

Ninive.

10 NOtat hîc Hieronymus in proœmio, quòd vox *Ninive* ſonat *ſpecioſam*. Atque ex hac notatione nominis illuſtratur Sophonias, cap. 2. nu. 13. *Perdet Aſſur, & ponet ſpecioſam in ſolitudinem.* In textu Hebraico, & apud LXX. legimus *Ninive*. Subditque Propheta nu. 15. *Hæc eſt civitas glorioſa habitans in confidentia, quæ dicebat in corde ſuo: ego ſum, &* 11 *extra me non eſt alia amplius.*

Fuit nimirùm hęc urbis reliquarũ omnium ab orbe condito, maxima, & celeberrima. Si antiquitatẽ æſtimes, fundata

eſt

est à Nino, qui Genesis 10. num. 11. dicitur Assur, hoc est, primus Assyriorum Monarcha, ut exponit Pererius tom. 2. in Genesim, lib. 15. disp. 5. num. 80. & Ribera Oseæ 5. num 36. & Ionæ 1. num. 4. Floruit autem Ninus annis quadraginta ante ortum Abrahæ, & ante Romam conditam plus mille trecentis. Lege Pererium loco indicato disp. 6. 7. & 8. Vnde & ipsa urbs à prophanis scriptoribus Ninus, vel Nina nominatur. De qua Herodotus lib. 1. Strabo lib. 16. Plinius lib. 6. cap. 13. Diodor. Siculus lib. 3. & Solinus cap. 60.

12 Si spectes magnitudinem, Genesis 10. num. 12. dicitur hæc civitas *magna*: & Ionæ 3. num. 2. *Vade in Ninive civitatem magnam*: & cap. 4. num. 11. *Non parcam Ninive civitati magnæ?* Et talis describitur à Diodoro lib. 3. ut nec antè, nec pòst habuerit parem. Ambitus enim erat sexaginta mille passuum, qui viginti leucas nostrates efficiunt: atque adeò amplissimam Hispaniarum urbem Hispalim, quater centies ambitu in orbem circumducto superabat. Refertur enim ab ijs, qui ductario fune accuratè dimensi sunt per otium Hispalis magnitudinem, murorum eius circuitum termille passus, hoc est, leucam integram patere. Enim verò si spatium aliquod circino descriptum, ac dimẽsum, vigesies in orbem extendas, Mathematicè constabit ad oculum, illud ipsum spatium incremento multiplicatum penè incredibili quater centies toto ambitu contineri.

13 Altitudo murorum Ninive erat pedũ centum, latitudo verò, qua tres currus simul incederent. Turres mille quingẽtę, singulæ altitudinis ducentorum pedum. Tanta autẽ fuit amplitudo eius intra mę-nia, ut tota vicatim obiri, & lustrari, non minùs triduo posset. Ionæ 3. num. 3. *Ninive erat civitas magna itinere triũ dierũ.* Vbi in textu Hebraico, & apud LXX additur *magna Deo*: in paraphrasi verò Chaldaica, *magna coram Deo*. Quia videlicet, non hominũ æstimatione duntaxat erat magna, sed re ipsa coram Deo singula momento suo ponderante: vel per vulgarem illam epitasim, qua dicuntur Psal 35. num. 7. *montes Dei*, id est, editissimi. Psalm. 79. num. 11. *Cedri Dei*, id est, celsissimæ.

Iam verò frequentia prorsus mirabilis 14
est. In ea reperiebantur plus quàm centũ viginti millia infantium, qui nondum per ætatem ratione uterentur, Ionæ 4. n. 11. Numerus autem infantium comparatione reliqui populi vix octavam partem solet obtinere. Vt ex eo conijcere liceat, ferè decies cẽtena millia habitatorum fuisse id temporis in ea urbe.

Dignitas, & amplitudo summa fuit: 15
erat enim caput florentissimi, ampliſsimique Imperij; Regia sedes Monarchiæ Assyriorum, quæ per annos mille trecentos, & circiter nonaginta propagata, quã diutissimè stetit ad Sardanapalum usq; Regem, sordidissimis flagitijs, ac mulierbri desidia, luxuque nobilitatum. In quẽ verò annum, cuiusvé Regis principatũ, iuxta chronologiam Hebræorum incideꝛit extrema clades, & vastitas huius urbis, res est magnis involuta difficultatibus; quam cùm accuratè, copioseque tractaverint Pererius tom. 2. in Genesim lib. 15. disp. 8. num. 94. Ribera Nahum 2. à n. 1. usque ad 37. Serarius Tobię 14. quæstiuncula 3. & 4. eò libenter remitto harum rerum curiosos indagatores.

Liber.

SOlus Nahũ suum vaticinium Libri 16
nomine inscripsit: cùm tamen hoc volumen tria brevissima capita non excedat. Suspicor, veram esse causam, quam attulit Mõtanus proœmio in Prophetas, pag. 17. Cæteri vates omnes, quæ, Deo inspirante, didicerant, ore tenus docuerunt: populosque ipsos, quibus erat aliquid enuntiandum, perlustrarunt. Etiam Ionas apud Ninivitas longè dissitos præsens legationem obijt. Nahum verò, nec Niniven adire, nec Ninivitas præsentem alloqui, sed scripto, & misso libro, impen

dentis

dentis iam exitij eos admonere iussus est.

Confirmat primò hanc coniecturam, quòd vaticinium Baruch, quia de scripto recitatum est ad aures Ieconiæ, & universi populi, Baruc. 1. numer. 3. liber etiam appellatur numer. 1. & 3. *Hæc verba libri, quæ scripsit Baruch.* Deinde vox Hebraica *Sepher*, & Latina *liber* in sacro sermone epistolam significat, tum aliàs sæpe, tum Isaiæ 37. num. 14. *& tulit Ezechias libros de manu nuntiorum, & legit eos.* Tigurina vertit, *epistolam.* Forerius, Pagninus, & Regia, *litteras.* Et Isaiæ 39. num. 1. *Misit libros, & munera ad Ezechiam*: quod explicatiùs legitur 4. Regum 20. num. 12. *misit litteras, & munera ad Ezechiam.*

Visionis.

18 VVlgare est in sacris literis Prophetas olim *Videntes* appellatos 1. Regum 9. num. 9. & 4. Regum 17. num. 13. & 1. Paralip. 29. nu. 29. Sic de Abraham testatur Christus Ioan. 8. nu. 56. *Exultavit, ut videret diem meum; vidit, & gavisus est.* & de Isaia Ecclesiasticus cap. 48. num. 27. *Spiritu magno vidit ultima.* Sic absens Eliseus vidit quasi præsens gesta à Giezi 4. Regum 5. num. 26. *Nonné cor meum in præsenti erat?* &c. Vnde & ipsa Prophetia visio nuncupatur.

19 Atque huius nomenclaturæ causam reddit Basilius in cap. 1. Isaiæ. Visus evidentissimam inter sensus obtinet cognitionem: illa enim, quæ oculis deprehẽdimus, nullo egẽt aut firmiore, aut graviore testimonio. Cùm ergo præsensio illa rerum futurarum, quam sancti Spiritꝰ afflatus vatibus impertit, longè sit certissima, ac testatissima: ut pote quæ à divinæ lucis radio, & splẽdore derivatur; & per evidẽtiam, quam vocant in attestante, Prophetis manifestissimè constat, iure optimo

20 visionis nomine exprimitur. Deinde, quia Prophetæ sancti erant, veluti populorum oculi, qui altissimum locum obtinentes, speculatorum munere fungebantur: ad eos spectabat, intentatum hominum cervicibus Divinæ iustitiæ gladium longè prospicere, & alto veterno consopitos terrore vocis excitare; ut sibi tandem præcaverent, & impendentem cladem, pœnitentia, & precibus averterent. Lege nostrum Pradum in Cõmentario Isagogico in Ezechielem sect. 1. & Riberam Oseæ 1. numer. 3.

Nahum Elcesæi.

21 NEscio, quid venerit in mentem Arię Montano, cur in hoc loco, & proœmio in Prophetas, pag. 13. adversaretur Hieronymo constanter affirmanti, se proprijs oculis vicum Elcese conspexisse, vix ruinis ipsis veterum ædificiorum vestigia indicantem: unde Nahum oriundũ esse, Maiorum traditio erat. Nam quod ait, in veteris; ac novi Testamenti geographia nusquã tale nomen reperiri, exigui momenti est ad communem hãc traditionem, Chaldęi præsertim auctoritate firmatam, audacter reijciendam.

22 Cur autem patriam obscuram, & ingloriam nomini adiunxit suo? fortasse, ut vel hoc ipso patriam illustraret. Fortasse etiam, ut ab altero Nahum secerni, & internosci posset. Sic distinguitur Simõ Chananæus à Simone Petro: ita nos, cùm Clementem citamus, nomen patriæ addimus, ut appareat, uter sit, Romanus ne, an Alexandrinus.

Numerus 2.

Deus æmulator.

23 QVO maiorẽ terrorem incutiat Ninivitis, luculenta hypotyposi, Dei fortitudinem, atque potentiam, zelo, & iracundia vehementer concitatam, ob oculos ponit: ut in animum tandem inducant, infensum se habere tale numen, cuius neque robur subterfugere, neque iracundiam sustinere, neque ictus eludere possint.

24 Habetur hîc Hebraicè *el canò*, id est,

fortis

fortis zelotes. Eadem ſcilicet verba, quæ una duntaxat litterula immutata, extant Exodi 20. num. 5. Eſt autem zelus, ſive æmulatio, (quod ad præſens attinet) vehemens quædam excãdeſcẽtia orta ex amore: qua exardeſcimus, cùm intuemur rem, quæ nobis cordi eſt, ab alio violari. Tunc nimirum incendimur iracundia, & rapimur ulciſcendi cupiditate. Sic Phinees Divinum honorem æmulatus, pugione cõfodit Iſraelitam ſimul cũ ſcorto: quod facinus egregium laudibus extulit ipſe Deus, Numeror. 25. nu. 11. *Quia zelo meo commotus eſt contra eos*: & num. 13. *Quia zelatus eſt pro Deo ſuo.* Sic Chriſtus Ioannis 2. num. 15. intuens domum Patris factam ſpeluncam latronum, accenſus zelo, cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes negotiantes eiecit, nũmulariorum æs effudit, menſaſque ſubvertit. *Recordati verò ſunt diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt: zelus domus tuæ comedit me.* Pſalm. 68. num. 10.

25 Eſt verò indignatio concitata ex zelo longè vehementiſsima, dura planè *ſicut infernus æmulatio,* Canticorum 8. num. 6. Inſtar enim voraciſsimi, atque adeò infernalis ignis, adurit ipſa præcordia, exeſt animum, adcòque furenter irritat, ut in rabiem impotentem efferatus erumpat: quia *zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima,* Proverb. 6. n. 34. Propterea, ſæpe in Scriptura zelus cum igne coniungitur. Pſal. 78. num. 5. *Accendetur velut ignis, zelus tuus.* Sophoniæ 1. num. 18. & cap. 3. num. 8. *In igne zeli eius devorabitur omnis terra.* Ezechielis 36. num. 5. & cap. 38. num. 19. *In igne zeli mei locutus ſum.*

26 Egregiè, ut ſolet, ponit hoc ob oculos Chryſoſtom. tom. 5. libro de Virginitate, poſt medium: comparat enim percitum zelotypia cum homine à dæmone obſeſſo. [Quod prælium, inquit, quam tẽpeſtatem cum huiuſmodi ſuſpicione, vel furore comparantes, eius imaginem perfectè conſequi poterimus? Cùm eo furore corripitur, nihilò meliùs afficitur, quàm qui aut agitantur à dæmonibus, aut mente capiuntur: adeò continenter effertur, inſultat, ſtomachatur.]

Et verò hunc zelum iracundiæ, ac furoris facibus efferveſcentem, Deo ſæpe attribuunt ſacræ litteræ. Ioſue 24. num. 19. *Fortis æmulator eſt,* (eadem habentur verba Hebraica, quæ hîc, & Exodi 20. nu. 5.) *nec ignoſcet ſceleribus veſtris.* Exod. 34. num. 14. *Dominus zelotes, nomen eius; Deus eſt æmulator.* Subeſt utrobique idem nomen *Cana.* Vertaſque ad verbum: *fortis zelotes* ipſe. Sed huius flagrantiſsimi zeli in furorem effuſi, violatumque ſuum honorem ulciſcentis, unus Ezechiel duo nobis præclara exempla ſuppeditat. Primũ cap. 5. num. 13. *Et complebo furorem meum, & requieſcere faciam indignationem meam in eis, & conſolabor: & ſcient, quia ego Dominus locutus ſum in zelo meo. Satisfarè a mi coraje, desfogarà mi zelo, y me vañarè en agua roſada de verlos padecer.* Lætabitur nimirùm Deus diſperdens eos, atque ſubvertens. Deut. 28. num. 63. 27

Alterũ ex c. 16. n. 38. *Et iudicabo te iudicijs adulterarum,* (Chaldæus: ſumam exte ultionem adulterarum) *dabo te in ſanguinem furoris, & zeli.* Perinde ac ſi dicat Deus: tam multis te vulneribus confodiã, quàm ſolent viri zelotypiæ furore perciti, vxores in flagranti adulterio deprehenſas trucidare. Addit num. 42. *Et requieſcet indignatio mea in te,* hoc eſt, cùm te videro crudeliſsima morte punitam, plagis atrociſsimis punctim, caſimque confoſſam, exaturabo ſemel indignationem meam. 28

Hunc zelum ſolent ſcelera in Deo cõcitare, maximè verò idololatria. Deut. 32. num. 21. *Ipſi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus.* Hebraicè *Kinuni.* Pagninus, & Regia, *ipſi me zelare fecerunt.* Sic enim intelligendum eſſe verbum, *provocare,* oſtendit ipſe Vulgatus, Ezechielis 8. num. 3. *ad provocandam æmulationem.* Pſa. 77. num. 58. *in ſculptilibus ſuis ad æmulationem eum provocaverunt.* Oſeæ 12. n. 14. *Ad iracundiam me provocavit Ephraim in* 29

amari-

amaritudinibus ſuis: ideſt, in idolis, quæ vocantur amaritudines, quia amariſsimum zelum afferunt ſpõſo dulciſsimo. Cap. 14. num. 1. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deũ ſuum. A hecho a Dios de hiel.* Enim verò Aſſyrij, cùm anili idolorum ſuperſtitione deluſi, fœdiſq; flagitijs contaminati, tum in Dei populũ, quem ipſe in oculis geſtabat, bellis atrociter inſũltantes, & plus nimio ſuperbientes, ardentem Dei zelum concitaverant. *Zelatus eſt enim Dñs terram ſuam*, Ioelis 2. n. 18. Etſi enim Aſſyriorum potentia, tanquam virga, uſus eſt indulgentiſsimus Dominus ad coercendũ ſuum populum, & in officio continendum: ſed illi victorijs inflati inſolenter ſe geſſerunt, rabiẽq; ſuam, & crudelitatẽ ſanguine exſaturarunt. Zachariæ. 1. num. 14. *Zelatus ſum Hieruſalẽ, & Sion zelo magno: & ira magna ego iraſcor ſuper Gentes opulentas, quia ego iratus ſum parum, ipſi verò adiuverunt in malum.* Lege cap. 10. Iſaiæ à num. 5. *Væ Aſſur, virga furoris mei*, &c.

30

Et ulciſcens Dominus: ulciſcens Dominus, & habens furorem: ulciſcens Dominus in hoſtes ſuos.

31 TRiplex iſta repetitio, qua formidãdum ultoris nomen hoſtibus intentatur, ad exaggerandam Divinæ vindictæ ſeveritatem ſpectat. Hanc enim vim habet ternarius numerus, ut ex celebri illo triſagio, Iſaiæ. 6. num. 3. & ex profanis etiã Scriptoribus deducit Ribera Amos 1. num. 13. Pineda tom. 2. in Iob. c. 33. verſ. 30. & Maldonat. Matth. 26. n. 44. Senſus itaque eſt: ſint Aſſyrij nunc ſanè, ſint metu liberi, ſint ſoluti. Dabunt tamẽ aliquando pœnas tantò graviores, & atrociores, quantò diuturnior eis fuerit impunitas conceſſa. Lento ad vindictã gradu divina procedit ira, ſed ultionis tarditatem, ſupplicij gravitate compenſat: Eccleſiaſt. 5. num. 4. *Altiſsimus enim patiẽs*

32

eſt redditor: & num. 3. *Deus enim vindicãs vindicabit.* Ierem. 51. num. 56. *Quia fortis ultor Dominus reddens retribuet.* Eius etiam eſt illa vox horroris plena, Deut. 32. num. 35. & ad Roman. 12. num. 19. *Mea eſt ultio, & ego retribuam in tempore*: ſcilicet, opportuno, ſapiẽtiſsimẽque prefixo, alto providentiæ Divinæ conſilio.

Hanc ulciſcendi ſeveritatem ponit etiã ob oculos Regi? Vates Pſalm. 93. num. 1. *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum.* Vbi non ſolùm eſt iterata repetitio, ſed appoſitus etiam gignendi caſus numeri multitudinis, quem mirè valere ad amplificandum, & ſuperlativi locum obtinere, probat Ribera Oſeæ. 1. num. 26. Sic Pſ. 54. num. 24. *viri ſanguinum*, ideſt, maximè ſanguinarij. Et Iſaię 53. num. 3. dicitur Chriſtus *vir dolorum*, ideſt, ſummis, & acerbiſsimis doloribus excruciatus.

33

Arbitror etiam pertinere hanc repetitionem ad excitandos torpentes legentiũ animos, ut ſeriò tandem animadvertant, rem eſſe ſummi momenti, quam à Propheta vident toties inculcari, & quaſi repetitis ictibus in cordibus altè defigi.

Et habens furorem.

34 LActantius Firmianus lib. de Ira Dei, per multa capita contendit, iram in Deum propriè cadere. Sed eam ipſe definit arbitratu ſuo cap. 17. *Eſt motus animi ad coercendum peccata inſurgentis.* Cæterùm germana iræ definitio tradita eſt ab Ariſtot. lib. 1. de Anima cap. 1. text. 16. *Ira eſt appetitio doloris viciſsim adverſario inferendi.* Vnde qui iraſcitur, priùs ſenſit dolorem ab alio ſibi inuſtum, quem ipſe nititur rependere: ſed Deus, etiam ſi peccatis offendatur, longiſsimè abeſt à dolore; non ergo cadit in eum ira. Dicitur verò ſuccenſere ſceleribus, quia perinde ſe gerit, ac ſi eſſet iratus. Auguſt. lib. de Patientia cap. 1. [Abſit, ut impaſsibilẽ Dei naturam perpeti ullam moleſtiam ſuſpicemur: zelat ſine aliquo livore: iraſcitur ſine aliqua perturbatione.] Chryſologus

sermone 45. [Ira Dei est, delinquentium pœna: furor Dei est, supplicium peccatorum.] Vide Gabrielem Vazquez to. 1. in primam partem disput. 84. cap. 4. Pinedam tom. 2. in Iob. c. 19. vers. 11.

35 Et quidem omnis ira furor existimatur, quia hominem de gradu deijcit, ac dementis sanitate deturbat. Horatius lib. 1. Epistola 2. *Ira furor brevis est.* Cicero Tusculana. 4. *An est quicquam similius insaniæ, quàm ira?* Basilius homilia 10. de Ira: *ira est momentanea insania.* Sed furor est einsmodi excandescentia, qua inflammati adeò præcipites rapiuntur, ut meritò insanire, ac furere videantur. Et plerumque diu oppugnata patientia erumpit in furorem: iuxta celebrem illam Mimographi sententiam, quam refert Macrobius lib. 2. Saturnalium, cap. 7. *Furor fit læsa sæpius patientia.* Mitissimus ille David, cum semel excanduit, omnem penè humanitatem exsuit. 2 Regum. 12. num. 31. *Populum serravit, & circumegit super eos ferrata carpẽta, divisitque cultris, &c.* Quò progrederentur longiùs humani sanguinis exsorbendi sitientissimi?

36 Dei ergo longanimis patientia, cùm flagitijs lacessita, aliquando tãdem excandescit, ea sumit de sontibus supplicia, quæ furentes stomacho vix inferrent. An non furor videbitur, pro consensu momentaneo in fœdam libidinem, homulum flammis addicere sempiternis cruciandum? Isaiæ 30. num. 27. *Ardens furor eius, & gravis ad portandum: labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius, quasi ignis devorans: spiritus eius, velut torrens inundans.* Intuere Dei furentis iracundiam vivis coloribus expressam. Nec minùs significanter. Psalm. 77. num. 65. *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potẽs crapulatus à vino: & percussit inimicos suos in posteriora.* Hebraica veritas: *tanquam potens, sive gigas clamans præ vino.* Instar scilicet bacchantis, atq; furentis, inconditos clamores edens, iracundiæ indices. Hieronymus vertit. *Quasi fortis post crapulam*; vinum enim largiter epotum, ut cecinit Horatius libro 1. Epistola 5.

Spes iubet esse ratas, in prælia trudit inermem.

Et ab Ecclesiastico cap. 31. num. 40. Rectè omnino ebrietas cum animositate coniungitur. Vbi significanter Græca sic habent: *Plethyni thymon methe.* Idest, *furorem, & animos multiplicat ebrietas*: sensus itaque Psalmographi est. Irritatus, ac furens Deus instar temulenti, nullo habito delectu, seu discrimine personarum, plagis etiam aversis obvios quosque contrucidat.

Atque hic etiam est sensus litteralis illius difficillimi loci, Deuter. 29. num. 19. 38
Et absumat ebria sitientem, & Dominus non ignoscat ei. Hebraicè, *ut addat ebriam cum sitiente.* Adagialem Hebraismum illustrarunt LXX: *ut non simul perdat peccator eũ, qui sine peccato est. Para que no paguen justos por pecadores.* Vel quemadmodùm legit Augustinus, quæst. 52. in Deuteronomium, suppositum verbi faciens ipsum Deum. *Vt non simul perdat peccatorem, & eum, qui sine peccato est.* Perinde itaque est, ac si dicat. *Si Dios comiença a castigar, a todos los lleva à hecho; apenas vale el ser bueno para escapar se.* Lege Pinedam tomo 1. in Iob. cap. 2. vers. 9. & Delrium tom. 1. Adagio 138. & quæ adnotabimus infrà num. 3. ad illa difficillima verba, *mundans non faciet innocentem.*

Et irascens ipse inimicis suis.

VErbum Hebraicum *natar* significat 39
custodire, servare. Canticorum 1. num. 6. *Vineam meam non custodivi.* Hebraicè *nataрti.* Propriè itaque vertit hîc Pagninus, & Regia: *reservans ipse inimicis suis.* Scilicet iram, ultionem, atque supplicium; ea phrasi, qua Hispanè dicimus, *el se la tiene guardada a sus enemigos.* Observat nimirùm Deus opportunitatem, ut in hostes vindictam effundat. Scitè reddit Vatablus, *iniuriarum memor adversus hostes suos.* Nam etiam si non statim ulciscatur Deus, manent tamen alta mente reposta

37 hostium

hostium suorum scelera. Ieremiæ 3. nu. 5.
40 *Numquid irascetis in perpetuum?* Pagninus, *reservabis?* Tigurina: *numquid iram in perpetuum retinebis?* Vbi subest idem Hebraicum verbum: & num. 12. *Quia sanctus ego sum, dicit Dominus, non irascar in perpetuii.* Hebraicè item, *non reservabo.* Psalm. 102 num. 9. *Neque in æternum comminabitur.* Vertit Genebrardus, *non semper servabit.* Hoc est, non erit memor iniuriæ acceptę; eam remittet, atque ultionis obliviscetur Sic enim illustrat Vulgatus idem verbū, *natar.* Leviticì 19. num. 18. *Nec memor eris iniuriæ civium tuorum.*

41 Sensus itaque Prophetæ erit. Nolite ô Assyrij, aculeos Divinę severitatis, qui reconditi sunt, excussos arbitrari. Hebescit quidem ferri acies, tanquam in vagina recondita: sed illucesceat aliquando dies ille, cùm districtus ultionis divinæ gladius horrendas strages edet. Reservat Deus, & condit quasi in sacculo delicta, opportuno tempore punienda. Deutero. 32. num. 34. *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* Ecclesiast. 28 num. 1. *Peccata illius servans servabit.* Iob. 14. n. 17. *Signasti quasi in sacculo delicta mea.* Hi sunt cumulatissimi iræ thesauri, quos sibi thesaurizant impij, ad Romanos 2. num. 5. & Iacobi 5. num. 3.

42 Vulgatus autē egregiè illustravit Hebraismum; tunc enim maximè irascitur Deus, cùm iram comprimit, supplicium-que reservat, ad Roma 9. num. 22. *Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum.* Psalm. 77. n. 21. ubi in textu Hebraico habetur ad verbū, *ideo audivit Dominus, & iratus est.* Et Symmachus vertit, *echolothe. Cholera exarsit:* Psalterium Illyricum, referente ibi Lorino, *excanduit:* notabili versione reddiderunt LXX. *anebaleto.* Est autem *anaballesthæ*, prorogare, differre, procrastinare, ut constat ex illo celebri apophthegmate Alexandri Magni, qui rogatus quomodò tam brevi totum orbem sub ditionem, potestatemque suam redegisset; respōdisse fertur: *meden anaballomenos*, id est, nihil procrastinando. Lege Alciatum, Emblemmate 3. & Auctorem Thesauri Græcæ linguæ, tom. 1. columna 672. Sciēter itaque Vulgatus vertit in hoc loco ex 43
Editione LXX, *ideo audivit Dominus, & distulit.* Addit Cassiodorus, *& superposuit.* Explicatque de dilata vindicta, ac proinde suppliciorum cumulo, etiam atque etiam aucto. Quò item spectat locus alter, Psalm. 88. num. 39. *Tu verò repulisti, & despexisti; distulisti Christum tuum.* Vertit Hieronymus ex Hebræo: *iratus es adversus Christum tuum.* Scilicet semen David, ut explicat ibi Genebrard. Vtrobique subest significantissimum verbum originale, nempe *habar* in coniugatione *hithpael*, quod propriè vertas, *se ipsum trāsilire, & quasi modum in ira excedere.* Tūc enim supra modum Deus excandescit, cùm sinēs peccata peccatis cumulari, iram differt, suppliciumque procrastinat. Egre- 44
giè enim ait August. serm. 37. de Verbis Domini. [Magnæ misericordiæ est, nequitiæ impunitatem non relinquere; nam ne cogatur in extremo Gehennæ damnare, modò flagello dignatur castigare. Vis nosse nulla pœna, quanta sit pœna? Davidem interroga, qui ait (Psalm. 9. num. 4.) *irritavit* (Vulgata legit, *exacerbavit*) *Dominum peccator.* Quare hoc dixisti? Vide, quid sequitur: *secundum multitudinem iræ suæ non quæret.* Ideo nempe non requirit, quia multùm irascitur. Parcendo cædit, sed iustè cædit.] Hieronymus in illud Eze- 45
chielis 16 num. 42. *Et auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius.* [Ex hoc perspicimus, inquit, grandē offensam esse, nequaquam curæ haberi à Deo, sed permitti hominem sceleribus suis.] Ardētiùs vero in eadem verba Bernardus, sermone 42. in Cantica. [Solo auditu contremisco. Ego, inquit Deus, quos amo, castigo. Si ergo te zelus deseruit, & amor; neque eris amore dignus, qui indignus castigatione censeris. Vides, quia tunc magis irascitur Deus, cùm non irascitur.] Nimirùm altè in cordibus defixerant hi

Patres insigne illud axioma 2. Machab. 6. num. 13. *Etenim multo tempore non sine re peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficij est indicium.*

46 Suspicantur nonnulli, in hanc itidem sententiam esse intelligenda verba illa superiora, *& habens furorem*, id est, continens, sive coercens furorem erumpentem, reservansque in posterum vindictam. Vox enim originalis *bahal*, significat *Dominum*. Proverbiorum 23. numero 2. *Si tamen habes in potestate animam tuam.* Hebraicè. *Si Dominus animæ tuæ sis.* Genesis 37. numero 19. *Ecce somniator venit.* Hebraicè. *Dominus somniorum.* 1. Regum 28. numero 7. *Quærite mihi mulierem habentem pythonem.* Hebraicè: *Dominam pythonis.* Itaque congruenter huic explicationi vertit hîc Regia, *compos iræ.* Vatablus, *Dominus iræ.* *Es Dios Señor de si: sabe tener a raya la ira, y darse vado, quando conviene.* Pro-

47 babilis sanè explicatio: sed obstat illi, facitque pro planiore intelligentia, quòd eamdem locutionem Hebraicam, Proverbiorum 22. numero 24. & cap. 29. numero 22. vertit noster interpres, *vir iracundus, & qui ad indignandum facilis est.* LXX. verò, *aner thymodes, Kæ orgilos*, id est, vir furiosus, & iracundus: & in isto loco Nahum, *meta thymu*, id est, cum furore.

Numerus. 3.

Dominus patiens.

48 REddit Propheta causam, cur Deus ultionum cùm sit, ultionem tamdiu, supplicumque reservet. Eadem causa redditur Psalm. 7 numero 19. *Deus iudex iustus, fortis, & patiens: numquid irascitur per singulos dies?* Atque hæc eximia Dei patientia, cùm multis nominibus admirãda sit, tum præcipuè, quòd etiam si abutantur ea impij ad obfirmandum se in flagitijs, malit tamen Deus vel cum iactura suæ existimationis, eam retinere Psalmo 9. numero 34. *Propter quid irritavit impius Deũ? Dixit enim in corde suo: non requiret. Quia egoracens, & quasi non videns*, ait ipse Deus, Isaiæ 57. numero 11 Propterea videlicet *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, Psalmo 13. numero 1. Hebraicè, *non est iudex.* Vt vulgò dicere solemus, cùm passim homicidia, & furta perpetrantur: *no ay justicia en Granada.* 49 Cõsentaneè Cicero refert lib. 3. de Natura Deorum, Dionysij Tyranni audaciam, corroboratam impunitate diuturna, se se proiecisse ad quælibet obeunda facinora. Cùm enim fanum Proserpinæ expilavisset, navigabat secundissimo vento, tum ridens, *Videtis ne*, inquit, *amici, quam bona à Dijs immortalibus navigatio sacrilegis detur?* Ita egregiè perpendit Tertullianus libro de Patientia, cap. 2. eò usque Deum esse longanimem in sustinendis sceleratis, [Vt sua sibi patiẽtia detrahat. Plures enim Dominum idcirco non credunt, quia sæculo iratum tamdiu nesciunt.] An verò de Deo semper dicatur in Scriptura *macrothymia*, id est, *longanimitas*, tractat eruditè Lorinus. Ecclesiast. 8. num. 12. Psalmo 85. numero 15. & 1. Petri 3. numero 20.

Reperiuntur hîc duæ illæ Hebraicæ voces, *erec apaïm*, quas verbum è verbo exprimas, *longus, seu latus naribus*. Quo nomine sæpe Deus compellatur. Exodi 34. numero 6. Numerorum 14. numero 18. Psalmo 85. numero 15. & Psalmo 144. numero 8. Ioelis 2. numero 13. Ionæ 4. numero 2. Quibus in locis constanter vertit Vulgatus, *patiens*. LXX. *macrothymos*, idest, *longanimis*. Quomodò etiam extulit Latinus interpres, Psalmo 102. numero 8. Nos Hispani frequenter usurpamus Hebraismum. *Es ancho de narizes, que ni se atufa, ni se le sube luego la mostaza.* Contrà verò Proverb. 14 nu. 17. 51 ubi legimus, *impatiens operabitur stultitiã*,

habetur Hebraicè, *brevis, seu angustus naribus: hombre de chica, y angosta chimenea.* Rationem ducunt ex intima Philosophia Castro, & Ribera hîc, Arias Montan. Ioelis. 2. pag. 248. Pineda tom. 1. in Iob. cap. 10. vers. 8. num. 18. In ira enim sanguis effervescit circa cor, & quò latiora sunt nasi foramina, eò plus frigidi aeris respiratione trahi potest, ad refrigerandum cordis æstum: qui verò angustis naribus sunt, fumos ex corde ascendentes propter meatuum angustias, & citiùs concipiunt, & tardiùs efflant.

52 Atque hinc est, in arcano sermone vocem *ap*, & nasum, & iram significare: quia videlicet nasus est, ubi præcipuè apparet iracundia. Vnde illud Psalm. 2. numer. 5. *tunc loquetur ad eos in ira sua*, vertit Regia, *in naso suo*. Quod innumeris alijs locis itidem facit. Hinc etiam Deus excandescens ira dicitur fumum è naribus efflare. Quod enim legimus Psalm. 17. numer. 9. *Ascendit fumus in ira eius*; ubi etiam Regia, *in naso eius*: expressit Vulgatus 2. Regum 22. num. 9. *ascendit fumus de naribus eius*. Sic Deuteron. 29. numer. 20. *& Dominus non ignoscat ei, sed tunc quàm maximè furor eius fumet.* Hebraicè, *nasus eius fumet.*

53 Atque hæc vel præcipua nota est animosi, ac præferocis equi. Iob 39. nu. 20. *Gloria narium eius terror.* Quod eleganter cecinit Poeta Latinus. 3. Georgicorum.

Collectũq; premẽs volvit sub naribus ignẽ.

De tauris verò Ovidius lib. 7. Metamorphoseon:

Ecce Adamãtæis Vulcanũ naribus efflãt.

Et de Leviathã luculenter ipse Deus, Iob 41. num. 11. *de naribus eius procedit fumꝰ, sicut ollæ succensæ, atque ferventis.* Pete alia exempla ex nostro Radero ad ea verba Martialis lib. 6. Epigrammate 45.

Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.

Et magnus fortitudine.

54 THeophilactus ita connectit hæc verba cum superioribus. [Atqui Deus longanimis, & patiens super iniquitates peccantium, ob imbecillitatem hoc non facit; ingens enim robur eius est.] Eadem est sententia Theodoreti; in quam inclinat etiam Ribera perlevi momento impulsus, cùm etiam ipse exponat coniunctionem & sensui adversativo: cuius locutionis exempla congerit Guevara Habacuc cap. 1. num. ultimo.

55 Assentior potiùs Hieronymo, qui ait in Commentario. [Diu quidem sceleris Assyriorum patiens fuit, & magnanimitatis suæ fortitudine, iniquitates eorum sustinuit.] Figurinam versionem, quæ sic habet, *magnus potentia*, in hanc sententiam exponit Vatablus. [Quia videlicet non ducitur Deus ira impotente, more hominum; sed iracundiam potest cohibere, quandiu velit, opportuno tempore puniturus.]

56 Et quidem etiam apud profanos egregia fortitudo existimata est, iræ victoria. Eleganter hoc persequitur eloquentię Parẽs in oratione illa pro Marco Marcello, ubi inter alia. [Hodierno verò die te ipsum vicisti. Vereor, ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi possit, atque ego ipse cogitans sentio. Ipsam victoriam vicisse videris, cùm ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti. Nam cùm ipsius victoriæ conditione iure omnes victi occidissemus, clementiæ tuæ iudicio conservati sumus.] Luculentum item est 57 exordium, quo Valerius Maximus lib. 3. connectit caput secundum de Patientia cũ priore de Fortitudine. [Egregijs operibus fortitudo se oculis hominum subiecit: patientiamque in medium procedere hortata est; non sanè infirmioribus radicibus stabilitã, aut minùs generoso spiritu abundantẽ; sed ita similitudine iunctã, ut cũ ea, vel ex ea nata videri possit.] *Parece-*

sele

sele tanto; que o es hermana, o hija de la fortaleza.

58 Sed quid sectemur humana testimonia, ubi suppetunt Divina? Proverb. 16. num. 32. *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium.* Regia vertit ad verbum Hebraica, *bonus latus naribus præ forti.* LXX. *melior vir longanimis forti.* Illustrant verò ijdem LXX. secundam partem, *Kæ cratón orges*, ideſt, *qui continet iracundiam*: hoc scilicet est, animo suo dominari: ertimpentem iracundiæ furorem coercere. Vbi etiam notandum est, quod paulò antè observavi, quoties legimus in Hebræo, *longus, sive latus naribus*, quod expressit Vulgatus, *patiens*; verterunt LXX. *macrothymos*, ideſt, *magnanimus, sive longanimis. Apellido proprio de fuerte.* Sic prima Corinth. 13. num. 4. *Charitas patiens, est*, Græcè, *macrothymi*, magnanima, & longanimis, est. Quod expendit Chrysostomus homilia 33. in eum locum; [Longanimis idcirco vocatur Charitas, quia longum, & ingentem animum habet.]

59 Contrà verò Proverb. 14. num. 29. *Qui patiens est* (Græcè item, magnanim⁹) *multa gubernatur prudentia. Qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.* Impatiens dicitur Hebraicè *angustus naribus, brevis spiritu*; *hombre de chica chimenea, que luego se atufa.* Sed significantissimè verterunt LXX. *Oligopsychos*, ideſt, *pusillanimis, covarde, amilanado.* Nam re vera solus patiens est fortis, & magnanimus; impatiens autem imbecillus, & imbellis: rectè itaque copulatur utraque virtus. Iob. 4. num. 6. *ubi est fortitudo tua, patientia tua?*

60 Age verò, propiùs ad Deum ipsum accedamus. Psalm. 7. num. 13. *Deus fortis, & patiens.* Sed est insignis locus, & qui præsentem maximè illustrat, in lib. Numer. cap. 14. Nititur ibi Moyses Deo persuadere, ut quantumvis ingratitudine, & flagitijs illius populi irritatus, eos meritò deserere, ac funditus perdere posset in vasta illa solitudine: nihilominùs tamen memor sit benignitatis, & patientiæ. Consulat certè existimationi suæ, & ad promissam terrā, salvos, incolumesque perducat. Ait itaque Deum ipsum alloquens, num. 17. *magnificetur ergo fortitudo Domini.* Subest ibi verbum Hebraicum, *gadal*; unde ductum nomen *gadol*, quod hîc reperitur: notatque Oleaster in Commentario illius loci, quòd propriè significat, *crescere, augeri*, seu *magnificari.* Tunc verò quasi crescit, & exaggeratur Divina fortitudo, (accommodatè videlicet ad nostrum captum,) cùm hostes valentiores expugnat: perinde itaque est, ac si dicat Moyses. Hactenùs tibi, ò Deus, cum Ægyptijs, cum mari, cum fluminibus res fuit. Nullo negotio ista superasti: exere tandem tuum valentissimum brachium, ostenta invictissimum robur, *magnificetur fortitudo Domini*; tua enim ira iustè concepta tibi superanda, & cohibenda est. Hanc esse intelligentiam litteralem, apertè convincitur ex ratione, quam continuò subiungit Moysus: *Sicut iurasti dicens: Dominus patiens, & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem, & scelera.* Contendit enim Deum suis verbis obligare: ut qui se longanimem, & patientem toties prædicaverat, re ipsa ostenderet, & furorem suū meritò erumpentem fortitudine exaggerata comprimeret. 61

In hanc sententiam canit Ecclesia, 62
Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas. Iuxta illud Sapientiæ 11. num. 24. *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* & ad Roman. 9. num. 22. *Volens notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia.* Vbi Chrysostomus homil. 16. [Non vult Deus suum robur per supplicium innotescere.] Tunc, scilicet omnipotens robur, & infinita gloria Domini vel maximè illustrantur, cùm conceptam coercēs iracundiā peccatoribus ignoscit. Quod manifestissimè constat ex illo ipso 63

cap. 14. lib. Numer. Cùm enim Deus victus ardentissimis Moysis precibus dedisset tandem manus, & flagitia rebellis populi, suppliciumque benignè condonasset, sic ait num. 20. *Dimisi iuxta verbum tuum: vivo ego: & implebitur gloria Domini universa terra.* In quem locum luculentus est Oleastri Commentarius [Audi, quæso, qua gloria vult Deus omnem terram impleri; non gloria potentiæ suę, qua cuncta creavit: non sapientiæ, qua cuncta prudentissimè gubernat: sed misericordiæ, qua indefessè peccata remittit.]

64 Ipsa itaque Dei misericordia absolutè *gloria* nominatur. Ad Roman. 3. num. 23. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis.* Vbi Strabus, *gloria Dei*, ideſt, *indulgentia, & venia peccatorum.* Lege Div. Augustin. tom. 3. libr. de Spiritu, & Littera cap. 9. & Pererium in cap. 3. ad Roman. disput. 12. num. 53.

65 Sed redeo ad illud singulare certamen, in quo de Divina iracundia victrix evadit fortitudo patientię: quod graphicè depingitur Psalm. 77. Qui est, quasi commentarius illius cap. 14. lib. Numeror. *Quoties*, inquit, *exacerbaverunt eum in deserto, in iram concitaverunt eum in inaquoso?* Sed videlicet excandescentem iram, & adsumendum supplicium iam iamque erūpentem fortitudo Divina repressit: num. 38. *Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non disperdet eos: & abundavit* (Hebraicè, *multiplicavit*, ideſt, magnificavit fortitudinem) Ac in quem hostem aciem direxit? continuò id explicat Propheta Regius, *ut averteret*, inquit, *iram suam, & non accendit omnem iram suam.* Excitatas nimirùm iracundiæ Divinæ flammas, patientiæ, & fortitudinis flabello restinxit. Eòdem refert Genebr. Psalm. 89. num. 15. verba illa, *dexteram tuam sic notam fac.* In perferenda videlicet nostra miseria, in comprimenda tua iustissima iracundia.

66 Ac solet nonnunquam Deus acerrimum hoc certamen detrectare, & subterfugere, perinde ac si timeat (ut de Divina illa natura humano loquamur more,) ne misericordia, clementiaque sua, iracundiæ furore vincatur. In hāc sententiā explicat Hieronym. verba illa Isaiæ. cap. 59. num. 2. *peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis.* [Avertit, inquit, Deus faciem suam, ne eorum turpitudinem cerneret, & statim percutere cogeretur.] Quem benignissimum Dei affectum illustrat ibi noster Gaspar Sanctius exemplo parentis indulgentissimi, qui filium in oculis fert, & alioqui impotens iræ solet esse, & plus nimio furori indulgere: consulens is nimirùm paternæ benignitati, non vult audire, neque videre flagitium indignè commissum à filio, ne eius indignitate commotus, & erumpenti furori intemperanter obsecutus, in filium atrociter, immaniterque desæviat. Iuxta clementissimum illud Cæsaris factum, omnes coniuratorum epistolas simul exurentis: quod tantopere celebrat Seneca lib. 2. de Ira cap. 23. *Gratissimum enim putavit genus veniæ*, (adde etiam tutissimum) *nescire, quid quisq; peccasset.* 67

Eòdem spectant teste D. Augustino quęstione 150. in Exodum, verba illa Dei, non tam ex odio illius gentis, quàm ex singulari clementia profecta: Exod. 33. n. 3. *Non ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es, ne fortè disperdam te in via.* Gravissimus videlicet est, acerrimusque conflictus, & in quo solet interdum, quasi de victa Divina misericordia, iustè concepta iracundia victoriam reportare. 68

Describitur hic conflictus apud Isaiam cap. 57. numer. 16. *Non enim in sempiternum litigabo* (Hebraicè, iurgabor, confligam) *neque usque ad finem irascar*, (ideſt, supplicium reservabo, ut paulò antè probavi) Nimirùm laboriosum est Deo perpetuò coercere suam iracundiam ad supplicium exardescentem, ut ipse testatur Ieremiæ 6. num. 11. *Furore* 69

Domi-

Domini plenus sum. Hoc est, furore magno,
70 ac vehementi, ex Hebraismo illo vulgari, quo identidem ad aliquid exaggerādum genitivus *Dei* appositi vicem subit, ut rectè ibi exponit Maldonatus. Subiungit verò Deus, *laboravi sustinens*. Quæ verba explicat idem Maldonat. perinde ac si dicat Deus: iam non possum me continere. Quid ergo, ô summe Deus, faciendum tibi est? Dabo manus, effiabo scilicet iracundiæ ardorem. Subdit itaque Isaias: *quia spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam. Respirarè, y desfogarè la colera, que me abrasa*. Iam perpende, quanta fortitudine opus sit ad superandam iram, quæ ita coarctat Deum, in angustumque deducit: & videbis, iure optimo attexuisse Nahum, postquàm Deum latum naribus appellavit, *& magnus fortitudine*.

Et mundans non faciet innocentem.

71 LOcus est cùm Hebraismo difficilis, tùm verò sententia secum ipsa minimè in speciem cohærente perobscurus.

Primò igitur ita exponit Cyprian. Cisterciensis. Quanvis Deus infinita sua omnipotentia totam naturam labefactare possit, & scelera citra dolorem, pœnitentiamque remittere: tanta verò est illius æquitas, ut semel statutam, & promulgatam legem de sceleris remissione nunquam abrogaverit, aut innocentem quempiam duxerit, quem peccati conscientia accusat. Frigida sanè explicatio, & à Prophetæ instituto longissimè abhorrens.

72 Secunda expositio est Theodoreti, Hieronymi, Vatabli, Montani, Riberæ, Hectoris Pinti, Figueiri, atque Palatij. Deus quidem sustinens in multa patientia impios, non castigando videtur iustificare, atque mundare eos, quos Deus tam iustus non punit: sed profectò tacens, & diu ferens, sontes supplicio non liberat: neminem enim sceleribus contaminatū impunè abire patietur. Vt sit Horatianū illud libro 3. Ode. 2. *Rarò antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudo*. Hæc expositio, & aptè quadrat contextui, & sententiam continet dignam Propheta: & confirmari potest, quia LXX. Exodi 34. numero 7. reddiderunt. *Et reum non purificabit*. Et Numerorum 14. num. 18. *& mundatione non mundabit reum*. Habentur autem utrobique eadem prorsus, quæ hîc subsunt, verba Hebraica.

Sed antequàm meam sententiam pro- 73
feram, observandus est in primis Hebraismus in sacro sermone frequentissimus: bis enim inculcatur continenter in Hebraico textu idem ipsum verbum: & licèt Vulgatus sectatus copiam variè illud verterit; sed non minùs commodè eodem item verbo Latino repetito vertere potuisset. *Mundans non mundabit*; aut, *innocentem faciendo non faciet innocentem*.

Sciendum itaque est, ge minationem 74
huiusmodi frequentari in sacra Scriptura ad exaggerandum, amplificandumque, quod dicitur. Cùm autem primum verbum, quod geminatur, in nativa lingua semper infinitivus sit, variè illud interpretes illustrant; modò videlicet efferunt participio, ut Psalm. 39. numero 9. *Expectans expectavi Dominum*: nonnunquam etiam nomine, Matth. 13. num. 14. ex Isaiæ 6. numero 9. *Auditu audietis, & non intelligetis*. Sæpius verò enuntiatur per gerundium: Actuum 5. num. 28. *præcipiendo præcepimus vobis*.

Iam quod ad genuinum sensum at- 75
tinet, mihi videntur LXX. paucissimis verbis huius loci intelligentiam asseruisse: sic enim reddiderunt. *Innocentem non faciet innocentem*. Eorum sensum luculenter exposuit Theophilactus: *innoxium*, inquit, *sine noxa non dimittet; etiam sine noxa existens non erit citra noxam*. Theophilactum sequitur Oleaster in c. 34. Exodi: erit igitur hæc sententia.

Deus quidem patientiſsimus eſt, & ſceleratos quàm diutiſsimè ſuſtinet: at cùm eius invicta patientia, flagitijs irritata, ad ſupplicium tandem excandeſcit, inſontes æquè, ac noxios furenter penè contrucidat. An impius ſibi, ô Aſſyrij, impunitatem pollicebitur, ubi iuſtus vix ſalvabitur? Vbi ne infans quidem unius diei innocens reperietur? Vide ad confirmationem huius ſenſus, quæ adnotavi ad illa verba, *& habens furorem.*

76 Lucem afferunt huic explicationi verba Hebraica: *ve naque lo ienaque*, quæ ſic geminata ſexies mihi contigit reperire in Scriptura: videlicet hîc, & Exodi 34. n. 7. Numerorum 14. nu. 18. Ieremiæ 30. n. 11. & cap. 46. num. 28. & cap. 49. num. 12. Variéque illa vertunt, qui verbum exprimunt è verbo. Oleaſter citatus, *innocentando non innocentabit.* Regia, Exod. 34. num. 7. *purificando non purificabit.* & Ieremiæ 46. num. 28. *liberando non liberabit.* Pagninus, Numeror. 14. num. 18. *mundando non mundabit.* Hîc verò: *impunè iudicando, impunè non iudicabit.* Vatablus denique: *abſolvendo non abſolvet.*

77 Sed omnium optimè, & elegantiſsimè illuſtrat ea Vulgatus varijs in locis. Nam verbum *nicá*, propriè ſignificat immunē, innoxium, ſeu innocentem facere: ſupplicio abſolvere. Vnicus liber Proverb. plurima nobis ſuppeditabit exempla. Crebrò enim repetitur in coniugatione Niphal *lo iinaque.* Proverbior. 6. num 29. cap. 11. num. 21. cap. 16. num. 5. cap. 17. num. 5. cap. 19 num. 5. & 9. cap. 28. num. 20. Quę variè, ut ſolet, illuſtrat Vulgatus: *non erit mundus, non erit innocens, non erit impunitus.* Conſentaneè huic proprietati verbi

78 expoſuit etiam Latinus interpres locum illum perſimilem, Ieremiæ 49 num. 12. *Et tu quaſi innocens relinqueris?* Vbi Pagninus. *Immunis exiſtendo, immunis eris?* Regia: *& tu liberando, liberaberis?* Sic Exodi 21. num. 19. *innocens erit.* Et Numerorum 5. num. 31. *abſque culpa erit.* Et aliàs ſæpe.

79 Hæc igitur eadem prorſus verba, ſic reddidit Vulgatus Exodi 34. num. 7. *Nulluſque apud te per ſe innocens eſt, qui reddis iniquitatem Patrum filijs, ac nepotibus, in tertiam, & quartam progeniem.* Quid clarius pro noſtra explicatione afferri potuit? Solet enim Deus parentum ſcelera pœnis temporarijs luere innocentium filiorum, & immatura horum nece, illorum inveterata punire flagitia. Ergo ne illi ipſi parentes, impunitatem aſſequentur, cùm etiam innoxij infantes graviſsimam noxam incurrāt? Eadem Hebraica verba ſic reddidit noſter interpres, Numerorū 14. num. 18. *Nullumque innoxium derelinquēs.* (Videlicet quātumvis in ſpecie mundus, innocens, & innoxius videatur,) *qui viſitas peccata patrum in filios, &c.* Et Ierem 46. num. 28. vertit Vulgatus, *neque quaſi innocenti parcam tibi.*

Adhuc expreſsiùs, & noſtræ explica- 80
tioni congruentiùs, Hebraiſmum iſtum illuſtravit Vulgatus Latiniſmo, Iere. 30. num. 11. *Caſtigabo te in iudicio, ut non videaris tibi innoxius.* Regia vertit verbum è verbo: *& mundando te non mundabo.* Perinde ac ſi dicat Deus; non eris citra noxam, etiam ſi tibi videaris eſſe ſine noxa: ut locutus eſt Theophilactus.

Itaque in hoc loco ipſius Vulgati ver- 81
bis, ita poſſumus vertere Hebraica. Deus quidem patientia, & fortitudine infinita cohibet ſuam iuſtam iracundiam: at cùm excanduerit, *nullum innoxium relinquet.* Numeror. 14. num. 18. *Nullus apud eum innocens erit.* Exodi 34. num. 7. *Nulli, quaſi innocenti parcet.* Ierem. 46. num. 28. *Tale ſupplicium ſumet, ut nullus videatur ſibi innoxius.* Ierem. 30 num. 11. *Et vos, o Aſſyrij, quaſi innocentes relinquemini?* Iere. 49. num. 12. Hoc ipſum itaque eſt, *& mundās non faciet innocentem.* Quod item non ſiluit Horatius in illa Ode. 2. lib. 3.

Sæpe Dieſpiter neglectus incesto addidit
integrum.

Dominus in tempestate, & turbine viæ eius: & nebulæ pulvis pedum eius.

82 HOrribilis, & formidandus foret ille hostis, cuius esset ingens in pugnãdo robur; velocitas incredibilis in assequendo; in perstringendo autem, & obcęcando adversario dexteritas admirabilis: adeò ut nullæ vires viribus obsistere; nulla fuga celeritatem prævertere; nulla vel intenta oculorum acies coniectum ictũ corporis declinatione effugere posset. Idcirco nimirum æneæ Bombardæ tantas, & tam inevitabiles strages edunt: impetũ enim ferrei globi nulla arma possunt propulsare, aut sustinere: disploditur autem, & contorquetur ille globus mira celeritate; prius penè lethale vulnus pectore excipias, quàm splendorem ex sulphureo pulvere emicantem cernas. Fumus verò, & cæca nox oculis offusa, præcavendi, aut declinandi ictus omnino præripiunt facultatem.

83 Talis describitur à Propheta Deus Assyrijs formidabilis. Id, quod frequentissimum est in Scriptura. Tantùm attingam testimonia, nam singula accuratè expendere uberioris otij est. Psalm. 103. num. 3. *Qui ponis nubem ascẽsum tuum*, (Hebraicè, currum tuum,) *& ambulas super pennas ventorum.* Psal. 82. num. 16. *Ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua* (Hebraicè, in turbine tuo) *turbabis eos.* Iere 30. num. 23. *Ecce, turbo Domini, furor egrediens, procella ruens, in capite impiorum cõquiescet.* Isaiæ. 28. num. 2. *Ecce validus, & fortis Dominus, sicut impetus grandinis, turbo confringens.* Et cap. 30. num. 30. *Terrorem brachij sui ostendet in comminatione furoris, & flamma ignis devorantis: allidet in turbine, & in lapide grandinis.* 3. Re. 19. num. 11. *Spiritus grandis, & fortis, subvertens montes, & conterens petras ante Dominum.* Potentia igitur, & robur tanta sunt, ut terram concutiat, & nutu ipso totum Olympum tremefaciat. Psal. 28. num. 3. *Deus maiestatis intonuit. Vox Domini confringentis cedros: vox Domini concutientis desertum.* Sapien. 5. num. 22. *Ibunt directè emissiones fulgurum, & tanquam à bene curvato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient.*

Sed ut Dei potentiam exprimit tempestas, tonitru, fulmineque horribilis; ita turbo celeritatem indicat. Isai. 66. num. 15. *Dominus in igne venit, & quasi turbo quadrigæ eius.* & cap. 41. num. 16. *Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo dispergit eos.* Sapientiæ. 5. num. 24. *Contra illos stabit spiritus virtutis, & tanquã turbo vẽti dividet illos.* Erunt itaque impij, Oseæ 13. num. 3. *Sicut pulvis turbine raptus ex area.* Vtrumque significarunt LXX, qui ita vertunt in hoc loco: *Dominus in consummatione, & in commotione via eius.* Commovetur enim velocissimè instar rapidissimi turbinis; & quacũque ruit, omnia funditus exscindit. 85

Nebula verò, & atra caligine mortaliũ oculis offusa, illorum conatus dissipat, consilia prævertit, machinationesque dispellit. Vide nostrum Alcazar in cap. 1. Apocalypsis, notatione 8. de symbolo nubium. Nubes enim Hebraicè *hanan*, habetur hîc in lingua originali. Lege item, quæ adnotabimus infrà ad illa verba, numeri 8. *Et inimicos eius persequentur tenebræ.* Nostrum denique Pontanum in illum Virgilij locum, AEneidos 9. vers. 36 86

Quis globus, ô cives, caligine volvitur atra?
Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros.
Hostis adest.

84

Numerus 4.

Increpans mare, & exsiccans illud.

87 HAud absimilis locus est Isai. 50.num.2. *Ecce in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum.* Est autem increpare, cum obiurgatione quadam, & potestate, adiunctis minis, imperare. Atque hinc ortum est, ut unum, idemque verbum Græcum *epitimao*, tam variè verterit Vulgatus. Matth. 8 nu. 26. *Imperavit ventis, & mari, & facta est trãquillitas magna.* Marci 4.num.39. *Comminatus est vẽto, & dixit mari: tace, obmutesce.* Lucæ 8.nu.24. *Increpavit ventum, &*
88 *tempestatem aquæ.* Quibus in locis apertè vides, divinum hoc imperium ad frenandos tumentis maris fluctus, increpationem simul, & minas continere. Quod eleganter admodùm æmulatus est Poeta Latinus, cùm Neptunum fingit sedantem tempestatem, se inscio, ab AEolo concitatam. lib. 1. AEneidos. In primis enim acriter increpat ventos.

Tãta ne vos generis tenuit fiducia vestri?
Iam cœlum, terramque, meo sine numine, venti
Miscere, & tantas audetis tollere moles?

Atrociter deinde minatur luculenta illa reticentia.

Quos ego: sed motos præstat componere fluctus:
Pòst mihi non simili pœna commissa luetis.

Ad extremum illis graviter, ac severè suũ denuntiat imperium.

Maturate fugam, regique hæc dicite vestro.

89 Enim verò ingens sanè est omnipotentiæ Divinæ documentum, (quam Propheta Nahum nititur Assyrijs declarare,) mare vastitate immensum, fremitu horribile, fluctibus formidabile; cùm sæva tempestate commotum, non modò terram absorbere, sed cœlum ipsum obruere velle videtur; ad Dei præceptum, & fragilis arenæ præfixos limites, elationem illam contundere, impetum frangere, fluctus ad astra concitatos allidere. Facinus Dei egregium, & in sacris libris frequenter celebratum; quod nescio, an iure extenuent viri docti. Lege nostrum Pinedam to. 2. in Iob cap. 26. vers. 10.

Celebrat hoc facinus Regius vates, 90
Psalm 103. num. 7. *Ab increpatione tua* (id est, ab imperio tuo) *fugient: a voce tonitrui tui formidabunt: terminũ posuisti, quẽ non transgredientur, neq; convertentur operire terram.* Salomon item Proverbior. 8. num. 29. *Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Ipse etiam deprædicat Deus, Iob 38.num. 10. *Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi: usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Ardenter itaque invehitur Deus in populum rebellem, tam efficax imperium detrectantẽ, cui mare ipsum dicto audiẽs sit. Ierem. 5 num. 22. *Me ergo non timebitis, ait Dominus, qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit; & commovebuntur, & non poterũt: & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud.*

Signatè verò alludit Propheta ad illud 91
mirabile Dei imperium, cùm populus inter stupentes aquarum vortices sicco vestigio mare traiecit; quod ijsdem penè verbis cecinit Regius vates, Psalm. 105. num. 9. *Et increpuit mare Rubrum, & exsiccatum est: & deduxit eos in abyssis, sicut in deserto.* Et Psalm. 113 num. 3. *Mare vidit, & fugit: Iordanis conversus est retrorsum. Quid est tibi mare, quòd fugisti?* Et Isai. 51, num 10. *Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis?* Sed longè copiosiùs, & elegantiùs Habacuc cap. 3. à num. 8 usque ad 10. adiuncta expositione Guevaræ; quam existimo esse literalem, quò, ne sim longior, lectorem remitto.

Et omnia flumina ad desertum deducens.

92 ID est, ad siccitatem, ut Psalm. 106. numero 33. *Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim*. Vnde Pagninus, & Regia commodè hîc vertunt Hebraica: *omnia flumina exsiccari fecit*. Tigurina verò, *omnesque fluvios exsiccat.*

93 Non minùs luculentum est hoc divini roboris indiciũ, quod edidit Deus Iordanem arefaciens. Iosue 3. num. 15. *Cùm ripas alvei sui tempore messis impleverat.* Quò enim auctiora sunt flumina, eò rapidiora, & turbidiora fluunt: eò difficiliùs coercentur, eò periculosiùs vada ipsa cæca tentantur. Quid autem Deus spectaverit, tam insigni edito prodigio, expressit Sacer Scriptor, Iosue 4. nu. 25. *Vt discant omnes terrarum populi fortissimam Domini manum*. Quod ita contigisse, discimus ex cap. 5. num. 1. audito enim à Regibus finitimis tam stupendo Divinæ potentiæ miraculo, *dissolutum est cor eorum, & non remansit in eis spiritus.* Vide ergo quàm opportunè tantorum prodigiorum memoria refricetur à nostro Propheta, ad Assyriorum animos horrore numinis percellendos.

Numerus 5.

Infirmatus est Basan, & Carmelus: & flos Libani elanguit.

94 INutroq; hemistichio subest idẽ verbũ *umlal*, quod expressit Tigurina. *Deformatur Basan, & Carmelus, floridusque Libanus deformatur.* Et quidẽ hoc verbũ variè nimis solet vertere Vulgatus: videlicet, *infirmari*. 1. Regum 2. num. 5. Isaiæ 24. num. 7. Ieremiæ 15. num. 9. & Oseæ 4. nu. 3. *Elanguescere*. Ioelis 1. num. 10. & 12. *Desertum esse*. Isaiæ 16. nu. 8. *Corruere*. Ieremiæ 14. nu. 2. *Dissipari*. Threnor. 2. num. 8. *Emarcescere*. Isaiæ 19. num. 8. Vt vel hinc conijcias mirabilem Hebraicarum vocum fecunditatem. Propriè verò significat *excindi, vastarique*. Accommodatur tamen variè ab interprete Latino ad eam rem, quæ dicitur desolari.

Commemorat ergo vates tres uberrimos, ac feraciss imos montes, de quibus 95
multa mẽtio in Scriptura. De Basan lege Riberam Amos 4. num. 2. de Carmelo Amos 1 num. 8. de Libano denique eumdem, Amos 7. n. 19. & Oseæ 14. n. 14. & Michææ 7. nu. 33. Hos fertiliss imos montes affirmat in amænitate, ac virore tamdiu duntaxat consistere, quandiu velit eos Deus conservare: si deneget pluviam, cõfestim exarescent: quò refert Vatablus. Sed Montanus explicat cõmodiùs. Deus iratus, tempestate, ac turbine decutiet flores, exuret herbas, diffringet procerissimas arbores, aut etiam truncos radicitus extirpabit, aquarumve eluvionibus tam amænos montes penitus vastatos, desertosq; relinquet.

Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt.

96 HEbræa sic vertit Regia: *montes tremuerunt ab eo, & colles sunt liquefacti*. Pagninus. *Et colles dissolverunt se*. Tigurina. *Montes ab ipso contremiscunt, & colles se se resolvunt*. LXX. *Et colles concussi sunt.*

97 Exaggeratio est frequẽs in Scriptura ad exprimendam maiestatem, ac potentiam Divini numinis, terroremq; mortalibus incutiendum. An homulus non tremat illius iracundiam, cuius vel solo nutu inconcussi montes tremore quatiuntur? Habacuc 3. num. 6. *Aspexit, & dissolvit gentes* (LXX. *Et distabuerunt, aut liquefactæ sunt gentes*) *& contriti sunt montes sæculi*. (Hoc est, montes æterni, & ab ipsius mundi primordijs suis radicibus altè defixi.) *Incurvati sunt colles mũdi*, (LXX. *tabuerũt colles sempiterni*) *ab itineribus æternitatis eius. Por do quiera, que caminava su Magestad, los mismos montes todos tẽblando*

se pros-

se prostravan. Inculcat iterum Propheta, num. 10. *Viderunt te, & doluerunt montes.* Pagninus, *& tremuerunt.* Verbum enim *hul*, etiam Vulgatus reddit, *conturbari.* Psalm. 54. num. 5. *aut timere.* Psalm. 76. num. 17. *Temblaron los montes, como azogados; de puro respeto, y temor de tal Magestad.* Michææ 1. num. 4. *Consumentur montes subtus eum, & valles scindentur sicut cera à facie ignis, & sicut aquæ, quæ decurrunt in præceps.* Hebraicè. *Montes liquescēt.* Subest enim idem verbum, quod Exod. 16. nu. 21. de Manna: *cúmque incaluisset Sol, liquefiebat*: & Psalm. 21. nu. 15. *Factum est cor meum, tanquam cera liquescens.* Sic Isaiæ 64. num. 1. *à facie tua montes defluerent: sicut exustio ignis tabescerent.*

98

99 Si allusio fiat, ut certè fit suprà num. 4. ad egressum filiorum Israel ex Ægyptiaca servitute, Genebrardus explicans illa verba Psalm 113. nu. 4. *Montes exultaverunt, ut arietes, & colles, sicut agni ovium,* existimat re vera ita contigisse, & montes inter se collisos, veluti arietasse. Vt enim non est metaphora, quod præcessit, *mare vidit, & fugit, Iordanis conversus est retrorsum*: sic etiam non metaphoricè, sed verè, ac re ipsa montes commoti sunt. Lege eumdem Genebrardum in id Psal. 28. num. 7. *Et comminuet eas* (scilicet cedros) *tanquam vitulum Libani.* Vbi Hebraicè habetur ad verbum, *exilire faciet eas de loco suo.* Symmachus, & quinta Editio, *saltare faciet illas.*

100 Et quidem magnam huic expositioni facit fidem, quod legimus Numeror. 21. num. 14. *Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Ar, & recumberent in finibus Moabitarum.* Vt enim refert Lyranus in eum locum, ex pervetusta Hebræorum traditione, & Abulensis quæst. 23. in Numeros, & noster Ioannes Fernandez, verbo *collis*, numero 9. cùm Dei populus eò pervenisset, & propter vastos, immanesque scopulos, arctæ viæ oppositos, & obiectos, non, nisi per angustias (vbi tunc latebant armati hostes, ut populum ex insidijs adorirentur;) summo cum labore, & aperto vitæ discrimine transeundum foret: prærupti illi scopuli subitò corruentes, tum latitantes hostes oppresserunt, tum Dei populo gradienti sese calcandos, & traijciendos substraverunt. Lege, si placet, eruditam illius loci explicationem apud Delrium, tom. 1. Adagio 110.

Et contremuit terra à facie eius, & orbis, & omnes habitantes in eo.

101 HEbraicum verbum *nasa* variè illustrant Expositores. Pagninus *Exusta est terra.* Regia, *conflagravit.* LXX, *cōtracta est.* Vatablus, *ignem concepit, aut se proripuit ex illius conspectu.* Ribera, *timore subitò refugit.* Aquila, *cohorruit.* Symmachus, *commota est.* Optimè cadunt omnia in verbi fecunditatem: & omnia tandem eòdem recidunt. Sic etiam dicitur Psal. 103. num. 32. *Qui respicit terram, & facit eam tremere; qui tangit montes, & fumigāt.* Et Psal. 143. num. 5. *Tange montes, & fumigabunt.*

102 Sed præ cæteris est locus illustris Amos 9. num. 5. *Et Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, & tabescet, & lugebunt omnes habitantes in ea.* Perinde ac si dicat Propheta. Et iactat scilicet has minas summus ille Deus, cuius tanta est potentia, ut ad mortales perterrendos, funditusque vastandos, non sit illi opus exerere suas vires; nam oculis dūtaxat infensis, vultu irato, attactu levissimo, terram concutit, motu findit, fulmine ferit, conflagratione exurit, & continuò *tabescet* (Hebraicè, *liquefiet, defluet*) & quasi in nihilum redigetur, ut Psalm. 74. num. 4. *Liquefacta est terra, & omnes, qui habitant in ea.*

Numerus 6.

Ante faciem indignationis eius, quis stabit? Et quis resistet in ira furoris eius.

103 IVC tandem omnia spectabant, hoc unum agebat tam illustris omnipotentiæ Divinæ commemoratio, ut Assyrij tantæ Majestatis violandæ timorem concíperent, ut eius iracundiam formidarent. Est enim apprimè observandum ex historiarū monumētis, Ninivitas imperij diuturnitate, divitiarum copia, murorū fortitudine, militum robore confisos, victorijs, trophæisque inflatos, nullius potentiam extimuisse. Itaque Persarum obsidionem diu sustinuerunt, quoad eluvionibus, inundationeq, Tygris disiecta muri parte, ac per eam irruptione facta, florentissima tandem illa urbs capta, direpta, ac funditus excisa est: eventu suo comprobante, nullam esse tantam fortitudinem, quæ irati Dei aspectum possit sustinere. Quod innuit Regius vates Psalm. 104 89. num. 11. *Quis novit potestatem iræ tuæ?* Id est, vim, robur, efficacitatem; cùm lenissimus, & mitissimus videaris, excandescis tamen vehementiùs opinione, & vel solo nutu irati vultus firmissima quæque, munitissimaque prosternis.

105 Subest in 2. parte huius versus Hebraicum verbum *cum*, quod solet vertere Latinus interpres, *stare*. Et propriè significat firmitudinem quamdam, erectionemq; corporis, & multò magis animi: qualis erit illa, qua imperterriti in die Iudicij, *stabunt iusti in magna constantia*, Sapien. 5. nu. 1. Vbi constantia vocatur Græcè *parresia*, id est, in magna libertate, securitate, & confidentia; alacri, atque erecto animo, nulla gravioris culpæ conscientia dejecto, aut perturbato. Cùm contrà *impij* 106 *non resurgent in iudicio*. Psalm. 1. num. 5. ubi Hebraicè subest idem verbum *lo ia-cumu*, id est, *non stabunt*, non se erigent, non consistent, non audebunt oculos attollere, occulto flagitiorum suorum teste convicti, penitusque exanimati. Psal. 35. num. 13. *Expulsi sunt, nec potuerunt stare*: *stare* enim in arcano sermone, ut observat Maldonatus, Lucę 18. num. 11. audaciam quamdam, erectionemque animi præ se fert. Psalm. 105 num. 23. *Si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius*, hoc est, nisi in tertio se animo Deo opposuisset.

Illustrat verò maximè præsentem lo- 107
cum alter quàm simillimus Apocalyp. 6. num. 15. ubi Reges ipsi, ac Principes, virique fortes, tam ingenti horrore perfusi dicuntur aspectu Dei irati, ut se se abdant in spelúncas, & cavernas montium; eligantque potiùs illorum ruina opprimi, quàm vultum excandescentis Iudicis subire, num. 16. *Et dicunt montibus, & petris: cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum; & quis poterit stare?* Acutè conijcit Leo magnus, 108
quàm formidabilis futura sit potentia irati Agni ex ipsius lenitate, & mansuetudine, sermo. 1. de Passione Domini. [Ego sum, inquit, (Ioannis 18. num. 5.) & ad vocem eius turba prosternitur impiorū. Quid iam poterit maiestas eius iudicatura, cuius hoc potuit humilitas iudicāda?] Et Gregorius lib. 17. Moralium cap. 21. [Quis eius iram toleret, cuius & ipsa non potuit mansuetudo tolerari?]

Notabilis sanè est Origenis observatio 109
ad expendendum, quanta sit vis conscientiæ, cùm oborta nova luce, (qualis illucescet in cōspectu Iudicis,) fœditatem admissi sceleris liquidò penetravit. Affirmat enim Ananiam, & Saphiram nulla vi extrinsecùs illata fuisse repentè necatos, sed ad vehementem illam interrogationem Apostoli Petri, Actuum 5. num. 3. *Cur tentavit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* Cùm se perspicuè viderent in flagranti flagitio voti violati deprehensos, eius atrocitate perpensa, præ pudore,

& confusione subitò animam exhalasse. Id, quod Sacer textus valde insinuat ibi num 5. *Audiens autem Ananias hæc verba cecidit, & expiravit.* Origenis verba sunt homilia 8. in Matth. [Nec putare debemus, Petrum interfeciſſe Ananiam: expiravit autem verbis Petri catechizantibus animam illius:] *Las palabras de San Pedro le pusieron claramente delante los ojos la fealdad horrible de su peccado; y esta vista, de puro assombro, y confusion, fue poderosa para quitarle la vida.* Neque verò insolitum est repentinò mori quempiam præ summo pudore. Testatur enim Plinius lib. 7. cap. 53. Diodorum quēdam Dialecticæ professorem pudore subitò obijsse, lusoria quæstione non protinus dissoluta. Perpendo, qualiter supremi Iudicis irati vultus, atque verba percellent, ac perterrebunt conscientiam impiorum. Quantum illi pudorem concipiēt? Basilius meritò existimat, acerbissimum cruciatum ultricibus Inferorum flammis inustum damnatis, pudore isto, & confusione longè leviorem, ac tolerabiliorem esse. Ponderans enim acerrimam illam increpationem, Lucæ 12. nu. 20. *Stulte, hac nocte animam tuā repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt?* sic ait homil. contra divites avaros. *Superat æternam pœnam irrisio ista stultitiæ.* Lege Cardinalem Toletum Lucæ 12. annotatione 39.

Indignatio eius effusa est, ut ignis: & petræ dissolutæ sunt ab eo.

111 NOtat Arias Montanus in commē-
tario huius loci, vocem Hebraicam *sur*, non petram ut cunque significare, sed fortissimum, solidissimumque silicem, cautem potiùs inconcussam, aut si quid solidius, & durius Latino sermone exprimi potest. Quòd si cautes, & silices iracundiæ Divinæ ardore tabescūt, dissolvuntur, atq; in fragmenta minutissima dissiliunt: *si los pedernales se estallan, y se buelven en ceniza*: an caro, quæ tam facilis est ad exardescendum, quàm fænum aridum, acerrimè populantes flammas Divini furoris excipiet? sustinebit? *Neque fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea ænea est*: aiebat Iob cap. 6. num. 12. Rectè illustrat hunc locum Tigurina. *Calor ipsius conflat in morem ignis, ita, ut silices ab ipso dissolvantur.* Chaldęus verò Paraphrastes. [Ira eius veluti ignis conflat; quia, ut ignis dissolvit rigorem metallorum, sic vindicta Dei dissolvit, & enervat vires inimicorum.] 112

Enim verò igne iracundiam exprimi, non infrequens est etiam apud Profanos Scriptores. Sic Virgilius habitum irati venustè depingit, lib. 12. Æneidos.

His agitur furijs, totoque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

Hausit hoc Virgilius, ut pleraque alia, ex vetustissimo Lucretio lib. 3.

Est etiam calor ille animi, quem sumit in ira,
Cùm fervescit, & ex oculis micat acribus ignis.

Mitto alios. Divinam certè iracundiam 113
comparari igni voracissimo, obvia quæque avidè absumenti, vulgare est in Scriptura. Deuteronom. 32. numer. 22. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram.* Psalm. 17. num. 9. *Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit.* Extremā huius versiculi partem, sic ex Hebræo transtulit Hieronymus, *ignis ex ore eius devorans.* Quæ versio propiùs accedit ad proprietatem verbi Hebraici, *acal*: quod subest in utroque loco. Sed pergo ad alia. Psalm. 78. num. 5. *Vsquequò Domine irasceris in finem? accendetur velut ignis, Zelus tuus?* Psalm. 88. num. 47. *Exardescet, sicut ignis, ira tua?* Ieremiæ 4. num. 4. *Ne forte egrediatur, ut ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit, qui extinguat.* Et cap. 15. num. 14. *Ignis succensus est in furore meo; super vos ardebit.* Threnor. 2. num. 4. *Effudit, quasi ignem, indignationem suam.*

Porrò *effundendi* verbum ad copiam, 114
abundantiamque referri, probat Ribera,

Ioelis 2. nu. 54. & 55. Noster Delrius explicans id Threnorum 4. num. 11. *effudit iram indignationis suæ*, putat sumi metaphoram à poculo, sive phiala deorsum versa, ac penitus effusa; ut notum est Apocalyp. 15. num. 7. & cap. 16. num. 1. & Oseæ 5. num. 10. *Super eos effundam, quasi aquam, iram meam.* Ignis item, & effusio copulantur Ecclesiastici 36. numer. 7. *Glorifica manum, & brachium dextrum, excita furorem, & effunde irã: tolle adversarium, & afflige inimicum; in ira flammæ devoretur.*

115 Illud tamen est mirandum, vertisse Symmachum, & Theodotionem, *indignatio eius stillabit, ut ignis*: quam versionẽ & agnoscit, & explicat Hieronym. Quid autem stillæ cum diluvio? quid scintillæ cum incendio? Enim verò hoc ipso genere loquendi sæpe utitur Scriptura, etiam cùm gravissimum supplicium intentatur. 2. Paralip. 34. n. 21. *Magnus furor Domini stillavit super nos.* & nu. 25. *stillabit furor meus super locum istum, & non extinguetur,* id est, continenter ardebit. Perpende acerbitatem, perpetuitatemq; supplicij, quod tamen stilla nuncupatur. Danielis 9. n. 11. *Stillavit super nos maledictio, & detestatio, quæ scripta est in libro Moysi servi Dei.* Vbi apertè vides acerbissimas illas execrationes, quas promulgator legis, Deuter. 28. & Levitici 26. transgressoribus imprecatur; quibus auditis tinniunt aures; stillã tamen apellari. Micheæ 2. num. 11. *Vtinã non essem vir habens spiritum, & mendacium potiùs loquerer: erit, super quẽ stillatur populus iste.*

Suspicor temporaria supplicia, quantumvis immanissima, & atrocissima, iure optimo stillas vocari ex iracundiæ divinæ phiala guttatim expressas, si cum perenni illo diluvio cruciatuum, cum incẽdio inextinguibili tormẽtorũ conferantur, quibus damnati in omnẽ æternitatẽ acerbissimè cruciabũtur. Vnde Hieronymus expendens verba Ezechiel. 20. n. 46. *stilla ad Africum*, ait: *ut non tota Dei ira videatur effusa, sed stilla quædam.* Præclarè itaque hîc concludit idem Hieronymus. [Si autem stilla indignationis eius consumit principatus, (sic legũt in hoc loco LXX) quid fieret, si tota in nos Dei ira funderetur? Præstet Iesus, ut auferatur à nobis cor lapideum.] Consentaneè Gregorius, lib. 21. Moralium cap. 16. [Quomodò toleranda est pœna, quæ reprobat, si ferri non potest ira, quæ purgat.] Lege eumdem Gregor. lib. 17. Moralium cap. 21. ponderantem ea verba Iob. 26. n. 14. *Et cùm vix parvam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Et nostrum Gasparem Sanctium in id Isaiæ 33. num. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cũ ardoribus sempiternis?*

Numerus 7.

Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis.

118 VT ea, quæ præcesserunt spectant ad perterrendos hostes: ita hæc ad filios bona spe erigendos, & confirmandos. *Bonus Dominus*, inquit. LXX, *suavis*. Vatablus, *benignus, mitis, clemens*. Sed nullum Latinum nomen reperietur, quod exhauriat mirabilem fecunditatem vocis Hebraicę *tob*: quam Vulgatus alio, atq; alio nomine significantissimè exprimit. Psal. 33. num 9. *Quoniam suavis est Dominus.* Psalm. 24. num. 8. *Dulcis.* Psal. 30. n. 20. & Psalm 67. num. 11. *Ipsa dulcedo.* Psalm. 144. num. 7. *abundantia suavitatis*, Psal. 64. num. 12. *benignitas*. Eadem vox significat *lætitiam*. Deut. 28. num. 47. *alacritatem*. 3. Regum 8. num. 66. *hilaritatem*. Esther. 1. num. 10. *pulchrum*. Isaiæ 5. num. 9. *decorum*. Danielis 1. num. 4.

119 Deniq; sæpe Vulgatus effert nomine *boni*; ita tamen, ut sub eo nomine omne prorsus bonum comprehendat. Zacharię 9. numer. 17. *Quid enim bonum eius est,*

& quid pulchrum eius? Oseæ 3. num. 5. *Pavebunt ad Dominum, & ad bonum eius.* LXX *obstupescent.* Mirabuntur videlicet eximiam Dei benignitatem, suavitatem, & magnificentiam. Ieremiæ 31. num. 14. *& populus meus bonis meis adimplebitur.* Hebraicè, *bono meo.* Psalm. 72. numer. 1. *Quàm bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde*, id est, quàm dulcis, quàm beneficus, quàm iucundus.

120 Atque hinc apparet, quàm multa, & quàm eximia bona annunciet Deus iusto, unico duntaxat verbo. Isaiæ. 3. n. 10. *Dicite iusto, quoniam bene.* Hebraicè, *quòd bonum. Que con la virtud todo el bien se le entra por su casa.* Rectè ibi Forerius. [Quòd iustum esse, sit bonum amabile, volupe, iucundum, utile, & gratum: nam hoc propriè *tob* significat.] Et hoc est, quod Deus pollicitus est Moysi Exodi 33. numer. 19. *Ego ostendam omne bonum tibi.*

121 Maximè tamen elucet hæc admiranda Dei benignitas, cùm iustos videt ita oppressos, ut humanitus eripi periculis non possint. *Confortans in die tribulationis.* Hebraica vox, *mahoz*, significantissima est. Regia vertit, *robur in die angustiæ.* Tigurina, *præsidium temporibus difficillimis.* LXX. reddere solent, *hyperaspistes*, quasi scuto tegens. Vulgatus, *protector.* Psalm 26. num. 2. Psalm. 30. num. 3. & num. 5. Psalm 36. nu. 39. *Repara Dios, i rebate el golpe, quando ia va a descargar sobre la cabeça del justo.* Sapientiæ 5. numer. 17. *Dextera sua teget eos, & brachio sancto suo defendet illos.* Græcè, *hyperaspi.* Hoc est, tanquam satelles, & stipator clypeo suo proteget eos. Genesis 15. num. 1.

122 *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum.* Hebraica reddas fidelissimè. *Ego scutum tibi.* LXX. *ego hyperaspizo su.* Ego protego te, obiecto hostibus, & opposito validissimo clypeo. Eadem phrasi legimus Psalm. 59. nu. 9. *fortitudo capitis mei.* Hebraicè, *mahoz.* LXX. *crataeosis*, id est, firmitas, securitas, munimentū. Et Prov. 10. num. 29. *fortitudo simplicis, via Domini.* Hebraicè item, *mahoz*; LXX, *ochyroma*, id est, *munitio, arx, propugnaculum.* Sic Isaiæ 25. num. 4. *fortitudo egeno in tribulatione sua.* Vbi Hebraicè subest etiam eadem vox, quam illustrant ibi LXX, *Kepe*, id est, *defensio, tegumentum.*

Tiene Dios por blason, de que se precia. 123 Psalm. 9. num. 10. *adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Psalm. 45. numer. 1. *adiutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Acude en el maior aprieto, quando ia està el agua a la boca.* In hanc sententiam explicant plerique Patres apud nostrum Delrium, verba illa Canticorum 1. num. 8. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te.* Hoc est, sicut populo meo, cùm à fronte mare obiectum fugam retardaret, à tergo sanguinarij hostes insequerentur, in tantas angustias redacto, & omni humano præsidio destituto opportunè subveni. 2. Petri 2. num. 9. *Novit Dominus pios de tentatione eripere.* Isa. 30. num. 19. *ad vocem clamoris tui statim, ut audierit, respondebit tibi.* Imò verò non expectato clamore, quod aliàs pollicetur cap. 65. numer. 24. *eritque antequàm clament, ego exaudiam.*

Et sciens sperantes in se.

124 EOdem recidit versio LXX. *Et cognoscens timentes se.* Nimis anguste mihi videntur hoc explicare, qui referunt duntaxat ad scientiam, quam Theologi vocant *approbationis.* De qua videri possunt è nostris Maldonatus Matth. 25. num. 12. & Molina 1. par. quæst. 14. a. 10. Placent quidem iusti Deo; contrà verò improbos pro filijs non agnoscit, quia in eorum animis gratiæ signaculum non videt. Matth. 7. numer. 23. *Tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos.* Fatuis etiam virginibus intonabit, Matth. 25. numer. 12. *amen dico vobis, nescio vos.* Et uni- 125 versè scelcratis omnibus, Lucæ 13. numer. 27. *Nescio vos, unde sitis: discedite à me omnes operarij iniquitatis.* Quod significanter expressit Habacuc

c. 1. n. 13. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Hispanè diceremus: *no puede verlo de sus ojos.* Quò etiam spectat Hebraismus ille, 1. Reg. 18. num. 9. *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David.* Hebraica exprimas verbum è verbo; *& fuit Saul inspector, vel oculator David: tomòle ojeriça, trayalo entre ojos.* Itaque sentiendi, aut cognoscendi verbo, non tam cognitio, quàm affectus declaratur.

126 Sed Hebraicum verbum, quod hîc subest, *Iodeah*, significantius est, & ad plura se extendit. Dicit quidem in primis approbationem Dei, ex qua nimirùm, tanquam ex perenni fonte, cætera fluunt bona. 2. Timoth. 2. num. 19. *Cognovit Dominus, qui sunt eius.* Sed adiungit deinde paternum amorem, curam, providentiam, beneficentiam, liberalitatem. Notat hoc Genebrar. Psalm. 1. num. 6. *Novit Dominus viam iustorum*, (hoc est, dirigit, complanat, illuminat, fortunat.) *& iter impiorum peribit*: & Psal. 36. num. 18. *Novit Dominus dies immaculatorum.* Perinde enim est ac si dicat, favore prosequitur, curat, prosperat. Subest utrobique idem participium, *Iodeah*. Psalm. 143. n. 3. *Quid est homo, quia innotuisti ei?* Hebraicè, *ut cognoscas eum?* ideſt, ut eum cures, eius rationem habeas. Sic etiam illustrat LXX. Nam verba illa Oseæ. 13. num. 5. *Ego cognovi te in deserto*: illi reddiderunt, *ego pavi te in deserto.* Chaldæus, *ego tribui vobis necessaria.* Sensus itaque Oseæ est, quasi dicat Deus, ego paternam tui curam gessi, ego te cælesti alimonia in deserto sustentavi, ego me tibi ducem itineris adiunxi. & Ps. 30. n. 9. Vbi verbum è verbo Hebraica vertit Pagninus, *cognovisti in angustijs animam meam*; LXX. & ex illis Vulgatus, *salvasti de necessitatibus animã meam.*

Idem observat Forerius Isaiæ 1. n. 3. *Israel autem me non cognovit* [Hoc verbum, inquit, in oratione affirmativa, ultra cognitionem, notat affectum, aut curam: in negativa, neglectum, seu contemptum.] Vide Iansenium in ea verba Proverb. 12. num. 10. *Novit* (LXX. miseratur) *Iustus iumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia*: & cap. 29. num. 7. *Novit Iustus causam pauperum*, ideſt, solicitam curam eius habet.

Congruenter huic explicationi declarat Pererius verba illa Cain Genes. 4. num. 14. *à facie tua abscondar*, ideſt, avertes à me faciem, singulari illa tua benevolentia, cura, tutela, & protectione me destitues: oculos à me tuos dimovebis. At quid inde consequetur? imò verò quid mali non consequetur? *omnis, qui invenerit me, occidet me.* Omnes me aversabuntur, & execrabuntur, dignumque crudelissima morte existimabunt. Tantum videlicet inest momenti in hac sciẽtia Dei sperantium in se. 128

Porrò, quantopere Dei oculos alliciat, allectosque teneat firma quædam spes in eius bonitate defixa, multus essem, si persequi vellem. Nihil clamat Scriptura frequentiùs. Vniversè pronunciat Ecclesiasticus cap. 2. num. 11. *Respicite filij nationes hominum: & scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est.* Ex Patribus tantùm adducam Bernardum, qui sermone 9. in Psalm. Qui habitat, expendens verba Psalm. 36. num. 40. [Salvabit eos, inquit: quare? quibus meritis? audi, quod sequitur. *Quia speraverunt in eo.* Dulcis causa, attamen efficax, attamen irrefragabilis. De quacunque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos.] Nec minùs piè, & eleganter sermone 15. in eumdem Psalmum. [Quid timeat spes aspidem, aut basiliscum? quid leonis rugitus, aut draconis sibilos expaveſcat? Quoniam in me speravit, liberabo eum. Ps. 90. n. 14.] 129 130

Numerus. 8.

Et in diluvio prætereunte consummationem faciet loci eius.

131 LOcus difficilis, & nisi facem præferat notitia humanæ historiæ, penè inexplicabilis. Nostri Riberæ expositio tota fere nititur disputatione illa bene longa, & erudita, quam contexuit in cap. 2. & in ea sibi demonstrare visus est, Ninives vastitatem prædictam à Nahum, minimè esse illam proditam à Iustino lib. 1. Diodoro lib. 3. cap. 7. & Strabone lib. 16. quæ in Sardanapali Principatū incurrit. Sed hoc, quod assumit sibi Ribera tanquam certum, usque adeò est incertum, ut Pererius noster, vir sanè omnis antiquitatis eruditissimus, & in varia temporum ratione pervestiganda, in totius Scripturæ Chronologia eruenda, examinandaq; longè exactissimus, oppositum censeat probabilius, tom. 2. in Genesim lib. 15. disp. 8. num 104. Hoc itaque deiecto fundamento, Riberæ explicatio eodem labefactata motu concidit.

132 Accedit, quòd post tam illustre, & luculentum vatis exordium, quo divinam potentiam, tot admirandis editis prodigijs nobilitatam, ob oculos ponit; post tantum terrorem Ninivitis incussum; dignius multò videtur, eum de excidio, & vastatione illius urbis, quàm de tribulatione Sennacherib à Dei populo propulsata vaticinari.

133 Ille etiam loquendi modus, *consummationem faciet loci eius*, scilicet, *tribulationis*, ut supplet Ribera; ut sensus sit: hac clade contentus Deus, finiet tribulationem vestram: quantumvis ipse Ribera illum emolliat, durus profectò est, & inauditus Nam ut daremus, quòd consummationem facere loci alicuius Regis, esset illum solio exturbare, regnoque deijcere: cuius tamē locutionis nullum simile exēplum adducit Ribera: tamen id applicare nominib⁹ abstractis, & incorporeis, qualis est tribulatio, & clades, insolens est, & planè durum. Cùm sit contrà idioma sacrum frequentissimum, consummationē facere alicuius loci, idest, illū vastare, funditusque delere. Ieremiæ 4. n. 27. & c. 5. n. 10. *Ascendite muros eius, & dissipate: consummationem autem nolite facere.* Vide etiam c. 30. n. 11. & Ezechielis 11. n. 13. *Cōsummationem tu facis reliquiarum Israel?* Sophoniæ. 1. n. 18. & 1. Machabæorum 3. n. 42. Ierem. 5. n. 18. & Daniel. 9. n. 27.

134 Illud etiam relativū *eius*, quod negocium facessit Riberæ, perspicuè femininum est in textu originali; & tā Hebræorum magistri, quàm è nostris Arias Mōtanus, Vatablus, & Figueirus Hebraicæ linguę scientissimi referunt ad urbem Ninive, cui videlicet iam iamque imminēs intentatur consummatio. At vox *Seteph*, quā Vulgatus expressit, *diluvium*, masculini generis est, ut ex hoc ipso loco apertissimè constat: adiungitur enim illi participium masculinum. Itaque relativum *eius*, femininum cùm sit, diluvium referre non potest.

135 Verùm esto, masculinum esset: illud non explicat Ribera, neque potest, ut ego quidē arbitror, commodè explicari; cùm tribulatio sit diluvium, sive inundatio illa exercitus Sennacherib, quomodò per ipsum exercitum, tanquam per instrumētum, (hoc enim denotat præpositio *in*, ut probat ipse Ribera Oseæ 6. n. 13.) tribulatio illa consummata est? quo pacto diluvio ipso repressum est, contortumque diluvium?

136 Planiùs ergo decurrit tota sententia, & sermonis proprietas in suo rigore servatur, si hæc verba de Ninives vastitate à Medis inferēda intelligamus. Et quidem hostium copiosissimum exercitum, omnia ferro, ac flamma populantem, compatari inundationi extra ripas diffluenti, usitatum est in sacra Scriptura. Isaiæ cap. 8. numer. 7. *Ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas: Regem*

Assyriorum, & omnem gloriam eius: & ascendet super omnes riuos eius, & fluet super universas ripas eius, & ibit per Iudam inundans. Et cap. 28. num. 2. [Sicut impetus aquarum multarum inundantiū, & emissarum super terram spatiosam.] Ieremias item sic depingit Chaldæorum exercitū, c. 47. n. 2. [Ecce aquę ascendunt ab Aquilone, & erunt quasi torrens inundans, & operient terram.]

137 Enim verò si antiquitatis memoriā replicemus, cùm legamus proditum à Diodoro, lib. 3. c. 7. Niniven murorum altitudine, & firmitate inexpugnabilem, fluminis tamen inundatione fuisse superatā: exturbata videlicet alluvionis impetu muri parte, qua hostibus deinde patuit aditus ad eam funditus excindendam: comperiemus sanè, nihil apertius, nihil illustrius de tantæ urbis excidio, atque ruina potuisse prædici à Propheta, quàm hoc ipsum vaticinium: *& in diluvio prætereūte consummationem faciet loci eius.* Pagni. Regia, atque Vatablus, vertūt vocem Hebraicam, *in inūdatione.* Notatq; scienter Arias Mōtanus, *Seteph*, inūdationem fluminis propriè dici, nam diluvium, seu cataclismus, Hebraicè *mabul* nominatur.

138 Verùm quia de hac ipsa fatali inundatione Tygris, (non enim Euphrates, ut falsò existimavit Diodorus, sed Tygris Ninivē alluebat, ut constat Tobiæ 6. n. 1. & Genes. 2. n. 14. Vbi dicitur, *ipse vadit cōtra Assyrios*: vide Maluendam lib. de Paradyso, c. 24.) iterū, ac tertiò disertè mentionem facit Propheta, c. 2. n. 6. *Portæ fluviorum apertæ sunt.* Et n. 8. *Ninive quasi piscina aquarum, aquæ eius*; ex eorum locorū commentario petenda sunt, quæ hîc desiderantur.

Et inimicos eius persequentur tenebræ.

139 RElativum *eius* non femininum, ut in verbis proximis, sed masculinum est in textu Hebraico. Erit igitur sensus: & urbem ipsam delebit Deus, & cives, idest, Assyrios hostes suos, tenebris persequetur. Vulgare est in Scriptura per lucē omnia fausta, atq; felicia; per tenebras verò captivitatem, cędem, vastationē, dira quęque, calamitosa, & infelicia denotari. Ioelis 2. n. 2. Vbi apertè prædicit vates formidabilem adventum Assyriorum. *Quia propè est dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis, & turbinis.* Amos 8. n. 9. *Occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciā terram in die luminis.* Exstinguitur nēpe Sol in meridie, cùm repentè prosperitatis lux magnis calamitatum tenebris obscuratur. Sophoniæ 1. n. 15. *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis, & miseriæ, dies tenebrarū, & caliginis.* Quòd autem sermo sit de adventantibus Chaldæis, constat ex verbis proximis; *dies tubæ, & clangoris super civitates munitas.* Personabunt scilicet undique tubę victorum exultantium, sibique gratulantium de arcibus expugnatis, ac direptis.

Signatè verò prædicit, fore, ut ipsæ te- 140
nebræ fugientes hostes insequantur. Insequuntur enim tenebrę re vera hostes in fugam aversos, quia inter eam trepidationem, cæca oculis offusa caligine, fugientium cursum tenebræ retardant, & metu præpeditos ponè insequenti victori tradunt constringendos, aut necandos. Nihil enim magis adversum fuga salutē petēti fingi potest, quàm non perspicere, quò se recipiat, ubi vestigium faciat; offendet passim, & incurret, & ab hoste à tergo insectante, nō modò metu non impedito, sed victoria elato trucidabitur. Sic in cæca 141
AEgypti caligine, Exod. 10. nu. 23. *Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco, in quo erat.* Nimirùm quoties gradum facerent, toties in profunda ruere præcipitia sibi viderentur. Sapien. 17. nu. 2. *Vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti.* Psal. 34. num. 6. *Fiat via illorum tenebræ, & lubricum: & Angelus Domini persequēs eos.* Ieremiæ 23. num. 12. *Via eorum erit, quasi lubricum in tenebris: impellentur enim, & corruent in ea.*

Numerus 9.

Quid cogitatis contra Dominum? Consummationem ipse faciet.

142 PIget in singulis verbis traducere docti interpretis explicationē; videat, qui volet, an aptè accommodet ad Israelitas: mihi Assyriorum est increpatio. Itaq; sensus est. An quia vos videtis adversus hostiles copias obarmatos, contra omnes impetus, & incursiones hostium validissimis muris circumseptos, ac munitos: tātos sumetis spiritus, ut etiam Divinæ omnipotentiæ resistere vos posse arbitremini? Quid machinamini? Quid molimini? Quibus præsidijs freti, cladem divinitus impendentem propulsabitis? Recidēt ad nihilum vestri conatus: inania consilia discutientur. Non enim vobis cum Barbaris, ferocibusque Medis res est: sed cum Deo exercituum, quem paulò antè vobis depinxi, vel solo nutu ima summis permiscente, Deus ipse consummationem faciet. Vestrum imperium, vestram urbē

143 ad interneccionem usque delebit. Porrò Assyriorum insolentiam eò usque progressam, ut vel contra ipsum Dominum cogitaret, apertè ostendit superbissimus illorum Rex, cuius nomine iactabantur horribiles illæ blasphemiæ, Isaiæ 36. n. 20. *Quis est ex omnibus Dijs terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea, ut eruat Dominus Hierusalem de manu mea?*

144 Refert Diodorus loco indicato, editū fuisse progenitoribus oraculum, nūquam Niniven capiendam fore, nisi cùm fluvius urbem alluens, hostis illi fieret. Quod illi nunquam futurum rati, biennij obsidionem, qua premebantur, per summum otium, & luxum traducebant. At cùm Tygris inundatione vehementi disturbata mœnia conspexerunt, enim verò tum quasi haud dubiè infenso, infestoque Numine, omnibus cecidere animi. Rex ingentem pyram struxit, seque cremandum in ignem iniecit. Hoc ipsum oraculum proditum à Diodoro, nullum aliud fuit, nisi huius Prophetæ vaticinium. Deum iratum illi populo, in diluvio prætereunte consummationem facturum urbis: nullā potentiam, nullas vires Dei iracundiæ restituras. Quod egregiè confirmat versio LXX in hoc cap num. 12. *Hæc dicit Dominus imperans aquis multis: & sic dividentur, & auditus tuus non audietur amplius.*

Non consurget duplex tribulatio.

145 LOcus est celebris, & cùm propter versionem LXX. *Non puniet Deus, seu vindicabit bis in id ipsum in tribulatione,* maximè insignis; tum propter mirabilem, & inauditam Hieronymi expositionem à Theologis solerter excussus. Hieronymus enim, ut huius loci veritatem, sensumque primo aspectu mentibus occurrentem defendat, Divinamque misericordiam tueatur, penè iustitiam evertit. Nam disertis verbis affirmat, Deum nunquam bis punire flagitia. Ac proinde eos, qui eluvione terrarum perierunt, qui deinde ob libidinem præposteram de cœlo tacti conflagrarunt, aliosque huiusmodi, qui pœnas dederunt in hac vita, salutem fuisse consecutos: & ideò ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternum punirentur. Hæc sententia Hieronymi universè sic accepta, error est manifestus in fide: refellunt autem hunc errorem Pererius tom. 2. in Genesim, lib. 9. num. 79. Suarez tom. 2. in 3. part. disput. 5. sect. 1. & Gratianus de Pœnitentia, distinct. 3 cap. Sunt plures.

146 Tantùm ego admoneo, volutanti Hieronymi commentarios sedulò advertendum esse, solere eum aliorum fragmenta, etiam erroribus referta, suis scriptis inserere, nec tamen errores ipsos refutare; ut consuetudinis eius inexpertus lector facilè in fraudem inducatur, existimans, illas esse Hieronymi sententias, à quibus

citra

citra dubium ſanctiſsimus Pater longiſsimè abhorruit. Notant hoc, & exemplis illuſtrant Bellarm. lib. de Gratia primi hominis cap. 11. Lorinus Sapientiæ 6. nu. 8. Mendoza quæſt. 1. poſitiva. num. 7. Suarez tom. 1. diſp. 42. ſect. 2. Ribera Michęæ. 5. num. 13. & Oſeæ 12. num. 5. Pererius tom. 3. in Geneſ. cap. 19. num. 56. Grajar ad illa Michææ. 6. num. 1. *Surge, contende iudicio adverſus montes.*

147 Iam quod ad loci intelligentiã attinet, quidquid ſit de aliorũ explicatione, noſtra certè perexpedita, & perfacilis eſt. Semel vos evertet. Cõſummationẽ ita faciet primo ictu, ut non ſit opus ſecunda plaga. Symmachus, *non ſuſtinebunt impetum ſecundæ anguſtiæ.* Vatablus; *Prima afflictione vos omnino perdet, ideoque non erit opus altera.* Montanus, *Vna tantùm obſidione oppreſſos hoſtis tandem occupabit.* Et

148 ne cui videatur inſolens loquendi mod⁹, monſtrabimus eius frequentiã in Scriptura. 1. Regum 26. num. 8. *Nunc ergo perfodiam eum lancea in terrà ſemel, & ſecundum opus non erit.* Et 2. Reg. 20 num. 10. *Percuſsit eum in latere, & effudit inteſtina eius in terrã, nec ſecundum vulnus appoſuit.* Prov. 28. num. 18. *Qui ambulat ſimpliciter, ſalvus erit; qui perverſis graditur vijs, concidet ſemel,* ideſt, prolapſus ita corruet, ut nũquam reſurgat. Huc ſpectat Sarcaſmos ille Martialis lib. 12. Epigrammate 96. *Ægrota iam Polycarme ſemel.*

Et nobilis illa Ovidij ſententia epiſt. 5.

Nulla reparabilis arte
Lapſa pudicitia eſt: deperit illa ſemel.

149 In hanc ſententiam, non ſolùm accipiunt duo viri doctiſsimi, ſed quaſi adagialem locutionem exponunt, verba illa Ezechielis cap. 7. num. 5. *Afflictio ecce venit: finis venit, venit finis.* Perinde ac ſi dicat Propheta: Vna vobis iam iamque impendet calamitas adeò ſæva, ut malorum omnium ſummam contineat, atque adeò ipſa ſola extremam vaſtitatem, funeſtũque vobis exitium afferat. Sic Maldonat. in eum locum; & Delrius tom. 1. Adagio

150 896. Similem ſupplicij formam agnoſcit Pineda, tom. 1. in Iob cap. 7. verſ. 19. apud Iſaiam cap. 30. num. 32. *Et erit trãſitus virgæ fundatus, quam requieſcere faciet Dominus ſuper eum:* ut ſenſus ſit: flagellũ, quod ſemel inflictum fuerit, nunquam iterum elevabitur; tergo inhærebit. *Del primer golpe ſe le quedarà el açote pegado a las eſpaldas.*

Numerus 10.

Quia ſicut ſpinæ ſe invicem complectuntur, ſic convivium eorum pariter potantium: conſumentur quaſi ſtipula ariditate plena. ●

151 VR ſemel perdẽdos dicat, eleganti declarat exemplo. Spinarum ardentium ignis, ut acerrimus, ita breviſsim⁹ eſt, magnumque fragorem edit flammis crepitantibus. Pſalm. 117. num. 12. *Exarſerunt, ſicut ignis in ſpinis.* Eccleſ. 7. num. 7. *Sicut ſonitus ſpinarum ardẽtium ſub olla.* Sed brevi intervallo tota illa flamma in favillas, cinereſque redigitur. Iſaiæ 9. n. 18. *Veprem, & ſpinam vorabit, & ſuccendetur in denſitate ſaltus.* cap. 10 num. 17. *Succendetur, & devorabitur ſpina eius, & vepres in die una.* Apertiùs cap. 33. num.

152 12. *& erunt populi, quaſi de incendio cinis, ſpinæ congregatæ igni comburentur.* 2. Reg. 22. num. 6. *Prævaricatores autem, quaſi ſpinæ evellentur univerſi: quæ non tolluntur manibus: & ſi quis tangere voluerit eas, armabitur ferro, & ligno lanceato: igneque ſuccenſæ comburentur uſque ad nihilum.*

153 Mirum valde eſt, improbos, qui quaſi ſpinę acriter pungentes, & exulcerantes, proborum ſanguinem eliciunt. Michææ 7. num. 4. *Qui optimus eſt in eis, quaſi paliurus: & qui rectus, quaſi ſpina de ſepe:* & ut facetè dixit Comicus. *Quod rerigere, illico rapiunt, ſi eas ereptum, ſcindunt.* Tamen videmus has ſpinas inter ſe quàm arctiſsimè plecti, & validè implicari. Rectè

tè omnino Auguſt. Concione 2. in Pſal. 36. [Duo mali vix ſe patiuntur: tunc verò ſecum concordant, quando in perniciem iuſti conſpirant: non quia ſe amant, ſed quia eum, qui amandus erat, ſimul oderunt.] Et Bernard. ſerm. 24. in Cantica. [Ineunt familiaritatem ad maledicendū, concordes ad diſcordiam, conciliant in-
154 ter ſe inimiciſsimas amicitias.] Sed videlicet plectuntur inter ſe ſpinæ, & acriter conſtringuntur, ut uno incendio ſimul concrementur. LXX. mirè confirmant noſtram expoſitionem de vaſtitate Ninives, dum hîc vertunt, *quia uſque ad fundamentum ſuum redigetur in vepres.* Cui conſonat textus Hebraicus, quem vertit Vatablus, *veniēt uſque ad ſpinas perplexas.* Ita etiam Pagninus, & Regia.

155 Quod autem meminit Nahum profuſæ compotationis, audi, quid referat Diodorus in illo lib. 3. cap. 7. paulò ante Niniven excidium, de ipſo Principe flagitijs notatiſsimo, & omni turpitudine infami, qui, ſuis immundiſsimæ ritui, luxui, ac deſidiæ deditus, inſaturabile refarciebat abdomē, & in omni ſe libidinum cœno volutabat: [Sardanapalus, inquit, memor ſuperioris fortunæ, ad hilaritatem profuſus, epulum militibus ex ſacris, vinumque præbuit, aliaque epulo accommodata.] Nihil congruentius dici potuit præſenti vaticinio. Talis oblivio, & compotatio diſtinebat eos, de quib⁹ Chriſtus Matt. 24. nu. 38. & 39. & Pſalm. 77. nu. 31.

Numerus 11.

Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem.

156 Concors eſt Expoſitorum ſententia, hæc intelligenda eſſe de Rabſace ſuperbo illo duce inſolentiſsimi Regis Aſſyriorum Sennacherib: qui cùm civitatem Ieruſalem teneret obſeſſam, Iudaicè clamabat contenta voce: ſtultè regem Ezechiam, cæteroſque facturos, ſi à Deo decepti extremâ omnia experiri potiùs, quã deditionem facere vellent. 4. Regum. 18. num. 32. *Nolite audire Ezechiam, qui vos decipit dicens: Dominus liberabit nos. Numquid liberaverunt Dij gentium terram ſuam de manu Regis Aſſyriorum, ut poſsit eruere Dominus Hieruſalem de manu mea?* Eadem commemorat Iſaias, cap. 36. num. 16. & liber 2. Paralipom. cap. 32. num. 15.

157 Dicitur ergo Rabſaces cogitans contra Dominum malitiā, Hebraicè, *malum*, id eſt, ſuperbè, contumelioſèque iactans in Deum horribiles blaſphemias. 4. Regum 19. num. 22. *Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti? Contra quem exaltaſti vocem tuam, & elevaſti in excelſum oculos tuos? Contra ſanctum Iſrael.*

158 Illud verò, quod additur, *mente pertractans prævaricationem*, Hebraicè legitur ad verbum, *conſulens Belial.* Eſt autem Belial nefarium quiddam, ſacrilegum, inceſtum, fœdum dictu, auditúque: ut copioſiùs explicabo infrà in hoc cap. num. ultimo. Pagninus vertit, *qui conſulit conſilium impium.* Vatablus, *Qui cõſuluit rem impiã.* Leo Hebræus. *Conſultor Deo, & hominibus infeſtus.* Hoc enim conſilium dedit Iſraelitis, ut à veri Dei cultu ad Regem Aſſyriorum, idolaq; deficerent ſua Iſaiæ 36. num. 16. *Facite mecum benedictionem, & egredimini ad me, & comedite unuſquiſque vineam ſuam, &c.* Et hanc defectionem ad idola propriè Vulgatus *prævaricationem* appellat.

159 Illud autem obſervatione digniſsimũ cenſeo. Rebus proſperis, & ad volũtatem fluentibus, quales obveniebant Aſſyrijs, uſque eò perſtringi mentis oculos, ut cæca, temerariaque conſilia, etiam à viris alioqui prudentibus, & capiantur, & dentur. Iſaiæ 19. num. 11. *Stulti Principes Taneos, ſapientes conſiliarij Pharaonis dederunt conſilium inſipiens.* Memorabile ſanè
160 eſt, quod Senatui Romano ſuaſit Cato, quo tempore parta inſigni victoria, gaudio penè ebria, ac de mentis ſtatu deiecta

Roma esset. Refert Gelius lib. 7. cap. 3. [Scio, inquit, solere plerisque hominibus rebus secundis, atque prosperis animum excellentem, superbiam, atque ferociam augescere: quod nunc mihi magnæ curæ est, quòd hæc res tam secundè processerit, ne quid in consulēdo adversi eveniat, quod nostras secundas res confricet. Adversæ res se domant, & docent, quid opus sit facto: secundæ res lætitia transversum trudere solent à rectè consulendo, atque intelligendo: quò maiore opere dico, suadeoque, uti hæc res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in potestatem nostram redeamus.] Hactenus vir ille prudentissimus.

Numerus 12.

Hæc dicit Dominus: si perfecti fuerint; & ita plures, sic quoque attondentur.

161 Onsolatur Dominus suũ populum Rabsacis blasphemijs, & horrore simul, & timore perculsum. Legimus enim de illa trepidatione, Eccles. 48. num. 21. *Doluerunt, quasi parturientes mulieres.* Bono itaque animo iubet esse: pollicetur, hostes immanitate Barbaros, robore perfectos, bellicæ artis peritissimos, multitudine innumerabiles, uno impetu fundendos, & contrucidandos esse.

162 Cyprianus Cisterc. explicat de captivitate Assyriorum. Et quidem non diffiteor, capitis tonsionem miseræ servitutis fuisse indicium. Cuius ritus intelligentia lucem affert quàm plurimis Scripturæ locis, alioqui perobscuris; quibus recensendis in præsentia supersedeo, quia illa fusius explicavi in commentario illius loci Deuteron. 32. num. 42. *De cruore occisorum, & de captivitate, nudati inimicorum capitis.* Cuius loci sensus est. Satiabo, atq; explebo furorem meum, partim effuso hostium sanguine, partim captivitate, eaque vilissima, & abiectissima, ut pote nudati, & abrasi capitis: quod summæ ignominiæ ducebatur, ut cōstat 1. Paralip. 19. nu. 4. *Pueros David decalvavit, & rasit.* Quod etiam legimus 2. Regum 10. nu. 4. & Ezechielis 29. num. 18. *Servire fecit exercitum suum servitute magna: omne caput decalvatum.* Hunc veterem morem ex profanis Scriptoribus eruditissimè probat Guevara Habacuc 3. num. 13. Series tamen ipsa exigit, ut de gravissimo illo supplicio militibus Sennacherib divinitus illato, hunc locũ explicemus. 4. Regum 19. num. 35. *In nocte illa venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* 163

Cur autem dicantur attonderi, non possum meliùs, quàm Hieronymi verbis declarare. [Licèt robusti sint Assyrij, & fortitudo eorum numero augeatur cunctarum gentium, sic quoque Angelo vastante tondentur. Quomodò enim numerus capillorum, acutæ forcipi non repugnat, ita & numerus adversariorum Dei facili succisione tolletur.] Enim verò non infrequens est apud Latinos, Græcosque Scriptores elegans hæc, atque egregia notio verbi *tondere*: ut eruditè probat noster Bisciola, tom. 1. lib. 4. horarum subcesivarum, cap. 9. Sic enim versum Græcum inscriptum statuæ Epaminondæ, retenta verbi metaphora, transtulit Cicero, Tusculana. 5.

Cōsilijs nostris laus est attonsa Laconum.

Nec minùs eleganter dixit Propertius lib. 4. Elegia ultima.

Sub quorum titulis Africa tonsa iaces.

Et pertransibit.

EXponit Hieronymus, *Esse desistet Sennacherib.* Id est, tam lituleuta accepta plaga, revertetur in patriam. 4. Reg. 19. numer. 35. [Cùmque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum, & recedens abijt, & mansit in Ninive, cùmque adoraret in templo Deum suum, filij eius percusserunt eum gladio.] Causam 165

tam atrocis cædis à filijs factæ, excerptam ex textu originali, Tobiæ 1. refert Serarius. Cum enim, ut placaret Dagon infensum sibi, duos illi filios parator immolare, isti rem sagaciter odorati maturè prævertunt, Regemque ipsum facinus moliëtem ante aram obtruncant.

166 Nec abhorret hæc Hieronymi explicatio ab huius verbi usu. Psal. 102. n. 16. *Quoniam spiritus pertransibit in illo.* Exponit Genebrardus. [Spiritus, sive anima ab illo homine abibit, & migrabit, ideoq; non subsistet. Matth. 5. nu. 18. *Donec transeat cælum, & terra.* Maldonatus ibi; *Donec pereat, donec dissolvatur.* cap. 24. num. 35. *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non prætenibunt.* Iacobi. 1. num. 10. *Sicut flos fœni transibit.*

167 Sed si vim expendamus Hebraici verbi significantissimi, *habar*, tres alias intelligentias eruemus. Est enim Hebræis *pertransire*, quasi verbum forense, quo significatur, conditionem mutari, in servitutem abduci, rem ab alio possideri. Numer. 27. num. 8. *Ad filiam eius transibit hæreditas.* 2. Regum 3. num. 10. *Ut transferatur regnum de domo Saul.* Genes. 47. num. 20. *Subiecitque eam* (terram scilicet) *Pharaoni.* Hebraicè, *Transire fecit.* Levitic. 18. n. 21. *De semine tuo non dabis, ut consecretur idolo.* Hebraicè. *Non transire facies.* LXX. *Non subijcies servituti.* Hoc itaque sensu, *& pertransibit*, nempe Assur, hoc est, redigetur in Persarum ditionem, ac servitutem, eius Monarchia ad Medos, ac Persas devolvetur. Sic explicat Theophilactus versionem LXX. *Et auditus tuus, seu fama posthac non audietur amplius.*

168 Tertiò. Si referatur ad Deum, de quo paulò antè præcesserat, *hæc dicit Dominus*: sensus erit, *Et pertransibit*, id est, & adhuc sæviet, adhuc brachium eius extentum contra Niniven. Certum enim est, verbū *habar*, præsertim in coniugatione *Hithpael*, idem esse, ac succensere. Deuteronom. 3. num. 26. *Iratus est Dominus mihi.* Vbi Regia acutè satis expressit Hebraismum, *& transijt extra se Dominus in me.* Psalm. 77. num. 21. *Ideo audivit Dominus, & distulit.* Hebraicè. *Et transijt extrà se, iratus est.* Vnde ab hac radice ductum nomen *Hebrà* idem est, atq; excandescentia. Psal. 77. num. 49. Proverbior. 11. numero 4. *Vltio.* Isaiæ 13 num. 9. *Indignatio, & ira.* Iere. 7. num. 29. *Furor.*

169 Itaq; quod ait Propheta, & *pertränsibit*, perinde erit, ac si diceret. Post tantam stragē editam, adhuc excandescens de vobis supplicia atrociora sumet. Est enim observādum in sacro sermone, *transire*, idē esse, atque grassari, strages edere. Threnor. 4. num. 21. *Ad te quoque perveniet calix.* Hebraicè. *Etiam super te transibit calix.* Ieremiæ 15. num. 14. *Adducam inimicos tuos.* Hebraicè. *Transire faciam.* Verbum quoque Latinum in hanc sententiam usurpatur à Vulgato. Psalm. 56 num. 2. *Donec transeat iniquitas*, id est, calamitas. *Miëtras descarga este torvellino de castigos.* Exod. 12. num. 12. *Transibo per terram Ægypti.* Hoc est, meum in illam stomachum erūpam. Isaiæ 28. num. 18. *Flagellum inundans cùm transierit, eritis in conculcationē.* Ezechielis 5. num. 17. *Pestilentia, & sanguis transibunt per te.* Et cap. 14. num. 17. *Si gladium induxero super terram illam, & dixero gladio, transi per terram.* Leviti 26. num. 6. *Dabo pacem in finibus vestris: gladius non transibit terminos vestros.*

170 Quartò denique: si referatur ad Dei populum, sensus erit, *Et pertransibit Dominus*; hoc est, iam deinceps vobiscum benignè, & indulgenter se geret: sumpta hac animadversione placabitur; condonabit vobis, ac remittet offensas. Tanta est fœcunditas Hebraicæ linguæ, ut unica vox, non modò diversas, sed etiam inter se pugnantes intelligentias admittat. Isaiæ 60. num. 15. [Pro eo, quòd fuisti derelicta, & odio habita, & non erat, qui per te transiret.] LXX. *Et non erat, qui auxiliaretur.* Illustrato videlicet Hebraismo, quem retinuit etiam Vulgatus, Michææ. 7. n. 18. [Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ?] Non immittet ultrà

171 furorem

furorem ſuum.] Qui locus valde præſentem illuſtrat. Eodem verbo Hebraico in coniugatione *hiphil*, dicitur 2. Reg. 24. n. 10. *Sed precor Dñe, ut transferas iniquitatem ſervi tui*, id eſt, condones. Et 2. Regum 12. num. 13. *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum; non morieris.* Zachar. 3. nu. 4. *Ecce abſtuli à te iniquitatem.* Iob 7. num. 21. *Quare non aufers iniquitatem meam?* Hebraicè, *tranſire facis.* In hanc explicationem propendet Rupertus, & cum ea mirificè cohæret, quod proximè ſequitur.

Afflixi te, & non affligam te ultrà.

172 VErba ſunt Paternæ pietatis, conſolationiſque pleniſsima: quę męſtos, & conſternatos Iudæorum animos in ſpem erigunt meliorem. Satis iam, ô Iudæa, ſatis iam ſævitum eſt: & pro mea vetere indulgentia, fortè etiam plus ſatis. Paſſus ſum, capi multa oppida, homines cædi, agros populari, urbem hanc diuturna obſidione premi. Video Regem Ezechiam ſacco indutum, vos afflictos, & ſordidatos, anteactæ vitæ recordatione perculſos, veſtra ſcelera ingemiſcentes. Quamobrem hæc dicit Dominus de Rege Aſſyriorum 4. Regum 19. nu. 32. [Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam ſagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio:
173 per viam, qua venit, revertetur.] Vt verò rectè adnotavit Hieronym. non perpetuam ſecuritatem illis pollicetur, ſed ab illis hoſtibus, à quibus tunc obſidebātur. Hanc vim habere *non ultrà*, obſervat Ribera ad illud Ioelis 2. num. 19. *Non dabo vos ultrà opprobrium in gentibus*: & Lyranus Iſaiæ 2. num. 4. *Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prælium.*

Numerus 13.

Et nunc conteram virgam eius de dorſo tuo.

VIrgam in ſacro ſermone eſſe, 174
aut Regię poteſtatis inſigne, aut acris verberationis inſtrumentum, & ſcitum eſt, & plerique notaverunt. Et quidem in hoc loco, tametſi virga ad utrumque ſignificatum referri poteſt, magis tamen propēdeo in eam explicationem, quæ de ſervili, crudelique ſupplicio à Dei populo divina benignitate depulſo, Prophetam intelligit. Nā, ut ſceptrum cervice, aut collo, ſic plagæ dorſo excipi ſolebant. Proverb. 10. num. 13. *Virga in dorſo eius, qui indiget corde.* Et cap. 26. num. 3. *Virga in dorſo imprudentium.* At Propheta virgam è dorſo deijciendam pollicetur. Neque verò verbera dorſo inflicta excludunt, imò ſupponunt miſerrimam ſervitutem. Porrò de virgæ ſignificato in arcano ſer 175
mone, videantur Lorinus in ea verba. Pſalm. 2. num. 9. *Reges eos in virga ferrea.* Genebr. in Pſalm. 124. num. 3. *Quia non relinquet Dominus virgā peccatorum ſuper ſortem iuſtorum.* Pineda Iob. 9. num. 24. *Auferat à me virgam ſuā.* Forerius, Iſai. 9. num. 4. [Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti.] Guevara Habacuc 3. n. 14. *Maledixiſti ſceptris eius.* Alcazar, Apocalyp. 2. notatione 7. Vbi accuratè diſputat de virga ferrea in Apocalypſi repetita. Ex his Auctoribus multiplex eruditio, & humana, & divina peti poteſt.

Sed ad perpendendam eius virgæ ſe- 176
veritatem, quam, è medio ſublato Sennacherib, Deus conterendam eſſe pollicetur, notandum eſt: non hîc ſubeſſe vulgare illud nomen *ſeber*, quo identidem in Scriptura virga nominatur, etiam cùm ferreæ appoſitum adiungitur: Pſalm. 2. num. 9. Sed aliud grandius, ſignificātius,

&

& durius, nempe *motà*. Cuius nominis germanam vim exprimet significatio verbi, unde deducitur, nempe *mut*: quod propriè est ponderis, aut ictus gravitate nutare, contremiscere, corruere. Lege, quæ observat Forerius ad illud Isaiæ. 58. num. 6. *Solve fasciculos deprimentes*: seu, ut ipse vertit, *oppressiones*. Subest enim idem nomen.

177 Vulgatus ergo variè reddere solet hoc verbum. Deuteronom. 32. num. 35. *Vt labatur pes eorum*; gravissimo scilicet vulnere divinæ ultionis inflicto. Psal. 45. nu. 3. *Et transferentur montes in cor maris*. Nimirum formidabili terræmotu eos è suis sedibus convellẽte. Psalm. 93. num. 18. *Si dicebam, motus est pes meus*; scilicet cùm paulò minùs habitasset in inferno anima illius, num. 17. Proverb. 25. num. 26. *Iustus cadens coram impio*. Isaię 54. num. 10. *Montes enim commovebuntur, & colles cõtremiscent*. Vbique subest idem verbum

178 Iam verò nomen *motá* sic solet illustrare Vulgatus. *Vectis*. Numeror. 13. nu. 24. Atque hæc est eius germana significatio: admotis enim vectibus, solent vel ferreæ portæ nutare primò, deinde ad terram affligi. Indeque transfertur ad durissimum oppressionis iugum, atque adeò catenas ferreas exprimendas. Levitic. 26. num. 13. *Qui confregi catenas cervicum vestrarum, ut incederetis erecti*. Sic etiam reddit eamdem vocem, Ieremiæ 34. num. 27. *Et sciet, quia ego Dominus, cùm contrivero catenas iugi eorum*. Et Ieremiæ. 27. num. 2. *Fac tibi vincula, & catenas, & pone eas in collo*

179 *tuo*. At Ezechielis 30. nu. 18. vertit, *sceptra: nigrescet dies, cùm contrivero ibi sceptra Ægypti, & defecerit in ea superbia potentiæ eius*. Et Isaiæ 14. num. 5. *baculum*. Vbi Propheta elegantissimè describit crudelem huius impotentissimæ virgę dominatum. *Quomodo cessavit exactor? quievit tributum? Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam Dominantiũ, cædentẽ populos in indignatione, plaga insanabili, subijcientem in furore gentes, persequentem crudeliter*. Perpende huius virgæ crudelitatem in nudato nexorum dorso acerrimè sævientem.

Et vincula tua disrumpam.

I Necta etiam vincula subiectis, & oppressis, virgę huius crudelitatem produnt, atrocitatem denunciant. Ea Hieronymus refert, vel ad catenas, quibus acerrimè constricti, captivi ducendi erant, vel ad angustam obsidionem, qua arctissimè pressi tenebantur. Neque enim alienum est à sacrę Scripturę consuetudine vincula metaphoricè usurpare. Iob. 36. num. 8. *Et vinciantur funibus paupertatis*. Sapient. 17. num. 2. *Vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti*. Tobię 3. nu. 15. *Vt de vinculo improperij huius absolvas me*. Ecclesiast. 7. num. 27. *Vincula sunt manus illius*. 180

Ille verò est glorioßissimus Dei titulus. Psal. 67. num. 7. *Qui educit vinctos in fortitudine*. Psalm. 68. n. 34. *Vinctos suos non despexit*. Psalm. 145. num. 8. *Dominus solvit compeditos*. Psalm. 106. nu. 14. *Et vincula eorum disrupit*. Isaię 42. num. 7. *Et educeres de conclusione vinctum*. cap. 49. num. 9. *Vt diceres his, qui vincti sunt, exite*. Ierem. 30. nu. 8. (qui locus est huic quàm simillimus.) *Conteram iugum eius de collo tuo, & vincula eius dirumpam*. 181

Numerus. 14.

Et præcipiet super te Dominus, non seminabitur ex nomine tuo amplius.

IRia mihi priùs quasi fundamenta iacienda sunt, quibus huius loci explicatio sulciatur. Primum est. In sacro sermone semẽ appellari liberos. Genes. 4. num. 25. *Posuit mihi Dominus semen aliud pro Abel*. Et cap. 46. num. 6. *Cum omni semine suo*. Deuter. 4. num. 37. *Elegit semen eorum post eos*. Levitici. 22. num. 13. *Repu-* 182

diata, & absq; liberis. Hebraicè, *sine semine.* 3. Regum 1. nu. 33. *David autem, & semini eius sit pax.* Et sexcentis alijs locis.

183 Atque hinc ortum est, ut seminari dicatur populus, seu familia, cùm latissimè propagatur, & augetur sobole numerosa: ut eleganter de Ecclesia exposuit Leo sermone 1. de Petro, & Paulo. [Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur: & semper Dominicus ager segete ditiori vestitur; dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.] Oseæ 2. num. 23. *Et seminabo eam mihi in terra,* id est, non continebitur intra huius regionis angustias: per totum orbem eam diffundam, latèque propagabo. Ieremiæ 31. num. 27. *Seminabo domum Israel, & domũ Iuda semine hominum,* id est, valde dilatabo, & amplificabo. Zachar. 10. num. 8. *Et multiplicabo eos, sicut antè fuerant multiplicati, & seminabo eos in populis.* Ezechielis 36. num. 9. *Et convertar ad vos, & arabimini, & accipietis sementem* (Hebraicè. *Et seminabimini.* Regia, *seremini*) *& multiplicabo in vobis homines.*

184 Secundò notandum est. Summi beneficij, ac eximiæ cuiusdam mercedis loco fuisse semper habitum, cùm Deus hominis sibi fidelis posteritatem quàm diutissimè, & quàm numerosissimè propagat. Genesis 22. num. 16. [Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum.] Et cap. 48. num. 19. [Frater eius minor maior erit illo, & semen illius crescet in gentes.] Exodi 1. 185 num. 21. [Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos.] Id est, auxit, firmavitque earum progeniem, ut doctè explicat Pererius disput. 10. num. 47. Iob. 5. num. 25. [Scies quoque, quoniam multiplex erit semen tuum, & progenies tua, quasi herba terræ.] Psalm. 88. num. 5. [Usque in æternum præparabo semen tuum.] Psalm. 127. num. 3. [Filij tui, sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuę: ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.] Isaiæ 61. num. 9. *Et scient in gentibus semen eorum.*

Tertiò denique: gravissimum contrà esse supplicium, posteritatem omnẽ extingui, nominisq; memoriã funditus aboleri. Psalm. 20. nu. 11. [Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum à filijs hominum.] Eadem scilicet metaphora seminis, Isaiæ 40. nu. 23. [Iudices terræ velut inane fecit: & quidẽ neq; plantat⁹, neq; satus, neq; radicatus in terra trũcus eorũ.] Quem locũ doctè explicat Forerius. [Reges, & Tyrãnos statim initio imperij sæpe aufert, & de medio tollit, antequàm prolẽ generẽt, nõ relicta sobole.] Oseæ 9. n. 14. *Da eis vulvam sine liberis, & ubera arẽtia.* 186

Iam ergo perspicua erit loci sententia. 187 Minatur enim Deus, Sẽnacherib (ut inter omnes cõvenit interpretes) ex liberis suis nullã posteritatem propagandã, nominis sui memoriã prorsus extinguendã, imperiũ ad hostes trãsferendũ. Chaldæus. *Neque erit amplius memoria nominis tui.* Vt omnino sit idem, *non seminabitur ex nomine tuo amplius*, atq; funestum illud vaticiniũ Psal. 108. n. 13. *Fiant nati eius in interitũ: in generatione una deleatur nomen eius.* Seu 188 aliud simile, Isai. 14. nu. 20. de Nabuchodonosor: [Non vocabitur in æternum semen pessimorum: præparate filios eius occisioni in iniquitate patrum suorum: non consurgẽt, nec hęreditabunt terrã.] Duo enim filij Sẽnacherib parentis interfectores ad Armenos transfugerunt. 4. Reg. 19. num. 37. Tertius, qui patri successit, quadriennio duntaxat regno potitus fuit; ultimusq; fuit ex ea familia, ut Metasthenem laudans vetustissimum historicum prodit hîc Arias Montanus.

Hæc cùm expedita sint, nescio in quas 189 angustias se conijcit doctus interpres, unde vix se potest extricare; & tandem propendet in Lyrani expositionem, ut minetur Propheta Sennacherib, nullum filiũ in posterum eum susceptum. Magnum scilicet supplicium, si filij iam suscepti sine liberis non decederent. Sed Metasthenes iste quibusdam suspectę fidei est. Quẽ

tamẽ Metasthenem à multis exsibilatum, & explosum acerrimè tuetur Guevara Habacuc. 2. vers. 8. num. 152.

De domo Dei tui interficiã sculptile, & conflatile.

190 VT faciliora priùs expediamus, idola fiebãt ex omni materia. Danielis 5. num. 4. *Laudabant Deos suos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneosque, & lapideos.* Quod igitur dolando, sive exculpendo fiebat ex ligno, lapide, aut ebore, dicebatur sculptile; si autem ex liquefacto, fusoque metallo, auro, vel argento formaretur, conflatile appellabatur. Lege Riber. hîc num. 40.

191 Idem Ribera hæc verba refert ad cędẽ Sennacherib factam in templo, cùm ibi adoraret idola. 4. Reg. 19. nu. 35. Sed hæc explicatio omnino reiecta est editione castigatissima Vulgata, quæ nullam distinctionis notã apponit post verbum, *interficiã*; imò verò cum eo copulat *sculptile, & conflatile.* Accedit, quòd & accusandi casum arbitratu suo supplet Ribera: & locutionem illam duriusculã, *de domo Dei tui*, hoc est, ut ipse explicat, *in domo Dei tui*, nondum mihi visus est satis emollire.

192 Ita ergo interpretor, ut LXX. in hoc loco. *De domo Dei tui dispersdã sculptilia, & conflatilia.* Estque gravissima sanè cõminatio. Quis enim, cùm videat urbis direptorem, incensum ira, templa ipsa diruere, Deorũ simulacra deijcere, raptare, comminuere; in animum inducat, eum sibi à privatis ædibus, fortunisque civium temperaturum? Et quidem de dira illa excisione Ninives ita scribit Diodor⁹, lib. 3. cap. 7. circa finem. [Vrbem à solo evertit, aurum, argentumque omne (nam ad multa talenta ex incendio effluxerat) detulit in Ecbatanam Mediæ urbem]

193 Obijcit Ribera, *interficere sculptile*, durissimè dici: rationem nobis ducendam esse Latinæ translationis. Ego verò tantùm abest, ut deseram translationem Latinam, ut potiùs pro illa integrè tuenda, reijciam explicationem Riberæ, qui dissecat orationem, quam Vulgata coniungit. Sed in primis LXX. legunt, *dispersdam*. Deinde verbum *carat* propriè est *succidere*, & sic reddit Vulgatus 4. Reg. 18. num. 4. *Succidit locus*, & Deutero. 20. num. 20. *præcidere*. Isaiæ 18. num. 5. Iere. 10. num. 3. & 1. Regum 31. num. 9. *delere*; 2. Paralipomen. 22. num. 7. *eradere*. 1. Regum 28. num. 9. *disperdere*. Psalm. 12. numero 4. Itaque germanus verbi usus est, cùm aliquid prorsus exscinditur.

194 Addo etiam, à Vulgato usurpatum fuisse *interficiendi* verbum in hac significatione. Ieremiæ 50. num. 26. Vbi de Babylone sermo est: *tollite de via lapides, & redigite in acervos, & interficite eam, nec sit quidquam reliquum.* Ezechielis 25. nu. 7. de urbe Rabbath: *tradam te in direptionem gentium, & interficiam te de populis, & perdam de terris, & conteram.*

Ponam sepulchrum tuum, quia inhonoratus es.

195 Ribera, qui verba illa, *sculptile, & cõflatile*, connectit cum hac sententia, & à priore dispungit, congruenter explicat suæ interpunctioni. Suspicatur Sennacheribum in Templo trucidatum, in tantum suorum odium incurrisse, cùm propter naturæ insolentiam, ingeniumque præfractum; tum propter illam militum stragem, inustamque ignominiæ labem Assyrio nomini, ut truncus, & insepultus inter simulacrorum pulvinaria relinqueretur. Sensus itaque erit. Non conteget tuum cadaver humus iniecta: sculptilia, & conflatilia idola erunt tuum sepulchrum: ut sit illud, quod scitè cecinit Lucanus, lib. 7.

Cælo tegitur, qui non habet urnam.

Violenta prorsus interpretatio, quam neque historici ullius veteris auctoritas fulcit, neque interpunctio sustinet Editionis Vulgatæ.

196 Non eſt dubium, quin omni memoria dirum, ominoſum, atq; funeſtũ habitum ſit, carere ſepultura, inhumatumq; proijci feris, aut volucribus dilaniãdum. Miſſam facio Cynicam illã Diogenis libertatem, ab omni humanitate abhorrentem; cuius meminit Cicero Tuſculana prima: vide Pontanum ad 2. AEneidos col. 947. Mitto ferinos ritus, barbaramq; immanitatem quarũdam nationũ, de quibus eruditè Tiraquellus in Alexandrũ ab Alexãdro, lib. 3. Genialiũ dierum, c. 2. Hoc certè communi naturæ ſenſu comparatũ eſt, & vetere omniũ gentiũ conſuetudine firmatum. Cuius rei ex omni antiquitate innumera exempla peti poſſunt. Multa cõgerit ex Græca, & Latina hiſtoria Lambinus in Horatium lib. 1. Ode. 28. & in Epodo Ode. 5. Ego breviter attingam Divinis prodita monumentis.

197 Ierem. 22. n. 19. de Rege Ioachim. [Sepultura aſini ſepelietur, putrefactus, & proiectus extra portas Ieruſalẽ.] Pyramidem ſibi extruxerat Abſalon, in eaq; ad propagandam ſui memoriam, grandioribꝰ litteris nomẽ inciderat. Dixerat enim, non habeo filium, & hoc erit monimentũ nominis mei. 2. Re. 18. n. 18. Sed vide, quale tandem ſepulchrum illi obtigerit, n. 17. [Proiecerunt eum in ſaltu in foveam grandem, & comportaverunt ſuper eum acervum lapidum magnum nimis.]

198 Iſai. 22 n. 16. Ad Sobnam præpoſitum templi. [Excidiſti tibi hîc ſepulchrum, excidiſti in excelſo memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi.] n. 18. *Ibi morieris, &c.* Non poſſum luculẽtiſsima Claudiani carmina ex lib. 2. in Ruffinum huic loco aptiſsima ſilentio involvere.

Trivijs calcandus ſpargitur ecce,
Qui ſibi Pyramidas, qui nõ cedentia templis,
Ornatura ſuos extruxit culmina Manes.
Et qui Sydonio velari credidit oſtro,
Nudus paſcit aves: iacet en, qui poſsidet orbem,
Exiguæ telluris inops, & pulvere raro
Per partes tegitur: nuſquam, totieſque ſepultus.

199 Eodẽ ſupplicio affecta fuit ſoboles Ieroboã, uno duntaxat parvulo excepto, 3. Regum 14. n. 12. [Qui mortui fuerint de Ieroboã in civitate, comedẽt eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cœli.] Et num. 13. *Iſte ſolus inferetur de Ieroboam in ſepulchrum, quia inventus eſt ſuper eo ſermo bonus, &c.* Vide etiam de Ioram 2. Paralip. 21. n. 19. & 20.

200 Hæc omnia aperte demonſtrant, ſolitum eſſe Deum Principum ſcelera ſepulturæ ignominia, aut cadaveris proiectione punire. Quare non valde pugnarem, ſi in eo, quod ſcribit Ribera, Sennacheribum inhumatum diu iacuiſſe, ſententiam mihi probaret ſuam, eamque veteris cuiuſpiam hiſtorici auctoritate fulciret. Sed quis credat Regem in ſuo ſanguine volutatum, in ipſo templo ſepulturæ beneficio caruiſſe? Cùm præſertim patratores cædis continuò aufugerint in Armeniam, & illi in Regnum ſucceſſerit filius, quem cogeret pietas regali pompa iuſta ſolennia Parenti celebrare.

201 Cùm igitur ipſe contextus exigat, ut fateamur, Prophetam ſubinde perſonam mutare; & modò alloqui Rabſacem, modò Sennacheribum, modò etiam Sardanapalum: modò iactare minas, modò in ſpem meliorem erigere: quia ut egregiè Hieronymus initio Commentariorum in cap. 2. [Hinc vel maximè obſcuri ſunt Prophetæ, quòd repentè, dum aliud agitur, ad alios perſona mutatur.] Cùm proximè anteceſſerit vaticinium de ſimulacris excidendis, quod certum eſt ad Ninives vaſtitatem, id eſt, ad Sardanapali tempora referri; ſuſpicor hæc verba ad eumdem Sardanapalum ſpectare: eamque eſſe ſententiam; *ponam ſepulchrum tuum.* Scilicet ignominioſum, atque probroſum. *Yo te darè la ſepultura, q̃ mereces. Serà la mas infame, que aya jamas avido en el mundo.*

202 Et quidem Sardanapali ſepulchrũ fuiſſe longè omnium poſt hominũ memoriã probroſiſsimum, & notatiſsimum, nemo eſt vel mediocriter litteris tinctus, quin

saltem fama ipsa, & auditione exceperit. Carpunt, & proscindunt contumelijs veteres Scriptores epitaphiũ illud infame, quod homo voluptari, & mulierosus, vel potius intemperantissima bellua sub hominis specie latens, incidi iussit in busto.

Hæc habeo, quæ edi, quequè exaturata libido
Hausit: at ibla iacent multa, & præclara relicta.

Quid aliud (inquit Aristoteles, & refert Tullius Tusculana 5.) *in bonis, non in Regis sepulchro inscribere? Hæc habere se mortuũ dicit, quæ ne vivus quidem diutius habebat, quàm fruebatur.*

Congruit mirificè cum hac tam insigni turpitudine ratio, quam Propheta subiungit, *quia inhonoratus es.* Regia. *Quia despectus fuisti.* Vatabl. *Quia vilis, & ignominiosus factus es.* Montanus. *Quia ignominiosè contemptibilis fuisti.*

Numerus 15.

Ecce super montes pedes evangelizantis, & annuntiantis pacem.

203 NOva rursus personæ mutatio hîc necessariò concedenda est. Certum enim, & proximum Ninives excidium mentis oculis prospiciens, epinicion quasi canit Propheta; & populo fideli de tam infesto hoste sublato, ac prorsus extincto, gratulatur. Videor, inquit, mihi videre properantes nũcios, gaudio gestientes, & extremam cladem illatam Assyrijs sublatis vocibus denuntiantes. Hanc celeritatẽ expressêrunt LXX. *Quia veloces ecce super montes.*

204 Refert hîc Arias Montanus, & Pineda in Salomone lib. 6. c. 20. n. 9. Ex vetusta Hebræorum traditione, eam olim percrebuisse consuetudinem, ut quæ omnibus nota, publicèq; testata vellent esse, quęq; omnium scire magnopere referret, ea præconis voce ex montibus proclamãda curarent: atq; hoc modo festi dies, sabbata, novilunia, deniq; quæcunq; in bello, aut in pace servari oporteret, publicè indicebantur. Quæ sanè observatio multa nobis explicabit Scripturæ loca.

Sed antequàm ad ea veniamus, notandum est: hanc consuetudinem ipso urbis situ vehementer confirmari; erat enim Ierusalem, terraq; ipsa promissionis montibus plena, rotaq; iugosa. Psal. 124. n. 1. *Qui confidunt in Domino* (erunt firmi, stabiles, & immobiles) *sicut mons Sion* (qui altissimis fixus radicibus, nunquam poterit loco dimoveri: ita) *non commovebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem* (Divino patrocinio septus, ac munitus.) *Montes in circuitu eius* (nempe Ierusalem, est enim generis feminini similiter) *& Dominus in circuitu populi sui.* Id est: sicut Ierusalem tutissimis circumquaq; montibus est vallata, ita erit Deus pro muro, atque præsidio suis cultoribus. 205

Iam ergo ad hanc consuetudinem spectat illud Isaiæ 40. nu. 9. [Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Siõ: exalta in fortitudine vocem tuam.] c. 42. n. 11. *De vertice montium clamabunt.* Ps. 71. n. 3. *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam*, id est, ex editis montibus promulgetur. 206

Atq; hæc ipsa vetus consuetudo lucẽ affert obscurissimæ versioni LXX. in illo Isaiæ 52. n. 7. *Quã pulchri super mõtes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem.* Ipsi legunt: *quia ego ipse, qui loquebar, adsum, sicut hora super montes, sicut pedes evangelizantis auditum pacis.* Et quanvis Origenes, & Cyrillus ex ambiguitate Græcę vocis *Ora*, quę (ut fatetur etiã Hieronymus) & horã, & verni temporis amænitatem significat; in hac secũda significatione usurpent, & de Christo explicent, qui hyemis asperitatem depulit, & ver amænissimum hominibus attulit; Cãt. 2. n. 11. *Iam enim hyems transijt, imber abijt, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra.* Sed Editio Vaticana LXX. legit, *sicut hora*, ut plerique legerunt Patres. 207

Subit itaq; meum animũ suspicio, alludi ad eam cõsuetudinem, qua neomeniæ, 208

sabbata,

Sabbata, horæ, & partes diei festi (ad Colossenses 2. num. 16.) ex edito monte indicebãtur. Nam & Athenis Magistratum fuisse, qui Gnomon vocaretur, cui videtur hæc cura demandata, refert Rodiginus Lectionum antiquarum lib. 12. cap. 9. Eadem cura penes Censorem erat apud Romanos, ut Auctor est Plinius lib. 7. c. 60. & Gelius lib. 14. cap. 7. & 1. Paralipomen. cap. 12. num. 32. ita legimus. [De filijs quoque Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum,
209 quid facere deberet Israel.] Itaque, quia Christus venit, *ut prædicaret annum placabilem Domino*, Isaiæ 61. numer. 2. & in die magno festivitatis, Ioannis 7. num. 37. ad circumfusam multitudinem clamaturus erat, *si quis sitit, veniat ad me, & bibat*; comparatur denuntianti dies festos, atq; ex edito monte lætum, faustumque nuntium promulganti. Hanc enim esse germanam vim verbi, *Evangelizare*, & vulgo iam notum est, & Salmeron tom. 1. Prolegomeno 23. & Maldonatus initio Commentariorum in Matthęum, diligenter adnotaverũt. Qui verò iuxta Latinum textum, eruditam volet interpretationem loci Isaiæ, legat Toletum Cardinalem ad Romanos 10. annotatione 8.

Celebra Iuda festivitates tuas.

210 Silent festivitates, armis perstrepentibus: & urbe obsidione cincta, non possunt solito advenarum concursũ celebrari. Sic refertur 2. Paralip. 30. num. 2. solemnitatem Paschæ reiectam fuisse in mensem alterum, quia populus nondum congregatus fuerat in Ierusalem. Iam verò deletis Assyrijs, obsidione soluta, animis timore liberatis, profusa lætitia, solemnique pompa, & apparatu dies festi possent agitari.

Et redde vota tua.

211 INditum est à natura mortalium generi, ut rebus in extremum discrimen adductis, ac propè desperatis, votis nuncupatis opem numinis imploremus. Acutè Plinius lib. 8. c. 16. *Tum præcipuus votorum locus est, cùm spei nullus est.* Ovid. 1. Tristium.

Dy maris, & terræ, (quid enim, nisi vota
supersunt?)
Parcite quassatæ solvere membra ratis.

Et 3. Fastorum. (*benis*

Vincitur ars vento, nec iam moderator habetur: at votis is quoque poscit opem.

Romuli insigne votum Livius retulit 212
lib. 1. [Deme terrorem Romanis, fugāq; fœdam siste: hîc ego tibi templum statori Iovi, quod monumentum sit posteris, tua præsenti ope servatā urbem esse, voveo.] & lib. 41. Cùm pestilentiæ finis non fieret, populus in foro votum concepit, si morb⁹, pestilẽtiaq; ex agro Romano emota esset, biduum feriam, ac supplicationẽ se habiturum. Fiebant etiam vota privata pro valetudine recuperanda, pro incolumitate itineris, aut navigationis. Lege Sueto. in Augusto, c. 23. in Caligula, c. 14. & in Nerone c. 54. Gelium lib. 16. cap. 6. Tiraquellum in Alexandrum, lib. 3. c. 22. Lambinum in Horatium lib. 1. Ode. 5.

Me tabula sacer votiva paries indicat.

In Scriptura passim suppetunt exem- 213
pla. Genes. 28. n. 20. Iudicum 11. num. 30. & 1. Reg. 1. n. 11. & 2 Reg. 15. n. 8. Act. 18. n. 18. Vota verò semel concepta, exactissimè esse reddenda, crebrò sacræ præcipiunt litteræ. Levitici. 27. nu. 2. Numer. 6. nu. 2. Deut. 23. num. 21. Psal. 75. num. 12. Eccles. 5. num. 3.

Atque hoc ipsum gratulabundus Pro- 214
pheta monet, ut vota Deo nũcupata, cùm ab Assyrijs premerentur, maturè, cumulatèq; persolvant. Et re ipsa ita contigisse, post cædem illam factam ab Angelo in exercitu Sennacherib, proditum est 2. Paralip. 32. nu. 22. [Et præstitit eis quietem per circuitum: multi etiam ferebant hostias, & sacrificia Domino in Ierusalem.] Hęc enim erat illa hostia pacifica retributionũ, seu compẽsationũ, quæ in gratiarũ actionẽ pro obtenta pace offerebatur. De qua Ribera lib. 4. de Templo, cap. 4.

Quia non adijciet ultrà, ut pertranseat in te Belial: universus interijt.

215 EXcisa, atque funditus vastata Ninive, Assyrijs ad internecionem usque deletis, securitatem illis in posterum pollicetur. Verùm, quia vox Belial sæpe occurrit in Scriptura, eius nobis germana vis semel excutienda est. Hieronym. in c. 28. Isaiæ agens de Diabolo. [Appellatur, inquid, Belial, idest, apostata, prævaricator, & absque iugo: & ubicunque LXX. exponunt filios pestilentiæ, in Hebraico scriptum est, filij Belial.] Congruenter exponit hāc vocem Vulgatus. 3. Reg. 21. num. 13. *Adductis duobus viris filijs Diaboli.* Hebraicè *Belial.* Et paulò pòst: *at illi, scilicet ut viri diabolici, dixerunt contra eum testimonium.* Hebraicè *Belial.* LXX. *Filij exleges, seu viri rebellionis,* vertere interdum solent, ut Deuteronom. 13. num. 13.

216 Vulgatus Iudicum 19. num. 22. nominis notationem expressit. *Filij Belial,* (idest, absque iugo.) Derivatur enim, ut probabilior opinio fert, à præpositione *beli,* idest, absque, & *hol,* idest, iugum. Et propriè significat hominē insigniter improbum, perditè sceleratum, perfrictæ frontis, profligatique pudoris: qui Divinę legis iugum excusit, qui omnia repagula perfregit, & sine ullo timore Deo impudentissimè adversatur. Proverb. 6. nu. 12. & Iob 34. num. 18. *Apostata* redditur à

217 Vulgato: qui scilicet à Deo volens, prudensque recessit. Proverb. 16. num. 27. *Vir impius.* Tales describuntur. 1. Reg. 2. num. 12. *Filij Heli, filij Belial, nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum.* LXX. *filij pestilentes.* Procacissimi, obstinatissimique contemptores Dei; qui parentis monita, non dico ad animū, sed ne ad aures quidem admittebant. Cùm enim eos senex increparet, num. 23. *Quare facitis res huiuscemodi, res pessimas?* num. 25. *Non audierunt voces patris sui.*

Eamdem vocem solet Vulgatus reddere per abstractum in hoc cap. num. 11. 218
Vbi de blasphemo, & in Deū, hominesq; contumelioso Sennacheribo, *mente pertractās prævaricationem,* Hebraicè *Belial.* Psalm. 17. num. 5. *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Hebraicè. *Belial.* Exponit Genebrard. impetus, & violentiæ iniquorum; subitæ, & impetuosæ improborum incursiones. Vir enim *Belial,* cùm effractis timoris divini repagulis, odijs inflammatis in proximum rapiuntur, instar concitatissimi torrentis, cæco impetu omnia perrumpunt, atque pervertunt. Qui plura volet de hac voce, legat Riber. in hoc loco Ioan. Fernandez in suo Thesauro, verbo, *Belial.* Pined. tom. 2. in Iob. cap. 34. vers. 18. Iansen. Proverb. 6. num. 12. Maluēdam lib. 1. de Antichristo, cap. 3. Delrium deniq; tom. 1. Adag. 126.

Pertransire verò hostile quiddam præ- 219
sefert, calamitosum, & exitiale. Forerius ad illa verba Isaiæ cap. 52. nu. 1. *Quia non adijciet ultrà, ut pertranseat per te incircumcisus, & immundus;* censet metaphoram duci à victorum insolentia, prostratorum, cæsorumque hostium colla calcantium. Certè significat affligere, ac divexare: Zachariæ 9. num. 8. *Non transibit super eos ultrà exactor.* Lege, quę adnotavi num. 12.

Ille autem loquendi modus; *non adij-* 220
ciet ultrà, ut pertranseat, id est, non pertransibit, Hebraismus est in Scriptura frequentissimus, quem sæpe Vulgatus exprimit: *non apponet, non adijciet, non adder.* Sæpe illustrat duntaxat Latinismo. Genes. 4. num. 2. *Rursusque peperit.* Hebraicè. *Et addidit, ut pareret.* Vel unicum caput 8. libri Geneseos quatuor nobis exempla suppeditat, nu. 10. *Rursum dimisit columbam.* Hebraicè. *Et addidit emittere columbam.* num. 12. *Quæ non est reversa ultrà ad eum.* Hebraicè. *Quæ non apposuit reverti.* num. 21. *Nequaquam ultrà maledicam terræ.* Hebraicè. *Non adijciam, ut maledicam.* Ibidem. *Non igitur ultrà percu-*

tiam.

tiam. Hebraicè. *Non addam adhuc, ut percutiam.*

221 Et verò LXX. Interpretum versio in hoc loco per quàm difficilis est. Ita enim ipsi reddiderunt. *Quia nequaquam apponet ultrà transire per te in vetustatem.* Theodoretus videtur referre ad ipsas festivitates, quæ iam deinceps nunquam veterascent, nunquam intermissæ conquiescent: potiùs de die in diem renovabuntur. Magis assentior Theophilacto, qui refert ad Assyrios. [Hostes, inquit, tui non diu perseverabunt.] Non stabilietur ipsis felicitas: iam celerrimè funditus interibunt: non ad diuturnum tempus te divexabūt.

CAPVT. II.

Numerus 1.

Ascendit, qui dispergat coram te.

1 VSque adeò discrepant Expositores in hoc loco, ut neque Latini cum Græcis, neque ipsi inter se Latini conveniant: imò vix reperias unum, qui cum altero consentiat. Discrepantes verò sententias, sectanti brevitatem neque vacat refellere, neque lubet: tantùm explicabo meam. Assentior Hieronymo, qui hos belli terrores ad Niniven spectare censet: sed in eo dissentio, quia consentaneè ad ea, quæ exposui, ad vastitatem illam, atq; excidium illatum ab Arbace Medorum duce, totum refero vaticinium.

2 Quod Vulgatus reddit, *qui dispergat*, exprimitur unica voce originali, eaque significantissima, quam plerique vertunt: *Vastator*, seu *dissipator*. Verùm ut assequamur eius vim, notādum est, verbum *puts*, unde vox illa derivatur, propriè significare, *conterere*, *allidere*, *confringere*: ita ut significatione non differat à *napats*, ut observavit Mercerus. Ierem. 23. num. 29. *Et quasi málleus conterens petram.* Habac. 3. num. 6. *Contriti sunt montes sæculi.* Vtrobique subest idem verbum, sicut & Iob 16. num. 13. *Confregit me.* Illud autem Isai. 27. num. 9. *Sicut lapides cineris allisos*: & Psalm. 2. num. 9. *Tanquam vas figuli confringes eos*, plerique referunt ad *napats*. Certè vocem ipsam, quæ hîc reperitur, Latinus interpres, Proverb. 25. num. 18. vertit, *iaculum*. LXX. *clavam*. Hebraizantes, *malleum*. Instrumenta scilicet ad ossa confringenda, & comminuenda, ut notat ibi Iansenius.

Sed est locus maximè illustris Iere. 51. 3
num. 20. Vbi Rex Nabuchodonosor appellatur etiam à Deo *confractor*, sive *vastator*. Latina sic habent. [Collidis tu mihi vasa belli, & ego collidam in te gentes, & disperdam in te regna.] Hebraica sic verbum è verbo exprimit Regia: *malleus spargens tu mihi instrumenta belli, & conteram dispersione in te gentes.*

Quibus verbis indicatur, quid sibi ve- 4
lit Vulgatus, cùm hoc verbum sæpe reddit, *dispergere*, aut *dissipare*: est enim elegantissima significationis expressio. Cùm enim ad saxum validè allisa confringitur testa, dissiliunt magno impetu fragmenta, & in minutissimas partes comminuta, huc, illuc disperguntur, ac dissipantur. Quale suppliciū minitatur Deus Isai. 30. num. 14. [Et comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida: & non invenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio.] In hanc itaque sententiam intelligendus est Latinus interpres, cùm ita vertit hoc verbum. Numerorum 10. nu. 35. *Surge Domine, & dissipentur inimici tui*, id est, fracti, atque contriti dissijcrantur. Iob 40. num. 6. *Disperge superbos in furore tuo.* Isaiæ 24. num. 1. *Ecce Dominus dissipabit terram, & disperget habitatores eius.*

Iam ergo expensa verbi proprietate, 5
perspicua est Prophetæ sententia. *Ascendit, qui dispergat*, id est, qui tanquam malleus te comminuat, qui agros populetur, homines contrucidet, urbem denique totam (ut est apud Diodorum lib. 3. c. 7.)

funditus

funditus à solo evertat. Emphasim etiam habent verba illa *coram te*. Hebraicè. *Ante faciem tuam*. Vatablus. *Ob oculos tuos*, id est, te inspectante, & intimis sensibus dolorem hauriente, nec valente cladem propulsare. *Se te vendrà a los ojos, y a las barbas*. Non ex insidijs, aut occultis cuniculis, sed palàm, aperto Marte depugnabit.

Qui custodiat obsidionem.

6 ID est, qui te suis copijs arctissimè vallatam, & obsessam, quàm diutissimè teneat. Cùm enim Ninive murorum altitudine, ac firmitate inexpugnabilis omnino videretur; cùm nondum fuissent excogitata tormenta ænea, quibus mænia quatiuntur, ac verberantur; cùm obsessi, & militum numero, & commeatu, aquisque perennibus abundarent; Arbaces nihilominus nunquam despondit animum, sed pertinacissimè ad triennium usque obsidionem extraxit. Auctor est Diodorus loco indicato.

Contemplare viam.

7 MIra hîc rursus in re perfacili Expositorum varietas. Solent Prophetæ, cùm denunciant iam iamque imminentem cladem, adeòque certam, ac fixam divino decreto, ut humanitus arceri, declinarive non possit: impijs in angustum deductis insultare, eosque excitare, quasi per contemptum, & irrisionem, ad avertendam calamitatem, ad præsidia sibi comparanda. Isai. 21. num. 5. Cùm prædiceret excidium Babylonis; *pone mẽsam, contemplare in specula comedentes, & bibentes: surgite Principes, arripite clypeum*: perinde ac si dicat. Agite verò: etiã dum cibum sumitis, nolite vel tantillùm à speculatore oculos detorquere: armamini clypeis, stringite gladios. Et cap. 23. n. 12. ad Tyrum. *Virgo filia Sidonis, in Cethim consurgens transfreta: ibi quoque non erit requies tibi.*

Huc itaque referenda sunt hæc verba, 8
contemplare viam. Ita enim natura comparatum est, ut identidem eò reflectamus oculos, unde aliquid speramus. Cuius rei exemplum extat perillustre Tob. 11. n. 5. [Anna autem sedebat secus viam, quotidie in supercilio montis, unde respicere poterat de longinquo. Et dum ex eodem loco specularetur adventum eius, vidit à longè, & illico agnovit venientem filium suum.] Obsessis verò nihil optatum magis, nihil magis speratum, quàm subsidiariæ militum copiæ, quæ sibi suppetias ferant: eas cùm anxiè expectant, oculos de via non deflectunt: & quidem ita scribit de Sardanapalo Diodorus in illo l. 3. c. 7. [Per epistolas reliquorum, qui non defecerant, auxilia accersit, ad ferendam obsidionem paratus.]

Conforta lumbos, robora virtutem valde.

HAEc etiam spectant ad eamdẽ per- 9
missionem ironicam. Qualis est illa apud Poetam Aeneid. 4.

I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas.

Talis est illa l. 9.

I, verbis virtutem illude superbis.

Et apud Iuvenalem Satyra 12.

I, nunc, & ventis animam committe, dolato
Confisus ligno.

Similis sarcasmos frequens est apud Prophetas. Iudic. 10. num. 14. [Ite, & invocate Deos, quos elegistis; ipsi vos liberent in tempore angustiæ.] Et aliàs sæpe.

Confortare verò lumbos est, robur, ac 10
vires excitare: magna enim fortitudinis pars sita est in lumbis. Vnde & imbecilli, ac debiles, elumbes à Latinis nominantur. Vel, quod ego potiùs existimo, idem est, atque arma arripere, seque ad propulsandos hostiles impetus acerrimè comparare. LXX legunt, *tene lumbum*. Interpres Theophilacti. *Constringe lumbos*.

Vt autem concedamus, in Scriptura 11
accin-

accingere lumbos, frequentissime habitum esse hominis expediti ad iter aggrediendum. Tob. 5. nu. 5. & 3. Regum 18. num. 46. & 4. Regum 9. num. 1. Tamen negandum non est, longè frequentius esse, balteo illo militari se præcingere. Hinc apud profanos scriptores, *accingi*, idem omnino est, atque ad pugnam, ac certamen se expedire, quia videlicet ad militiam ituri armis cingebantur. Lucre l. 2. *De manus, aut si falsa est, accingere contra.* Hinc veteres illi Romani *cincti* vocabantur, hoc est, *armati*, ut probat Lambinus in id Horatij, de Arte poetica.

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis.

12 Derivatum hoc ad Ethnicos ex sacro fonte. Genes. 49. num. 19. *Gad accinctus præliabitur.* Numeror. 32. num. 17. *Nos autem ipsi armati, & accincti pergemus ad præliũ.* Eccles. 36. num. 28. *Quasi succinctus latro.* 4. Reg. 3. num. 21. *Convocaverunt omnes, qui accincti erant balteo.* Iudic. 18. nu. 11. *Accincti armis bellicis.* 2. Regum 21. n. 16. *Accinctiense.* Hinc illud 3. Regum. 20.

13 num. 11. *Ne glorietur accinctus æquè, ut discinctus*, id est, non ita magnificè se iactet, qui adhuc ancipiti Marte decertat, ac ille, qui iam victoriam reportavit. Et Iudicũ cap. 8. num. 17. Vbi nos legimus, *sexcentis viris fortissimis*. Hebraicè, *accinctis*. Sæpe enim militum animi, spiritus, ac vires pẽdent ex armis. Exod. 13. num. 18. *Armati ascenderunt filij Israel.* Hebraicè, *hamusim*, id est, *præcincti*. Quam vocem Hebraicam luculentè explicat Masius Iosue 1. n. 14. Tandemque concludit. [Visitatissimum est in sacra historia, succinctis lumbis significare expeditum robur, atq; alacre, ac paratum studium, strenuamque fortitudinem.]

14 Hinc etiam crebræ illæ metaphoræ. Proverbior. 30. num. 31. *Gallus succinctus lumbos.* Et cap. 31. num. 17. *Accinxit fortitudine lumbos suos.* Iob 38. num. 3. *Accinge, sicut vir, lumbos tuos.* Verba sunt lacessentis Dei, & Iobum ad singulare certamen provocantis: perinde, ac si diceret. Sume scutum, stringe gladium, mecum in arenam descẽde. Et cum Christianum militem ab imis unguibus ad summum usq; verticẽ armat Apostolus, ad Ephes. 6. num. 14. *State ergo succincti lumbos vestros in veritate.* Et Psalm. 17. num. 33. *Deus, qui præcinxit me virtute*: num. 40. *Et præcinxisti me virtute ad bellum.* Psalm. 92. nu. 1. *Indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Apud Græcos etiam *Euzonos*, hoc est, bene cinctus, idem est, ac fortis, & strenuus. Contrà verò *discinctus* apud Latinos sonat dissolutum, & imbellem: quia summo ducebatur probro, si militẽ ignavum iuberet Imperator diem transigere discinctum: ut est apud Sueton. in Augusto, cap. 24. 15

Numerus. 2.

Quia reddidit Dominus superbiam Iacob, sicut superbiam Israel.

16 Ibera sequutus Hieronymũ ita exponit, Sicut Deus acriter punivit Sennacherib, quòd in duas Tribus superbierit, ita etiam ulciscetur Niniven, Assyriosque omnes, quòd captas reliquas decem Tribus in miserrimam servitutem abduxerint, victisque superbè insultaverint. Probabilis expositio, nisi durè, & prorsus inusitatè, *superbiam* passivè usurparet, id est, pro iniurijs superbè, atque insolenter illatis.

17 Grandiorem verò sententiam vox Hebraica nobis insinuat. Subest enim *Gaon* à radice *Gaà*, hoc est, superbire, seu gloriose agere. Exod. 15. num. 1. *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est.* Hebraicè. *Elevando elevavit se*; aut, si ita loquifas est, *superbiendo superbijt.* Edidit facinus longè superbum, & illustre. Vox itaque *Gaon* identidem usurpatur in sacro sermone, pro gloria, maiestate, & magnificentia. Exod. 15. num. 7. *In multitudine gloriæ tuæ*

deposuisti

deposuisti adversarios tuos. Isai. 2. num. 10. *Et à gloria maiestatis eius.* Et cap. 4. nu. 2. *In die illa erit germẽ Domini in magnificentia, & gloria; & fructus terræ sublimis.* Hebraice *In sublimitate, vel superbia.* Cap. 24. num. 14. *Cùm glorificatus fuerit Dominus.* Regia, *in excellentia Domini.* Psalm. 46. num. 5. *Elegit nobis hæreditatem suam: speciem Iacob, quem dilexit.* Pagnin. *Gloriam Iacob.* Regia, *excellentiam.* Vatablus: *præstantiam.* Iob 40. num. 5. *Circumda tibi decorem.* Regia, *celsitudinem.* Vbique reperitur eadem vox *Gaon.*

18 Erit itaque sensus huius loci. Frustra militaria præsidia comparabitis; altissimo enim providentiæ divinæ consilio fixum vobis, ac certum impendet exitium. Et quemadmodum obsessam Ierusalem à Sennacheribo omnipotens Deus funesta edita militum strage, glorioſam reddidit, & illustrem: ita etiam asseret Israel in antiquum splendorem, vestra urbe funditus eversa, vestris militibus, tanquam sanguinarijs hostibus ad unũ exstinctis. Confirmat etiam hanc expositionem verbum *sub*, quod propriè exprimas *Quia restituit, seu fecit reverti, aut redire: ale buelto la honra a su pueblo.* Pagnin. *Quia convertit Dominus superbiam Iacob.* Vatablus, *quia revocavit Dominus maiestatem, vel magnificentiam Iacob, iuxta pristinam dignitatem Israel.*

19 Neque est, quòd in hac germana explicatione, facessat nobis negocium Latina vox *superbia*: sic enim reddidit *Gaon* ipse Vulgatus Isai 60. num. 15. Qui locus mirè favet huic expositioni. [Vocabunt te civitatem Domini, Sion sancti Israel: pro eo, quòd fuisti derelicta, & odio habita, & non erat, qui per te transiret, ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem, & generationẽ.] Et Ezech 24. num. 21. [Ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperij vestri.] Hoc est, *excellentiam, maiestatem, magnificentiam.* Denique in hanc sententiam explicarunt hunc locum LXX. *Quoniam avertit Dominus contumeliam Iacob, sicut contumeliam Israel.* Et Chaldæus Paraphrastes: *quoniam restituit Dominus fortitudinem suam Iacob, & magnitudinem suam Israeli.*

Observat hic Ribera, Iacob accipi pro duabus tribubus, Israel verò pro reliquis decem, causasque probabiles affert. 20

Sed hanc observationem, non perpetuò constantem esse, perspicuè ostendit Grajar ad illa verba Michææ 1. n. 5. *In sceleres Iacob omne istud, & in peccatis domus Israel. Quod scelus Iacob? Nonne Samaria?* Ex l. 3. Regum cap. 12. num. 27. & Maldonatus ad illud Lucæ 1. num. 32. *Et regnabit in domo Iacob in æternum.*

Quia vastatores dissipaverunt eos, & propagines eorum corruperunt.

CAusam reddit, cur Israelis splendorem Assyriorum cladibus obscuratum obsoleviſſe dicat: opusque esse, ut in antiquam dignitatem, & magnificentiam asseratur. Transtulit enim Deus vineam suam de AEgypto: eiecit gentes, & plantavit eam. Psalm. 79. nu. 9. *Extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines eius.* Oseæ 10. num. 1. *Vitis frondosa Israel.* LXX. *Vitis bonas habens propagines Israel:* Theophilactus. *Vitis penè silvescens, & luxurians palmitibus.* Isaiæ. 5 num. 7. *Vinea enim Domini exercituum domus Israel est.* Ierem. 2. num. 21. *Ego autem plantavi te vineam electam.* 21

Sed hanc feraciſsimam vineam Assyrij, velut immaniſsimi vastatores dissiparunt, propagineſque eius, (ideſt, minora oppida) corruperunt. Psalm. 79. num. 14. *Exterminavit eam aper de silva, & singularis ferus depastus est eam.* Ioel. 1. num. 6. [Gens enim ascendit super terram meam fortis, & innumerabilis: dentes eius, ut dẽtes leonis, & molares eius, ut catuli leonis: posuit vineam meam in desertum, & ficum meam decorticavit.] 22

Nume-

Numerus.3.

Clypeus fortium eius ignitus.

23 Graphicê iam depingit bellicum apparatum Chaldæorum, atque Medorum in perniciem Ninives conspirantium: luculenta hypotyposi rem penè sub aspectum subijcit, quò Assyrij magis expavescant. Ignitos verò vocat clypeos, quia læves, ac deaurati cùm essent, à sole collucentes vibrabant igneum splendorem, & perstringentes oculorum aciem, terrorem hostibus incutiebant, ardoremque Martium spirabant. Ea propter videlicet inaurari solitos fuisse clypeos, argumento est Plautinus ille miles, qui scena 1. ait.

Curate, ut splendor meo sit clypeo, clarior,
Quàm solis radij esse olim, cùm sudum est, solent.
Vt, ubi usque veniat, contrà conserta manu,
Oculorum perstringat aciem in acie hostibus.

24 Quantæ id efficacitatis sit ad cæcandos oculos, ostendit Democritus, qui, ut refert Gelius lib. 10. cap. 17. [Clypeum cõstituit contra exortum Hyperionis, oculos effodere ut posset splendore æreo.] Antonius verò exprobravit Augusto, teste Sueton. cap. 16. [Ne rectis quidem oculis eum adspicere potuisse instructam aciem.]

25 Hinc milites, ac militares exercitus sæpe ab hoc splendore à Poetis commendantur. Virg. 2. Geor.

Campo stetit agmen aperto,
Directæque acies, ac latè fluctuat omnis
Aere renidenti tellus.

Lucanus 2. Pharsal.

Ardentesque acies percussis sole corusco
Conspexit telis.

Claudianus de tertio Honorij Consulatu.

Perstringit ahena
Lux oculos, nudiq; seges Mavortia ferri
Ingeminat splendore diem.

Propert. lib. 4. Eleg. 6.

Armorum & radijs picta tremebat aqua.

Ovid. lib. 13. Metamorphoseon.

Ipse nitor galeæ claro radiantis ab auro.

Denique Virgil. lib. 10. AEneidos.

Terribilem cristis galeam, flammasque vomentem.

Et paulò pòst.

Ardet apex capiti, cristisque à vertice flamma
Funditur, & vastos umbo vomit aureus ignes.

Hinc vel maximè ad militarem spectat disciplinam, militum arma tersa, & nitida esse, atque adeò splendescere. Ipse summus imperator Deus suis militibus præivit exemplo. Psalm. 7. num. 13. *Gladium suum vibravit.* Hebraicè. *Acuit, expolivit, splẽdere, & irradiare fecit.* Deu. 32. nu. 41. *Si acuero, ut fulgur, gladium meum.* 26

Hinc explicandus celebris ille locus 1. Machabę. 6. num. 39. [Et ut refulsit Sol in clypeos aureos, & æreos, resplenduerunt montes ab eis, & resplenduerunt sicut lampades ignis.] Vides hîc clypeos auro obductos, adverso sole perculsos, igneum candorem imitari. Et valde suspicor, detersos hos clypeos, qui adeò resplẽdebant, non modò fuisse eos, quibus milites obtegebantur, sed illos etiam præcipuè, qui solebant appendi è turribus, quas elephanti gestabant. Inde nimirùm ortũ est, ut veteres illi turritos elephantes *boves lucas* appellarent. Lucre. lib. 5. 27 28

Inde boves lucas turrito corpore tetros.

Varro. lib. 6. de lingua Latina arbitratur sic appellatos à luce. [Quòd lõgè, inquit, relucebant propter inauratos Regios clypeos, quibus eorum turres erant ornatæ] Lege Lambi. in locum illum Lucretij, & Plin. lib. 8. cap. 9.

Viri exercitus in coccineis.

29 ARias Montan. rubrum colorem vestium militarium refert ad sanguinariam cædem factam, cruoremque vestibus ipsis respersum. Affert illud Isai. 63. num. 2. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum?* Videlicet, *quia conculcavi eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea.* Apocal. 19. num. 13. *Et vestitus erat veste aspersa sanguine.* Et certè quod ad clypeum attinet, non reijcit hāc explicationem vox Hebraica *meodam*, quam Vulgatus reddidit, *ignitus*; Regia, *rubefactus*. Totus scilicet cruentatus, imbutusque sanguine ab hostibus effuso.

30 Ribera probat, vestes coccineas fuisse nobilium proprias: censet itaque spectare hoc ad indicandam nobilitatem, atque adeò fortitudinem militum Chaldæorū. Sed boni consulat lector, si locum ad illustrandam antiquitatem idoneum, paulò uberiùs exponamus.

31 Nemo nescit ex omni memoria, chlamydes, saga, & paludamenta militaria, ut plurimùm fuisse purpurea. Isidorus li. 19. Etymolog. cap. 22. Vbi accuratè differit de vestibus. [Russata, inquit, quam Græci phœniceā, nos coccineam: hac sub Consulibus Romani usi sunt milites, unde etiam Russati vocabantur.] Xenophon l. 6. de Pædia Cyri. [Itaq; universus exercitus ære fulgurabat, puniceoque florebat ornatu.] Statius l. 2.

Cæsareos humeros ardenti murice texit
Circumfusa chlamys.

Silius lib. 3.

Humeroque refulget
Sanguinei patrium saguli decus.

Et lib. 9.

Et iuxtà sagulo circum volitare rubenti.

32 Valerius Max. lib. 1. cap. 6. [Ei pullum traditum est paludamentum, cùm in prælium exeuntibus purpureum dari soleat.] Marcellus item Donatus to. 6. Thesauri Critici p. 992. solidè probat, imperatoriam trabeam fuisse ex purpura, trabeatos verò solitos fuisse in aciē prodire. Lege Vvolfangum lib. 8. c. 9. Tiraquell. in Alex. l. 5. cap. 18. & nostrum Martinum de Roa lib. 1. singul. cap. 2. Lipsiū denique lib. 2. de militia Romana, Dialogo 12.

De Romanis quidem militibus con- 33
stat etiam hic mos apud Evangelistas. Nam Matth. 27. num. 28. *Milites chlamydem coccineam circumdederunt ei*, idest, ornamentum militare, ut est concors Expositorum sententia. Lege nostrum Suarez to. 2. disp. 35. sect. 3. Et quanvis Marc. 15. num. 16. & Ioann. 19. num. 2. dicatur vestis *purpurea*, quæ apud Matth. vocatur *coccinea*; coccus verò, atque purpura in rigore diversa sint, atque adeò purpureus, coccineusque color inter se distinguātur, ut eruditè probat noster Cerda l. 4. Georg. vers. 251. num. 21. Tamen propter similitudinem coloris sæpe confunduntur. Ita conciliat Evangelistas Suarez citatus, & Maldon. Matth. 27. num. 28. & Massius Iosue 7. Sed Ioan. Fern. verbo, *coccus*, num. 2. affirmat, chlamydem illam fuisse diphabam, id est, bis tinctam, semel quidem purpura, & iterum cocco: quod fieri sæpe solere Plinij auctoritate confirmat.

Enim verò percrebuisse etiam chlamy- 34
des coccineas apud Persas, & Babylonios, illustri argumento est locus ille Iosue. 7. num. 21. Vbi Achan ingenuè confessus est: *vidi inter spolia pallium coccineum valde bonum.* Hebraicè. *Pallium Senaar.* At in eo loco *Senaar* constat extructam fuisse turrim Babel. Genes. 11. num. 2. & ita vertit Regia, *pallium Babylonium.* Tigurina, *chlamydem Babylonicam.* Massius, *paludamentum Babylonicum.* Chaldæus, & Aquila, *stolam Babylonicam.* Accerè convenit inter omnes, elegantiorem fuisse vestem militarem, armis superiectam. Refertq; ibi Massius ex Plutarcho in Alexandro, Persas, & Babylonios usque eò se ostentare solitos colore purpureo, ut captis ab Alexandro Susis, inventa illhic fuerint quinquaginta millia pondo, sive talenta purpurę. Massij sententiam probat, atque

adeò

adeò ipsissima verba recitat Serar. Iosue 7. quæst. 4. Multi etiam existimant, propterea rufos fuisse equos primæ illius quadrigæ; quæ Chaldæorum imperium denotabat. Zachar. 6. numero 2. quòd illa gens sanguineo colore frequenter uteretur.

36 Sed cur tantopere milites rubrum paludamenti colorem affectabant? Valles de sacra Philosophia, cap. 82. dum explicat singularem illum modum acuendi ad prælium elephantos. 1. Machab. 6. nu. 34. *Et elephantis ostenderunt sanguinem uvæ, & mori ad acuendos eos in prælium*: supponit primò, mori sanguinem esse illius succum; uvæ autem sanguinem esse vinum, illudque rubeum, in Palestina frequentissimum, iuxta id Deute. 32. nu. 14. *Et sanguinem uvæ biberet meracissimum.* Genes. 49. nu. 11. *Et in sanguine uvæ, &c.* Lege Pinedam. Iob 6. vers. 4. nu. 6. Deinde probat Valles è Galeno, rubri coloris

37 adspectum sanguinem validè ciere, atque adeò bilem, & iracundiam irritare. Et quidem Romani tauros agitaturi puniceo colore fœnea simulachra convestiebant, quò vehemētiùs tauri exasperati, in ea ferociùs incurrerent. Testes laudo Senecam lib. 3. de Ira, c. 30. *Taurum color rubicundus excitat.* Et Ovid. l. 12. Metamorph.

Haud secùs exarsit, quā circo taurus aperto;
Cùm sua terribili petit irritamina cornu,
Phœniceas vestes, elusaque vulnera sentit.

Quod si ita est, exstimulabitur sanè miles coccineæ chlamydis obtutu ad pugnam acriter incundam.

38 Sed nostro Serario in commentario illius loci Machabæorum, magis placet, vinum, succumq; propinatum fuisse elephantis: quibus pugnaturis abundè solitū indulgeri, nō ex vitibus modò, sed ex alijs etiam fructibus confectum, solidè probat ex A Eliano. Mori itē succus vinosus est, auctore Plinio lib. 15. c. 24. Hoc sanè lōgè probabilius. Sed, ut opinor, verbū illud, *ostenderunt*, non Vallesium modò, sed &

39 alios plerosque fefellit. Egregiè tamen demonstrat Maldon. Ioan. 10. num. 32. *ostendere* in Scriptura frequētissimè, non tam significare ob oculos ponere, quàm re ipsa exhibere, atque elargiri. Mihi satis est illud exemplum, Eccles. 2. num. 24. *Nonne melius est, comedere, & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis?*

Non longè aberrabit coniectura, ut mea fert sententia, qui dixerit, paludamēta coccinea fuisse à Persis, & Medis frequentata ob eam causam, quam de Lacedæmonijs refert Plutarchus in institutis Laconicis, A Elianus lib. 6. cap. 6. & Valer. Maximus, l. 1. cap. 6. [Lacedæmonij ad occultandum vulnerum cruorem puniceis in prælio tunicis utebantur. Non ne ipsis aspectus eius terrorem, sed ne hostibus fiduciæ aliquid afferret.] Eamdem causam prodidit Isidorus in illo cap. 21. lib. 19. [Ad celandum, inquit, coloris similitudine sanguinem, quoties quis in acie vulneraretur, ne contemplanti adversario animus augesceret.] Addo etiā, 41
propterea fortasse milites puniceis paludamentis insignitos in aciem prodijsse solitos, ut sanguinem, cruentamque pugnam colore ipso hostibus denuntiarent. Quemadmodùm purpureo tabernaculo factitasse Tamberlanem, refert Iovius l. 2. de Viris illustribus, & Genebrard. l. 4. Chronographiæ anno Christi 1404. Simile item erat Romanis pugnæ signum. Plutar. in Fabio. [Pugnæ signum proposuit. Est autem tunica coccinea super tabernaculum imperatoris extensa.] Idem in Bruto. [Simul atque dies illuxit, propositum fuit castris pugnę signum, punicea tunica.] Appianus in Ibericis, agens de Scipione oppugnante Numantiam. [Si hostes incurrerent, signum tollere; de die quidem puniceam vestem in hasta alta, de nocte, ignem.] Lege Lipsium lib. 4. de militia Romana Dialogo 12.

Igneæ habenæ currus in die præparationis eius.

42 Rubenis phaleras intelligit, *los jaezes de los cavallos*: igneasque appellari dicit, quòd cùm essent inauratæ, à sole percussæ, igneo micabant splendore. Quam interpretationem Christophorus Castro sic illustrat suâ paraphrasi. Currus falcati, & equi eorum cum rubenis, & phaleris, ignem suâ expeditione videbuntur evomere. Arias Montan. aliò refert, nempe ad scintillantes fœreas rotas, sive ad falces currûum, cursu, & sole, ac sanguine vibrantes, ignemque speciem intuentium oculis objicientes.

43 Ego verò igneas habenas expono, id est, incitatissimas. Et quidem celeritatem in exequendis consilijs, & hostibus ex improviso opprimendis, plus multò sæpe valere, quàm robur militare, testatur celebre illud Magni Alexandri responsum, qui roganti, quomodò tam brevi intervallo universum orbem subiecisset, *nihil cunctando*, inquit. Lege Aleiatum Emblem. 2.

44 Deinde Chaldæos fuisse celerrimos, & agitandi dexteritate mirabiles, equosque ipsorum pernicissimos, expressè confirmat Habacuc, cap. 1. num. 6. *Ecce ego suscitabo Chaldæos, Gentem amaram, & velocem; leviores pardis equi eius, & velociores lupis vespertinis* (cùm videlicet primis se intendentibus tenebris, exstimulante diurna fame, è cubilibus tenebricosis ad prædam erumpunt) *Volabunt, quasi aquila festinans ad comedendum.*

45 Iam verò, *igneum* idem esse, ac rapidum, & incitatum, erudite probat Lambi. in verba illa Horat. lib. 1. Ode. 1. *Metaque fervidis evitata rotis.* Favet huic explicationi lectio Hebraica, quam ita expressit Regia: *in igne lampadarum currus.* Leo Hebræus: *currus expeditionis eius tempore, velut ignis facum.* Lampades enim, seu faces igneæ discurrentes, fulmineam exprimunt celeritatem.

Et agitatores consopiti sunt.

46 TRes horum verborum explicationes invenio. Prima accommodat hęc verba Chaldæis. Agitatores currûum præcipiti impetu in vos incurrent, perinde ac si crapula de sanitate mẽtis emoti essent. Ebrietas enim, ut cecinit ille alter:

Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermem.

LXX. *Equites eorum tumultuabuntur*: omnia scilicet dejicient, atque prosternent. Psalm. 77. num. 65. *Et excitatus est, tanquam dormiens Dominus, tãquam potens crapulatus à vino.*

Regia vertit: *abietes venenatæ fuerunt.* Est itaque secunda explicatio Vatabli. *Hastæ abiegnæ veneno infectæ sunt*; Palacij. *Missilia eius veneno tincta, seu sopita sunt.*

47 Tertia expositio, quam cæteris existimo præferendam, est Hieronymi, Ruperti, Lyrani, Montani, & Riberæ. Supponit id, quod certum est, cùm Propheta loquatur de obsidentibus, & obsessis, necessariò illius verba, modò ad unos, modò ad alteros referenda. Hæc igitur spectant ad Assyrios. Et quidem Hebraica vertit Montanus: *buxi contremuerunt.* Tigurina, *ut abietes concutiantur.* Impios verò significari per procerissimas arbores, vi ventorum radicitus convulsas, tritum est in Scriptura. Psalm. 36. num. 35. *Vidi impium superexaltatum, & elevatum, sicut cedros Libani.* Isai. 2. num. 13. *Et super omnes cedros sublimes, & erectas.* Nominatim autem per abietes, quæ sunt arbores procerissimæ, Proceres intelligi, constat Isai. 37. num. 24. *Succidam excelsa cedrorum eius, & electas abietes illius.* Zachar. 11. num. 2. *Vlula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt.* Eninverò à Latino interprete, explicata metaphora, *abietes* scienter dicuntur agitatores, hoc est, bellatores peritissimi, qui falcatos currus, quibus priscis illis temporibus prælia committebantur, mira dexteritate agitabant. Sed agitatores isti repentino hostium adventu, bellico apparatu, atque

tumultu exterriti, quasi multo vino ebrij, de gradu deijcientur, exanimati cunctabuntur, attonitique stupebunt. Advolabunt adversarij, ipsi verò præ trepidatione vix se loco commovebunt.

49 In hanc sententiam verbum ipsum consopiendi, seu inebriandi, (quod idem est) passim occurrit in sacris litteris. Habacuc 2. num 16. *Repletus es ignominia pro gloria: bibe tu quoque, & consopire, circumdabit te calix dexteræ Domini.* Alludit Propheta ad calicem illum formidādum, plenum mero divinæ iracundiæ, Iere. 25. num. 15. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, & bibent, & turbabuntur, & insanient à facie gladij.* Et cap. 51. num. 7. *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram: de vino eius biberunt gentes, & ideo commotæ sunt.* Et num. 39. *Et inebriabo eos, ut sopiantur, & dormiant somnum sempiternum, & non consurgant,*

50 *dicit Dominus.* Et num. 57. *Et inebriabo Principes eius, & sapientes eius, & duces eius, & magistratus eius, & fortes eius* (ecce agitatores consopitos, de mentis sanitate deturbatos) *& non expergiscentur, ait Rex, Dominus exercituum nomen eius.* Ezechiel. 23. num. 32. *Calicem sororis tuæ bibes profundum, & latum: eris in derisum, & in subsannationem.* Isai. 51. nu. 17. *Bibisti de manu Domini calicem iræ eius, usque ad fundum calicis soporis bibisti, &*

51 *potasti usque ad fæces.* Calix soporis vocatur, quia illum, qui hauriunt, stupore consopiuntur. Psalm. 59. num. 3. *Potasti nos vino compunctionis.* Genebrar. *Vino soporifero, stupore feriente.* Vocat autem Latinus interpres vinum compūctionis, quoniam alto mœrore oppressi, doloris aculeis confixi, atque compuncti, obstupescunt prorsus ad alia percipienda. Sic explicat Toletus annotatione 6. illud ad Roman. 11. num. 8. *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos, ut non videant, & aures, ut non audiant.*

Numerus 4.

In itineribus conturbati sunt: quadrigæ collisæ sunt in plateis.

52 Opportunè hîc noster Christophorus Castro [Frequens, inquit, personarum mutatio Prophetarum difficilem reddit explicationem.] Nimirùm hæc Hieronymus spectare existimat ad Chaldæos, ut sensus sit. Ruent in tuam perniciem milites tanta animi alacritate, ut præ studio belli, ardoreque pugnandi, præ magna properandi festinatione, se se invicem modò impellant, modò retardent in via: atque adeò hostilis sanguinis exsorbendi sitientissimi, ordinem agminis perturbent. Tanta erit præterea curruum falcatorum multitudo, tantus apparatus bellicus, tam ingentes copiæ, ut ne latissimis quidem plateis, nedum angustioribus vijs, quadrigæ capi possint, quin inter se mutuò collidantur.

Aspectus eorum, quasi lampades, quasi fulgura discurrentia.

53 Vt videlicet antè visu adversarios terreant, quàm feriant mucrone. Solent verò iracundia percitis ardentes oculi flammas eiaculari, totum os igneo rubore suffusum spirare crudelitatem 12. AEneid.

His agitur furijs, totoque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

Quod sanè miram vim habet ad terrorem incutiendum. Esther. 15. Regina injussa Assuerum adiens, irati aspectu exanimata corruit, nu. 9. *Erat terribilis aspectu: cùmque elevasset faciem, & ardentibus oculis furorē pectoris indicasset, &c.* LXX. *Elevans faciem suam inflammatam gloria.* Gorionides (ut refert ibi Serarius.) *Vidit faciem Regis, & ecce oculi eius ardentes, sicut ignis, præ ira.*

54 De Deo excandescente Psal.17. nu.9. *Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit.* De feris truculentis Sapient.11.num.19. *Vaporem ignium spirantes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes: quarum, non solùm læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere.*

Et verò lampadum, & fulgurum similitudo crebra est in Scriptura ad significandum splendorē è vultu alicuius emicantem Ezechiel.1.num.13. Daniel.10. numero 6. Matth.28.numero 3. Iob 41. numero 10.

Numerus 5.

Recordabitur fortium suorum, ruent in itineribus suis: velociter ascendent muros eius, & præparabitur umbraculum.

55 Iota hæc sententia spectat ad Assyrios, qui raptim se comparant ad calamitatem depellendam. Rex de advēnante exercitu certior factus, ad suos fortissimos duces confugiet, ab illis opem, & consilium implorabit: ita explico *recordandi* verbum Isai.17.num 10. *Fortis adiutoris tui non es recordata. No acudiste a amparar te de tu fuerte valedor.* Ezech. 23. num.27. *Nec levabis oculos tuos ad eos, & Ægypti non recordaberis amplius.* Lege Riberam Habacuc 3.num.7. & Pinedam, in cap 8. Iob, versu 13.num.3. & cap.10. vers 9 num 2.

56 Sed illi ipsi duces quondam fortes, & strenui, adeò erunt exanimati formidine, ut ne vestigium quidem firmè facere queant; inopes consilij, properantes, trepidantesque passim offendent: *ruent in itineribus suis.* Vsque eò solet iratus Deus etiam fortissimorum ducum nervos incidere, cor liquefacere, consilium absorbere Isai. 1. num.31. *Et erit fortitudo vestra, ut favilla stuppæ.* Ieremiæ 51.nu.30. *Devoratum est robur eorum, & facti sunt quasi mulieres.* Deuteron. 28 num.65. *Dabit tibi Dominus ibi cor pavidum, & erit vita tua quasi pendens ante te,* id est, obversabuntur assiduè ante oculos tuos præsentissima vitæ discrimina, perinde, ac si vita tua è tenuissimo filo pendêret.

57 Sed tandem isti boni duces, ubi se collegerint, & à metu paululùm respiraverint, muros illos firmissimos conscēdent, in quibus suas omnes spes fixas habebant: ibi ad defendendos solis ardores, arcendasque pluvias, ad iacula hostium propulsanda, umbracula struent pellibus convestita: quod denotat obsidionis diuturnitatem.

Numerus 6.

Portæ fluviorum apertæ sunt, & templum ad solum dirutum.

Ideo, in quas angustias doctus interpres redigatur in hoc loco: cogitur enim explicare, *Portas fluviorum*, id est, per quas innumeri cives prodire solebāt. Violenta prorsus metaphora.

58 Propiùs ad veritatem accessere Vatablus, & Cyprianus Cistercienſis, id est, portæ, quæ alluuntur à Tygri: ut quia parte magis clausa Ninive, & inaccessibilis videbatur, altissimo defensa flumine: ea ipsa parte hostib⁹ aditus pateret. Documē toque esset, quàm sint nullius momenti humana præsidia, ubi deficiūt divina. Sed neque isti auctores, & si collinearunt, scopum attigerunt.

59 Perexpedita explicatio est, si revocemus in memoriā, quæ prodita sunt à Diodoro de excidio Ninives, & à nobis, cap.1. n.8. & 9. cōmemorata. *Apertæ enim sunt portæ fluviorum*, id est, non captæ à Medis, non vi expugnatæ, nō machinis deiectæ; sed Dei nutu patefactæ, diruta mœnium parte; inundatione ipsa, quà patebat aditus, per varias rupturas, fluviorū instar, in

urbem

urbem irrumpente. Diodori verba sunt. [Cùm duobus annis obsidio perseverasset, per summum otium obsessorum, tertio cõtinuis imbribus excrescẽs supra modum fluvius, cùm partem urbis inundasset, muros deiecit ad stadia viginti]

60 Per has ipsas portas fluviorum irrumpentium, irrupit etiam exercitus, & urbem funditus evertit. Montanus. *Et palatium liquefactum est.* Pagni. *ædes dissoluta.* LXX. *& regalia cõciderunt.* Et certè cùm templa ipsa, Regiaque superbissima solo æquantur, & incenduntur; à quibus vastãdis religiosiùs abstineri solet; cætera ædificia omnia eodem labefactata motu, eodem incendio conflagrata denotantur. Cùm sanctæ urbis excidium explicaret Ieremias, domum Regis primò igne absumptam, deinde civium ædes succensas fuisse dixit, cap. 39. nu. 8. & cap. 52. nu. 13. *Venit Nabuzardan, & incendit domum Domini, & domum Regis, & omnes domos Ierusalem.*

Numerus 7.

61 *Et miles captivus abductus est.*

REst è omnino Vulgatus expressit vim nominis *Husab*: deducitur enim à verbo *Iasab*, quod in coniugatione *Hiphil* significat, *stare fecit*. LXX. vertunt *Hypostasis*, idest, *substantia*: Tigurina, *munitio firmissima*: propriè est, *statio*, sive *præsidium militare* ad tuendam urbem constitutum.

Direpta verò urbe, ita semper necessariò evenit, ut præsidiarij milites partim ferro trucidentur, partim in servitutem abducantur. Et quidem de interfectis ita Diodorus in illo lib. 3. cap. 7. [Adeò ingens numerus occisorum fuit, ut fluvius, redundante hominum sanguine, colorem mutarit]

Et ancillæ eius minabantur gemẽtes, ut columbæ; murmurantes in cordibus suis.

62 *Eius*, id est, Ninives; est enim generis fœminei. Spectaculum sanè, nõ modò hominibus, sed ipsis etiã feris luctuosum: matronas, virgineśque primarias, velut barbaras ancillas, ab imperiosis heris penè raptari. *Minare* enim est, quasi bacillo gregem, aut stimulo boves agitare. Exod. 3. nu. 1. & 1. Regum 30. nu. 20. & 1. Paralipomen. 13. num. 7. Notat crudelem abducendi severitatem. Isai. 20. nu m. 3. *Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus, & discalceatus, sic minabit Rex Assyriorum captivitatem nudam, & discalceatam.* Threnorum 3. numero 2. *Meminavit, &c.*

63 Perpendit etiam Hieronymus, tantum fuisse miseris ancillis terrorem incussum, ut (quod unicum est malorum levamentum) ne in singultus quidem erumperet dolor; sed cogerentur imo pectore ducere suspiria, gemitus premere, & obscuro murmure devorare lacrymas, in morem mussitantium columbarum. Graviter enim ille conquestus est: *O terribles agravios: sacanme el alma, y cierranme los labios.* Sed quia in hanc sententiam scripsit eruditè Pineda in cap. 3. Iob, vers. 2. ubi demonstrat, dolorem gemitu leniri, questibus mitigari: clamorem à dolore expressum fortitudinem non minuere: eò curiosum lectorem remitto.

64 Tantùm adverto id, quod ipsa experiẽtia compertum est, guttur columbarum strangulato murmure, & gemitu subinde mussitare: unde bis ab Isaia ducta est similitudo gementium: cap. 38. num. 14. *Meditabor, ut columba.* Hebraicè. *Gemam*: cap. 59. num. 11. *Et quasi columbæ meditantes gememus.* Lege, quæ affert Prado Ezechiel. 7. vers. 16. pag. 113.

Numerus 8.

Et Ninive quasi piscina aquarum aquæ eius.

RVrsus hîc doctus ille interpres confugit ad metaphoram: & per aquas intelligit civium multitudinem, iuxta id Apocalyp. 17. num. 15. *Aquæ, quas vidisti, populi sunt.*

65 Cypriani expositio tota est tropologica: & per aquarum piscinam fluxorum bonorum affluentiam exponit, quibus Ninivitæ ardenter inhiabant; aquasque illas perennibus venis scaturientes, nunquam exhauriẽdas sibi persuadebant. Affert illud Ierem. 2. num. 13. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.*

66 Arias Montan. probat ex Hippocrate, in locis paluſtribus, irriguoque, & amæno solo, quale erat illud, ubi Ninive sita est, homines ignavos, enervatos, & imbecillos procreari: eam ipsam ignaviam, animique mollitiem, effæminato luxu, deliciisque amplificatam, eos in præcipitem dedisse fugam.

67 Sed si teneamus id, quod iam sæpe inculcatum est, Tygrim perruptis mænib⁹ latê stagnãtibus aquis, urbem oppleviſſe; non opus erit diverticula allegoriarum consectari, sed Prophetæ verbis in suo rigore servatis, tota sententia sine ullis salebris placidè decurret. Verè enim tunc, quasi piscina aquarum, fuerũt aquæ eius: mirificèque cohæret, quod subiungitur, *ipsi verò fugerunt.*

68 Est enim altè defigẽdum in memoriâ, pro huius vaticinij intelligentia, oraculũ illud à Maioribus Gẽtis, quasi per manus traditum; quod ita refert Diodorus in illo cap. 7. [Erat enim responsum Progenitoribus datum, nunquam Ninam capi posse, nisi cùm fluvius urbi hostis fieret; quod nunquam futurum ratus spem ceperat obsidionis traducendæ.] Ego hoc oraculum nullum aliud fuisse existimo, nisi huius Prophetæ vaticinium, tertiò iam prędictum disertissimis verbis, cap 1. num. 8. *Et in diluvio, &c.* cap. 2. num. 6. *Portæ fluviorum, &c.* & in isto num. 8, *Et Ninive quasi piscina aquarum, &c.*

Cùm igitur à Progenitoribus accepissent hoc oraculum, tanquam divinitus editum, ubi mœnia diruta, & urbem aquis inundatam conspexere, rati se infensa habere Numina, prorsus abiecerunt hastas; Rex ipse in pyram se cremandum iniecit: hostes continuò in urbem irruptionem faciunt.

Ipsi verò fugerunt: state, state; & non est, qui revertatur.

69 CVm Propheta mentis oculis contemplaretur Assyrios terga vertentes, graviter illis insultat, dum per irrisionem eos ad inhibendam ignominiosam fugam adhortatur. Quid tam turpiter fugitis? Quin statis in acie, & pro aris, & focis; pro uxoribus, & liberis; pro vita, & fortunis; pro imperio denique, ac libertate strenuè dimicatis? Sed tam ingens pavor oppresserat animos, ut effusam fugã arripientes, non modò non referrent gradum, sed ne tantisper quidem morarentur, dum in hostes à tergo insequentes oculos converterent. LXX. *Et non erat, qui respiceret.* Vatab. *Sed nemo respicit:* quod sanè celerrimæ, ac formidolosissimæ fugæ indicium est.

Numerus 9.

Diripite argentum, diripite aurum: & non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus.

70 AGite verò victrices copiæ: en urbem post hominum memoriam opulẽtissimam, auro, & argento, & omni pretiosa supellectile refertissimam, impunè

punè vobis Deus tradidit diripiendam. Agite prædas, accumulate argẽtum, coacervate aurum: nunquam tantum exhauritis, ut totius orbis divitias hîc reconditas exinanire valeatis.

In primis, ut refert Diodorus, & Iustinus lib. 1. magnam vim auri, & argenti, Regiasque gazas Sardanapalus in eadem pyram cremenda coniecit. Deinde Babyloniæ Præfectus testat⁹ est, votum se Belo fecisse, victo Sardanapalo, Regiaque incensa, cineres se ex ea Babyloniam delaturum, aggeremque erecturum, perpetuum monumentum Regni Assyriorum deleti: ac per eam speciem multis navigijs infinitos thesauros Babyloniam destinavit. Arbaces verò ad multa talenta auri, & argenti in Mediam asportari iussit. Denique, militibus præda exsaturatis, civibus ipsis bona reliqua concessit.

71 *Vas*, Hebraicè *Keli*, tam latè patet, quàm Græcè ſ*Kevos*, significat enim omne instrumentum, seu supellectilem. Hispanè, *pieça*, *alhaja*, *o instrumento*. Psalm. 7. num. 14. *In eo paravit vasa mortis*, ideſt, sagittas lethales. Ezechiel. 9. num. 1. *& unusquisq; vas interfectionis habet in manu sua*, ideſt, gladium. Genes. 27. num. 3. *sume arma tua*. Hebraicè, *vasa*. 1. Reg. 31. n. 9. *spoliaverunt eum armis*. Hebraicè, *vasis*. 3. Reg. 6. num. 7. *Malleus, & securis, & omne ferramentum*. Hebraicè, *omne vas ferri*.

72 Psalm. 70. num. 22. *Confitebor tibi in vasis psalmi*, ideſt, in musicis instrumentis. Amos 6. num. 5. *sicut David putaverunt se habere vasa cantici*. 1. Paralip. 16. num. 42. *& omnia musicorum organa*. Hebraicè, *vasa*: & cap. 23. num. 5. *Canentes Domino in organis*. Hebraicè, *vasis*.

73 Ezechiel. 12. num. 3. *fac tibi vasa trãsmigrationis*, ideſt, supellectilem ad iter faciendum, peram, baculum, &c. Levit. 13. num. 48. *Quidquid expelle confectum est*. Hebraicè, *omne vas pellis*. Genes. 31. num. 37. *scrutatus es omnem supellectilem meã*. Hebraicè, *omnia vasa mea*. Isai. 61. num. 10. *quasi sponsam ornatam monilibus suis*. Hebraicè, *vasis suis*. Hæc strictim semel adnotasse, operæ pretium fuerit ad multa sacræ Scripturæ loca intelligenda.

Rectè itaque Maldon. Matth. 12. n. 29. 74
quomodò potest quisquã intrare in domũ fortis, & vasa eius diripere? explicat, de possessione suâ deturbare, supellectilem auferre. Luc. 11. num. 22. *spolia eius distribuet*. Illud quoque notatione dignum. Sæpe in sacra Scriptura, ut in hoc loco Nahum, legimus Hebraicè, *vasa desiderij*; explicoque supellectilem pretiosam: &, ut arbitror, explico ipsius Vulgati verbis, qui, & si Proverb. 8. num. 11. Oseę. 9. num. 6. & cap. 13. num. 15. Ioelis 3. nu. 5. Threnorum 1. num. 10. retinuerit Hebraismum; in alijs verò locis sic expressit: Daniel. 11. num. 8. *Vasa quoque pretiosa*. num. 38. *& lapide pretioso*. num. 43. *In omnibus pretiosis*: ubiq; subest, *desiderabile*. Thren. 1. num. 11. *Dederunt pretiosa quæque pro cibo*. Hebraicè, *desiderabilia*. 2. Paralip. 20. num. 25. *vasa pretiosissima*. Hebraicè, *desideriorum*.

Numerus 10.

Dissipata est, & scissa, & dilacerata.

IRibus verbis depingit miserandam urbis faciem, rebus omnibus pretiosissimis direptis, superbissimis ædibus dirutis, aut flamma penitus absumptis. Regia vertit, *evacuata est, & exinanita*. LXX. *excussio, rediscussio, & ebullitio*: quæ omnia spectant ad exprimẽdam avidissimam direptionem, retrusos, abditosque recessus perscrutatos, & subterraneos ipsos specus pervestigandi auri causa solerter excussos. Atque hęc de ipsa urbe, quid de miseris civibus? 75

Et cor tabescens, & dissolutio genicu lorum, & defectio in cunctis renibus: & facies omnium eorum, sicut nigredo ollæ.

ADeò iacent formidolosa consterna-
tione perculsi, ut cor præ nimio pa
vore contabescat, genua tremant, atque
labent, lumbi dissolvantur, vultus subitò
immutatus in speciē ollæ fuliginosæ hor-
rore fœdetur: sed singula minutim expli-
cemus.

76 Primò itaque dicitur, *cor tabescens*. Il-
lud, tanquam leve, & puerile, dignū an-
notatione nō ducerem, nisi viderem eos,
quibus nihil est antiquius, quàm dissenti-
re à Vulgato, *cor liquescens, aut liquefac-
tum*, pro *tabescente* supponere: quasi id ig-
noraverit interpres, qui planè loquutus
est Ciceronianè: cuius illa sunt: *frigoribus
durescit humor, & vicissim repefactus ca-
lore tabescit*.

77 Cor verò sedes est fortitudinis, & au-
daciæ: unde pavidos appellamus, *hombres
de poco coraçon*; & si Plinius lib. 11. c. 37.
audaciores dicat esse animantes, quibus
cor parvum, & exiguum est. Iob 11. nu.
12. *in superbiam erigitur*. Hebraicè, *cordi-
ficatur*: *haze de tripas coraçon*. Psalm. 26.
num. 14. *Viriliter age, & confortetur cor
tuum*. Leo Hebraicè à corde nomen acce-
pit, quasi cordatus, seu animosus, quia à
generositate, & præsentia animi imperter
ritus est.

78 Celebre fuit apud veteres Aristome-
nis robur, qui cū totam ferè Græciā obs-
tupefeciſſet audaciæ miraculo, captus, &
vinculis acerrimè constrictus, ne iterum
illa perrumperet, ferro tandem extinctus
est. Sed placuit, inspiciendi causa, dissecа-
re pectus, inventumque est cor totum pi-
lis hirsutum. Auctores sunt Plinius lib.
11. cap. 37. Valer. Max lib. 1. cap. 6. Mu-
retus. 12. Variarum cap. 20.

79 Egregia est itaque illa commendatio
fortitudinis Leviathan Iob. 41. num. 15.
*Cor eius indurabitur, tanquā lapis, & stri-
getur, quasi malleatoris incus*. Vbi Pineda
exigit ad robur ex Aristotele lib. 3. de Par
tibus animalium, cap. 4. cor nervosum,
spissum, benèque compactū. Imò equis,
teste Plinio lib. 11. cap. 37. inest prædu-
rum, & ossiculis quibusdam fultum: at
Leviathan habet totum lapideum, imò
ferreum, & malleo ductum, atq; adeò inf
tar incudis crebra percussione durissi
mum.

Vt igitur cor solidum, & compactum 80
fortitudinis est, & audaciæ; ita cor disso-
lutum, & tabescens, pavoris est, atque for
midinis. Iosue 2. num. 11. *pertimuimus, &
elanguit cor nostrum*: cap. 5. nu. 1. *dissolu-
tum est cor eorum, & non remansit in eis spi
ritus*. LXX. *Et non erat in eis prudentia*:
acutè enim expendit ibi Masius, liquef-
cēte corde, videlicet, cùm per metum la-
basceit fortitudo, perturbari simul, & ab-
sorberi dispiciendi, ac deliberandi facul-
tatem. Psalm. 37. num. 11. *Cor meum cō-
turbatum est, dereliquit me virtus mea: &
lumen oculorum meorum, & ipsum non est
mecum*.

Expressiùs adhuc depingitur cor tabes- 81
cens Iosue 7. num. 5. *pertimuitque cor po-
puli, & instar aquæ liquefactum est*. Psal.
21. num. 15. *Factum est cor meum, tanquā
cera liquescens*. Isai. 13. num. 7. *Omne
cor hominis contabescet*. 2. Reg. 17. num.
10. *Fortissimus quisque, cuius cor, quasi leo-
nis, pavore solvetur*.

Alterū fractę mentis indiciū proditū à 82
Propheta, est genuū dissolutio. Et quidē
genua inter præcipuas humani corporis
partes numerari, illisque propterea reli-
gionem quamdam haberi solitam, Plini⁹
scribit lib. 11. cap. 45. & Tiraquellus in
Alexandrum eruditè confirmat. lib. 2. c. 83
19. Inest enim genibus præcipua animā-
tis firmitudo, ad incessum, ad cursum, ad
iacentis corporis erectionem. Hinc pro-
deunt ad hortationes illæ; Isai. 35. num.
3. *Genua debilia roborate*. Ad Hebr. 12. n.
12. *Remissas manus, & soluta genua erigite*.

Et verò enervati corporis, animive de-
bilitas maximè sentitur in genibus. Psal.

108. num. 24. *Genua mea infirmata sunt à ieiunio.* In subito tamen horrore dissolvũtur, & quasi luxantur, labant, ac tremũt genua, humore fluunt, & inter se acerrimè colliduntur. Iob. 4. num. 4. *Vacillantes confirmaverunt sermones tui, & genua trementia confortasti.* Ezech. 7. num. 17. *Omnes manus dissolventur, & omnia genua fluent aquis.* Eadem repetit cap. 21. num. 7. Eccles. 25. num. 32. *Manus debiles, & genua dissoluta.* Daniel. 5. num. 6. *Tunc facies Regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum; & compages renum eius solvebantur, & genua eius ad se invicẽ collidebantur.* Pagnin. & Regia hîc, *Genuũ collisio.* Tigurina, *tremor in genubus.*

84 Tertium huius formidinis argumentũ fuit, *defectio in cunctis renibus.* Hebraicè, *lumbis.* Disputat accuratè Ribera, Galenum auctorem laudans, de situ, roboreq; lumborum, ac renum, deque illis per castitatem constringendis. Eadem attingit Pineda ad illud Iob. 40. num. 11. *Fortitudo eius in lumbis eius*: ubi etiam illa verba, *sint lumbi vestri præcincti*, refert ad cõtinentiam. Maldon. Luc. 12. num. 35. eam expositionem cõcionatoribus dumtaxat permittit: ex his auctoribus petat quisq;, quantũ volet; stet modò illud, renes labascere horrore perfusis, ut proximè vidimus Daniel. 5. num. 6.

85 Quartum denique horroris indicium, *facies, sicut nigredo ollæ.* Phrasis in sacra Scriptura frequentissima, ad extremam miseriam denotandam. Thren. 4. num. 8. *Denigrata est super carbones facies eorũ: adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est, quasi lignum. No tienen mas que el pellejo: estan en los huessos, secos como un palo.* cap. 5. num. 10. *Pellis nostra, quasi clibanus exusta est.* Iob 30. num. 30. *cutis mea denigrata est.*

86 Sic Isai. 13. num. 8. *Vnusquisque ad proximum suum stupebit: facies combustæ vultus eorum.* Vbi notat Forerius, quòd qui percelluntur metu, solent vigilia, horrore, & inedia extabescere, & macilentiores facti nigrescunt, veluti carnes, quæ ad ignem suspenduntur exsiccandæ. Ribera Ioelis 2. num. 5. ad illa verba: *Omnes vultus redigentur in ollam*, ideſt, ollæ fuliginosæ colorem induent, refert id ad subitum pavorem: tunc enim refugiente sanguine ad cor, vultus primùm pallet, deinde nigrescit. Sed habitus ille vultus, grãdi macie torridi diuturnior erit, si etiã ex inedia, vigilia, & anxietate proveniat.

Ex hoc modo loquendi sacrę Scripturæ familiari, illustratur iuxta Hebraicum textum locus ille perdifficilis, Psalm. 67. num. 14. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Cleros*, idem est, *ac sors*: sensus itaque est. Si versemini inter præsentissima pericula, inter medias sortes; si capti ab hostibus, lata capitis sententia, iaciatur alea de genere mortis vobis inferendæ, an sitis trucidandi ferro, an cremandi flammis, an aquis obruendi, an denique laqueo strangulandi: in extremum adducti vitæ discrimen, & si nulla spes salutis affulgeat; tamen feliciter evadetis, evolabitis ex hostium manibus; perinde ac si haberetis columbæ alas, auro, argentoque micantes. Hebraicè. *Si iaceatis inter medias ollas, aut lebetes*: sensu eòdem recidente: etiam si oppressi calamitate, ollæ, aut caldariæ fuliginosæ speciem referatis; tam atri, ac sordidi sitis, ac illi, qui inter medios tripodes, lebetesque versantur, eritis posteà candidi, & splẽdidi, quasi pennæ argenteæ columbæ instar auri collucentis. 87

Numerus 11.

Vbi est habitaculum leonũ, & pascua catulorum leonum? ad quam ivit leo, ut ingrederetur illuc: catulus leonis, & non est, qui exterreat.

88 Gravis est, ac vehemens insultatio, cum admiratione, interrogationeque coniuncta: qua solent Prophetę premere, & urgere illos, quos vident subitò exturba-

turbatos ab ea ſpe, quam altiſsimis nixā radicibus, nullis calamitatibus irruentibus convelli poſſe arbitrabantur: ea cùm repentè evanuit; cùm ſibi præfidentes ludificata eſt, ita ſolent inſultare. Oſee 13. num. 10. *Vbi eſt Rex tuus? maximè nunc ſalvet te.* Iſai. 19. num. 12. *Vbi nunc ſunt ſapientes tui? annuncient tibi, &c.* cap. 33. num. 18. *Vbi eſt litteratus? ubi legis verba ponderans?* Hierem. 2. numer. 28. *Vbi ſunt dy tui, quos feciſti tibi? ſurgant, & liberent te.* Sic cognati Tobiæ illum irridebant, cap. 2. num 16. *Vbi eſt ſpes tua. &c.*

Illud verò gratulabundi eſt, & exultantis non ſine irriſione. Iſai. 51. numer. 13. *Vbi nunc eſt furor tribulantis?* 1. Corint 15. num. 55. *Vbi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus?*

89 Commovet præterea repentina clades admirationem, eòque maiorem, quò magis erat inſperata ruina. Qui aſpiciebant proiectum cadaver illius inſolentiſsimæ Reginæ, diſcerptum à canibus, admirabundi exclamabant 4. Regum 9. num. 37. *Hæccine eſt illa Iezabel?* Baruc. 3. nu. 16. *Vbi ſunt Principes gentium? &c.* Iſai. 14. num. 12. *Quomodò cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris?* Thren. 2. num. 15. *Hæccine eſt urbs perfecti decoris?* Iob 20. num. 6. *Si aſcenderit uſque ad cœlum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit: quaſi ſterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant, dicent, ubi eſt?*

90 Ad hos affectus elegantiùs exprimendos utitur Propheta luculenta allegoria, qua Niniven leonum ſpeluncam, id eſt, violentiſsimorum prædonum receptaculum: Aſsyriorum Reges, leones truculentos, prædæ, ac ſanguini inhiantes: duces, leunculos ad prædandum, aduncis unguibus, exertisque dentibus armatos: catulos, regiam ſtirpem; ipſas verò Reginas, leænas inſaturabiles vocat.

91 Pro cuius allegoriæ intelligentia, 1. notandum eſt; leonem in lingua originali, non uno ſolùm, ſed quinque nominibus appellari: ex quibus quatuor in hoc loco reperiuntur. Ea ſigillatim exponit Pineda, Iob 4. verſu 10. Tantùm adverto, longè ſingula inter ſe differre: nam ut leo per ætatem maiora capit roboris incrementa, ita diverſa vocabula ſortitur.

92 Notandum 2. & ſi Vulgatus in hoc loco bis efferat ijſdem verbis, *catulos leonis*, ſubeſt tamē diverſa utrobique vox; & in primo loco ſimplex *Kephir*, quę ſignificat leonem iam grādiuſculum, qui deſijt eſſe catulus, neque tamen perfectæ ætatis annos attigit. Hi maximè ſunt famelici, maximèque audaces: tum ut contrariarum, validiorumque virium inexperti; tum ut acutioribus, firmioribusque dentibus, & unguibus inſtructi: & alliciente guſtu, ſtimulante fame, prædæ, ſanguinisq; avidiſsimi. Ita Ribera Oſee 6. numer. 40. Pineda Iob 38. verſu 39. num. 7. & Forerius Iſai. 5. num. 29. mutuatus, ut pleraq; ſolet è Forſtero.

93 Sed hoc ipſum Scripturæ teſtimonio comprobemus. Ezech. 19. num. 3. *Et eduxit unum de leunculis ſuis, & leo factus eſt,* (Hebraicè, *Kephir*) *& didicit capere prædam, hominemque comedere.* Vides, quem hîc catulum vocat Vulgatus, ibi leonem, prædas iam agentem, appellare? Oſee 5. num. 14. *Ego, quaſi leæna Ephraim, & quaſi catulus leonis domui Iuda.* Subeſt idē nomen; ſed ut leęna præſertim nutriens, maiorem præfert truculentiam, ita catulus ille iuvenis rabiem audaciorem. Iudicum 14. n 5. *catulus leonis* (Hebraicè, Kephir) *ſævus, & rugiens occurrit ei.* Hierem. 2. num. 15. *ſuper eum rugierunt leones.* (Hebraicè, Kephirim)

94 Propter hanc prædandi aviditatē tranſfertur ſæpe hæc vox ad ſignificandos alienorum bonorum cupidos, direptoreſque. Pſalm. 33. numer. 11. *divites eguerunt, & eſurierunt.* Hebraicè, *leunculi.* Ezechiel. 38. num. 13. *Negotiatores Tharſis, & omnes leones eius.*

95 Nota 3. ut aliquantò iam propiùs accedamus; nulla re aptiùs exprimi potuit Aſsyriorū Regum ſuperbiſsimus dominatus, quàm leonum ſævitia, & rapacitate: etiam cùm hoc nomē accommodatur

imperijs

imperijs non iniuſtis, prædam redolet, terrorem ſapit: Geneſis 49. numer. 9 *Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti, ut leo, & quaſi leæna; quis ſuſcitabit eum?* Id eſt, direpta, laniataque præda requiem capies mira ſecuritate, nihil extimeſcens, tutò victoria fruens: quis enim leonem irritabit? & hoc ipſum eſt, quod hîc adijcit Nahum: *& nõ eſt, qui exterreat.* Iſai. 5. num. 29. de ipſis Aſſyrijs. *Rugitus eius, ut leonis; rugiet, ut catuli leonum, & frendet, & tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit, qui eruat.*

96 Tractat accuratè Pererius lib. 8. Cõmen. in Daniel, cur imperium Chaldęorum cõparatum ſit leænæ, Daniel 7. numer. 4. eòque tandem refert, quòd maximè fuerit bellicoſum, & cunctis gentibus formidabile. Hierem. 4. num. 7. *Aſcendit leo de cubili ſuo, & prædo gentium ſe levavit, ut ponat terram tuam in ſolitudinem.* Apoſtolus etiam 2. Timoth. 4. num. 17. crudeliſsimum Neronem leonem nominavit. *Liberatus ſum de ore leonis.*

97 Nota 4. Baſilius Hom. 9. Exameron ſcribit de leone: [Tanta illi vocis eliciendæ natura præſtitit inſtrumenta, ut animantium complura, longè ipſo celeriora, ſolo ſæpe rugitu capiantur.] Edit itaque rugitum formidabilem, cùm antecedentem prædam, celerique fuga prævolantem, curſus contentione fatigat. Amos 3. num. 4. *Numquid rugiet leo in ſaltu, niſi habuerit prædam?* Iſai. 31. num. 4. *Quomodò ſi rugiat leo, & catulus leonis ſuper prædam ſuam,* Pſalm. 103. num. 21. *Catuli leonum rugientes, ut rapiant.* Eccleſiaſt. 51. n. 4.
98 *à rugientibus præparatis ad eſcam.* Leo etiã ille longè læviſsimus, *rugiens circuit quærens, quem devoret,* 1. Petr. 5. numer. 8. Hoc mirificè quadrat in Reges Aſſyriorum: neque enim ſolùm aſpectu truci terrorem incutiebant. Proverb. 28. num. 15. *Leo rugiens, & urſus eſuriens, Princeps impius ſuper populum pauperem:* & cap. 19. num. 12. *Sicut fremitus leonis, ita & Regis ira:* & cap. 20. num. 2. *Sicut rugitus leonis, ita & terror Regis.* Verùm etiam nuncijs ſuis, miniſque inſolentiſsimis, velut quodam rugitu, omnes nationes proſternebant, ut iam dicemus numer. 13.

Numerus 12.

Leo cepit ſufficienter catulis ſuis, & necavit leænis ſuis, & implevit præda ſpeluncas ſuas, & cubile ſuum rapina.

99 DErſpicuè iam fluit continuata allegoria, quam luculenter Chaldęus illuſtravit. *Reges afferunt rapinam uxoribus ſuis, & prædas filijs ſuis: complentque theſauros ſuos rapina, & palatia ſua expilatione.* Dici enim non poteſt, quantas prædas egerint, quàm immenſas divitias coacervaverint reges illi; qui per vim, & ſcelus, impotentiſsimo, maximèque diuturno dominatu terrarum orbem oppreſſerunt, expilarunt, diripuerunt. 4. Regum 19. numer. 17. *Verè Domine diſſipaverunt reges Aſſyriorum gentes, & terras omniũ.*

100 Et quidem ſignificantiſsimè exprimitur, quantum prædæ comportatum ſit in eam urbem, ad faſtum, atque luxum: dum dicitur leo ſufficienter ſtrangulaſſe catulis voraciſsimis, expleviſſe famem leænis avidiſsimis: quod adeò factu difficile eſt in tam ardenti ſanguinis ſiti, tam inexplebili aviditate, ut vel eo nomine Deus ipſe glorietur, quòd leænam ſtimulet inſtinctu illo naturali ad captandam ſufficientẽ venationem catulis inhiantibus. Iob 38. num. 39. *Numquid capies leænæ prædam, et animam catulorum eius implebis?* Nam leo-
101 nes (ut curioſè obſervat ibi Pineda ex Aeliano lib. 2. cap. 3.) ex venatione duntaxat aluntur, nec animãtem ab alio occiſam unquam attingunt: ea ſolùm ſuſtentantur, quam ceperint vivam. Quod neſcio, an inſinuet hîc Propheta, dum ait; *& necavit leænis ſuis*, perinde quaſi vileſceret Aſſyrijs ea præda, quæ non multo priùs effuſo ſanguine conſtaret.

Numerus

Numerus 13.

Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum.

102 SIlicet veniam puniturus: estq; phrasis usitatissima, cū Deus grave supplicium, iamque impendens committatur. Actum agerem, si exempla congererem; cū passim occurrant in Prophetis, & hîc nonnulla collegerit Ribera.

103 Sed non possum in hoc loco, non accurate explicare, cur Deus toties appelletur, *Dominus exercituum*: & quid hac tam crebra, tamque illustri compellatione nobis innuatur. Res erit cognitu iucunda, quæque multis Scripturæ locis claritatem afferat. Et quidem Amos 4. num. 13. cap. 5. num. 27. & sæpe aliàs, hoc nomen Deo, tanquam maximè proprium attribuitur; *Dñus Deus exercituū, nomen eius.* Subest ubique vox Sabaoth, quam retinuit Vulgatus Hierem. 11. nu. 20. *Tu autem Domine Sabaoth*: ad Rom. 9. num. 29. *nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semẽ*, ex Isai. 1. num. 9. ubi tamen legitur, *nisi Dominus exercituum.* Iacob. 5. numer. 4. *in aures Domini Sabaoth introivit.*

104 LXX. reddere solent vocẽ *sabà, dynamis*, id est, virtus: *& sabaoth, dynameon*, virtutum: atque hinc iam oboritur intelligentiæ lux multis locis per obscuris. Ps. 23. num. 10. *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Hebraicè, *Dominus Sabaoth*, sive exercituum: ubi enucleatiùs explicat nomine Deitatis proprio, quod obscurè dixerat num. 9. *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.* LXX autem multis in locis, & eos sequutus Ioannes Apocalyp. 4. numer. 8. vertunt Græcè *pantocrator*, id est, omnipotens.

105 Psalm. 43. num. 10. *Nunc autem repulisti, & confudisti nos, & non egredieris Deus in virturibus nostris.* Hebraicè, *exercitibus*, id est, adeò nos despicatui ducis, & infensos habes, ut iam dedigneris nostros exercitus tuo præsenti numine roborare, quod olim beneficium solebas præstare Maioribus: at quid inde mali consequutum est? *Qui oderunt nos, diripiebant sibi.*

Psalm. 67. num. 12. *Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute multa.* Hebraicè, *exercitu numeroso*, id est, eos muniet, ac tuebitur inter præsentissima pericula, ac si validissimo, copiosissimoque exercitu undique cingerentur: ut sit illud Psalm. 33. num. 8. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Hebraicè, *castrametatur Angelus Domini, vel circumdat more castrorum.* Sic 4. Reg. 6. num 17. montem operiebat præsidium Angelorum constitutum in circuitu Elisæi. 106

Deus itaq; vocatur *Dominus exercituũ*, quia habet innumerabiles copias ad nutum sibi obtemperantes; incredibili celeritate, ac robore, tanti Imperatoris iussa exequentes: sive tutandi sint amici, sive exitiale bellum hostibus inferendum. Ps. 102. numer. 21. *Benedicite Domino omnes virtutes eius*, (Hebraicè, *omnes exercitus eius*) *ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* 107

Tres ego potissimùm exercitus invenio in sacra Scriptura memoratos. Primus est Angelorum: illæ enim cœlestes copiæ, cùm numerosissimæ sunt; tum verò tam eximio robore præstãtes, ut unus duntaxat miles centum octoginta quinq; millia hostium uno impetu trucidaverit. 4. Reg. 19. num. 35. &, quod longè mirabilius est, alter tantis viribus pollet, ut efficacia suæ potentiæ motricis, primum illud mobile magnitudine penè immensum, cuius comparatione omnis terræ simul, & aquæ globus instar censetur puncti, ab Oriente in Occidentem rapidâ, atq; præcipiti celeritate contorqueat; neque ob eam agitationem quidquam de beata illa, qua fruitur, tranquillitate deperdat. 108

109 Hos Angelorum exercitus sæpe commemorat Scriptura. Psalm. 33. num. 8. & Psalm. 102. num. 21. ut paulò antè vidimus. 3. Reg. 22. num. 19. *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli assistentem ei.* Luc. 2. nu. 13. *Subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis.* Iob 25. num. 3. *Numquid est numerus militum eius?* Matth. 26. num. 53. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum?* Nomen ipsum legionis militare est: & ibi Christus innumerabiles milites paucis; potentes imbecillis; Angelos denique hominibus opponit.

110 Zachar. 9. num. 8. *Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi, euntes, & revertentes.* Quod miram exprimit horum militum promptitudinem, ut perpendit Pined. Iob 7. vers. 1. num 3. *Que apenas les à mandado Dios la cosa, quando la dexan hecha, y estan ya de buelta.* Prælium etiam redolent illa Danielis 10. num. 20. & cap. 12. num. 1. *Consurget Michael Princeps magnus, qui stat pro filys populi tui.*

111 Locum illum Matth. 24. num. 29. *Et virtutes cælorum commovebuntur*, Origenes, Chrysost. Beda, Eutymius, & Theophilactus de Angelis interpretantur: quos, *virtutes*, id est, exercitus vocat Evangelista, LXX. Interpretes sequutus, qui ita solent nominare. Idem sentit Ecclesia in solemni illa precatione; *cæli, cælorumque Virtutes, ac beata Seraphim*: ipsi enim Angeli obstupescent Iudicis severitatem, & quasi attoniti hærebunt. Isai. 34. num. 4. *Et tabescet omnis militia cælorum.*

112 Alter exercitus Dei est Solis, Lunæ, astrorumque reliquorum, & impressionum ignitarum: *pugnabit enim cum illo orbis terrarum contra insensatos*, Sapien. 5. numero 21. Isai. 45. numero 12. *Manus meæ tetenderunt cælos, & omni militiæ eorum mandavi.* Genes. 2. numero 1. *Igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum.* Hebraicè. *Exercitus eorum.* Deuteronom. 4. numero 19. *Videas Solem, & Lunam, & omnia astra cæli.* Hebraicè. *Omnem militiam cæli*: est enim eadem vox *sabà*, quam sic reddit Latinus, cap. 17. num. 3. *Solem, & Lunam, & omnem militiam cæli.* 4. Reg. 17. nu. 16. *Adoraverunt universam militiam cæli.* Et c. 21. nu. 3. *Extruxit altaria universæ militiæ cæli.* Et 2. Paralipom. 33. num. 5. *Ædificavit autem ea cuncto exercitui cæli.* Psal. 32. num. 6. Vbi LXX. reddunt de more, *dynamis: verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Hebraicè. *Omnis exercitus eorum.*

113 Hæc acies instructa, & ordinata describitur Iudic. 5. nu. 20. *De cælo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine, & cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.* Baruc. 3. num. 34. *Stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis; (como buenos soldados hazian centinela, y guardava cada una su puesto.) Vocatæ sunt, & dixerunt, adsumus. (A la mas minima voz de su Capitan, estavan luego a punto.)*

114 Esset verò longum recensere, quoties fulminum iactus, quasi sanguinaria pugna describatur. Vide Sapient. 5. num. 22. Psalm 17. num. 15. Habacuc 3. num. 11. Quin etiam ipsa nix, atque grando, quæ minimùm læsuræ videbantur, huic militiæ dederunt nomen, in armamentario huius exercitus reservantur, Iob 38. numero 22. *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ, & belli.* Nam & hos milites ad victoriam reportandam mirè conducere, luculenter cecinit Claudianus in Panegyrico de tertio Honorij consulatu.

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies, revolutaque tela
Vertit in auctores, & turbine reppulit hastas,
O, nimiùm dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

115 Tertius denique exercitus, isque frequentissimus est hominum, Deo militantium: solet enim ipse Deus, cùm alto providentiæ suæ consilio decernit de aliqua gente supplicium sumere, signum quasi extollere, bellicum canere, milites conscribere, robore armare: deniq; tanquam dux fortissimus ante aciem ipse præire. Isai. 13. nu. 12. *Levate signum, exaltate vocem. Vocavi fortes meos in ira mea: vox sonitus Regum, gentium congregatarum: Dominus exercituum præcepit militiæ belli.* Hebraicè. *Recensèt exercitum: Dios es el Capitan general, que haze la reseña.* Ioel. 2. num. 11. *Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui, (và en la avanguardia, capitaneando, y animando su exercito) quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia, & facientia verbum eius.*

Deus, qui habet tam multa castra, tam innumeros exercitus, tam strenuos, tamque dicto audientes milites, iure optimo ad exterrendos suos hostes, *Dominus exercituum* subinde nominatur.

Et succendam usque ad fumum quadrigas tuas.

116 SPectare quadrigas ad militarem apparatum, atque adeò præcipuam bellici roboris partem in illis sitam esse, perspicuum est in his locis. 1. Paralipom. 18. num. 4. & lib. 2. cap. 16. num. 8. Iudith. 1. num. 4. & cap 2. num. 11. & cap. 9 nu. 6. Isai. 31. num. 1. & cap. 36. num 9. Iere. 47. num. 3. Et quidem Diodorus lib. 3. cap. 2. prodidit, in exercitu Nini Assyriorum Monarchæ, curruum falcatorum decem millia fuisse, atque sexcentos.

117 Minitatur ergo Dominus exercituum bellicosissimæ Assyriorum genti, se illorum fracturum potentiam, omnes belli nervos elisurum: incensurum in primis quadrigas, ut in favillam, ac cineres redigantur, & cum excitato ex incendio fumo pariter evanescant. In quadrigis autem simul sessores intelligi, acutè colligit Ribera, Zachar. 6. num. 3. Similes minas intentat Deus Michææ 5. num. 10. Aggæi 2. num. 23. Zachar. 9. num. 10.

Et leunculos tuos comedet gladius.

118 HEbraicè, *Kephirim*, id est, grandiusculos, ad prædandum avidiores, audacioresque: ut iam explicui, num. 11. §. 2. Quare nõ intelligo cum Ribera Regiam stirpem, indicatam nomine *gur*: sed audacissimos duces, milites præferoces, ac sanguinis sitientissimos.

119 Sed est in hoc loco in primis observanda notabilis illa locutio, qua gladius dicitur leunculos voraturus: perinde quasi ore, ac dentibus esset armatus: comedere enim proprium est animantis. Et verò locutio hæc occurrit in Scriptura frequentissimè, quæ aciem gladij identidem os appellat. Quemadmodùm enim dẽtibus in ore constructis conciditur, & absumitur cibus: ita etiam gladius acie exacuta in frusta minutatim secat, & quasi vorat, & absumit. Lucæ 21. num. 24. *Cadent in ore gladij.* Quanvis enim magis propriè sit Hebraismus, sed non abhorrent ab illo sacri Scriptores Græci, ad Hebr. 4 nu. 12. Quisquis ille fuerit, qui hanc Epistolam vertit Græcè, ita expressit, quod legimus in Vulgato: *penetrabilior omni gladio ancipiti. Machæran distomon*, hoc est, *duorum orium*, si Latinus sermo pateretur: & c. 11. num. 34. *Effugerunt aciem gladij.* Græcè, *stoma*, id est, *os*. Apocalyp. 1. nu. 16. *Gladius utraque parte acutus.* Græcè, *romphæa distomos.*

120 Plura suppetunt exempla in codicibus Hebraicis: seligam pauca de multis Iudicum 3. nu. 16: *Fecit sibi gladium ancipitẽ.* Regia vertit Hebræa verbum è verbo. *Fecit sibi gladium, & ei duo ora.* Proverb. 5. num. 4. *Acuta, quasi gladius biceps.* Hebraicè, *piioth, de bocas.* Psalm. 149. nu. 6. *Et gladij ancipites in manibus eorũ.* Hebraicè eadẽ voce per auxesin geminata, *pipiioth.*

122 Non involvam ſilentio per doctam Riberæ obſervationem, huic loco per quàm accommodatam. Obſervat Oſée 10. n. 38. quoties Scriptura dicit, *percutere in ore gladij*; eo genere loquendi ſignificari ſanguinariam cædem, carnificinamque; omnes ad unum trucidare, à nemine abſtinere; gladiũ ipſum ad ſatietatem uſq; cruore imbui: propterea quòd nunquam uſurpatur ea locutio, cùm unus eſt interfectus, niſi magna hoſtium ſtrages edita ſit.

123 Hanc eruditam obſervationem perpetuò conſtantem inveni in ijs locis, quæ videre mihi contigit. Qualia ſunt Iob 1. num. 15. & 17. Vtrobique enim habetur Hebraicè, *in ore gladij*. Ioſue 6. num. 21. *Interfecerunt omnia, quæ erant in ea à viro uſque ad mulierem, ab infanti uſque ad ſenem; boves quoque, & oves, & aſinos in ore gladij percuſſerunt*. Et cap. 10. num. 28. *Percuſſit eam in ore glady, regemque illius interfecit, & omnes habitatores eius: non dimiſit in ea ſaltem parvas reliquias*. Atque illud idem cap. quatuor alia exempla ſuppeditat, num. 30. 32. num. 35. & num. 37. Exod. 17. numero 13. Numeror. 21. numero 24. Deuteronom. 20. numero 13. Iudic. 20. numero 37. 1. Regum 15. numero 8. & cap. 22. numero 19. 2. Regum 15. numero 14. Iudith. 2. num. 16. ſexcentiſque alijs locis.

124 Idem licet obſervare, cùm ſacra Scriptura attribuit gladio verbum *comedendi*, aut *devorandi*: ſignificat enim, eum ſanguine ad ſaturitatem expleri, atque adeò inebriari, ut loquutus eſt Iſaias cap. 34. num. 5. *Inebriatus eſt in cælo gladius meus*. Et num. 6. *Gladius Domini repletus eſt ſanguine*. Hoc itaque ſonat Deuteronom. 32. num. 42. *Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus devorabit carnes*. Iſai. 1. numero 20. *Gladius devorabit vos*. Ierem. 2. num. 30. *Devoravit gladius veſter Prophetas veſtros, quaſi leo vaſtator*. Atque ut unum exemplum ſufficiat pro multis, Ierem. 46. num. 10. *Devorabit gladius, & ſaturabitur, & inebriabitur ſanguine eorũ*.

125 Iam ergo liquet, quid denuntietur illis verbis, *& leunculos tuos comedet gladius*: comminatur enim, eos necandos eſſe in ore gladij, id eſt, carnificinam ad ſatietatem uſque edendam eſſe; hoſtes avidiſſimos ſanguinis ſanguine penitus explendos. Et quidem, ut iam retuli ex Diodoro, in illo lib. 3. cap. 7. [Adeò ingens numerus occiſorum fuit, ut fluvius redundante hominum ſanguine colorem mutarit.]

Et exterminabo de terra prædam tuam.

126 VÆ *qui prædaris*, (intonat Iſaias cap. 33 num. 1.) *Nonne & ipſe prædaberis?* Opes, quas per vim rapueras, hoſtes tui opimis ditati ſpolijs in diverſas regiones abducent. Lege, quæ adnotavi num. 9.

Et nõ audietur ultrà vox nunciorum tuorum.

127 QVod Pagninus, & Mercerus in Radice obſoleta *laac* admonuerunt, hunc locum ita verti poſſe: *non audietur ultrà ſonitus dentium tuorum, prædam mandentium*: ut Regem adhuc Deus tanquam leonem truculentum alloquatur: & ſi Rabbinicum eſt, atque adeò humi repens, ut ferè ſunt pleraque, quæ ex tali prodeunt officina, ſed nihil oberit adnotaſſe.

128 Tangit igitur ulcus, exprobrat blaſphemam illam inſolentiam, qua ſolebant Aſſyriorum Reges per ſuos nuncios formidinem incutere, urbeſque ad deditionem ſolicitare. 4. Regum 18. num 28. *Audite verba Regis magni, &c.* Sic etiam fecit Rex inſolentiſsimus Nabuchodonoſor Iudith. 1. num. 7. *Ad omnes regiones miſit nuncios: omnes tamen uno animo contradixerunt, & remiſerunt eos vacuos, & ſine honore abiecerunt.*

CAP. III.

Numerus 1.

Væ civitas sanguinum.

1 ITum est in Scriptura, per *sanguinem* peccata denotari. Causam reddit Ribera ad illud Osee 4. num. 2. *Sanguis sanguinem tetigit.* Hebraicè *Sanguines sanguines tetigerunt.* Vbi Chaldæus, *& aggregant peccata peccatis.* Sumptaque est ibi metaphora ab inundatione fluminum, ut constat ex verbis proximis: *homicidium, furtum, & adulterium inundaverunt.* Et significatur, colluvionem illam scelerum non esse aqueam, sed sanguineam, ac proinde divinam ultionem clamitãtem: & usque eò redundare, ut accidat, quod ille cecinit de torrente rapidissimo: *unda impellitur unda, urgeturque eadem veniens, urgetque priorem.* Vel potiùs, ut quasi vicinis fluvijs extra ripas diffluentibus, latèque stagnantibus, unius inundatio alterius etiam contingat inundationem: *quãdo el agua, que sale de madre de un rio, alcançasse á juntarse con la del otro, todo estaria de mar à mar.*

2 Observant verò plerique, ea præcipuè peccata per sanguinem notari, quæ sunt coniuncta cum violentia, iniuria, & oppressione proximi. Patet ex loco Osee: nam per homicidium impetitur vita; per furtum eripitur res familiaris; per adulterium denique honor violatur. Et hac ratione complecti etiam potest nomen sanguinis fœdam libidinem. Psalm 50. numero 16. *Libera me de sanguinibus*: licèt ea verba Pineda tom. 1. Iob 16. vers. 18. generatim illustret Hispanismo: *libreme Dios de hazer mal a nadie.*

3 Quia ergo Ninive totius orbis imperium, effuso crudeliter hostium sanguine, patratisque cædibus indignissimis, affectaverat; quia omnium fortunas per vim, per scelus diripuerat; cruore respersa, divinam in se iracundiam meritò concitavit. Ierem 2. numero 34. *In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum,* id est, alæ istæ, quibus te in sublime tollis, & effers insolentissimè, maculatæ sunt sanguine egentium, quos bonis expilasti, quibus quasi succum, & sanguinem exorbuisti.

4 Exposcit à Deo vindictam hæc dira violentia, idque contentis clamoribus. Habacuc 2. num 11. *Quia lapis de pariete clamabit,* id est, marmoreæ columnæ ex ædibus alienis direptæ, tigna cedrina, trabesque inauratæ, herum raptorem, & iniurium clamitabunt; *væ qui ædificat civitatem in sanguinibus.*

5 Dicitur itaque Ninive *civitas sanguinum,* id est, maximè sanguinolenta, vel sanguinaria. Hebræi siquidem genitivo substantivi uti solent pro apposito: quòd si ille gignendi casus sit numeri multitudinis, vim habet superlativi. Notat hoc, & exemplis confirmat Ribera Osee 1. num. 26. afferam unum, vel alterum præsenti loco quàm simillimum. Psalm. 5. num. 7. *Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus.* Psalm. 25. num. 9. *Ne perdas cum impijs Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam.* Psal. 54. num 24. *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.*

Vniversa mendacij dilaceratione plena: non recedet à te rapina.

6 VIolenta præda per rapinam, & sanguinem; fraudulenta verò iniuria per mẽdacium denotatur: promissa nempe immunitate; aut etiam societate hostibus in fidem receptis post deditionem factam, fidẽ ipsam Assyrij turpiter æquè, ac crudeliter violabant. Itaque mendaciũ ipsum plenum erat violentia, ut cùm fera sanguinaria insidiatur prædæ, quam ex

improviso arreptam unguium aduncitate discerpit. Sic enim hunc locum expressit Symmachus in Scholijs ad Editionem LXX. *Universa plena crudelitate, sectionibus carnium, & frustis per membra concisis.*

7 Vt huic truculentissimæ leænæ, exorbendi sanguinis sitientissimæ, mirificè quadret illud Zachar. 9. num. 7. *Et auferam sanguinem eius de ore eius, & abominationes eius de medio dentium eius.* Isai. 1. num. 15. *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Nisi malis hæc referre ad fraudes, technas, ac mẽdacia, quibus ipsi inter se in contrahẽdo, aut iudicando circumveniebant; ut prorsus esset aditus intercluſus veritati. Psalm. 54. num. 10. *Die, ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniustitia: & non defecit de plateis eius usura, & dolus.* Isai. 59. num. 13. *Conversum est retrorsum iudicium, & iustitia de longè stetit: quia corruit in plateis veritas, & æquitas non potuit ingredi.*

Numerus 2.

Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ ferventis, & equitis ascendentis.

8 SPirant hæc omnia bellicum quadrigarum apparatũ, terroremque audientibus incutiunt. Quasi dicat. Cerno animo Chaldæorum impetum in vestra cæde bacchantium: videor mihi iam audire crepitum flagelli, quo validè excusso, equi frementes, & Martium ardorem anhelantes, ad cursum ab aurigis incitantur. Ioelis 2. num. 4. *Quasi aspectus equorũ, aspectus eorum, & quasi equites sic current: sicut sonitus quadrigarum super capita montium exilient.*

9 Quam verò sit horrificus sonitus ille rotarum, præcipuè cùm per lapides decurrunt, scintillasque emicantes ex silicibus excutiunt, vel illud argumento est, quod scribit Plin. lib. 8. cap. 16. rotarum orbibus circumactis magnanimos leones perterreri. Virgilius etiam prodit, lib. 6. Æneid. superbissimum illum Salmonea apud inferos pœnas luere, quòd quadrigis rapidissimè invectus, terrificumque rotarum agitatione fragorem edens, divinitatis opinionem affectaverat, & fulminum iactus effinxerat.

Qui verò volet elegantem equi frementis descriptionem, legat cap. 39. Iob à num. 19. usque ad 25. & in eum locum eruditos Pinedæ commentarios.

Numerus 3.

Et micantis gladij, & fulgurantis hastæ.

VOx accersenda est è proximo numero, ut videlicet districta ferri acies à sole colluens, ac vibrans, perstringat oculos; editus verò fragor aures exsurdet; utrumque animum perterrefaciat, & ante inflictum vulnus vulneris horrore percellat. Micantem verò gladium fulguri, aut fulmini comparari, usitatum est. *Rotat ensem fulmineum*, dixit ille alter: sed elegantiùs sacra Scriptura. Deuteronom. 32. num. 41. *Si acuero, ut fulgur, gladium meum.* Habacuc 3. numero 11. *In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ:* Iob 20. numero 25. *eductus, & egrediens de vagina sua; & fulgurans in amaritudine sua.* 10

Et multitudinis interfectæ, & gravis ruinæ: nec est finis cadaverum, & corruent in corporibus suis.

11 VT illa superiora ad apparatum bellicum, ita hæc spectant ad editam stragem: intuetur enim Propheta mentis oculis direptam Niniven, mænia æquata solo, ædes superbissimas incensas, urbem denique sepultam, & miseros, atque insepultos acervos civium, in suo sanguine volutatos. Cernit trepidantes Assyrios, ipsaque trepidatione, ac præcipiti fuga in proiecta passim per medias vias interfectorum cadavera incurrentes, prolabentesque. Huc spectat obscurus ille locus ex Psalm. 109. num. 6. *implebit ruinas*, id est, horrendas edet strages, replebit omnia cadaveribus. Cadaver enim *ruina* nominatur, cùm in Græca, tum in Hebraica lingua: ut observat Maldonatus Matth. 24. num. 28.

Numerus 4.

Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ.

12 NOtum est in Scriptura, *fornicari*, idem esse, ac Idôla colere: quòd Idololatræ cæco animi impetu effrenati, quasi insanientes libidine à vero Deo animarum sponso, nefariè recedant, & spe vitæ licentioris illecti, Idôlis, quasi amatoribus se se corrumpendos tradant. Lege Riberam ad illa verba Oseæ 1. num. 2. *fornicans fornicabitur terra à Domino.* Et Pradum Ezechi. 16. pag. 194.

13 Sed nimis angustè restringet sententiam huius loci, qui de sola exponet Idololatria. An tam dirum, immaneq; supplicium sumptum est de meretrice ista pulchra, & speciosa, (Ninive enim speciosam Hebraicè sonat) propter cultum dumtaxat Idôlis exhibitum? Imò verò etiam propter scelerum, ac turpitudinum omnium fœdam colluvionem, ex isto fonte redundantem. Probo itaque sententiam Maldonati Matth. 5. num. 32. & Riberæ Apocalyp. 14. num. 57. qui omnia ferè peccata propterea censent *fornicationis* nomine comprehendi, quia per ea à creatoris avertimur amore, & ad creaturarum amores, deliciasque convertimur.

Et habentis maleficia.

14 TIgurina. *Pollentisq; veneficio.* LXX. *Dux maleficiorum*, quæ scilicet suis illecebris, quasi magicis artibus, veneficisque potionibus, homines dementabat. Sic legimus de meretrice illa magna Babylone, Apocalyp. 17. num. 2. *Et inebriati sunt, qui habitant terram, de vino prostitutionis eius.* Et num. 4. *Habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione.* Expressiùs cap. 18. num. 23. *Quia in veneficijs tuis erraverunt omnes gentes.* Efficacitatem istorum maleficiorum describit Ribera, Michææ 5. num. 90. & Delrius lib. 3. Disquisitionum magicarum Parte 1. q. 3.

Quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, & familias in maleficijs suis.

15 VEndere in sacro sermone propriè significat, eripere alicui libertatem, & alteri in possessionem tradere. Sic loquitur Scriptura, cùm Deus sui populi flagitijs irritatus tradebat illum hostibus in servitutem abducendum. Deuteron. 32. num. 30. *Nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos?* Iudith. 7. num. 13. *Propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum.* Psal. 43. num. 13. *Vendidisti populum tuum sine pretio.*

16 Cùm igitur peccator flagitiosissimus traditus est in reprobum sensum, adeò, ut prudens, volensque à suis effrænatis cupi-

ditatibus

ditatibus impotēter efferatur; dicitur venundatus, ut faciat malum. 3. Regum. 21. num. 25. *Non fuit alter talis, ſicut Achab, qui venundatus eſt, ut faceret malum in cōſpectu Domini.* 1. Machabæ. 1. num. 16. *Et iuncti ſunt nationibus, & venundati ſunt, ut facerent malum.*

17 Metaphora verò ex eo ſumpta eſt, quia ſicut ſervus, non quæ ſibi facienda videntur, ſed quæ herus imperat, vel reluctans facit: ita peccator, non quæ pręſcribit Deus, & ratio dictat, ſed quæ dæmon ſuggerit, appetitus ve poſtulat, exequitur; & reclamante conſcientia, acriterq́; pungente, ſciens, videnſq́ue ad peccatum abripitur. *Video meliora, probṍque, deteriora ſequor*: quod eleganter declaravit Apoſtolus ad Roman. 7. num. 14. *Ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato*, ideſt, ſubditus peccato, in quo peccatum dominatur. Mox apertiùs cauſam reddit, *quod enim operor, non intelligo*; (id eſt, non approbo) *non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio.*

18 Hæc eſt illa miſerrima, & arctiſsima ſervitus. Ioan. 8. num. 34. *Amen amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Proverb. 5. num. 22. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Pſalm. 118. num. 61. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* 2. Petr. 2. num. 19. *A quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſervus eſt.*

19 Nec deeſt in hac venditione pretium, quo dæmon peccatores inesca. Pretium eſt fœda voluptas, umbraticus honor, exiguum lucellum: pretium ſunt fornicationes, & veneficia, quibus gentes à meretrice infatuantur. Proverb. 6. num. 26. *Pretium ſcorti vix eſt unius panis: mulier autem viri pretioſam animam capit.* [Quanta iniquitas, (exclamat Aug. lib. de Honeſt. mulierum cap. 30.) ut animam, quam Chriſtus ſuo ſanguine redemit, luxuriosus pro unius horæ delectatione diabolo vendat, ac tradat.]

20 Atque huius vēditionis ſyngraphan, propria ſubſcriptione munitam, tradit diabolo peccator. Sic explicat Origenes homilia 23. in Geneſ. illud ad Coloſ. 2. n. 14. *Delens, quod adverſus nos erat chirographum.* [Iſtud chirographum peccatorum noſtrorum cautio fuit: unuſquiſque etenim noſtrum in ijs, quæ delinquit, efficitur debitor, & peccati ſui litteras ſcribit.]

Numerus 5.

Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum.

EXpoſui hæc eadem verba, cap. 2. num. 13.

Et revelabo pudenda tua in facie tua, & oſtēdam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.

21 PErſtat in eadem metaphora meretricis, quæ falſi candoris, & ruboris medicamentis delibuta, turpiſsima, ac deformiſsima cùm eſſet, & contagioſis ulceribus inquinata, ſe ſe fallaciſsimè amatoribus venditaret. Cui nihil ad fœdam ignominiæ labem inurendam turpius, nihil ad horrorem omnibus incutiendum efficacius, poſſet Propheta minitari, quàm Deū in media luce, in oculis amatorum, ulcera illa purulenta, ſanie, taboque manantia detecturum. Ezechiel. 16. num. 37. *Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, & nudabo ignominiam tuam coram eis, & videbunt omnem turpitudinem tuam.* Oſeę 2. num. 10. *Et nunc revelabo ſtultitiam eius in oculis amatorum eius.* Iſai. 47. num. 3. *Revelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum.* Rectè itaque obſervat Prado, Ezechiel. 16. num. 37. pagin. 205. 22 *nuditatem* in ſacro ſermone idem eſſe, ac ignominiam, & turpitudinem.

Numerus

Numerus 6.

Et proijciam super te abominationes, & contumelijs te afficiam.

PErspicua sententia est: inspecta tam horribili fœditate, efficiam, ut te omnes, tanquam tetrum quid, dirum, & ominosum execrentur, ut oculis refugiant, animis aversentur, cogitatione ipsa perhorrescant.

Et ponam te in exemplum.

23 IDest, tale supplicium de te sumam, ut exemplo omnibus sis: ut qui alteri male cupiat, simile imprecetur. Numer. 5. num. 21. *Det te Dominus in maledictionē, exemplumque cunctorum in populo suo.* 3. Reg. 9. num. 7. *Eritque Israel in proverbium, & in fabulam cunctis populis: & domus hæc erit in exemplum: omnis, qui trānsierit per eam, stupebit, & sibilabit.* Iudæ. n. 7. *Facti sunt exemplum, ignis æterni pœnā sustinentes.* Num. 25. num. 4. *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in paribulis.* LXX. *paradigmatison:* id est, *exemplaios: ede exemplum in eis.*

24 Et quidem Gelius lib. 6 cap. 14. ex tribus causis puniendi publice delicta hanc præcipuè commemorat: *para que el castigo del culpado a otros sea escarmiēto.* [Tertia ratio vindictæ est, quæ paradigma à Græcis nominatur: cum punitio propter exemplum est necessaria, ut cæteri à similibus peccatis metu cognitæ pœnæ deterreantur. Idcirco veteres quoque nostri exempla pro maximis, gravissimisq; pœnis dicebant.] Hactenus Gelius.

Numerus 7.

Et erit, omnis, qui viderit te, resiliet à te; & dicet, vastata est Ninive.

PRæ admiratione stupefacti haurient oculis tam insignē calamitatem, & vix animo credent. Prorumpent admirabundi in ea verba, Deuter. 29. num. 24. *Quare sic fecit Dominus terræ huic? quæ est hæc ira furoris eius immensa?* Hierem. 22. num. 8. *Et pertransibunt gentes multæ per civitatem hanc, & dicet unusquisque proximo suo: quare fecit Dominus sic civitati huic grandi?* Intuentes verò manifesta indicia divini furoris effusi, illico gradū referent, ne si propius ad infensam Deo urbem accesserint, aliqua fortè supplicij pars ad eos etiam pertineat, licèt insontes. 25

Quis commovebit super te caput? unde quæram consolatorem tibi?

MAgnum est doloris allevamētum, in rebus adversis habere consolatorem, qui & tuam vicem doleat, & prudentissimis, lenissimisque verbis mœrorē extenuet. At Ninive ob sanguinariam illam insolentiam in tōtum omnium Gentium odium incurrerat, ut non modò nō dolerent eius calamitatem, imòvetò de illa funditus excisa gratularentur. Vide infrà, num. 19. Observant verò plerique, *movere caput* aliquādo commiserationis, ut in præsenti, aut admirationis cum cōmiseratione conjunctæ; aliquando verò irrisionis signum esse. Eius rei exempla, quia erudite congerunt Ribera in hoc loco, Maldon. Matth. 27. num. 39. & Pineda Tom. 1. in Iob, cap. 16. vers. 5. describendi labore lubens supersedebo. 26

Numerus 8.

Numquid melior es Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus?

27 DE nomine Alexandriæ, de situ eius, de murorum ambitu, de civium frequentia latè Ribera, Palatius, & Montanus. Hæc autem est vis totius argumenti. Num fortior es tu, aut præstantior Alexandria, urbe totius AEgypti principe, natura loci munitissima, cincta undequaq; aut impermeabili solitudine, aut importuoso mari, aut rapidis fluminibus, aut cœnosis paludibus: intùs verò numerosissimo, validissimoque præsidio communita? quòd si illa tādem expugnata fuit, atq; direpta; an tu adeò insolenter tuis viribus præfides, ut tibi securitatem pollicearis?

Aquæ in circuitu eius: cuius divitiæ mare: aquæ muri eius.

28 SI belli nervi sunt pecuniæ, divitijs est refertissima, & abundantissima omni genere mercium, quæ navibus importantur. Si ad arcendos hostes plurimū solent habere momēti altæ fossæ, aquisq; oppletæ; tota est circumvallata, non dico fossis, sed mari ipso, profundisque fluminibus, quæ vado traijci, superarique non possunt.

Numerus 9.

AEthiopia fortitudo eius, & AEgyptus; & non est finis: Africa, & Lybies fuerunt in auxilio tuo.

29 AT enim militibus, qui Alexandriam tuebantur, diuturna obsidione fractis, assiduisque prælijs absumptis, facili negotio potuit expugnari: imò verò tantus erat militum numerus, ut iniri nō posset. *Et non est finis.* Vrbes enim, & provinciæ florentissimę finitimæ Alexandriæ, & cum illa cùm arctissima fœderis societate devinctæ; tum antiqua generis necessitudine coniunctæ, auxiliares copias innumerabiles, atque fortissimas subinde submittebant.

Numerus 10.

Sed & ipsa in transmigrationem ducta est in captivitatem.

30 ET nihilominùs urbs ab omnibus præsidijs firma, ut prorsus inexpugnabilis videretur, expugnata tandem est, atque direpta, & in miseram captivitatem abducta.

In cuius verò Regis principatum, quotumque eius annum incurrerit hęc vastatio Alexandrię, tractat Ribera cap. 2. num. 21.

Parvuli eius elisi sunt in capite omnium viarum.

31 SPectant hæc ad exaggerandam sævitiam victorum, plus quàm ferinam: quandoquidem ipsæ feræ truces, & immanes, conspecto tamen infante, sive blādiente vultu, sive ploratus edente, naturæ quodam instinctu flecti, & commoveri solent. Plinius lib. 8. cap. 16. & Solinus cap. 40. auctores sunt, leones truculentissimos nunquam, nisi extrema fame enectos, attingere infantes. Longiùs 32 processit lupa illa, quæ Remū, & Romulum, crudeliter expositos, distentis uberibus aluit; ut tota vetus testatur historia. Livius lib. 1. Decad. 1. Strabo lib. 5. Iustinus lib. 43. Plutarchus in Vita Romuli, Plin. lib. 8. cap. 17. & Virg. 8. AEneid. Cyro infanti canem ubera præbuisse, refert AElianus lib. 12. & Iustinus lib. 1.

Delphinum etiam pueri specie captū 33 dorso illum excipere, & in altum deferre

ſolitum, prodiderunt Gelius lib. 7. c. 8. & Plinius lib. 9. cap. 8. Puero tamen vita functo, Delphinus præ deſiderio extabuit, & in eodē ſepulchro cōdit⁹ eſt. Sed plena eſt vetuſtas huiuſmodi exēplorum.

34 Direptores verò Alexandriæ humanitatis ſenſum penitus exuētes, & in belluinam rabiem efferati, teneros infantes, ploratibus vel ſaxa ipſa commoventes, è matrum complexu abſtractos, in cōpitis viarū, ad platearū angulos furenter allidebāt, & innocentū ſanguine, cerebroq; reſperſo lapides fœdabant. An ſibi à tam diris, & ſanguinarijs hoſtibus ullam clementiæ partem pollicebūtur viri, cùm tā ſæviexiſtant in infantes, quorū innoxia ætas vel ipſas belluas commiſeratione afficere po-

35 tuiſſet? Simile crudelitatis gen⁹ imprecatur Regius Propheta Babylonijs. Pſalm. 136. num. 9. *Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.* Iſai. 13 num. 16. *Infantes eorum allidentur in oculis eorū:* neque tanta diritate exſatiata fuit hoſtiū crudelitas: num. 18. *& lactantibus uteris non miſerebuntur*, ideſt, gladijs ſecabunt prægnantium uteros, extractoſque fœt⁹, qui lactea quadam ſubſtantia in maternis viſceribus aluntur, crudeliſsimè diſcerpent: quod ſanè extremā ſuperat feritatē.

Et ſuper inclytos eius miſerunt ſortem.

36 VIctores, ut eruditè probat Pontanus in 3. AEneid. col. 1043. ſorte dividebāt inter ſe captivos, eos præcipuè, qui nobiliſsimi erant; quos propterea quilibet cupiebat pertinere ad ſuæ prædæ partem. Ioelis 3. num. 2. *Terram meam diviſerunt, & ſuper populum meum miſerunt ſortem.* Simile quid narrant Evangeliſtæ de tunica Chriſti inconſutili, ſortitione inter milites diſtributa. Vide Maldonat. Matth. 27. n. 35. Solebant etiam

37 victores ſortitò divinare, quo die, quove mortis genere victos interficerent. Eſther 3. n. 7. *miſſa eſt ſors in urnam*, &c. Sic explicavi c. 2. n. 10. locū illum per obſcurum Pſ. 67. n. 14. *ſi dormiatis inter medios cleros*, ideſt, *ſortes*. Qui præterea volet curioſam de ſortibus diſputationem, quàm plurimis Scripturę locis multum lucis afferentem, legat Riberam, Ionæ 1. à n. 40.

Et omnes optimates eius confixi ſunt in compedibus.

LXX. *Alligabuntur in compedibus.* ut Pſ. 149. n. 8. *Ad alligandos reges eorū in compedibus.* Contrudentur itaq; in carcerem, ferreis catenis adeò validè conſtricti, ut ſe ſe commovere vix poſsint; non ſecùs ac ſi eſſent confixi clavis. Sic dicitur de Ioſeph. Pſal. 104. n. 18. *Humiliaverūt in compedibus pedes eius: ferrum pertranſijt animam eius*, ideſt, ferreę catenæ illū confixerunt. 38

Numerus II.

Et tu ergo inebriaberis, & eris deſpecta.

Concluſio eſt totius argumēti; urbs illa munitiſsima direpta eſt; & tu quoq; diripieris; propinavit illi Deus iracundiæ calicem; & tu reliquias uſque ad fęcem hauries. Ex eadem metaphora fluxerunt illæ minæ. Habacuc. 2. n. 16. *Bibe tu quoque, & conſopire; circumdabit te calix dexteræ Domini: & vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.* Vbi etiam hanc ebrietatem contemptus, & irriſio conſequuntur; ſicut etiam Ezech. 23. n. 32. *Calicem ſororis tuæ bibes profundum, & latum: eris in deriſum, & in ſubſannationem.* Thren. 4. n. 21. *Ad te quoque perveniet calix: inebriaberis, atque nudaberis.* Atque hæc teſtimonia ſatis, ſuperque illuſtrant præſentem locum: qui plura volet pro hac metaphora, videat Maldonat. Matth. 20. n. 22. Riberam Michææ 2. numer. 41. & Apocalypſ. cap. 14. n. 58. Guevar. Habacuc 2. n. 295. Geneb. Pſalm. 10. num. 8. & Pſ. 39 40

& Psalm. 72. num. 11. Ioannem Fernād. verbo, *bibere*, num. 6. 7. & 8. & verbo *calix*, num. 6. Prad. Ezech. 23. pag. 287. & quæ adnotavi suprà, cap. 2. num. 3.

Et tu quæres auxilium ab inimico.

41 ET tu quondam tam superba, ut subiugatas Gentes, & tibi supplices absterreres, in tantas redigeris angustias, ut cogaris ab infensis etiam nationibus, quas hostiliter oderas, opem, & auxilium implorare: quod extremæ calamitatis indiciū est, ut lamētatur Hieremias Threnorum 5. num. 6 *AEgypto dedimus manum, & Assyrijs, ut saturaremur pane*; & acriter obiurgat Oseas cap. 7. num. 11. *AEgyptum invocabant, ad Assyrios abierunt.*

Numerus 12.

Omnes munitiones tuæ, sicut ficus cū grossis suis: si concussæ fuerint, cadent in os comedentis.

42 ADnotavi cap. 1. num. 6. 8. & 9. & cap. 2. num. 6. Ninivitas imperij diuturnitate, murorum firmitudine, militum robore confisos, nullius potentiam extimuisse, seque omnino inexpugnabiles fore existimasse: at cùm eluvione fluminis disiecta mænia, & hostes, quà patuit aditus, irrumpentes conspexerunt, quasi haud dubiè infenso numine, omnibus cecidere animi.

43 Hac historia perspicua redditur huius loci sentētia: quasi dicat. Muri isti tui editissimi, atque firmissimi, quibus te septā, & munitam ab hostium impetu arbitraris, tam facilè disturbabuntur, quàm solent præcoces ficus, aut arboris succussu, aut ventorum agitatione in terram decuti. Apocalyps. 6. num. 13. *Stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cùm à vento magno movetur.* E foliis duxit similitudinem Isai. cap. 34. num. 4. *Et complicabuntur, sicut liber, cæli; & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea, & de ficu*: & Latinus Poeta lib. 6.

Quàm multa in sylvis autumni frigore primo
Lapsa cadunt folia.

Numerus 13.

Ecce populus tuus mulieres in medio tui.

44 HIerem. 51. num. 30. *Devoratum est robur eorum, & facti sunt, quasi mulieres.* Et quidem Rex ipse Sardanapalus effœminatus, & mulierosus, disturbato muro, adeò non sustinuit impetum belli, ut animum planè despondens, se in ardentem pyram iniecerit; quod ignavissimi animi esse, eruditè probat Muretus 4. Variarum cap. 2. Lege, quæ adnotavi cap. 2. num. 7. & 10.

Inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ, devorabit ignis vectes tuos.

VErè hostibus obsidentibus Ninivē valvæ ipsę sua spōte patefactę, muris solo æquatis, aditum præbuerunt: verè etiam firmissimi vectes, quibus portę occludebantur, igne illo sunt absumpti, qui ædes etiam superbissimas exusit. Vide cap. 2. num. 6.

Numerus 14.

Aquam propter obsidionē hauri tibi; extrue munitiones tuas: intra in lutum, & calca, subigens tene laterem.

45 SOlent obsessi ad ferendam quàm diutissimè obsidionē, aquam sibi in cisternis comparare; solent item reficere muros, tormentorum vi labefactatos, &

inter-

interruptos. Ad utrumque adhortatur Propheta per irrisionem, qualis est illa, cap. 2. num. 1. *Contemplare viam, conforta lumbos, &c.* Lege ibi adnotata.

46 Extrui verò solitos lateritios muros incredibili firmitudine, notius est, quàm ut hîc probandum videatur: tantùm advertо; quàm aptè cadat irrisio in nostra explicatione; cùm irrumpente flumine, & valido impetu mœnia disturbante, omnis labor reficiendi, & instaurandi muros, nō irritus modò, sed & planè ridiculus videretur.

Numerus 15.

Ibi comedet te ignis: peribis gladio.

47 IGnis, flammaque vastari solent urbes; & ferro quidem tam innumerabiles Assyriorum copiæ cæsæ sunt, ut fluvius ipse redundante sanguine colorem mutarit. Vide cap. 2. num. 13. Ignis verò non modò abiecta ædificia, sed & superbissima palatia, templaque magnificentissima flammis populantibus absumpsit, cap. 2. num. 6. & num. 9. Attribuitur igni actio comedendi, sive devorandi; quo nihil frequentius in Scriptura, quia latè grassante flamma, quæ linguæ figuram ad vivum effingit, Act. 2. num. 3. admotam escam avidissimè vorat. Isai. 5. num. 24. 48 *Sicut devorat stipulam lingua ignis.* Inde etiam applicatur igni lambendi verbum, quia non secat dentibus, sed lingua populatur. 3. Reg. 18. num. 38.

Observat opportunè Ribera ad illud Osee 4. num. 8. *Peccata populi mei comedent*, in sacro sermone *comedere*, idem esse, atque consumere. Sic explicat ea verba Alexander primus epistol. 2. [Ipsi (inquit) Sacerdotes pro populo interpellant, & populi peccata comedunt, quia precibus suis, & oblationibus ea delent, atque consumunt.] Ierem. 10. num. 25. *Quia comederunt Iacob, & devoraverunt eum, & consumpserunt illum.* Quæ verba sumpsit Propheta ex Psalm. 78. numero 6.

Hæc observatio cùm universè vera sit, 49 tum si est sermo de gladio, & igne, verissima. Vide cap. 2. num. 13. Deuteron. 4. num. 24. *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Hebraicè, *devorans*, sive *comedens*. Vtrumque itaque rectè coniungitur Iob 31. num. 12. *Ignis est usque ad perditionem devorans.*

Devorabit te, ut bruchus.

BRuchus bestiola quædam est de genere locustarum, voracitate insignis, (à qua etiam nomen accepit, *bryco* enim idem est, ac voro) alis prædita, num. 16. *Bruchus expansus est, & avolavit*; ac non herbas modò, sed & arborum folia populatur. Vide Ioelis 1. num. 4. *Residuum locustæ comedit bruchus.*

Duo verò minitatur Propheta, indu- 50
cta huius voracissimæ bestiolæ similitudine. Alterum; funditus excidendam esse Niniven, non secùs, ac folium ab edace brucho penitus arroditur. Alterū; Chaldæos ad vastandam Niniven instar bruchorum gregatim advolaturos, & ad infinitam penè copiam multiplicandos; sic enim solet Scriptura attribuere brucho multitudinem. Psalm. 104. num. 34. *Et bruchus, cuius non erat numerus.* Ierc. 51. num. 14. *Replebo te hominibus, quasi brucho.*

Congregare, ut bruchus; multiplicare, ut locusta.

PErspicua sunt hæc verba ex his, quæ 51
proximè adnotavimus: est enim irrisio huic Prophetæ familiaris; cap. 2. nu. 1. & cap. 3. num. 14. quasi dicat. Recurre ad tuas copias militares, & contra innumerabilem irruentium hostium multitudinem contrahe quantum maximum poteris militum numerum; ita ut instar locustarum, & bruchorum solem præ multitudine obscurare videantur: irriti scilicet erunt hi conatus.

Nume-

Numerus 16.

Plures feciſti negotiationes tuas, quã ſtellæ ſint cæli.

52 HIc eſt unus ex quàm plurimis Scripturæ locis, qui refellunt vulgarẽ illã Aſtrologorum perſuaſionem, qua omnes ſtellas ſe in numerato habere gloriantur: contra quos diſputat Auguſt. lib. 16. de Civit. c. 24. & tandem concludit. [Quicunq; univerſum ſtellarum numerum comprehendiſſe, & conſcripſiſſe iactãtur, eos libri huius (id eſt, Geneſeos) contemnit auctoritas.] Eiuſdem ſentẽtiæ eſt Baſilius hom. 6. in Geneſim, Euſebius lib. 7. de Præparatione evãgelica c. 5. imò ex ipſis Philoſophis Ariſtotel. 2. de Cælo tex. 61. Senec. lib. 6. Naturalium quæſtionum, c. 16. & Plinius lib. 2. c. 26. Ex Recẽtioribus agitant quæſtionem Pererius, to. 1. in Geneſ. lib. 2. q. 8. Genebrar. Pſalm 146. n. 4. Conimbricenſes, lib. 2. de Cælo, c. 12. art. 1. Clavius in cap. 1. ſphæræ, pag. 193. Nos dumtaxat inſigniora quędam Scripturę loca breviter expendemus.

53 Deutero 10. num. 22. ait Dominus ad Moyſen: *in ſeptuaginta animabus deſcenderunt Patres tui in Ægyptum: & ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus, ſicut aſtra cæli.* Conſtat autem ex lib. Numerorum, c. 1. n. 42. fuiſſe tunc numerum virorum dumtaxat, (eorum ſcilicet, qui ſupergreſſi vigeſimum annum poterant ab bella procedere,) ſupra ſexcenta tria millia, & quingentos. Quid autem magis ridiculum, quàm tam innumerabilem multitudinem ſtellis comparari; ſi illæ nõ ſunt plures mille viginti duabus?

54 Geneſ. 15. n. 5. *Dixit Deus ad Abrahã: ſuſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes; & dixit ei; ſic erit ſemen tuum.* Nec huius loci vis poteſt enervari trita illa explicatione, Deum locutum eſſe ex ſenſu, & exiſtimatione vulgi; agebat enim cũ Abrahamo, qui iam tunc erat peritiſsimus Aſtrologiæ, quã didicerat à Chaldæis; apud quos natus, & educatus fuerat, homines, conceſſu omnium, eius ſcientiæ facilè principes. Nec valet interpretatio Lyrani, & ſancti Thomæ, exiſtimantium; Abrahami poſteros ſtellis comparari, quantum ad iuſtos attinet; arenæ autem maris, propter improbos. Nam expreſſè Apoſt. ait ad Hebræ. 11. num. 12. *Tanquam ſidera cæli in multitudinem,* (ubi advertis, comparationem fieri non in meritis, ſed in numero,) *& ſicut arena, quæ eſt ad oram maris innumerabilis.* Eòdem itaque ſpectat utraque ſimilitudo, ut Dani. 3. num. 36. *Pollicens, quòd multiplicares ſemen eorum, ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam, quæ eſt in littore maris.* Ierem. 33. nu. 22. *Sicut enumerari non poſſunt ſtellæ cæli, & metiri arena maris; ſic multiplicabo ſemen David.* Quare ſicut eſt 56
Deo maximè proprium arenæ minutiſsima granula ad calculos ſubducere. Eccleſ. 1. nu. 2. *Arenam maris, & pluviæ guttas, & dies ſæculi quis dinumeravit?* Sic etiam pertinet ad eamdem ſapientiam infinitã, ſtellarum inerrantium numerum recenſere Pſal. 146. nu. 4. *Qui numerat multitudinem ſtellarum.* Ninive igitur fraudandi, 57
rapiendiq; avidiſsima innumerabiles, & exquiſitas conficiẽdæ pecuniæ artes exercebat. Vide, quæ adnotavi ad illa verba, c. 3. num. 1. *Univerſa mendacij, &c.* Id ipſum exprobrat Ezech. c. 28. nu. 4. Principi Tyri. *In negotiatione tua, &c.* Fieri enim non poteſt, ut nimia acquirendi libido flagitijs careat. Eccleſ. 11. nu. 10. *Fili, ne in multis ſint actus tui,* id eſt, ne multis negotiationibus diſtraharis, ut diteſcas; cauſamq; ſubiungit; *& ſi dives fueris, non eris immunis à delicto.* 1. Timoth. 6. nu. 9. *Qui volunt divites fieri, &c.* Contrà verò Regius Propheta propterea ait, ſe expeditè vacare poſſe divinis laudibus celebrãdis, quoniam à negotiationibus abhorrebat. Pſalm. 70. nu. 15. *Quoniam non cognovi litteraturam* (LXX, Chryſoſt. Arnobius, & Auguſt. *Negotiationes.* Pagnin. & Vatabl. *Numeros.* *Porque no ſe de trampas, ni de libros de quenta) introibo in potentias Domini: Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius.*

Bruchus expansus est, & avolavit.

58 SEd malè parta, malè dilabentur. Istæ divitiæ erunt quasi bruchus, qui terram præ multitudine operit, sed momento avolat, ac penitùs evanescit. Videtur enim Propheta libenter usurpare bruchi similitudinem, quam tam brevi intervallo tertiò iam inculcat.

Numerus 17.

Custodes tui quasi locustæ, & parvuli tui quasi locustæ locustarum; quæ considunt in sepibus in die frigoris; sol ortus est, & avolaverunt, & non est cognitus locus earum, ubi fuerint.

59 ECce iam quartò egregiam ex locustis similitudinem trahit: Principes enim, ac duces vocat locustis similes, gregarios verò milites, quasi genimina locustarum. Solent verò hæ bestiolæ, ut omnes expositores observant, præfrigore, roreque nocturno, in sepibus obtorpescere: exorto verò sole, ita omnes simul repentè alis excussis avolare: ut, ubi fuerint, quemve locum occupaverint, dignosci minimè possit; perinde itaque est, ac si dicat Propheta. Innumerabiles tibi copias ad arcendam calamitatem cõtraxisti; quæ ita erant constipatæ, ut solent esse locustæ intempesta nocte fruticibus insidentes. Verùm ex tanta, tamque superba ducum, & militum frequentia, alijs occisis, alijs in servitutem abductis, ne vestigium quidẽ ullum relinquetur.

Numerus 18.

Dormitaverunt pastores tui, Rex Assur.

60 PRincipes non modò in sacro sermone, sed etiã apud Scriptores profanos, pastores appellantur; cuius rei causas, & exempla, quia eruditè congerit Sotomayor to. 1. in Cantica, c. 1. pag. 212. ijs memorãdis supersedebo. Observat verò Maldonat. Matth. 2. num 6. verbum *massal*, id est, dominari, cùm de Christo agitur, appositè exponi, *pimænin*, pascere, quia videlicet significabatur, fore, ut Christus non in virga ferrea, sed in benigni pastoris baculo oves proprias gubernaret. Lege Riberam Michææ 5. num. 63. & Zach. 11. num. 6.

Quia verò dormire, seu dormitare duo 61
significat. Primum est, extingui, sive necari. Ezechiel. 32. num. 19. *Descende, & dormi cum incircumcisis: in medio interfectorum gladio cadent*: num. 21. *Dormierunt incircumcisi interfecti gladio.* Psal. 75. n. 7. *Dormitaverunt, qui ascenderunt equos.* Lege Maldon. Matth. 9. nu. 24. apud quem Matth. 25. num. 5. verba illa, *dormitaverunt omnes, & dormierunt*, Hilarius, Chrysost. Basil. & August. interpretantur, omnes virgines fuisse mortuas.

Altera huius verbi significatio est, in- 62
ertię somno opprimi, excæcari, nihil in posterum providere. Exempla congerit Ioannes Fernandez, verbo, *dormire*, nu. 5. & 6.

Vtraque explicatio aptè quadrat præsenti loco: duces enim, & optimates Regis Assyriorum exturbati sunt præ formidine de mentis sanitate; & perinde ac multo vino ebrij, altoque veterno consopiti, nullum evadendi periculi consilium capere potuerunt. Vide cap. 2. num. 3. *Agitatores consopiti sunt.* Hanc cæcitatem, inopiãque consilij consequuta est miserrima clades, & sanguinaria omnium cædes, quæ erat altera huius verbi significatio.

Sepelientur Principes tui.

63 EAdem est sententia cum superiore, diversis explicata verbis. Sic sæpe loquitur Latinus Poeta. 2. Æneid.

Invadunt urbem somno, vinoque sepultã.

Et lib. 3.

Nam simul expletus dapibus, vinoque sepultus.

Lati-

Latitavit populus tuus in montibus, & non est, qui congreget.

PAstoribus metu perculsis, aut etiam interfectis, quid reliquum est, nisi ut præcipiti fuga oves dispergantur? Zachar. 13 num. 7. & Matth. 26. num. 31. Exanimatis ducibus, diffugient milites, se se abdent in vastas solitudines, vagabuntur sine duce, & in quærentium mucrones incurrent.

Numerus 19.

Non est obscura contritio tua, pessima est plaga tua.

64 ADeò luculentum erit vulnus, ut & omnem curationem respuat, & pateat universo orbi. Vide Ierem. 14. num. 17. & cap. 30. num. 12.

Omnes, qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te.

ACerbissimum est infortunij genus videre cæteros de tua calamitate gratulantes; urit calamitosum, intueri alios, in suis gemitibus, & lacrymis applaudentes. Atqui Ninive tam vehemens sibi conflaverat omnium Gētium odium, ut nuncium tantæ vastitatis gratulatione, & plausibus exciperent.

65 Fuit hoc vulgare apud Veteres, ut rem sibi esse periucundam, strepitu manibus edito declararent. Hinc celebris illa scenicorum ludorū clausula: *valete, & plaudite.* Hinc illud Ovi. 4. Tristium, Elegia 2. *Quáq; ibis, manibus circum plaudere tuorū.* Sed agè; hanc ipsam cōsuetudinem Scripturæ testimonijs illustremus. 4. Reg. 11. num. 12. *Feceruntque eum Regem, & plaudentes manu dixerunt, vivat Rex.* Psal. 46. num. 1. *Omnes gentes plaudite manibus.* Psalm. 97. num. 8. *Flumina plaudent manu.* Ezechiel. 21. num. 17. inducit Propheta Deum applaudentem sibi, quòd meritum de sceleratis supplicium sumat. *Quin & ego plaudam manu ad manum, & implebo indignationem meam.*

Gaudium verò perceptum ex inimici 66
ruina sic etiam explicat Ecclesiasticus, cap. 12. num. 19. *Caput suum movebit, & plaudet manu.* Et Ierem. Threnorum 2. num. 15. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam; sibilaverunt, & moverunt caput suum.* Ezechiel. 22. num. 13. *Ecce complosi manus meas super avaritiam tuam.* Et cap. 25. num. 6. *Pro eo, quòd plausisti manu, &c.*

Iam ergo liquet sententia; quòcum- 67
que perlatus fuerit nuncius de tua vastitate propter ardens in tuam insolentiam, crudelitatem, & avaritiam odium, mirifico plausu celebrabitur. Auditionem autem in Scriptura idem esse, ac nunciū, sive famam, constat Habacuc 3. num. 2. Ierem. 10. num. 22. & Iob 37. num. 2. Vbi probat Pineda, non solere dici, nisi de re famosa, atque terrifica.

Quia super quem non transijt malitia tua semper?

CAusam reddit communis huius 68
applausus, gratulationisque de excidio Ninives; quis enim est uspiam Gentium, quem non afflixeris? Quæ Provincia tam remota; quam non rapinis, & sanguine funestaveris? Proprietatem verbi *transire* fusè explicavi, cap. 1. num. 12. & 15. sanguinariam verò Ninives crudelitatem toto hoc vaticinio prosecutus, & detestatus est Propheta.

IN MALACHIAM PROPHETAM.

COMMENTARII EXEGETICI LITTERALES.

AVCTORE

PATRE AVGVSTINO DE QVIROS

è Societate IESV.

ARGVMENTVM.

1 ACRITER invehitur in Sacerdotes, qui officij sui, & dignitatis prorsus obliti, non solũ vitia ipsi conceperant, sed ea etiam pessimo publico in suos populares infuderant: severè denuntiat, indignos Sacerdotes unà cum pollutis suis sacrificijs abijciendos esse à Deo, novumque Sacerdotium excitandum, & mundissimam sibi ubique terrarum hostiam offerendam. Denique de Christi Præcursore Ioanne, de primo Salvatoris adventu, de Elia item, & extremo iudicij die apertè vaticinatur.

Numerus 1.

Onus verbi Domini.

2 ONX *masà* ducta à verbo *nasà*, idest, ferre, sustinere, portare, non est dubium, quin propriè significet pondus: transfertur tamen ad significandum acerbum, infaustum, & calamitosum vaticinium. Hinc terrores illi apud Isa. *Onus Babylonis, onus Moab, onus Damasci.* Hinc oracula Nahum, & Habacuc minarum plena hoc titulo prænotantur. Hinc locus ille difficilis Ieremiæ 23. à num. 33. quem exposui initio commẽtariorum in Nahum, unde petenda sunt, quæ faciunt ad huius vocis intelligentiam.

Ad Israel.

3 OBservat Hieronymus, nomẽ *Israel* post captivitatem Babylonicam, complecti etiam duas Tribus Iuda, & Bẽiamin. Hoc ipsum adnotarunt Toletus, & Maldon. ad illa verba Lucæ 1. num. 32. *Et regnabit in domo Iacob in æternum.* Cur autẽ Iacob appellatus fuerit Israel, accuratè disputat Perer. to. 4. in Gen. c. 32. n. 46.

In manu.

4 MAnus in Scriptura potentiam, efficaciamque significat, quia scilicet manu solemus vires exercere, potentiam ostentare. 3. Regum 18. nu. 46. *Et manus Dñi facta est super Eliam*; hoc est, Deus illum sua potẽtia roboravit. Actuum 13. num 11. *Ecce manus Domini super te, & eris cæcus.* Exod. 8. num. 3. *Ecce manus mea erit super agros tuos.* Lucæ 1. nu. 66. *Etenim manus Domini erat cum illo*, id est, resplendebat in eo Divina omnipotentia.

5 Inde ducta metaphora significat *manus* spiritum Prophetiæ. Primò, quia impetu quodam, mirabiliq́ue energia in homines irruit, ut loquitur Scriptura Ezech. 11. num. 5. Secundò quia cùm homulus corpore incluſus supra omnem naturæ captum, eventus post secula longa futuros, & perspicuè intuetur, & certò denuntiat, ibi vel maximè Divina omnipotentia resplendet. 4. Reg. 3. n. 15. *Facta est super eum manus Domini, & ait: hæc dicit Dominus.* Vnus Ezechiel abundè nobis exempla suppeditat, cap. 1. num. 3. cap 3. num. 22. cap. 37. num. 1. & cap. 40. num. 1. Vide Villalpandum tom. 2. lib. 1. cap. 3. & Lorinum Actor. 4. num. 30.

6 Itaque *in manu* idem est, atque in spiritu Prophetico, in impulsu, afflatuq́ue divino. Sic Aggæi 1. num. 1. Iosue 22. nu. 9. & 3. Reg. 16. num. 7. Quod observat Figueirus, germanis Divini Verbi prę conibus verbũ ipsum fieri in manu, non in lingua, quia manu potiùs, quàm lingua, idest, opere, & exemplo, debent prophetare; parum solidum est, & vulgari concioni magis, quàm gravi Scripturæ explicationi accommodatum.

Malachiæ.

7 HEbraicè, *Malachi*, ut advertunt omnes, & adnotavit August. lib. 20. de Civitat. cap. 25. idem est, atque *Angelus*, sive *Nuntius*. Vim Hebraicę vocis expresserunt LXX. qui ita reddiderũt, *in manu Angeli eius*: atque ex hac versione LXX. ansam arripuit Origenes prolabendi in eum errorem, quem illi Hieronymus in Commentarijs impingit: existimavit enim, Malachiam non hominem, sed verum fuisse Angelum, humana tamen specie indutum. Refellunt hunc errorem Sixtus Senensis lib. 3. Bibliothecæ annotat. 262. & Vazquez to. 2. in 1. part. disput. 184. cap. 1. Epiphanius quidem in libello de vita Prophetarum scribit, Malachiam ob præstantem formam, moresq́ue suavissimos Angelum appellatum. Dorotheus in Synopsi tradit, quoties aliquid prophetabat, Angelum adspectabilem illi apparuisse. Feliardentius in lib. 4. Irenæi cap. 32. & Ribera hîc, ducti auctoritate Hieronymi, & Augustini, Esdram fuisse existimant, sed eum, ob memoratas causas duo nomina sortitum. Solere autem in Scriptura nomina rebus mirificè cõgruere, prolatis exemplis illustrat Cantapetrẽsis lib. 2. Hypotyposeon, cap. 1. Floruisse verò Malachiam Prophetarum ultimum post reditum ex captivitate Babylonica, templumq́ue instauratum, eruditè probat Riber. prælud. 2. num. 7. & 24. 8

Numerus 2.

Dilexi vos, dicit Dominus, & dixistis: in quo dilexisti nos.

9 QVò extet apertiùs illorũ impietas, ingratitudine, & impudẽtia roborata, sua erga populum illum beneficia commemorat Deus: sed præcipuè intendit digitum ad fontem, unde illa profluxerũt, omnium enim donorum, omniumq́ue gratiarum origo est Divina dilectio: illud etiam excellentissimũ Incarnationis donum, quo cætera obscurantur, & tãquam stellæ luce solis offunduntur, ex eodem fonte fluxit. Ioannis 3. num. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum*

daret.

daret. Ad Galat. 2. num. 20. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Apoc. 1. num. 5. *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.*

10 Subest itaq; huic significatissima reticentia: ac si iustissimus dolor ex illorum ingratitudine conceptus, Dei vocem erumpentem incluserit. Ita enim conquesturus videbatur: semper sum vos ardentissimo amore complexus; vos autem ingrati, & rebelles, tantùm abest, ut amorem amore rependatis, ut meam potiùs maiestatem omni scelere violetis: itaque nō solùm non compensatis mea beneficia vestris obsequijs; verùm tanquam brutæ animantes, ne agnoscitis quidem ipsa beneficia, imò verò impudenter contenditis, ut meam erga vos dilectionem, innumeris iam proditam beneficijs, aliquo rursus insigni probem argumento.

Nonne frater erat Esau Iacob, dicit Dominus; & dilexi Iacob, Esau autem odio habui?

11 Neque verò recuso conditionem; imò perspicuè convincam, amorē meū illustribus testatū esse beneficijs. Nā in primis ius primogenituræ naturaliter debitum Esau, transtuli ad Iacob: vos verò, hoc est, progeniem, posteritatemque Iacob, multò potentiores, & nobiliores effeci, usque adeò, ut posteri Esau vobis deservire cogerētur. Deinde, cùm fratres essent Iacob, & Esau uterini, atque gemelli, nullis dispares meritis, nisi quòd Esau, quia primogenitus erat, præferendus hoc nomine videbatur: ego tamen nullis lacessitus meritis, gratuita mea dilectione Iacob elegi, cui amplam possessionem, agros uberrimos, terram deniq; lacte, & melle manantem attribuerem: Esau verò reieci, & in saxeta aspera, sterilia, mōtosaque cōtrusi, eaque tradidi hostibus diripienda, ac funditus devastanda. Hoc videlicèt est, quod subdit.

Numerus 3.

Et posui montes eius in solitudinem, & hæreditatem eius in dracones deserti.

12 HAbitant quidem Idumæi in monte Seir, Genes. 36. num. 8. Deuter. 2. num. 4. & Iosue 24. num. 4. *in scissuris petrarum,* Abdiæ num. 3. illorum tamen urbes vastatæ, atque desertæ à draconib⁹ incolentur. Isaiæ 34. num. 13. *Erit cubile draconum.* Hieremię 10. num. 22. *Vt ponat civitates Iudá solitudinem, & habitaculum draconum:* & cap. 51. num. 37. *erit Babylon in tumulos, habitatio draconum.*

13 Per expedita foret horum versuum explicatio, nisi Apostolus Paulus subtiliter differēs de altissimo, & prorsus impervestigabili electionis divinæ consilio, hæc Malachię verba citavisset. Sic enim ait ad Roman. 9. num. 11. [Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia maior serviet minori: sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.] Hæc itaque Apostoli verba locum alioqui per se facilem, obscurum, & difficilem reddiderunt: nam si (ut acriter contendit Ribera) in sensu historico intelligendus est Propheta de prædestinatione Iacob, & posterorū eius, non secūdum carnem, sed secundum fidem: itemque de reprobatione Esau, posteritatisq; illius mores parētis expressuræ: quorsum attinebat ad huiusce rei comprobationem signum illud edere. *Et posui montes eius in solitudinem?* Quid commune habet cum reprobatione regio sylvestris, & montosa? aut quid contrà fertilis, & amæna cū prædestinatione? Nulla enim hîc mentio de circūcisione, de legè, de prophetis, de templo, de sacrificijs, quibus Israelitæ, vel maximè excellebant Idumæis, quæque viam

com-

compendiariam ad æternam ſalutem muniebant. Si verò totum, quod hîc continetur, temporale eſt; quorſum hoc teſtimonium allegat Paulus, ubi ſolertiſsimè de arcano electionis Divinæ propoſito diſputabat?

14 Ego exiſtimo, ſenſum hiſtoricum, & litteralem Malachiæ eſſe eum, quē paulò antè breviter perſtrinxi: & huius ſententię cauſas ſatis probabiles afferre poſſe mihi videor. Primò, nam in altero etiā teſtimonio, quod uſurpat Apoſtolus, manifeſtum eſt, non agi ſecundum hiſtoriam de Divina electione Iacob ad vitam ęternam, ſed de eminētia eius ſuper fratrem ſuum maiorem, & ſuper totam poſteritatem Eſau. Sic enim legimus oraculum divinitus editum Rebeccæ, quæ dē pugna infantium in utero querebatur. Geneſ. 25. num. 23. *Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur: populuſq; populum ſuperabit, & maior ſerviet minori.* Quis non videat hîc nihil de electione, aut reprobatione contineri? Sed tantùm prædici, duos ex Rebecca filios naſcituros, ſatores duorum populorum, qui diviſi quidem ſedibus, moribus autem, & ſtudijs diſsidentes, acerrimè inter ſę cōfligerent, donec impleretur, quod legimus 2. Reg. 8. num. 14. *& facta eſt univerſa Idumæa ſerviens David.*

15 Secundò, hoc ipſum conſtat in teſtimonio Malachiæ: declarat enim Deus amorem ſuum erga Iacob, quòd terram illi fertilem, ſtabilemque ſedem attribuerit: odium verò in Eſau, cui dedit regionem ſterilem, & incultam, & ab hoſtibus penitus devaſtandam: & certè contextum ipſum Prophetæ attentiùs intuenti liquidò conſtabit, totum ad bona temporalia referri. Quæ, ut obſervat Hieronymus epiſt. 129. ad Dardanum, in vetere Teſtamento, ut plurimùm promittebantur; ſpiritualia verò vix niſi horum integumentis involuta.

16 Quomodò ergo citat Apoſtolus hæc verba? Pernotuit illi ex divina revelatione altior, & ſublimior huius loci intelligentia, ſpiritualis videlicet, & allegorica, & temporaria illa electione, & reprobatione figurata. Teſtem locupletiſsimum Hieronymum laudo, cuius hæc ſunt verba in Commentario. [Quem locū Apoſtolus Paulus myſtica diſputatione eventilans, ſcribit ad Roman. &c.] Duci verò efficaciſsimum, & validiſsimum argumētum ad ſtabilienda fidei dogmata ex ſenſu ſpirituali, ubi conſtiterit illum ab Spiritu ſancto fuiſſe intentum, probavi diſputatione de hac re; & probant eruditè Vazquez 1. p. diſput. 17. cap. 5. Riber. in cap. 1. ad Hebr. num. 54. & Percrius tom 4. in Geneſ. cap. 25. num 49.

17 Addo etiam; quamvis daremus, hæc duo teſtimonia in ſenſu duntaxat hiſtorico à nobis explicato, ab Apoſtolo citari: mirificè tamen ſcopo illius epiſtolæ ad Roman. deſervirent. Propoſitū erat Paulo, inſignem quemdam errorem Iudæorum refutare, eorumque arrogātiam deprimere; arbitrabantur enim ſe, quòd eſſent filij Abrahæ ſecundum carnem, divinarum promiſsionum ſolos eſſe debere participes: Gentes verò ab Evāgelica gratia prorſus excludēdas. Paulus igitur probat, divinas promiſsiones datas Abrahæ non pertinere ad filios eius ſecundum carnem, ſed ſecundum fidem, & ſpiritum. Quàm autem ſit nullius momenti in cōſpectu Dei carnalis origo, cùm exemplo Iſaac, & Iſmaelis; tū verò Iacob, & Eſau evidentiſsimè demonſtrat. Nam cùm eſſent eiſdem parentibus orti, eodemque partu editi, quin etiam maior natu eſſet Eſau, dictum tamen eſt ex ſola voluntate vocantis: *Maior ſerviet minori: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Non igitur ad participandas promiſsiones Dei ſatis eſt ſemen eſſe Abrahæ ſecundum carnem, ſed oportet ſemen eſſe ſecūdum electionem, quæ quidem non contingit homini propter eius merita; ut videre eſt in Iacob, qui ante ortum, cùm nihil meruiſſet, ad temporaria bona electus eſt, poſthabito, & reiecto Eſau. Diſputant accuratè ſuper iſtum locum Tolet. ad Roman.

man. 9. not. 18. Per. to. 4. in Geneſ. c. 25. diſput. 4. & 6. Vazquez tom. 1. in 1. part. d. 95. cap. 8.

Numerus 4.

Quod ſi dixerit Idumæa: deſtructi ſumus, ſed revertentes ædificabimus, quæ deſtructa ſunt: hæc dicit Dominus exercituum: iſti ædificabunt, & ego deſtruam.

18 Esau appellatus eſt Edom, id eſt, rufus. Geneſ. 25. n. 30. *Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido laſſus ſum. Quam ob causam vocatum eſt nomē eius Edom.* Scilicet à turpi facinore nomen traxit; quia videlicet illo rubro condimento inescatus, tam vili pretio vendidit primogenita. Ab eo mos Seir dictus eſt Edom. LXX. verò, ut obſervat Hieronymus in cap. 5. Oseæ, & Rib. ibi num. 5. Hebraica nomina Græco ſermone declinantes, Edom interpretantur *Idumæam*. Porrò turbulentum, ac ſeditioſum Idumęorum ingenium, ferinoſque, ac barbaros mores, Ioſephum auctorem laudans, perſequitur Pererius, Geneſ. 27. nu. 96. Quando verò fuerint Idumæi funditus exciſi, & ad internecionem uſque deleti, accuratè diſputat hîc Ribera.

19 Senſus itaque planiſſimus eſt: fortaſſe ſibi perſuadebunt Idumæi, non fixo, & abſoluto Dei decreto, ſed fortunæ temeritate, ancipitęq; bellorum eventu urbes ſuas fuiſſe vaſtatas à Chaldæis: ſperabuntque aliquando converſa Martis viciſſitudine, ſe eas rurſus inſtauraturos: errant omnino cæci, & amentes. Deus ipſe, exigentibus eorum flagitijs urbes excidit: & ſi quando eas conentur reficere, eorum conatus ad nihilum recident. Eccleſ. 34. nu. 28. [Vnus ædificans, & unus deſtruēs: quid prodeſt illis, niſi labor?] Præſertim cùm vaſtator eſt ipſe Deus, quo non dicam deſtruente, ſed vel auxilium denegante, nunquam conſurget ædificium. Pſalm. 126 num. 1.

Et vocabuntur termini impietatis, & populus, cui iratus eſt Dominus uſque in æternum.

Qui tantam, tamque diuturnam 20
vaſtitatem præteriens aſpexerit, certiſſimis argumentis divinam ultionem agnoſcet, terramque iſtam impiam, & execrandam, eiuſque incolas ob deteſtanda flagitia Deo vehementer infenſos animadvertet; prorumpet admirabundus in ea verba Deuteron. 29. nu. 24. *Quare ſic fecit Dñus terræ huic? Quæ eſt hæc ira furoris eius immēſa?* 3. Re. 9. n. 8. *Omnis, qui tranſierit per eam, ſtupebit, & ſibilabit.* Ierem. 22. num. 8. *Dicet unuſquiſque proximo ſuo: quare fecit Dominus ſic civitati huic grandi?*

Numerus 5.

Et oculi veſtri videbunt.

Vſpenſa videtur oratio, cùm 21
non explicet Propheta, quid nam illud ſit, quod ſub oculorum aſpectum aliquando cadet; ſed id ſupplendum eſt ex frequenti Scripturæ uſu, in qua *videre* abſolutè poſitum per Apoſiopeſin, eſt gratiſſimū, deſideratiſſimumque ſpectaculum oculis haurire: id verò in præſenti eſt hoſtium crudeliſſimorum vindicta, & extrema deſolatio. Pſalm. 34. num. 21. *Et dilataverunt ſuper me os ſuum; dixerunt: euge, euge, viderunt oculi noſtri.* Pſalm. 53. num. 9. *Et ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.* Regia ita exprimit Hebraica: *& in inimicis meis vidit oculus meus.* Subaudit Chaldæus, & Geneb. *vindictam*, quam exſpectabā. Abdiæ, nu. 12. *Et non deſpicies in die fratris tui.* Hebraicè. *Non videbis*: quod ſtatim explicatiùs, *non lætaberis.* Et Micheæ 4. num. 12. *Aſpiciat in Sion oculus noſter.* Vatab. *Mala ſcilicet, quæ optamus, cum voluptate ſpectemus.*

Qua-

22 Quatenus verò liceat perſpecta ruina inimicorũ exultare, cùm id expreſſè prohibeatur Proverb. 24. num. 17. & Eccleſiaſt. 8. num. 8. quam culpam à ſe avertit Iob, cap. 31. num. 29. tractat accuratè Ribera Apocalyps. 6. num. 41. & Pineda Iob 22. verſ. 11. Summa eſt: *lætabitur quidem iuſtus, cùm viderit vindictam*, Pſ. 57. n. 11. ſed Dei gloriã expetẽs, non afflictis inſultans: ſed ex zelo Divinæ iuſtitię, non ex affectu privatæ vindictæ.

Et vos dicetis: magnificetur Dominus ſuper terminum Iſrael.

23 CVm Idumæam vaſtatam, ac deſertam videritis, Deum laudibus extolletis ſummis; qui Iſraelitarum terminos propagavit: Idumæis verò proſtratis, ne ſe erigendi quidem, nedum ruinas inſtaurandi, copiam fecit. *Magnificare* autẽ in ſacra Scriptura eſt, Divinas laudes pro acceptis beneficijs eximiè decantare. Vide Maldon. Luc. 1. num. 46.

Numerus 6.

Filius honorat patrem, & ſervus dominum ſuum: ſi ergo Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus? dicit Dominus exercituum.

ACerrimè iam invehitur in vitia Sacerdotum, qui contrà, quàm par erat, abiecerant timorem Domini, honorẽ violaverant. Vrget eos vehementiſſima interrogatione, quæ non tã ſciſcitãdi, quàm premendi, & inſtandi cauſa aſſumitur.

24 Et quidem, natura ipſa duce, filij parẽtibus honorem deferunt; eſt hęc in animis inſculpta lex. Naturæ ſecutus inſtinctum graviter dixit Ariſt. 8. Ethic. cap. 13. neque Dijs, neque Parentibus parem unquam poſſe referri gratiam, Innatam legem confirmat ſcripta. Exod. 20. num. 12. Deuter. 5. num. 16. *honora Patrem tuum.* Hebraicum verbum *Cabad*, quod hîc etiam ſubeſt, obſervat Ar. Montan. ſignificantiſsimum eſſe; cui nullum Latinum pari ſententiæ pondere reſpondet; cõplectitur enim omnes cultus, ornamẽti, pietatis, amoris denique rationes, & omnia officia, quæ ab homine quopiam in alterum ſibi cariſsimum, benemerentiſſimum, & digniſsimum poſſunt expectari. Maldon. verò Matth. 15. num. 4. probat ex ſacra Scriptura, honorẽ iſtum non tam in ſalutationibus, & officijs deferendis, quàm in munerum oblatione conſiſtere. Apoſtolus autem ad Epheſ. 6. num. 2. vocat mandatum iſtud *primum in promiſſione*, quia ſcilicet primum eſt, cui Deus, dum legem promulgaret, illam promiſsionem adiunxit: *ut benè ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram.* Iam verò ſervis nihil magis proprium, quàm heros ſuos timore ſimul, ac reverẽtia proſequi. Appoſitè hîc addiderũt LXX. *phobetheſetæ; & ſervus Dominum ſuum timebit.* Ita legit Caſſianus collat. 11. cap. 10. & 13. & apertè indicat Latinus Textus, quando per redditionem infert: *& ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* Ad Epheſ. 6. n. 5. *Servi obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore.* Neq; verò tã hortatur Apoſtolus fideles ſervos, ut ad Dominorũ imperia tremant; ſupplicia paveant; quàm ut Chriſtum ipſum in illis extimeſcant. Vide ad Coloſſ. 3. num. 22.

Si ergo parenti debetur honor, Domino timor: quis unquam extitit parens, qui cum Deo conferendus ſit? Quis Dominꝰ, qui Dei dominiũ æquare poſsit? Probat Lorinus Actuum 1. verſ. 7. Deum non tam parentem, quàm *Patrimatrem* iure nominari. Vide Iſai. 49. n. 15. Toletus verò Ioan. 13. notatione 17. accuratè diſputat de Dei dominio: ubi illud obſervat ex Tertulliano adverſus Hermogenem; Deum toto cap. 1. Geneſ. conditis etiam

crea-

creaturis, nusquam Dominum appellari, quasi tales dedignaretur se habere servos; at post creationem hominis, statim cap. 2. non minùs, quàm decies, Dominus Deus nominatur.

Ad vos ô Sacerdotes.

28 QVamvis Sacerdotes in sacro sermone dicantur etiam Principes, ut probat Pineda Iob 1. vers. 5. n. 16. & c. 12. vers. 19. num. 1. tamen indubitatum est, hîc accipiendos esse ministros illos tẽplo cõsecratos, quorum initiationem, ac munia fusè persequitur Ribera lib. 3. de Templo à capite 1. & Barradas, t. 2. lib. 3. à cap. 41.

29 Eorum flagitiosa vita, cùm ob excellentiorem dignitatem, tum verò ob gravissimum populi scandalum, acerbiorem reprehensionem incurrit. Levitic. 4. n. 2. *Si Sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum*: quia revera ita est: dum præceps ipse in flagitium ruit,
30 suo labefactatũ exemplo, in similem ruinam populum trahit. Sũt enim Sacerdotes annuli Dei signatorij, qui quam in se figurã suis moribus expressam continent, eamdem, quasi in mollissima cera, populo imprimũt. Vide Castr. Hiere. 22. vers. 24. & Sixtum lib. 5. Bibliothecæ notatione 258. ad illud Sophoniæ 3. num. 4.
31 *Sacerdotes eius polluerunt sanctũ*. Tantùm referam formidandam illam Chrysostomi sententiam, tom. 3. hom. 3. in cap. 1. Actu. [Non temerè dico, sed ut affectus sum, ac sentio: non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant; sed multò plures, qui pereant.] Altè obsurduit, qui ad hoc fulmen non expavescit.

Qui despicitis nomen meum.

32 SAcerdotes Domini incensum, & panes Dei sui offerunt: & ideo sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius, Levitici 21. num. 6. Quin potiùs illorum munus erat, scientiam habere *discernendi inter sanctum, & prophanum; inter pollutum, & mundum*. Levitici 10. num. 10. populumq; cohortari, & erudire, ut debitus Deo honor tribueretur. Illi verò tantùm abest, ut id facerent, ut potiùs divinum honorem despicatui ducerent. Videlicet neque Deum diligebant, ut patrẽ; neque verebantur, ut Dominũ; ac proinde nec timore, nec amore arcebantur à contemptu. Nemo enim contemnit, quẽ diligit, aut veretur.

Et dixistis: in quo despeximus nomen tuum?

33 PErpende, quò prorumpat, sive projecta impudentia, sive cæca ignorantia: Deum arguentem sceleris, coarguere mendacij, ore ferreo machinatur: nimirum *impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit*, Proverb. 18. n. 3. Rectè Greg. lib. 16. Moral. cap. 24. ad illud Iob 24. num. 13. *Ipsi fuerunt rebelles lumini*. [Elationis suæ scutum iaculis veritatis obijciunt, ne salubriter in corde feriantur. Ex qua videlicet eorum superbia agitur, ut quia nolunt facere, quæ cognoscunt, nec cognoscant iam bona, quæ faciant.] Et Cyprianus epist. 3. *Ira Dei est, non intelligere delicta, ne sequatur pœnitentia*.

Numerus 7.

Offertis super altare meum panem pollutum.

34 [I]Tsi sunt, qui negent, mensam Propositionis appellari unquam altare: magis tamen credo affirmanti Hieronymo, & probanti ex isto loco. Sic & ipsum altare nominatur mensa Ezech. 41. num. 22. Vt vel ea ratione nostrum altare sacrosanctum adumbretur, in quo & Deo quotidie immaculatum agnum immolamus; ac veluti in lautissima mẽsa sub specie panis, & vini, eiusdẽ agni corpore pascimur, sanguineq; potamur.

Quo

35 Quo ritu, quove numero offerrentur illi panes; cur *faciales* nominẽtur, in quorum denique usum cederent, supersedeo dicere, & quia non est præsentis instituti, & quia exactè tractaverunt è nostris Rib. lib. 2. de Templo, cap. 10. Maldonatus Matth. 12. num. 4. Barradas tom. 2. lib. 3. cap. 20. Villalp. tom. 2. P. 2. cap. 56.

Tantùm exigit huius explicatio loci, quid panis polluti nomine intelligatur: & lubens eo in communem Interpretum intelligentiam, ut panis pollutus dicatur Vulgaris, ac de medio sumptus, non ritè confectus; ut lex ipsa, & vetusta 36 Maiorum traditio fieri iubebat. Quod autem addit Hieronymus, & eum secuti expositores ferè omnes, panem debere seri, meti, moli, pinsi, coqui denique Sacerdotum manibus; nunquam adducar, ut credam; obstat enim, quod legimus inter ministeria Levitarum 1. Paralipo. 9. n. 32. de filijs Caath *Super panes erat propositionis, ut semper novos per singula Sabbata præpararent.* Filios autem Caath Levitis annumerari, constat Numer. 3. num. 28. Iosue 21. num. 5. & 10. 2. Paralipom. 20. num. 19.

Et dicitis, in quo polluimus te?

37 Vide rursus petulantiam; vide cæcitatem; res erat aperta, quæ in oculos incurrebat, quæ manibus tenebatur, eos afferre panes pollutos, non ritè, atque ex ordine confectos: & nihilominus tam profanam socordiam, aut dissimulant se videre, aut divinis oculis nituntur quibusdam quasi præstigijs illudere. Eleganter Eucherius Lugdun. in exhortatione ad plebem, falsò adscripta Eusebio Emisseno, perpendens illud Christi Matthæi 23. num. 26. *Pharisæe cæce, munda prius, quod intus est.* [Si ille cæcus dicitur, qui interiora non mundat, qui negligit exteriora, penè iam desperatus, ac mortuus est.]

(:¿:)

In eo, quod dicitis: mensa Domini despecta est.

DVo sunt hîc notatione digna Primum est, inexhausta Dei benignitas, quæ tam procacem impudentiam, nõ modò sustineat, sed etiam responsione dignetur. Sic Cain impudentissimè obiectantem Genes. 4. num. 9. *Num custos fratris mei sum ego?* lenissima interrogatione, *quid fecisti?* ad confitendum, ac detestandum fratricidium invitavit. Egregium sanè Prælatis documentum. 38

Alterum est; qui contemptim tractat ea, quæ spectant ad divinum cultum, is re vera Deum ipsum polluit, non re quidem ipsa, sed hominum opinione. Contemptus ille non violat supereminentem Dei puritatem, ac ne minimam quidem illi in se ipso labeculam aspergit; ast in hominum opinione quodammodò contaminat; sibi enim persuadent, despicatissimũ, ac contemptissimum esse Numen illud, quod vilissimis hostijs coli vident. Itaque illi Sacerdotes Deum polluebant, dum procaciter iactabant: non est tanti facienda mensa propositionis. Vulgò iam despicatui ducitur: satis est in ea offerri panes qualeslibet de medio sumptos. 39

Numerus 8.

Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est?

Electissimas sibi mactari victimas præceperat Deus, mẽbris scilicet omnibus integras, & toto corpore sanas, ac vegetas: Sacerdotes contrà vilissimas pecudes offerebant, cæcas nimirum, claudas, & morbosas. 40

Observo in sacro sermone, exigi à Deo, ut hostia sibi offerenda, immaculata

deli-

deligatur: & minimè intelligendum est (quod putavit hîc Figueirus) eam requiri unicolorem, id est, non variam, aut maculosam. Imposuit illi sine dubio vox Latina, sed apertè convincitur ex Hebraica, cuius vim expendens Oleaster, Genes. 6. ait. [*Tamim* est integer, perfectus, cõplet⁹, suis omnibus numeris absolutus.] Vulgatus reddere solet hanc vocem, cùm de sacrificijs sermo est: *immaculatum, vel absque macula*: ut Levitic. 14. num. 10. Exod. 12. num. 5. Vbi non est intelligendum, agnũ futurum omnino albũ, nulliscq; alterius coloris notis distinctum; sed integrum, omnibus suis constantem membris, nulla insigni deformitate fœdatum. Perspicuè id constat Levitic. 21. num. 17. *Homo de semine tuo, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo.* Explicat continuò, quid nomine maculæ intelligat: *si cæcus fuerit, si claudus, &c.* Cap. 22. num. 21. vbi enucleatè præcipitur, quales futuræ sint victimæ. *Immaculatum offeret, ut acceptabile sit: omnis macula non erit in eo*: quid autem maculam dicat, statim explicat. *Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, &c.*

Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dñus exercituum.

42 MAldonatus, & Castro ad illa verba Hiere. 22. n. 30. *Scribe virum istum sterilem*; probant, Regnum Iuda fuisse penitus extinctum in Ieconia, neq; unquam ampliùs instauratum. Certè nunquã fuit ad pristinũ splendorem, regiamq; dignitatem restitutum; nam Sedechias eius patruus, qui illi successit, abductus est & ipse in Babylonem. Vide Prado Ezech. 21. nu. 25. & 26. Salatiel verò Ieconię filius in ipsa captivitate Babylonica, ne Ducis quidem nomen obtinuit. Postea verò Zorobabel Dux appellatus est ab Aggęo, c. 1 nu. 1. & quanvis soluta captivitate, imperium; & gubernatio populi fuerit penes Pontifices, ut ex Iosepho lib. 11. Antiquit c. 4. colligit Ribera Zach. 3. n. 19. durarũt tamen Duces de femore Iuda, iuxta Iacobi vaticinium, usq; ad Christi adventum. Vide Perei. & Delr. Genes. 49. n. 43.

Suscipere faciem alicuius est placidè, benignèq; respicere, gratum, & placabilem se præbere, petita liberaliter impertire. Gen. 19. nu. 21. *Suscepi preces tuas.* Hebraicè. *Faciem tuam*: c. 32. nu. 20. *Forsitan propitiabitur mihi.* Hebraicè. *Suscipiet faciem meam.* 1. Reg. 25. n. 35. *Audivi vocẽ tuam, & honoravi* (Hebraicè, *suscepi*) *faciẽ tuã.* Iob 42. n. 8. *Iob servus meus orabit pro vobis, faciẽ eius suscipiam.* Thren. 4. n. 16. *Facies Sacerdotum non erubuerunt.* Hebraicè. *Non susceperunt*, id est, non acquievêrunt precibus Sacerdotum. 43

Iam perspicua est sentẽtia. Si offensum Ducis animũ muneribus placare conareris, num deterrimas de grege pecudes, morbidas, & oculis, aut membris captas illi dono mitteres? Nonne talibus donis irritares magis eius animũ, quàm lenires?

Numerus 9.

Et nunc deprecamini vultum Dei, ut misereatur vestri (de manu enim vestrà factum est hoc) si quomodo suscipiat faciem vestras: ait Dñus exercituum.

44 IAnè mihi persuadeo, nõ esse hanc cohortationem ad agendam pœnitentiã, veniãq; obtinendam, ut pleriq; interpretãtur; sed acrem, & amaram Sacerdotum irrisionẽ; ac proinde in sensu ironico verba intelligenda.

Adducor in hanc sententiam. Primò, quia Hebraica vox *vehata*, cui respondet Latina *& nunc*, illativa particula est, ut probat Masius Iosue 1. vers. 2. & aptissima ad ironiam exprimendã. Gen. 3. n. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciẽs bonũ, & malũ: nũc ergo, &c.* Hebraicè. *Vehata, & nunc.* Apud prophanos Scriptores obvia sunt exempla, quale illud Satyrici.

I, nunc, & vetus animam cõmitte, dolato
Confisus ligno.

45 Secundò; id exigit series ipsa cõtextus: sic enim decurrit sine ulla salebra: ducem tuum offensum oblatis vilissimis donis magis abalienares: i nunc, si placet, & deterrimis hostijs placa, & recocilia tibi iratum Deum.

Tertiò: verba illa, *de manu enim vestra factum est hoc*, planum habent sensum in hac explicatione: de manu vestra non offeruntur Deo, nisi abiectissima animalia, & lege prohibita, clauda, cæca, aut alia insigni deformitate fœdata, quę si dono mittantur duci, ad iracundiam illum provocarent.

46 Quartò: cõsonat hoc innumeris Scripturæ locis, in quibus Deus amarulento sarcasmo solet peccatores irridere, eosq; in angustum deductos, quasi per cõtemptum excitare ad avertendam plagam, iamq; cervicibus impẽdentẽ. Isai. 21. n. 5. *Surgite Principes, arripite clypeum*. Nahũ 2. n. 1. *Conforta lumbos, robora virtutẽ valde*. Vide Lorinum Eccles. 11. vers. 9.

Quintò denique: non præciditur filum severę huius obiurgationis, quã non iam ironicè, sed apertè, & palàm ita cõnectit.

Numerus 10.

Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò?

47 Hic est unus ex difficillimis huius Prophetæ locis. Difficultas in eo sita est, quia Latinis ita discrepat ab Hebraico, ab Editione LXX. & Chaldæo Paraphraste, ut vix possit in concordiam adduci. In illis certè conciliandis nullus interpretum, quem viderim, laboravit: & quidem ex Hieronymi cõmentario constat, ipsius etiam ætate discrepare; ne ad recentium Iudęorum corruptelas confugiamus.

Si Latina verba duntaxat spectentur, per expedita sententia est, quæ Sacerdotum avaritiam coarguit: & eò magis culpandos ostendit, quòd cùm de altari viverent, res divinas despicatissimè tractarent. Ita Ribera secutus Hieronymum, Cyrillum, & Lyranum.

Sed Vatablus, Pagninus, Isidorus 48
Clarius, Arias Montanus, Palacius, & Figueirus, deserta Vulgata, quam suspicere, ac sequi, aut saltem ad suam intelligentiã accõmodare debuissent, Hebraicum textum interpretãtur. Nec dubium est, quin grandior quidam sensus, Deo dignior, & contextui aptior consurgat ex Hebræo: quod verbũ è verbo ita exprimas. [Quis etiã in vobis, & claudet ostia? & non incẽdetis altare meum frustrà? LXX. [Quia & in vobis claudentur ostia: & non succendetur altare meũ gratis.] Chaldæus [Quis etiam hîc in vobis, ut claudat ostia domus sanctuarij mei, & ne offeratis super altare meum sacrificium abominabile?] Quibus verbis significatur; ita Deum aversari, ac detestari polluta illa sacrificia, ut prorumpat in illas voces: ò quis mihi daret, ò utinam quis reperiretur, qui templi valvas perpetuis repagulis obseraret, ne ulli unquã Sacerdoti aditus pateret: malo enim nulla prorsus sacrificia, quàm polluta, & perperam factitata. Affine est illud Isai. 1. n. 13. *Ne offeratis ultrà sacrificium frustrà; incensum abominatio est mihi.*

Diversitas omnis harum Editionum 49
penè ex filo pendet. Si Latino textui addita fuisset unica negatio, quæ constanter in cæteris Editionibus reperitur, omnia adamussim consonarent; nam vox illa *gratuitò*, cui Hebraicè subest *Hinam*, non est cur negocium facessat; nam & si fateor, interdum idem esse, ac sine mercede. Genes. 29. num. 15. Numer. 11. nu. 5. Isai. 52. num. 3. & 2. Regum 24. nu. 24. frequentiùs tamen excludit meritum, & causam, & Latinè redditur ab interprete, *frustrà*, Iob. 1. num. 9. cap. 2. num. 3. Prov. 1. n. 11. & 17. cap. 3. nu. 30. cap. 24. nu. 28. c. 26. nu. 2. Ezechiel. 6. nu. 10. & cap. 14 nu. 23. Vertitur etiam, *sine causa*. Iob 9. nu. 17. &

cap.

cap. 22. nu. 6. Quem loquendi modum ad inquinatum Dei cultum retulit Christus, Matth. 15. n. 9. *Sine causa autem colunt me.*

Solet etiam Vulgatus interpretari vocem *Hinam, gratis*, in eamdē sentētiā; hoc est, ab re, frustrà, sine causa, Psal. 34. nu. 7. Psal. 108. nu. 3. Psal. 118. nu. 161. Isai. 52. nu. 5. Quę omnia valde illustrant significationem adverbij *gratuitò*, consentientem cum cæteris Editionibus.

50 Itaq; si legeremus in nostro textu, *& non incendat altare meū gratuitò*, bellè omnia consentirent; sed quia vel apicem immutare, religio est, sequatur, qui volet, planum Hieronymi sensum, vel excogitet conciliationem aliquam meliorem; nam, verum ut fatear, in ea, quę mihi occurrit, nondum conquiesco. Ea eiusmodi est. Secunda illa pars cum sua interrogatione, licèt duriusculè, posset tamen in eumdem trahi sensum. Vtinam esset quis in vobis, qui clauderet fores tēpli; & cùm ego hoc exoptē, est adhuc, qui pergat immolare in altari meo frustrà, & sine causa. *Et est, qui incendat altare meum gratuitò?*

Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum.

51 NOn est dubium, quin multò aptiùs cohæreant ista verba cum illo sensu, quem iuxta Hebraicum textum exposuimus: cuperem æternùm occludi Tēpli valvas: averšor, ac detestor vestra sacrificia; *quia non est mihi voluntas in vobis.*

Et munus non suscipiam de manu vestra.

OBservat Hieronymus in c. 4. Ecclesiastes, Iudæos in eo fuisse errore, ut sibi persuaderēt, Deum se habere propitium, & placatum suis sacrificijs, etiam si illi, qui offerebant, flagitijs essent inquinati. Nec error hic inveteratus excuti illis unquam potuit, & si sæpe, ac palàm denūciavit Deus, quod vel Seneca naturę instinctu assecutus est, teste Lactantio lib. 6. c. 25. *Non immolatione, & sanguine multo colendus est Deus, sed mente pura.*

Genes. 4. n. 4. priùs *respexit Dominus ad Abel, &c.* Expendit Delrius vim Hebraici verbi: *benignè, & gratanter sibi complacuit.* Tertul. *Acceptò tulit.* Symmach. *Delectatus est*: deinde, *ad munera eius*: nimirùm virtutes, quibus fulgebat animus, acceptissima fecerunt munera. Ad Hebr. 11. n. 4. *Fide plurimam hostiam Abel, &c.* Quid autem Deo præcipuè displicuit in Cain? LXX. nobis expressērūt verba, quibus Deus illum increpavit: *nonne si rectè offeras, non rectè autem dividas, peccasti?* Rectè quidem offert, qui Deo vero sacrificium offert; nō rectè autem dividit, qui pecudes mactat Deo, cor autē, & animū mundo, & diabolo reservat. Egregiè colligit hinc Ambros. lib. 2. de Cain & Abel, c. 6. [Non ergo quantitas oblationis, sed animus reddētis cōsideratur, & affectus.]

53 Intonāt hoc sępissimè Prophetę. Isai. 1. nu. 11. *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum*: nu. 13. *Incensum abominatio est mihi*: causam reddit, n. 15. *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* C. 66. nu. 3. *Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virū.* Hierem. 6. nu. 20. *Holocaustomatā vestra non sunt accepta.* Amos 5. n. 21. *Odi, & proieci festivitates vestras.*

Numerus 11.

Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gētibus; & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus; dicit Dominus exercituum.

54 MIror Ariam Montanum virum pium, & Catholicum, qui cùm interfuisset Tridētino, ibiq; videre potuisset, exponi à Sacrosancta Synodo hoc tam illustre vaticinium de venerando Missæ sacrificio: futilissimis tamen ductus coniecturis, tam apertum testimonium, ad nescio quas detorserit Gentilicas oblationes; quæ Iudaicarum comparatione mundæ

dicerẽtur. Inaudita, ac prorsus violenta (ut leviſsimè dicã) explicatio, repugnans cõmuni Patrum intelligentiæ ab Eccleſiæ naſcentis exordio; & Hęreticis anſam prębens ad novos errores deflectendi. Cui explicationi reclamitat Apoſtolus 1. Corinth. 10. nu. 20. *Quæ immolant Gentes, dæmonijs immolant, & non Deo.*

Sed coactam Montani, & abſurdas alias Hæreticorum expoſitiones validiſsimè confutant quatuor Theologi de noſtris, Frãciſcus Turria tract. 2. de Euchariſ. cap. 34. Belarmin. lib. 1. de Miſſa. c. 10. Valenc. to. 4. diſp. 6. q. 11. punct. 1. & Suarez tom. 3. in. 3. P. d. 74. ſec. 1. qui orthodoxũ ſenſum graviſsimo Patrũ teſtimonio fulciunt: quare illis citandis ſuperſedeo.

55 Tantùm perpendo, quàm aptè Prophe ta pollutis, atq; adeò reprobatis Iudæorũ ſacrificijs opponat ſacroſanctam, & intemeratam Euchariſtiam, acceptiſsimam Deo, & eorum loco ſuccedentem.

Primò, *ab ortu* (inquit) *ſolis uſq; ad Occaſum*. Olim vera religiõ, rituſq; ſacrificãdi Deo, per anguſtis Iudææ terminis claudebãtur. Pſal. 75. n. 1. *notus in Iudæa Deus.* At tempore legis Gratiæ refixi ſunt hi cãcelli: divinus cultus longè, latèq; diffuſus ijſdem, quibus ſolis curſus, finibus terminatur. Ad hoc fortaſſe vaticinium alluſit

56 Chriſtus Ioan. 4. n. 21. *Venit hora, quando neq; in monte hoc, neq; in Hieroſolymis adorabitis Patrem. Adorare* ibi, ſacrificare eſt; verè enim, ac propriè oblatione ſacrificij ſupremus cultus externæ latrię continetur. Gen. 22. n. 5. *Poſtquàm adoraverimus, revertemur ad vos*, id eſt, peracto ſacrificio. Act. 8. nu. 27. *Venerat adorare in Hieruſalẽ.* Atq; hęc erat quæſtio, quam Samaritana propoſuit Chriſto, ut conſtat ex Ioſepho l. 11. Antiq. c. 8. docebant enim Iudæi, in ſolo Templo Hieroſolymitano legitimè ſacrificari poſſe. Deut. 14. n. 23. & 1. Paral. 17. n. 12. Contrà Samaritani, ſacrificandum eſſe contendebant in Templo, quod exſtruxerant in monte Garizim. Et certè ſi de nuda adoratione ſermo eſſet, flexo Deum venerari genu, ubiq; licuiſſet. Significavit ergo Chriſtus, ſupervacaneam iam eſſe quęſtionem illam, abrogato priſtino ſacrificandi ritu, qui ut carnalibus hominib⁹ accommodatus, addictus erat loco: veniſſe iam tempus, quo ubiq; terrarũ immaculata hoſtia, non in umbra, aut typo, ſed in ſpiritu, & veritate, à veris adoratoribus erat offerenda.

Secundò, hoſtiæ illæ Iudaicę, utpote 57
carnes mortuæ, erant cruore, ſanie, ac tabo ſordidatę, ac proinde, ſive in probatica piſcina, ſive in luteribus, aut cõchis, aquis priùs abluendæ. 2. Paral. 4. n. 6. At ſacroſanctæ Euchariſtiæ oblatio tota mũda, ac puriſsima eſt: non modò nõ indiget abluẽtib⁹ aquis, ſed ipſa potiùs corda purificat, & offerentium ſordes eluit animorũ. Ac poterant illæ hoſtiæ, etiam ablutæ, rurſus maculari, ac pollui malitia miniſtrorum: vide ſuprà n. 7. At intemeratum Euchariſtię ſacrificium, quod unum, & ſolum eſt verè mundum, nullius Sacerdotis ſordibus inquinari poteſt, cùm pręcipuus Sacerdos ſit ipſe Chriſtus. Teſtatur hoc Cõcilium Trident. Seſſ. 22. c. 1. *Hæc quidem illa mũda oblatio eſt, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentiũ inquinari poteſt, &c.*

Tertiò: hoſtię illæ concrematæ nidorem graveolentem, craſſum vaporem, 58
cæcumque fumum exhalabant: at cùm ſacrificatur hęc mũdiſsima oblatio, thura, & odores in aris, ac tẽplis incẽduntur, ex quibus afflatur mira ſuavitas. Vbi nos legimus, *ſacrificatur*, Hebraicè, *muctar, fuffitur*. Regia, *ſuffumigatur*. LXX. *incenſum offertur*. Totidem verbis Pagninus. Cyprianus primo Teſtimoniorum. *Odores incenſi offeruntur*. Atque hos ſuaviſsimos odores præcipuè interpretor, orationes, quæ ex Eccleſię ritu mundam hanc oblationem antecedunt, comitantur, & ſubſequuntur. Pſalm. 140. num. 2. *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Apocalyp. 5. num. 8. *Habentes phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum.* Cap. 8. num. 3. *Et data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus ſanctorum.*

59 Quartò denique, Sacerdotes illi non ſolùm Dei nomen ipſi deſpiciebant nu. 6. ſed palàm etiam polluebant, ac violabant: nō re quidem ipſa, ſed hominum opinione; ut expoſui, num. 7. At hęc oblatio ſacroſancta ſummo honore afficit, valdeq; illuſtrat Dei nomen: non ſemel dixiſſe contentus, iterum inculcat in hoc verſu, *magnum eſt nomen meum in gentibus*. Nimirùm ſibi meritò perſuadent gentes, ſuperexcellens, ſupereminens, ac planè divinum eſſe numen illud, quod ſanctiſsima, mundiſsima, ſuperexcellenti, ac planè divina oblatione colitur. Cohæret mirificè, quod ſtatim ſubdit Propheta.

Numerus 12.

Et vos polluiſtis illud in eo, quod dicitis, menſa Domini contaminata eſt.

VOs contrà facitis, qui tantis à me obſtricti beneficijs, ingrati, ac rebelles polluitis nomen meum: re enim ipſa, nō modò verbis, hominibus ſuadetis, contemptiſsimum eſſe numen illud, quod vos ipſi Sacerdotes, qui eius cultum curare deberetis, viliſsimis hoſtijs colendum eſſe denuntiatis.

60 Cùm explicarem verba illa num. 7. *Offertis ſuper altare meum panem pollutum*; altaris nomine menſam propoſitionis intelligēdā eſſe exiſtimavi; nūc viciſsim nomine mēſæ, altare intelligendū exiſtimo, in quo hoſtiæ incendebantur. Ibi cauſabantur Sacerdotes, menſam Domini deſpectam eſſe, ut ipſi laborem detrectarent offerendi panes ritè, & ex præſcripto legis cōfectos & offerrent quales libet, de medio ſumptos. Hîc cauſantur, altare Dñi contaminatum eſſe, ut claudas, cæcas, ac debiles hoſtias, ſine populi offenſione, aut ſuæ potiùs exiſtimationis iactura ſacrificent. Solet ſordida quæſtus, lucellique cupiditas, cùm eos præſertim ſtimulat, quos maximè dedecet, honeſtam aliquam ſpeciem induere, qua turpitudinē velet; erubeſcit enim videri nuda. Sic avariſsimus ille Apoſtolus, cùm effuſo pretioſiſsimo unguento, magnam ſibi prædā extortam ê faucibus videret, indignè tulit Ioan. 12. n. 5. *Quare non vęnijt trecentis denarijs, & datum eſt egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eū, ſed quia fur erat*: nimirùm rapacitati ſuæ plauſibile beneficētiæ nomen, quaſi velū quoddā, obtendebat. Sic ipſi iſti Sacerdotes mandatum 62
Dei de honorandis parentibus, ut à filijs pecuniam corraderent, prætextu pietatis, ſiniſtra interpretatione perverterāt, Matt. 15. n. 5. Sic etiam iſti Sacerdotes, quādo ad expianda propria delicta, aut alia de cauſa immolaturi erant, pecudes viliſsimas immolabant; quòd ſi ab alijs adducerentur ſelectæ, & pingues, macras ipſi ſupponentes, probatiores ſibi reſervabant, illam ſcilicet prętexentes rationem, *menſa Domini contaminata eſt*: quacūq; re, etiam abiectiſsima cōmodè apparatur: ſacrificantiū animis, non mactatis victimis paſcitur Deus. Nonne videtis, eū deſpectiſsimas victimarū partes ad aras ſibi depoſcere? Nimirùm omenta, adipes, & ſanguinē, quæ nulli ferè uſui hominibus ad eſum eſſe poſſunt. His itaque viliſsimis ipſe cōtentus, cætera Sacerdotibus fruenda relinquit. Cōſonant his mirificè, quæ ſequuntur.

Et quod ſuperponitur, contemptibile eſt cum igne, qui illud devorat.

63 ITa exprimas Hebraica verbū ê verbo. *Menſa Domini contaminata, ipſa, & fructus eius, contempta eſca illius*. LXX. *Et qui ſuperponūtur, deſpecti ſunt cibi eius*. Grękè. *Bromata autu*: ubi pronomē *eius* ad Deū, non ad menſam, quæ generis eſt feminini, referendum eſt.

Quadrāt omnia aptiſsimè his, quę modò dicebam⁹; quaſi hic ſermo Sacerdotib⁹ in ore eſſet: quorſum ſelectas iſtas, pingueſq; hoſtias mactabim⁹? Vt quid perditio hęc? Nūquid hiſce paſcitur, aut oblectatur Deus? Nō ſunt delicatę cupedię cibi illius, non vituli ſaginati: res viliſsimę, adeps, & ſanguis incenduntur in eius menſa, & ab igne penitus abſumuntur.

64 Nomen ignis non habetur expreſſè in Hebræo, ſed vox *oKel*, quam LXX. & Recentiores reddiderunt, *cibum*: Hieronymus mutato ſecundo puncto, aptiùs interpretatur *devorantem*, proprium ſcilicet epithetum ignis: iam enim illis verbis, *quod ſuperponitur*, eſcam ipſius ignis comprehenderat. De igne verò illo, qui perpetuò ardebat in altari, & à Sacerdotibus ſubiectis lignis per ſingulos dies nutriebatur, vide Villalpand. tom. 2. in Ezechiel. lib. 3. cap. 42. & Riber. lib. 4. de Sacrificijs, cap. 2. & Barradam, to. 2. lib. 3. cap. 33.

Numerus 13.

Et dixiſtis: ecce de labore: & exſufflaſtis illud, dicit Dominus exercituum.

65 MIra confidentia pronuntiat Galatinus lib. 1. de Arcanis, cap. 8. de mendo huius loci. Aſſeverat, Hebraicũ textum malitia Iudæorum eſſe corruptum omnino; eraſum proinde luculẽtum de Chriſti paſsione vaticinium: ita verti debuiſſe, ſi emendatè legeretur. *Ecce qualis vilitas, & expirare feciſtis me.* In eadem ſunt ſententia Adrianus Finus lib. 3. Flagelli Iudæorũ, & Porchetus 1. part. Victorię adverſus Iudęos cap. 15. cuius ipſiſsima verba cum Auctoris laudatione recitat Sixt. Senẽſis, lib. 8. Bibliothecæ pag. 996. Vbi indignatur, Iudæos etiam clariſsimis alijs locis violentas, & ſacrilegas manus attulliſſe: apertiſsima de Chriſto teſtimonia hac corruptela fuiſſe depravata, atq; adeò validiſsima tela, quibus ipſorum iugulum peteretur, de Catholicorum manibus extorta. Talia ſunt Oſeæ 9. num. 12. *Væ eis,* 66 *cùm receſſero ab eis*: quod ita vertendum erat, ſi emẽdati codices extitiſſent: *væ eis: incarnatio mea ex eis.* Sic Michæę 1. n. 10. *In domo pulveris pulvere vos conſpergite*; iuxta nativam, genuinamque litteram, reddendum erat: *in domo pulveris pulvere me involvi.* Quibus vaticinijs quid apertius? Quid illuſtrius pro Chriſti Incarnatione afferri potuiſſet?

Non eſt animus diſputare, ſint ne Hebraici codices integri omnino, & incorrupti, an Iudęorum vitiati corruptelis; nam, & ſi non aliena loco quæſtio videretur, ſpiſſa tamen eſt, & ardua, in cuius enodatione Commentarij cancellos tranſilirem. Hoc tantùm dico; ducuntur iſti Auctores bono quidem zelo, ſed non ſecundũ ſcientiam, imò dum ſe Iudæos oppugnare credunt, Eccleſiam ipſam Catholicam imprudentes oppugnant: amentatæ iſtæ haſtæ in Iudæorum caſtra acerrimè coniectæ, quaſi reflante aliquo vento retortæ, in noſtris viſceribus altè defigũtur: ſequitur enim manifeſtò, Vulgatam Editionẽ, quam ut puram, & illibatam veneramur, eſſe corruptiſsimã: quę ita vertit Hebraicũ textum, ut ipſi iactant à Iudęis fuiſſe corruptum. Sequitur, interpretem Latinum pro puro fonte aquam turbidã è cœnoſis recutitorum lacunis hauſtam, nobis propinare; quod Catholicæ aures horrent prorſus audire. Tractarunt copioſè de hoc toto argumento Ribera Oſeæ 9. num. 20. Bellarmin. lib. 2. de Verbo Dei cap. 2. Lindanus lib. de Optimo genere interpretandi. Canus lib. 2. de Locis, cap. 13. Mendoza quæſt. 6. poſitiva, num. 2. Sacroboſco part. 3. cap. 18. Montoya lib. 2. Concordiæ cap. ultimo. Pererius to. 2. in Geneſ. lib. 13. diſput. 5. Delrius in Pharo ſapientiæ proloquio 10.

In noſtra verſione, cùm oratio eccliptica ſit, & quaſi manca, difficilis eſt ſententia, nexuſque cum his, quæ anteceſſerunt. Vocem Hebraicam *matelaa*, quam Vulgatus reddit *de labore*, Regia expreſsit, *ex defatigatione*. Editio Latina LXX. *ex afflictione*; propriè eſt laſsitudo, & labor, qualis eius, qui feſſus eſt, fatigatuſq; de itinere. Sic uſurpatur originalis vox Exodi 18. num. 8. & Numer. 20. num. 14. Et verò novus eſt Sacerdotum prætextus ad ſuam avaritiam obtegendam: non poterant non offendi, qui videbant adeò graciles, & macilentas Deo pecudes ſacrificari, 67 68

69 cari. Lumen ipsum naturæ, nedũ scripta lex tam apertè prohibens eas victimas, tam insignẽ indignitatem aversabatur: aiebant itaque Sacerdotes ijs, quibus tale sacrificium offensioni erat, quod hîc in Commentario refert Hieronymus: *de captivitate reversi sumus; hostibus præda fuimus: multum in longo itinere laboravimus: qualiacumque habemus, offerimus.*

Sed eorum mendacem, & artificio cõpositam orationem redarguit Deus; *& exsufflastis illud, dicit Dominus.* Exponit Hieronymus, *exsufflatione mea dignum feciſtis*, idest, vos pecudes mihi oblatas, ex pinguibus, ac vegetis, languidas, cæcas, & claudas, atque adeò mihi despicabiles effeciſtis, optimasque deterrimis commutastis. Cõsonat verbũ originale *hipahtem*, quod est in coniugatione *hipphil*: & cùm radix ipsa in *Kal*, Aggæi 1. num. 9. *& exsufflavi illud*, significet *despicere*, pro nihilo ducere, quasi rem nullius mementi, quæ flatu oris evanescat; iuxta proprietatem linguæ sanctæ in cõiugatione *hipphil*, erit facere exsufflari, sive exsufflatione dignum, ut exposuit Hieronymus. Cohæret, quod subiungit Propheta.

70

Et intuliſtis de rapinis claudum, & languidum, & intuliſtis munus: numquid ſuſcipiam illud de manu veſtra? dicit Dominus.

71 SErmo totus ad Sacerdotes hactenus relatus, cogit hæc etiã verba de eisdem interpretari; & sensus ille aptissimè quadrat contextui, quem modò indicabam: causamini, graciles, & languidas esse pecudes præ itineris defatigatione: & vos ipsi macilentas, ac vilissimas effeciſtis. Nam si quando afferũtur sanæ, ac pingues, eas vobis reservantes per summam avaritiam, claudas, ac languidas immolatis; numquid tale sacrificium, quasi per rapinam oblatum, mihi acceptum esse potest?

Numerus 14.

Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum; & votum faciens immolat debile Domino.

72 NIhil causæ video, cur hæc à Sacerdotibus ad promiscuã plebem dirigantur; & extremis hisce verbis præcidatur totius cõcionis filum mutatione personarũ: nam & prima verba sequẽtis capitis ad Sacerdotes etiam referuntur. Ipsi etiam Sacerdotes vota nuncupabant, & voti sponsione obligati, cùm pecudes in grege haberent integras, mancas tamen, ac debiles offerebant; ad illosque totum iudiciũ spectabat de rebus Deo voto consecratis, ut constat ex toto cap. 27. Levitici.

73 Natura ipsa comparatum est, ut rebus in extremũ discrimen adductis, ac penè desperatis, ubi humana remedia non suppetunt, cõceptis votis divinam opem imploremus. Acutè scripsit Plin. lib. 8. cap. 16. [Tum præcipuus votorum locus est, cùm spei nullus est.] Ipsius etiam naturæ 74 instinctu insitum est mortalium generi, ac proinde vel in ipsis Gentilium animis insculptum, ut voti Religionem gravissimam, & sanctissimam ducerent. Exempla pete ex Brissonio lib. 1. de Formulis à pag. 105. usque ad 118.

75 Et verò violatæ Religionis crimen ducebatur, si quis voti, ac sacrificij reus, nõ lectissimas pecudes offerret. Macrobius lib. 3. Saturnalium cap. 5. exponens illud Virgilij lib. 4. Georg.

Quatuor eximios præſtanti corpore tauros.

[Eximij vocabulum in sacrificijs non Poeticum epithetum, sed Sacerdotale nomẽ est: eximias dictas hostias, quæ ad sacrificium destinatæ eximantur è grege, vel quòd eximia specie quasi offerendæ hu-

minibus

minibus eligantur.] Sic etiam egregiæ
76 dictæ, quasi è gregibus selectæ. Consentancè Servius in illud AEneidos, lib. 6.

Lectas de more bidentes.

[Non vacat (inquit) lectas; moris enim fuerat, ut ad sacrificium eligerētur oves, quibus nihil deesset.] Atque hoc innuit Plinius lib. 8. cap. 45. cùm agens de vitulis, concisè, ut solet, ait. *Hinc victimæ opimæ, & lautissima Deorum placatio*: & Horat. lib. 4. Ode 2.

Me tener solvet vitulus, relicta
Matre, qui largis iuvenescit herbis
in mea vota.

His prophanis testimonijs & illustratur,
77 & corroboratur argumentum Malachiæ: si enim ipsa natura duce, barbaræ Gentes, quibus nōdum lux affulserat veritatis, in animum induxerant, grave piaculum esse, si lectas, & eximias pecudes falsis illis, commentitijsque numinibus non offerrent; quàm execrandus, quàm diris omnibus devovēdus foret Sacerdos ille dolosus, qui, cùm ex legis divinæ præscripto liquidò cognosceret, Deum vilissimas hostias aversari, eas nihilominus voti Religione obstrictus, dolo malo, supremo, ac tremendo numini consecraret,
78 cùm in grege masculas pecudes, ideſt, sanas, valentesque haberet? hoc enim significat vox *masculus*, ut apud Plinium lib. 12. cap. 14. Thus sacris suffitibus destinatum masculum appellatur. Lege Pontanum in symbolis Virgilij, egloga 8. p. 179. *Et mascula thura.*

Quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum.

79 HOc ob oculos obversetur illi, qui Deo vota nuncupavit: se non homini voviſſe, sed Deo. Ecclesiast. 5. num. 3. *Si quid vovisti Deo*: & Deut. 23. num 23. *Facies, sicut promisisti Domino Deo tuo.* Psalm. 75. num. 12. *vovete, & reddite Domino Deo vestro.*

80 Est verè Deus Rex Regum, & Dominus dominantium; soletque sacra Scriptura in eius laudibus enumerare, quòd Reges alios de throno deijciat, alios ad regale solium evehat. Quia cùm in rebus humanis altissimum fastigium obtineat Regum potentia; in illis exturbandis, ac puniendis maximè Divina potestas videtur elucere. Per ipsum Reges regnant, per ipsum Principes imperant, Proverb. 8. num. 15. Ipse transfert regna, atque cōstituit, Daniel. 2. num. 21. *Ipse balteum Regum dissolvit, & præcingit fune renes eorum*, Iob. 12. num. 18. Non est Regnum ei⁹ circumscriptū terminis, aut ætatibus. Rex est immortalis seculorum. 1. ad Timoth. 1. num. 17. Latissimè quoquò versus dominatur in cœlis, & in terra, & in omnibus abyssis. Quibus ergo diris defigendus Sacerdos ille, qui tanti Regis tremendam maiestatē vilissimis hostijs prosequatur?

Et nomen meum horribile in Gentibus.

81 POstquàm cohortatus est David Psal. 75. num. 12. *vovete, & reddite*, &c. quasi calcar vehementissimum admovit: *terribili & ei, qui aufert spiritum principū, terribili apud Reges terræ; non est Rex noster, sicut idola.* Baruc. 6. num. 34. *Si quis illis votum voverit, & non reddiderit: neq; hoc requirunt.* Ecclesiast. 5. num. 3. *Multò melius est non vovere, quàm post votum promissa non reddere.*

82 Per facilis esset huius explicatio loci, nisi Latinus Interpres, Hebraicus textus, & Editio LXX. nobis essent conciliandа. Legunt LXX. *epiphanes*, ideſt, *illustre*; ut vertit Editio Romana, & Complutēsis, vel *manifestum*, ut reddidit ipse Vulgatus Actuum 2. num. 20. At quî possunt in eamdem coire sententiam, *horribile, & manifestum, sive illustre*? Desudarunt in hac componenda discordia Ribera Ioelis 2. num. 65. & Lorinus Act. 2. num. 20. nam, quod Ioel prædixerat cap. 2. num. 31. *Antequàm veniat dies Domini magnus, & horribilis*; Petrus se-

cutus

cutus Editionem LXX. sic retulit Act. 2. num. 20. *Antequàm veniat dies Domini magnus, & manifestus.*

83 Vox Hebraica, quæ subest in utroq; loco, est *nora* à radice *Iare*, id est, timuit; & expendi quàm potui diligentissimè huius vocis usum in Scriptura, collatis inter se versionibus, serieque contextus: & deprehendi ferè in plerisque omnibus locis idem esse, ac *formidandus, metuendus, & horribilis.* Ipsi LXX. frequentiùs reddunt, *phoberos*, quam vocem Vulgatus exprimit *terribilis*, Psalm. 65. nu. 3. Psalm. 66. num. 5. Psalm 75. num. 13. Psal. 110. num. 9. Psalm 138. num. 14. Psal. 144. num. 6. Sic etiã vertit Vulgatus vocem originalem *nora* Genes. 28. nu. 17. Exod. 15. num 11. & cap. 34. num 10. Deute. 1. num. 19. & cap. 7. num. 21. & cap. 8. n. 15. Iudic. 13. num. 6. Isai. 18. num. 2. & nu. 7. Daniel. 9. num. 4. Ioel. 2. num. 11. Habacuc 1. num. 7.

Horribilis 2. Regum 7. num. 23. Isai. 21. num. 1. Sophon. 2. num. 11. Denique vertit Vulgatus, *formidolosus*, Iob 37. nu. 22. Vbi eleganter describit Pineda, quàm sit formidandus Deus horribili tempestate mortales exterrens.

84 Hæc est genuina, & nativa significatio huius vocis, & fateor nihilominus, quæcumque in quovis genere maiora opinione, & solito illustriora sunt, hac etiam voce denotari, ea præcipuè de causa, quia ita comparatum est, ut grãdia quæque, & enormia, aut mole, aut eminentia, aut novitate sua mirabilitatem faciant, terroreque, ac stuporem animis incutiant. Quare Hebraicum nomen *norà* Vulgatus vertit *mirabilis*, Isai. 64. num. 3. non modò è textu Græco. Psalm. 44. num. 5. & Psalm 67. num. 36. LXX. modò *Epiphanes, endoxos, & thaumastos* reddiderunt, id est, illustris, glorioſus, & admirabilis Sic Latini Auctores *horrendum* dixerunt pro novo, mirabili, & inaudito; & ipse Vulgat⁹ Ezech. 1. nu. 22. chrystallum vocat *horribilem*, id est, lucidissimam: Hebraicè *nora*. Tigurina, *admirandam*. Vatabl. *eximij splendoris*. Quare Hebraicæ linguæ scientissimi Isidorus Clarius, & Arias Mont. *horribile* hîc exponunt, *augustum, honorificum, ac venerandum.*

CAPVT II.

Numerus 1.

Et nunc ad vos mandatum hoc, ô Sacerdotes.

1 Amdem pertexit concionem, vel potiùs nunquam illam interrupit: argumento mihi est præter cætera, exordium ex illatione ductum. Observavi cum Masio Iosue 1. vers. 2. *Vehata, & nunc*, non tam tempus præsens, quàm rei, seu argumenti consequentiam denotare. Psalm. 2. num. 10. *Et nunc Reges intelligite*, id est, iam ergo. Psalm. 38. num. 8. *Et nunc, quæ est expectatio mea?* Genebrardus, *nunc igitur.*

Ea propter ipse Vulgatus sexcentis locis Hebraicæ vocis vim illativa particula *ergo*, aut *igitur* illustravit. Indicabo pauca de multis. Genes. 4. num. 11. & cap. 21. num. 23. cap 41. num. 33. Exod. 9. nu. 19. Iosue 24. num. 14. Iudicum 9. num. 16. Proverb. 5. num. 7. cap. 8. num. 32. Isai. 5. num. 3. Ierem. 18. num. 11. Ezechie. 43. num. 9.

2. Commemoratis itaque Sacerdotum sceleribus, severissimas illis minas denuntiat, gravissimaque, nisi resipiscãt, intẽtat supplicia. Ac ne videatur eis, *quasi ludens loqui*, Genes. 19. n. 14. aut ęgri capitis somnia fundere, auctoritatem conciliat legationi suę: iam ergo (inquit) attendite Sacerdotes: nihil addam, affingãve de meo: legatione fidelissimè fungar: Dei mandata ipsissimis verbis ad vos defero.

Nu-

Numerus 2.

Si nolueritis audire.

3 AVdire non Hebraico tantùm, ſed Græco etiam, Latinoque ſermone, eſt acquieſcere, & obedire: cùm enim dixit Chriſtus Ioan. 8. num. 47. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit*, non tam voluit ſignificare, *auribus percipiet*, quod illi etiã faciunt, qui ex Deo non ſunt; quàm, in pectore recondet, operibus exequetur. Paſsim obvia ſunt exempla. Deuteron. 28. num. 15. Levit. 26. num. 14. & 1. Reg. 3. num. 7. & c. 25 num. 35. Matth. 17. num. 5. & Ioan. 10. num. 3.

Et ſi nolueritis ponere ſuper cor.

4 HEbraiſmus elegantiſsimus eſt, bis in hoc verſu uſurpatus, quem variè ſolet Vulgatus illuſtrare: ſpectat non ad intelligentiam modò, ſed etiam ad affectum, propriéque ſignificat, advertere animum, accuratè perpendere, ſeriò, diligenterque curare. Ita ſolet exprimere noſter Interpres. Prov. 27. num. 23. *Diligẽter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera.* Iob. 1. num. 8. & cap. 2. n. 3. *numquid conſideraſti?* &c. Hierem. 31. num. 21. *dirige cor tuum*, &c. Iſai. 57. n. 1. *Non eſt, qui recogitet in corde ſuo.* Iob 4. num. 20. *Quia nullus intelligit.* Hebraicè, *ponit*, & ſubauditur, *ſupra cor.* 2. Reg. 18. nu. 3. *ſive enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit.* Hebraicè, *non ponent cor ad nos.*

5 Solet etiam Interpres Hebraiſmum relinquere. Prov. 24. n. 32. *Quod cùm vidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam.* Iſai. 41. num. 22. *ponemus cor noſtrum, & ſciemus.* Sic Ezech. 44. num. 5. Pſalm. 47. num. 14. Deuter. 32. num. 46. Daniel. 6. num. 14. Aggæi 1. num. 5. Vbique accuratam animi proviſionem, intentãque ſolicitudinem ſignificat; qualem hîc Malachias exigit à Sacerdotibus.

Vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum.

6 COmmunis explicatio: adhortari Sacerdotes, ut divinum nomẽ, quod pollutis victimis violaverant, legitimis ſacrificijs, & ritè obito miniſterio clarificent. Non dubito, quin hoc ipſum agat Propheta, ſed ſuſpicor, his verbis ad id, quod prius eſt, ideſt, ad primum in vitæ emendatione gradum faciendum, excitare: poſteà verò ſigillatim exemplo Levi eos ſui officij, ſuarumque partiũ admonebit, nunc autem cœleſtis iræ minas intentãs, id agit, ut quaſi ex alto excitati veterno, extollant aliquando caput, aperiant oculos, antea actæ vitæ turpitudinem agnoſcant, deteſtentur, palàm, & ingenuè fateantur.

7 Hoc eſt in ſacra Scriptura, *dare gloriã Deo*; atque huius Hebraicæ phraſis cauſam mihi attigiſſe videtur Auguſt. Tract. 12. in Ioannem. *Qui cõfitetur peccata ſua, & accuſat peccata ſua, iam cum Deo facit. Accuſat Deus peccata tua, & ſi tu accuſas, coniungeris Deo.* Et apertiùs Tertul. lib. de Pœnitentia cap. 9. *Ingemiſcere, lachrymari, presbyteris ad volvi; hæc omnia exomologeſis: ut de periculi timore Dominum honoret, & in peccatorem ipſa pronuntians pro Dei indignatione fungatur.* Reſarcit itaque pœnitentia divinam gloriam ſceleribus violatam, ſed & ipſum pœnitentem per abiectionem extollit: ut eleganter ibi Tertull. *Cùm igitur provolvit hominem, magis relevat: cùm ſqualidum facit, magis mundatum reddit: cùm accuſat, excuſat; cùm condemnat, abſolvit.*

8 Sed age, ſacræ Scripturæ exempla proferamus. Per illuſtre eſt illud Ioſue 7. nu. 19. *Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abſcondas.* 1. Reg. 6. nu. 4. cùm Philiſtiim interrogarent, quid eſt, quod pro delicto reddere debeamus ei? reſponde-

runt

runt Sacerdotes: *Dabitis Deo Israel gloriam*, &c. Quod legimus 1. Esdrę 10 nu. 11. *Vos transgressi estis: & nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, & facite placitum eius*: sic repetitur 3. Esdræ 9. num. 7. *Vos iniquè feciſtis: & nunc date confessionem, & magnificentiam Domino*. Extrema verba Psalm. 49. sic vertit Hieronymus iuxta Hebraicam veritatem [Qui immolat confessionem, honorificat me: & qui ordinat vitam, ostendā ei salutare Dei.]

9 Quod cæteri Evangelistę dicunt, Centurionem, & qui cum eo erant, extimuisse valde, pectora percussisse: unico verbo complexus est Lucas cap. 23. num. 43 *glorificavit Deum*. Ingeniosè itaque Maldonat. Ioan. 9. num. 24. verba illa, quibus Pharisæi veritatem à cæco nato extorquere nitebantur; *da gloriam Deo*, perinde esse, ait, ac si Hispanus iudex diceret: pone isthic manum, cruce porrecta: fatere, te priùs fuisse mentitū, remque omnem pecunia subornatum, ex compositò simulasse, nam certissimis argumentis cōvictus teneris: proinde melius tibi consules, si sponte, quod res est, confitearis.

Mittam in vos egestatem.

10 HEbr. & Græcè: *maledictionem*; eodē sensu: ut contrà rerum affluentia benedictione denotatur. Sed huccine tandem minæ reciderunt? adeòne grave supplicium est egestas, ut sacrilega Sacerdotum piacula inopia puniātur? Sed carnalis adhuc ille populus felicitatis summam ex rerum temporalium affluentia metiebatur; indigētiam verò in gravissimis malis numerabat. Relucet præterea Divinę iustitiæ æquitas, quæ solet culpas, si non pari supplicio, certè eiusdem generis rependere. Peccaverant Sacerdotes avaritia, luent egestate. Huius iustitiæ exempla vide apud Lorinum Sap. 11. vers. 8. & 17. & Maldonatum Luc. 16. num. 24.

Et maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis, quoniam non posuistis super cor.

11 AVdaci pede (inquit Hieronymus in cap. 3. ad Galatas) *ad hoc procedo certamen, ut ad libros provocem. Nullo loco scriptum, à Deo quemquam esse maledictū, & ubicumque maledictio ponitur, nunquam Dei nomen adiunctum.* Simile quid observarunt Chrysostomus, & Origenes. Vocantur enim iusti Matth. 25. num. 34. *Venite benedicti Patris mei*; at reprobis dicitur num. 41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum. Non ipse Pater* (ait Chrysostomus) *sed opera eis propria maledixerunt.*

12 Cùm Hieronymo obijci posset, Deū post peccatum Adæ, serpenti maledixisse Genes. 3. num. 14. subiungit loco citato Hieronymus [Maledictus tu ab omnibus bestijs, dicitur ad serpentem.] Ita legunt LXX. & Ambros. lib. de Fuga seculi cap. 7. ita explicat. [Maledictus tu ab omnibus pecoribus terræ; omnium enim communis inimicus es: quoniam, qui hominem lęsit, cui illa omnia subiecta sunt, læsit omnia: ideo communi odio omniū, atque execratione maledictio eius oneratur.]

13 Sed (salva reverentia, quæ sanctis Ecclesię Patribus debetur summa) vel hoc solo Malachiæ testimonio apertè convincitur, Deum interdum maledixisse: imò illa demum, vel potiùs illa solùm maledictio metuenda, ac formidanda est, quæ à Deo improbis intentatur. Neque fugit oculatissimum Hieronymum, licèt diverticula quærat, Deuteron. 21. num. 23. in Hebręo legi, quod fidelissimè reddidit Vulgatus [Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno.] & Habacuc. 3. num. 14. *maledixisti sceptris eius*. Vt autem benedicere Dei, est amplificare, copiam, & affluentiam impertiri, Genes. 1. num. 22. & num. 28. ita maledicere, est extenuare,

bonis

bonis evertere, in nihilum redigere. *Maledixit Deus terræ* Genes. 3. num. 17. & sterilem fecit, spinas, & tribulos germinantem: maledixit Christus ficulneæ, & statim aruit. Marc. 11. num. 21.

14 11 Quod verò attinet ad serpentis maledictionem, non miror Ambrosium, qui legebat Editionem LXX. non animadvertisse transfusum in Græcam linguam Hebraismum, quo *ab* ponitur loco, *præ*. Isai. 56 num. 5. *Nomen melius à filys*, ideſt, præ filijs. Lucæ 18 num 14. *Descendit hic iustificatus ab illo*, ideſt, præ illo. Hieronymum valde miror, qui Hebræā linguam suprà, quàm dici potest, egregiè callebat; sed cupiditas eum impulit tuendi suam illam opinionem. Explicationem quidē loci Genes. perspicue refutat Vulgata, cap. 3 num 14. *Et ait Dominus ad serpentem, quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia.*

15 Atque ut eò redeamus, unde paululùm defleximus: duplex potest esse sententia huius loci *Maledicam benedictionibus vestris.* Hoc est evertam vos ijs bonis, quibus anteà cumulaveram. Secundò, benedictiones vestras in maledictiones cōmutabo. Cùm alicui bene precati fueritis, non benedictiones, sed imprecationes, & diræ recident in caput eius. Pro bonis, mala; pro copia, inopiam; pro vita, mortem; pro fælicitate, miseriam ego inveham. Formidanda omnino res: Deus maledicit, cui Sacerdos impius benedicit. Solitos autem Sacerdotes populo benedictionem impertiri, constat Num 6. num 23. & Ecclesiastici 36. num. 19. & cap. 50 num 27. Vbi asserit Iansenius, eos crucem effinxisse, aut certè adumbrasse. Et Galatinus lib. 2. cap 10. tribus digitis erectis, duobusque contractis, pronuntiatoque nomine ineffabili, mysterium Trinitatis expressisse.

(:*:)

Numerus 3.

Ecce ego proijciam vobis brachium.

16 Ebraizantes legunt: *ecce ego corrumpo, sive perdo vobis semen.* Eadem enim vox diversis affecta punctis, & semen significat, & brachium. Sed sciamus, Massoretas, qui post Hieronymi ætatem puncta excogitarunt, ea multis in locis perperam appinxisse: proinde nullam nobis eorum rationem esse ducendam; præsertim ubi Latinæ Editioni adversantur. Vide Genebrar. præfatione in Psalm. Maldonatum Matth 13. vers. 15. Mendozam quæstio. 6. positiva num. 4. Riberam in cap. 11. ad Hebræos, num. 62. & Oseæ. 11. nu. 39. Bellarm. in Psalm. 33. vers. 5. & 7. Forerium prologo in Isai. & cap. 9. nu. 6. & cap. 22. num. 8. Leonem Castrium in Apologet. lib. 2. cap. 20. Delrium in Pharo Sapientiæ proloquio 4. 6. 10. 12. & 16. Pinedam in Salomone prævio lib. 5. c. 13. num. 6.

17 Prima ergo explicatio est Hieronymi, ex quo eamdem hauserunt cæteri interpretes. Reservabātur Sacerdotibus quædam victimarum partes, ut armus, & pectusculum, &c. Sensus itaque is erit, quem insinuant LXX. vertentes, *omon*, id est, humerum. Brachium, quod vobis erat reservandum, in faciem, oculosque vestros ego proijciam; quod indignantis simul est, & contemnentis. Illustrat Arias Montan. exemplo irati, & fastidientis heri, qui ferculum indignè in mensam illatum, sordido famulo in faciem impingeret.

18 Sunt, quæ obijciam huic explicationi. Primò, & si cōstantissimè lego, *armum* sepositum Sacerdotibus. Exodi 29 numero 27. Levitic. 7. numero 32. & 34. & cap. 8. numero 25. & cap. 9. numer. 21. & cap. 10 numero 14. & Numeror. 18. numero 18. Deuteronom. 18. numero 3. sed armum significari brachio, nusquam

in tota

in tota Scriptura lego. Secundò verba LXX. *Ego ſeparo vobis humerum*, nihil huic explicationi favent, ac ne poſſunt quidem ad eam detorqueri. Tertiò minùs eſt ad rem ſimilitudo Montani: armus enim non offerebatur ſeparatus Deo, ſed ſeponebatur Sacerdoti.

19 Solus Theodoretus facem mihi videtur prætuliſſe ad huius locì intelligentiam, qui referens verſionem Aquilæ, *ego vos increpabo cum brachio*; unico explanat verbo: *minatur, ſe eos proiecturum.*

Et quidem in arcano ſermone, quoniam brachium ſymbolum eſt roboris, auctoritatis, & potentiæ, brachium alicuì conterere, confringere, aut præcidere, eſt illum omni robore, omni auctoritate expoliare. Iob 38. num. 15. *Auferetur ab impijs lux ſua, & brachium excelſum confringetur.* Zachar. 11. num. 17. *Brachium eius ariditate ſiccabitur.* Pſalm. 36. numero 17. *Brachia peccatorum conterentur.* Ezechiel. 30. num. 21. *Brachium Pharaonis Regis Ægypti confregi.* Hierem. 48. num. 25. *Abſciſſum eſt cornu Moab, & brachium eius contritum eſt.* Daniel. 11. num. 6. *Non obtinebit fortitudinem brachij.* Pſalm. 10. num. 5. *Contere brachium peccatoris.*

20 Sed illud maximè illuſtrat præſentem locum, quod Heli Sacerdoti comminatus eſt Deus 1. Regum 2. num. 31. *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui* (id eſt, ego te propediem exauctorabo) *& videbis æmulum tuum in templo.* Vatabl. [Adimam tibi dignitatem Sacerdotalem, qua plurimùm confidis, & ſuperbis.]

Idem prorſus eſt, *proijciam vobis brachium*: nam verbum originale *Gabar* Pagninus, & Regia vertunt, *corrumpam.* Vatablus, *perdam.* Arias Montan. alludens ad utrumque verbi ſignificatum, *increpando reijciam.* Et non eſt dubium (ut obſervat in ſuo Theſauro Mercerus) quin ſæpe ſignificet, *excidere*, atque *diſperdere*; ut Pſalm. 9. nu. 6. Pſalm. 67. nu. 31. Iſai 54. num. 9. Proijcere itaque hîc, non eſt in faciem iacere, ſed faſtidiendo, ac præcidendo longè amandare.

Concordant LXX. qui in priorem illam explicationem ne violentè quidem trahi poſſunt. *Ecce ego ſeparo vobis humerum. Aphorizo* enim ſignificat, *præcido.* Minitatur itaque Deus luculentam ſe illis plagam inflicturum, qualem impoſuit ille alter 2. Machab. 12. num. 35. *Irruit in eum, humerumque eius amputavit.* Humero enim Sacerdotalis dignitas recumbebat: Iſai. 9. num. 6. *Et factus eſt Principatus ſuper humerum eius:* cap. 22. num. 22. *Et dabo clavem domus David ſuper humerum eius.* Amputato igitur humero, collabi, ac funditus ruere dignitatem, neceſſe erat. 21

Hoc ſupplicium dignum ſanè eſt irato Deo, dignum ſacrilegis Sacerdotibus. Cohæret cum toto contextu: minatus fuerat illis egeſtatem, nũc abdicationem & præciſionem: mox turpiſsimam ignominiam.

Et diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum.

22 LXX. ita reddiderunt. [Et diſpergam ventriculum ſuper facies veſtras, ventriculum ſolemnitatum veſtrarum.] Cõtinens ſcilicet poſuerunt pro contento. Andreas Maſsius Ioſue. 3. verſ. 7. ſuſpicatur, his verbis occultam quamdam contẽptus efficiendi rationem contineri: & nos Hiſpani, ut inſigni ignominia hominem infamẽ, & ſcelerũ maculis notatiſsimum inuramus, dicere ſolemus: *dalle con un butago en las barbas.* Perinde itaque eſt, ac ſi diceret Deus. Vos meo nomini labem adſperſiſtis veſtris pollutis ſacrificijs, ego viliſsima, & ſpurciſsima iſtorum ſacrificiorum parte, ideſt, ipſo vẽtriculo animalium, ſtercore redundante, facies veſtras inſigniter reſpergam, atque foedabo.

Et assumet vos secum.

23 HEbraicè, *ad se*. Tigurina. *Tolletque vos ad se*. Adeò tenaciter stercus adhærebit, ut neque manibus detergi, neque ullis aquis elui possit; ut ita fœdè sordidatos, & conspurcatos vos populus exibilet, aspectu exhorreat, cogitatione ipsa detestetur. Hanc emphasim habet, *assumet vos ad se*, id est, tam eritis abiecti, & despicati, ut in ipsius vilissimi stercoris naturam degenerasse existimemini. 1. Machabęorum 2. numero 62. *Gloria eius stercus, & vermis est*. Ecclesiastici 9. num. 10. *Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur*. Psalm. 82. numero 11. *Facti sunt, ut stercus terræ*. Sophoniæ 1. numero 17. *Corpora eorum, sicut stercora*. Vide 4. Regum 9. numero 37. & Cassianum Collatione 7. cap. 27.

Numerus 4.

Et scietis, quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum.

24 SIc à me puniti, egestate pressi, Sacerdotio spoliati, insignibus ignominiæ maculis insti, serò tandem sapietis. Aperiet oculos aliquando pœna, quos nunc perstringit, & cæcat culpa: tunc demum re ipsa edocti perspicietis, mandatum istud, non à meo Propheta callidè confictum, sed à me ipso piè destinatum, quò vos in officio continerem, pactumq; meum cum Levi perpetuò conservarem. Quale tandem sit istud pactum initum cum Levi, statim explicatur.

Numerus 5.

Pactum meum fuit cum eo vitæ, & pacis.

LEvi unus fuit ex filijs Iacob. 25
Genes. 29. nu. 34. cuius Tribus primogenitorum loco Deo addicta, & consecrata est: ut ex ea Sacerdotes, & Levitæ assumerentur. Numer. 3. nu. 13. & 18. cap. 8. num. 16. Deuter. 10. num. 8. Et quia hæc Tribus Sacerdotalis exempta est ex numero reliquarum, quasi non tam ad homines, quàm ad Deum pertineret, & si re quidem ipsa tredecim erāt Tribus, hac excluſa, duodecim tantùm solent in Scriptura numerari. Numer. 1. nu. 49. Iosue 3. num. 12. Ecclesiast. 44. num. 26. Matt. 19. num. 28. Accedit, quòd hæc Tribus, tanquam Deo mancipata, & in eius tutela posita, nullam obtinuit sortem in terra Promissionis. Deuteronom. 10. nume. 9. & cap. 12. num 12. & Numer. 18. numer. 20. Iosue 13. num. 14. & 33. sed ex decimis alebatur Numeror. 18. num. 20. & 21.

Sacerdotes itaque, & Levitæ omnes 26
ex eadem erant Tribu; sed Sacerdotes ex familia Aaron, Levitæ ex alijs familijs: & Sacerdotes quidem sacratiore initiabantur ritu, maioréque ceremonia: Levitæ, minore. Sacerdotes sacrificijs peragendis; Levitæ inferioribus templi ministerijs erant destinati. Tractant hæc copiosè Ribera lib. 3. de Templo, cap. 1. & Barradas, to. 2. lib. 3. c. 54. Hîc autem non potest esse dubium, quin Levi, Sacerdotalis familiæ caput, pro tota Tribu Levitica sumatur.

Sensus ergo Prophetæ est: pollicitus 27
sum Principibus Leviticæ familiæ, eos, suosque posteros in meo conspectu, & Sacerdotali dignitate perpetuò esse victuros: nullam sceleribus eorum conceptam iracundiam usque eò progressuram,

ut pactum rescindam, & illos disturbem Sacerdotio. Percusi firmum hoc vitę, paciſque cum illis fœdus; meam auctoritatem interposui; cupio igitur, cupio vehementer, hoc pactum quantum equidem in me situm est, ratum, & inviolabile permanere. Alludit sine dubio ad pactum illud initum cum Aaron. Ecclesiastici 45. num. 7. *Statuit ei testamentum æternum, & dedit illi Sacerdotium gẽtis.* Quod pactum rursus instauratum est cum Phinees, Aaronis nepote. Numeror. 25. num. 12. *Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini eius pactum Sacerdotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo.* Vbi vides, in hoc pacto pacem (id est, prosperitatem, & bonorum omnium affluentiam) vitam prætereà (id est, perpetuitatem) contineri: imò & ipsi Phinees vita contigit supra mortales omnes sui seculi longissima: nam supra trecentos annos illam propagavit, ut subducit Montanus ex c. 20. Iudicum, num. 28.

Celebratur hoc pactum initum cum Phinees in Scriptura Ecclesiast. 45. numero 30. *Ideo statuit illi testamentum pacis, Principem Sanctorum, & gentis suæ, ut sit illi, & semini eius Sacerdotis dignitas in æternum.* Et 1. Machab. 2. num. 54. *Phinees pater noster zelando zelum Dei, accepit te-*
28 *stamentum Sacerdotij æterni.* Et si leve hoc est; adverto tamen, eamdem vocem originalem *berit*, ab interprete modò pactũ, modò fœdus, aut testamentum verti solere; nominibus scilicet diversis, idem tamen significantibus.

Illa verò gravis quęstio est, & hoc expedienda loco, cur simile fœdus cum Tribu Levitica ictum, pactum salis nominetur. Numeror. 18. num. 19. *Pactum salis est sempiternum coram Domino tibi, ac filijs tuis.* Fatetur ibi Caietanus, sibi incompertum esse, cur pactum inviolabile, ac semper duraturum, salis pactum nominetur. At non tantùm eo loci solemnis illa formula concipitur, sed etiam 2. Paralipo. 13. numero 5. *Num ignoratis, quòd Dominus Deus Israel dederit Regnum David super Israel in sempiternum, ipsi, & filijs eius in pactum salis?* Causam mihi videtur Olcaster collimasse, à quo mutuatus est Pererius Genes. 19. numero 25. acutè scilicet conijcit ex illis verbis Levitic. 2. num. 13. *Nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo;* in icendis fœderibus, firmandisque pactis unà cum victimis, quæ cædebantur, sal quoque adhibitum esse, ut sale, & sanguine fœdera sancirentur; idque propterea fieri consuevisse, quia sal symbolum est diuturnitatis, propter insitam vim impertiendi rebus incorruptionem: eo itaque aptissimè significari, pactum illud perpetuò futurum inviolatum, & incorruptum. Argumento esse potest statua illa salis, in quam versa est uxor Loth. Quæ post tot evoluta secula, tot diruta, & solo æquata solidissima ædificia, ipsa tamen integra adhuc, hodieque durat. Vide Lorinum Sapient. 10. num. 7. & Delri. Genes. 19. num. 25. Salis adhibiti in fœdere mentionem fecit Virgil. lib. 12. Ænei. 29

Dant fruges manibus salsas.

Vide ibi Pontanum, pag. 2246. de mola salsa frequentissima in sacrificijs, Lambinum in Horatium ad illud lib. 3. Ode. 23. *Farre pio, & saliẽte mica* & Turneb. lib. 7. Adversariorum, c. 13. & Pontanum in id Æneid. 7. *Et salsas fruges*, pag. 854.

Et dedi ei timorem.

PRopositæ sunt Sacerdotibus à Deo honestissimæ pacti huius conditiones, quarum prima est religiosus Dei cultus, qui reverentiali timore continetur. Ecclesiast. 1. numero 17. *Timor Domini, scientiæ religiositas.* Chaldæus sic interpretatur. [Dedi ei doctrinam legis meæ perfectam, & timuit me.] Timor enim Dei perfectio est, consummatioq; doctrinæ Sacerdotalis. Iob. 28. numero 28. *Ecce timor Domini ipsa est sapientia:* & Eccles. 1. numero 20. *Plenitudo sapientiæ, est timere Deum.* 30

Et timuit me, & à facie nominis mei pavebat.

31 PRopositas à Deo pacti conditiones Sacerdotalis Tribus, & libēter accepit, & sedulò servavit. Audi Moysen in benedictione Levi, Deuteron. 33. numero 8. *Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt.* Deus exegit ab illis timorem, illi timore filiali reveriti sunt Deum, toti divino cultui mancipati.

32 Observat Maldonatus Matth. 4. numero 10. verba illa, quę retulit Christus: *Dominum Deum tuum adorabis*; sic legi in Deuteronom. cap. 6. num. 13. *Dominum Deum tuum timebis*: quia Hebraico idiomate timere Deum, est illum colere, & adorare. Sic Matth. 15. num. 9. *Sine causa autem colunt me*; legitur apud Isai. c. 29. num. 13. *Timuerunt me.*

Actuum 2. numero 5. *Viri religiosi.* Græcè, *eulabis.* Quam eamdem vocem Actuum 8. numero 2. reddidit Vulgatus, *viri timorati*: & Luc. 2. numero 25. *Iustus, & timoratus.* Græcè, *eulabes.* Vtrumque coniungitur Actuum 10. numer. 2. *Religiosus, ac timens Deum*, quamquam ibi subest, *eusebes.* Ad Hebræos 12. nu. 28. *Serviamus placentes Deo cum metu, & reverentia.* Græcè, *eulabias*: quæ vox propriè significat religiosum cultum, timoremque reverentialem, quo Divinum numē, à Sacerdotibus præsertim, studiosissimè, sanctissimèque prosequendum, ac venerandum est.

Numerus 6.

Lex veritatis fuit in ore eius.

33 DIvini iuris studiosissimi, & consultissimi fuerunt, doctrinamque veracissimam legis in ore iugiter, ac multò magis in corde habuerunt.

Et iniquitas non est inventa in labijs eius.

NOn attribuitur hîc Sacerdotibus ille laus in Scriptura frequentissima. Psalm. 14. num. 3. *Non egit dolum in lingua sua.* 1. Petri 2. num. 22. & Isai. 53. num. 9. *Nec inventus est dolus in ore eius.* Psalm. 33. numero 14. *Et labia tua ne loquantur dolum.* Psalm. 31. numero 2. *Neque est in spiritu eius dolus*: ut contrà objicitur improbis Psalm. 49. numero 19. *Lingua tua concinnabat dolos*: qualis verò sit huiusmodi dolus, significavit Hierem. cap. 9. numero 8. *Sagitta vulnerans, lingua eorum: dolum locuta est: in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias.* In his omnibus locis (si excipias Psalmum 31. ubi est etiam nomen affine) subest Hebraicè, *mirma* à radice *rama*, idest, dolosè agere, eludere, circumvenire.

Hîc autem est vox *haula.* Ea vero sig- 34
nificantissima est, & exponitur à Montano, *iuris cogniti perversio, ac depravatio*: à Mercero, *iniuria proximis illata contra leges, & iura.* Rectè Vulgatus expressit eius vim. Hoc enim propriè est, *iniquitas*: nam & viri iniurij, qui contra ius, fasq; proximos opprimunt, vocantur in Scriptura filij iniquitatis. 2. Reg. 3. nu. 34. & cap. 7. num. 10. & 1. Paralip. 17. num 9.

Illud verò Levitic. 19. n. 15. *Non facies, quod iniquũ est, nec iniustè iudicabis*; Hebraicè unica dumtaxat est oratio. *Non facietis iniquitatem in iudicio.* Deut. 32. nu. 4. *Deus fidelis, & absque ulla iniquitate; iustus, & rectus.* Et huius quidem Divinæ æquitatis, ac rectitudinis imago, si aut ius dicendum, aut quid decernendum esset, in Sacerdotum verbis relucebat.

In pace, & in æquitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate.

ENumerat quatuor bona ex illo fonte religiosi cultus redūdantia. Primū 35

est,

est, cos pace, id est, incolumitate, prosperitate, copijsque omnibus afluxisse: hæc enim omnia pacis nomine continentur. Psal. 28. num. 11. *Dominus benedicet populo suo in pace.* Vatablus. [Dabit ei prosperũ
36 rerũ omnium successum.] Soleo sæpe mirari nostri interpretis elegantiam, & copiam in illustrãdis Hebraismis, sed in hoc Latinè efferendo, nequeo satis mirari. Quàm significanter, quanto cum decoro, & proprietate, quàm accommodatè ad rem, de qua agitur, quàm luculentè illum ubiq; exprimit? Res erit iucunda cognitu, neq; inutilis Scripturæ intelligentiæ, exempla ipsa intueri. Gen. 29. nu. 6. *Sanus ne est? Valet, inquiunt.* Hebraicè utrobique, *pax ei.* C. 37. nu. 14. *Vide, si cuncta prospera sint erga fratres tuos.* Hebraicè. *Vide pacem fratrum tuorum*: c. 43. nu. 27. *Salvus ne est?* n. 28. *Sospes est*: utrobiq;, *pax &c.* 1. Regum 17. num. 18. *Fratres tuos visitabis, si rectè agant.* Hebraicè, *ad pacem.* 4. Regum 9. num. 11. *Rectè ne sunt omnia?* Hebraicè. *Est ne pax?* 2. Regum 18. num. 28. *Dixit ad Regem, salve Rex.* Hebraicè. *Pax.*
37 Exod. 18. num. 7. *Salutaverunt que se mutuò verbis pacificis.* Hebraicè. *Postulaverunt pacem.* Genes. 43. num. 27. *Clementer resalutatis eis.* Hebraicè. *Postulavit eis pacem.* Iosue 10. num. 21. *Reversus est omnis exercitus, sani, & integro numero.* Hebraicè. *In pace.* Genes 28. num. 21. *Reversusque fuero prosperè.* Hebraicè *In pace.* Denique (quod iure accommodetur Tribui Sacerdotali) Proverb. 3. num 17. *Viæ eius, viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ.* Hebraicè. *Pax.*

38 Alterum bonum eximium est; Deum deduxisse Sacerdotes per vias planas, directas, & æquabiles, sine ullo, non modò casũ, aut prolapsione, sed ne offensione quidem. Ita explico, *ambulavit in æquitate*, nam vox originalis *Misor*, & affinis *Mesarim*, propriè significant planitiem. Deuteron. 3. num. 10. Hierem. 48. num. 8. & 3. Regum 20. num. 23. Zachar. 4. num. 7. Isai. 40. numer. 4. & 2. Paralipomen. 26. num. 10.

Hinc notabilis ille loquendi de vino modus, eleganter illustratus à Vulgato. Proverbior. 23. numero 31. *Ingreditur blandè.* Hebraicè, *ibit in æquitate.* Vide etiam Cantic. 7. numero 9. Hinc vulgaria illa Psalm. 25. numero 12. *Pes meus stetit in directo.* Hebraicè, *in æquitate*: & Psalm. 26. numero 11. *Dirige me in semitam rectam.* Hebraicè, *æquitatis.* Hebraismum 39
retinuit Vulgatus Proverbior. 4. numero 11. *Ducam te per semitas æquitatis, quas cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.*

Est insignis locus Isai. 26. numero 7. *Semita iusti recta est, rectè callis iusti ad ambulandum.* Hebræa sic vertit Pagninus. *Semita iusto recta, tu, ò Deus recte, callẽ iusti librabis.* Forerius. *Semita iusto, æquitates: rectam orbitam iusti regulabis.* Vatab. *Via iusto erit æquitatum* (id est, æquabilis, & plana) *tu ò Deus ad libellam æquabis*, ne scilicet offendat.

Tertium, quod caput est, & quasi fons 40
bonorum omnium, pios illos Sacerdotes ambulavisse cum Deo, idest, præsentem sibi Deum in omnibus actibus suis statuisse, eiusque proinde oculis valde probatos, & acceptos fuisse. Hanc esse huius Hebraismi vim, Scripturæ exemplis illustravi ad Colos. 1. num. 10.

Quartum denique, quod hinc necessariò consequitur; eos cùm legis doctri- 41
na, tum conspicuæ sanctitatis exemplo, populum in officio continuisse: peccatores etiam aberrantes salutaribus monitis, cælestibusque minis ad bonam frugem revocasse.

Numerus 7.

Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius.

42 PErspicua sententia est, & à Sactis identidem celebrata: admonet enim Sacerdotes suæ dignitatis, & officij: eos esse cœleste quoddã in terris oraculum, ac divinæ voluntatis interpretes; legem proinde in promptu, in numerato, id est, in ipsis labijs, non tantùm in corde, ac memoria habituros; ambigẽtibus, & sciscitantibus, minimè dubia responsa edituros.

43 Vbique requirunt sacræ litteræ in Sacerdotibus hanc scientiam Divinæ legis, qua instructi possint difficilia religionis negocia statuere, & incidentes de officio nodos expedire. Vino præcipiuntur abstinere, Levitic. 10. num. 9. & ea affertur causa, num. 10. *Vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & prophanum; inter pollutum, & mundum: doceatisque filios Israel omnia legitima mea.* Deuter. 17. nu. 8. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, venies ad Sacerdotes, &c.* Sic 2. Paralipo. 19. num. 10. & Aggæi 2. num. 12.

44 Atque prompta hæc notitia Divinę legis est unum è præcipuis Sacerdotum elogium. Deuteronom. 33. num. 9. *Hi custodierunt eloquiũ tuũ, & pactũ tuum servaverunt: docebunt* (sic habetur Hebraicè) *iudicia tua, ò Iacob, & legem tuam, ò Israel.* Vide 1. Esdræ 7. nu. 10. Et hinc est, quod refertur Matth 2. num. 4. cùm Herodes sciscitaretur à Principibus Sacerdotum, ubi Christus nasceretur, continuò Michææ testimonium protulerunt.

45 Hæc scientia Divinæ legis insigniter adumbrata est in Pectorali Summi Sacerdotis. Exodi 28. num 30. *Pones autem in Rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino.* Hebraicè pro doctrina, & veritate sunt illæ celebres voces *Vrim, & Tumim*: verbum è verbo reddas, *illuminationes*, vel *inflammationes*; & *perfectiones*, vel *simplicitates*: debet enim esse Sacerdos simplex, perfectus, & omnibus numeris absolutus: debet item tam eximia sapientiæ luce collustrari, ut fulgoris, ac doctrinæ radios longè, latèque diffundat. Hæc strictim attigisse contentus de *Vrim*, & *Tumim*, eos, qui plura nosse avent, relego ad eruditissimos viros Bellarmin. tom. 1. lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 3. Ariam Montanum in appratu in lib. Aaron. Riberam lib. 3. de Tẽplo, cap. 12. Galati. lib. 4. cap 17. Genebr. lib. 2. Chronographiæ pag. 186. Baron. tom 1. anno Christi 17. Malhendã lib. 11. de Antichristo, cap. 11. Delrium lib. 4. Magicarum disquisitionum, quæstio 2. pag. 122. Viegam, in cap. 2. Apocal. commentario 1. sect. 1. Barradam, tom. 2 lib. 3. cap. 46. Lorin. Sapient. 18 vers. 24. Pagninum, Mercerum, & Brixianum in Thesauris linguæ sanctæ. 46

Quia Angelus Domini exercituum est.

47 VErtere potuisset Vulgatus vocem *malac, nuncius*, ut vertit Iob 1. n. 14. Genes. 32. nu. 3. Deuter. 2. nu. 26. & aliàs sæpe: sed arbitror, eum, summo consilio, Sacerdotem Angelum vocavisse.

Advertendum tamen est, quod plerique Patres observarunt, ut Isidorus lib. 1. Sententiarum cap. 11. Gregorius lib. 32. Moral. cap. 18. Hilarius lib. 5. de Trinitat. Angelum non esse nomen Naturę, sed officij. Ipse Christus infrà c. 3. nu. 1. vocatur *Angelus testamenti*. Et ab Isaia cap. 9. n. 6. iuxta LXX. *Magni consilij Angelus*: exponit Tertullianus lib. de Carne Christi, c. 14. [Officij, nõ naturæ vocabulo.] Fuit enim profectò Angelus, id est, nũtius. Ioan. 15. num. 15. *Omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.*

48 Doctrinam hanc hauſerunt Patres ex magno illo Dionyſio cap. 4. cœleſtis Hierarchiæ; ubi docet, ſpiritus illos cœleſtes Angelos appellari, [Propterea quòd eis primò inſit Divina illuſtratio, ac per eos ad nos veniat.] Quod mirificè quadrat in Sacerdotes; nam (ut ait hîc Hieron.) [Angelus, ideſt, nuncius, Sacerdos Dei veriſimè dicitur; quia Dei, & hominũ ſequeſter eſt; eiuſq; ad populum nunciat voluntatem.] Talis erat ille Angelus, qui aiebat, 2. Corinth. 5. num. 19. *Poſuit in nobis verbum reconciliationis: pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.*

Angelorum itaque nomine Sacerdotes intelligunt Hieronym. & Anſelmus, 1. Corinth. 11. num. 10. & multi interpretes Actuum 7. num. 53. & ad Galat. 3. num. 19. & Iſai. 18. num. 2. & Sacerdotes Eccleſiarum Angeli nominantur cap. 2. & 3. Apocalyp.

49 Deinde dicuntur Angeli, ad ſignificandam eminentem ſupra cæteros mortales huius functionis dignitatem. Multus ſim, ſi in hoc argumento velim excurrere. Videatur Baron. Tom. 1. anno Chriſti 57. & Belarm. lib. 4. de Euchariſtia cap. 16. & Platus de Bono ſtatus Religioſi lib. 2. cap. 37. Angelos quidem vidit aliquando Chryſoſtomus Sacerdoti ſacrificanti procumbere, ut ipſe ſcribit lib. 3. de Sacerdotio. Bonavent. etiam refert D. Franciſcum dicere ſolitum, Sacerdotem ſe priùs, quàm Angelum, ſi ſimul occurrerent, ſaluturum fuiſſe.

50 Denique Angeli ſunt Sacerdotes propter inſignem caſtimoniam. *Erunt ſicut Angeli Dei*, aſſernit Chriſtus Matth. 22. n. 30 de ijs, qui in cælo perpetuam colent caſtitatem. Miror, etiam Gentiles in ſuis Sacerdotibus pudorem laudibus extuliſſe. A Eneid. 6.

Quique Sacerdotes caſti, dum vita manebat.

Quærit Plutarch. in Problemmatis Romanis cap. 111. cur Sacerdotes non modò caprea abſtinere, ſed ne eam quidem contingere iuberentur: cauſámque affert, ut horrorem in libidinem, cuius ſymbolum erat, indicarent. Magis eſt mirandum, quod ſcribit Gelius lib. 10. cap. 15. hederam neque tangere, neque nominare, fas fuiſſe Sacerdoti, ea de cauſa, ut refert ex Sexto Pompeio Mendoça q. 4. poſitiva num. 4. quia hedera arcto illo cõplexu, neſcio quid laſcivię præ ſe fert. Vide Tiraquell. leg. 15. connubiali n. 118.

Cenſet Abulenſis Exod. 28. poſt quæſ- 51
tionem 12. Leviticæ Tribui ſmaragdum obtigiſſe in pectorali ſummi Sacerdotis: eſt autem ſmaragdus teſte Pierio lib. 41. pudicitię ſymbolum. Iſidor⁹ lib. 16. Etymolog. cap. 7. de ſmaragdo ait: [Herbas virentes, frondeſque exſuperat: nulla gratior oculorum refectio eſt:] Mutuatus ſcilicet ex Plinio lib. 37. cap. 5. viridis enim color oculis amicus eſt. Eccleſ. 40. num. 22. At quis ſmaragdus ita hilarat, recreatque aſpectum, ac pudor Sacerdotalis? Lege Lorinum ad illud Sap. 4. nu. 1. *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate.*

Illud verò penè excedit fidem, niſi lo- 52
cupletiſſimi auctores teſtarentur, tam mirabilem eſſe antipathiam ſmaragdo cum libidine, ut, ſi probatus ille ſit, frangatur minutatim, ſi quis ſecum habeat in patranda re venerea. Lege Viegam in cap. 2. Apocal. Comment. 3. ſect. 6. Ita debet exhorrere Sacerdos labem turpitudinis, ut ex byſſo retorta, qua induebatur, graviter probat Ribe. li. 3. de Templ. c. 6.

Tam caſtus Sacerdos non modò cum Angelis æquandus, ſed illis etiam præferendus eſt. Chryſologus ſerm. 143. [Angelicam gloriã acquirere, maius eſt, quàm habere: eſſe Angelum, fælicitatis eſt; virginem eſſe, virtutis: virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura.] Bern. epiſt. 42. [Differunt quidem inter ſe homo pudicus, & Angelus; ſed fælicitate, non virtute; ſed etſi illius caſtitas fælicior, huius tamen fortior eſſe cognoſcitur.]

Numerus 8.

Vos autem recessistis de via.

53 VOs autem à perenni, & cõtestata Maiorum vestrorum virtute turpiter degenerastis. Filij bene morati, qui parentes imitantur, dicuntur insistere patrum suorum notatam vestigijs viam. De sancto Rege Iosaphat legim⁹ 3. Reg. 22. num. 43. *& ambulavit in omni via Asa patris sui.* De pijssimo Iosia, 4. Reg. 22. num. 2. *Ambulavit per omnes vias David patris sui.* Contrà verò de filijs Samuelis, 1. Reg. 8. num. 3. *Non ambulaverunt filij illius in vijs eius, sed declinaverunt post avaritiam.*

Via in Hebræo habet articulum emphaticum, *de illa via*, illa scilicet, de qua paulò antè num. 6. *In pace, & in æquitate ambulavit mecum.* Illi præiverunt vobis æquabilẽ, & pacatam viã, sine ullius casus, offensionis ve periculo; vos æstu cupiditatum abrepti per avia, præruptaque vitiorum, per cæca, & lubrica præcipitia deflexistis.

Et scandalizastis plurimos in lege.

54 HEbraicè. *Ruinæ causam præbuistis.* Tigurina. *Impingere fecistis.* Pagninus, *offendiculo fuistis*: hoc propriè significat verbum, *scandalizo.* Eccles. 31. num. 6. ad Roman. 9 num. 33. & 1. Petri, 2. num. 8.

Eamdem persequitur antithesim: illi tũ legis doctrina, tum vitæ exemplo, multos ab iniquitate averterunt, suprà numer. 6. Vos sinistra, & violenta legis interpretatione, moribusque depravatis, plurimos in ruinam impulistis. Quàm autem sit grave, ac periculosum scandali peccatum, tractant communiter interpretes, super illa verba Christi, Matth. 18. num. 6. *Qui autẽ scandalizaverit, &c.* Memoranda est illa Chrysostomi sententia, homil. 3. in cap. 1. Actuũ, [Si unius animę salus tanti est, ut ob hanc filius Dei fieret homo, tantaq; pateretur: perditio cogita, quantã conciliabit pœnam?]

Irritum feciſtis pactum Levi; dicit Dominus exercituum.

55 ILli *pactum meum servaverunt*, Deuter. 33. num. 8. Vos transgressi estis; & cùm fœdus sancitum olim cum Levitica Tribu, servantibus conditiones à me propositas, pactũ salis, idest, firmũ, ac perpetuũ futurum esset; vos, violatis conditionibus effecistis, vt à me pactum ipsum rescinderetur. Lege, quæ adnotavi, num. 5.

Numerus 9.

Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas.

56 AQuissimum sanè Dei iudicium, vt qui in sublimi Sacerdotalis dignitatis fastigio collocati, supra mortales cęteros evecti, & Angelis proximi; ingrati, ac rebelles largitori tantorum munerum, in res viles, & caducas suas cogitationes abiecerunt, illarumque potiundi causa divinum pactum violarũt; exturbentur celso illo gradu dignitatis, & 57 fœdissimis ignominiæ maculis inusti, atq; adeò facie ipsa stercore respersa, in omniũ odium, atque cõtemptum incurrant. Stat enim fixa Dei sententia, in Sacerdotem pacti sui violatorem severè pronuntiata. 1. Reg. 2. nu. 30. Vide suprà num. 3.

Et accepistis faciem in lege.

58 REcurrit ad eamdem antithesim. Illi divinam legem præ oculis habẽtes, cùm iudicium ferendum esset, longè semoto personarũ respectu, ex iure, & æquo statuebant: suprà num. 6. *Et iniquitas non*

est

est inventa in labijs eius. Si vobis aliqua quęstio de lege proponatur, maiorem personarum, quàm aut veritatis, ac legis, aut Dei ipsius rationem ducitis. Theodoretus legit ex Symmacho. *Facies reveremini.* Quod severè prohibitum est in iudicando. Levitic. 19. num. 15. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: iustè iudica proximo tuo.* Deute. 1. num. 17. *Nulla erit distantia personarum; ita parvum audietis, ut magnum.* Prover. 18. num. 5. *Accipere personam impij, non est bonum; ut declines à veritate iudicij.* Ps. 81. num. 2. *Vsquequò iudicatis iniquitatem? & facies peccatorum sumitis?* Ioann. 7. nu. 24. *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.*

Numerus 10.

Numquid nō pater unus omnium nostrum? Numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum?

59 INvehitur adhuc Propheta in Sacerdotes, qui contra omne ius, & fas, legitimi matrimonij sanctitatē prophanis alienigenarum connubijs, & ipsi polluebant, & cæteris, ut polluerent, auctores extiterant. Graviter conqueritur, hoc uno flagitio tot fœdissima flagitia contineri: nempe quo sanguinis, naturæque communio,
60 Dei, ac religionis cultus, commune societatis vinculum, sanctissimum matrimonij fœdus, nefariè violabantur. Nam & genus ductum ab uno parente Iacob, & vera religio, qua unum Deum omnium conditorem venerabātur; & pactū cum ipso Deo initum servandæ legis ab eo latæ, eos debuisset à tāto scelere absterrere. Hæc est vis totius argumenti. Cùm
61 cætera perspicua sint, obscura tamen est illa consecutio. *Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum?* Sed sciamus, Hebraicū, *Bagad*, quod quinquies in hoc 2. capite repetitur, proprie esse, *transgredi pactum, violare fœdus, fidem frāgere.* 1. Regum 14. num. 33. Isai. 21. num. 2. & c. 48. num. 8. Proverbio. 2. num. 22. & Oseæ 5. num 7. Etiam cùm vertitur à Vulgato *spernere*, ut Threnorum 1. num. 2. *aut contemnere*: ut Hierem 3. num. 20. violata fides per contemptum reperitur.

Aptissimè itaque Vulgatus toties in- 62
culcat hoc significantissimum verbum in hoc capite, ad exprimendam indignitatem violationis matrimonij, quo uno fœdere indignissimè violato, tot sanctissima fœdera perfidiosè violabantur. Sed si uxori frāgebatur fides, cur dicitur unusquisque prævaricari in fratrem? Ribera fratris nomine sororem intelligit. Exquisitior interpretatio, & ut mihi videtur, invita. Magis assentior Hieronym. sic exponenti. [Quare ergo veteres uxores contemnimus, & fratrum nostrorum abijcimus filias?] Gravissima enim iniuria irrogatur patri, & pactū cum illo sancitum, quando filiam in matrimonium collocavit, perfidè rescinditur, eius filia contumeliosè reiecta.

Numerus 11.

Transgressus est Iuda, & abominatio facta est in Israel, & in Hierusalem.

HIc est illud verbum *Bagad*, 63
cuius vim paulò antè expendimus.

Oratoriè exaggerat huius pręvarications indignitatē tum à personā eorum, qui tantum facinus concepe-runt, tum à sanctitate urbis, quam tali contaminari flagitio dedecebat. Suspenditque adhuc auditorum animos, nondū sigillatim expresso illo scelere, quod tam acerbè insectatur, ut maius quiddam con-

cipiant,

cipiant, ac velut rem abominabilem abhorreant, ac deteſtentur.

Quia contaminavit Iudus ſanctificationem Domini, quam dilexit.

64 POpulus ille ſingulariter electus, ut Deum coleret, *Dei ſanctificatio* nominatur. Cauſam reddidit ipſe Deus Levit. 20. num. 26. *Eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus, & ſeparavi vos à cæteris populis, ut eſſetis mihi.* Quò reſpexit Petrus epiſt 1. cap. 1. num. 15. *Vocavit vos, ſanctũ* (ideſt, ſanctificationem) eamdemque cauſam affert, num. 16. *quoniam ſcriptum eſt: ſancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum.* Sic Deuter. 7. num 6. & cap. 14. num. 2. & c. 26. num. 18. Hierem. 2. num. 3. *Sanctus Iſrael Domino, primitiæ frugum eius.* Hebraicè *codes*: quę vox hîc redditur à Vulgato, *ſanctificatio*, & exponitur à Hieremia nomine *primitiæ*, quæ ſcilicet Deo conſecrabantur. Pſalm. 113. num. 2. *Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius*, ideſt, ut explicat Geneb. *ſancta eius poſſeſſio.* Sic ſępe loquitur ſacra Scriptura. Eccleſiaſt. 36. n. 15. *miſerere civitati ſanctificationis tuæ*, Iſai. 60. num. 13. *ad ornandum locum ſanctificationis meæ.* Thren. 2. num. 7. *maledixit ſanctificationi ſuæ.*

66 Indignatur itaque Propheta, hanc ſanctificationem Dei, ideſt, populum peculiarem, ab eo eximiè dilectum, prophanis connubijs pollutum, & contaminatum eſſe. Illuſtratur hoc ex 1. Eſdræ 9. num. 2. [Tulerunt de filiabus eorum ſibi, & filijs ſuis, & commiſcuerunt ſemen ſanctum cum populis terrarum.] Rectè in hanc ſententiam exponit Pineda in Salomone lib. 7. cap. 7. num. 7. illud Eccleſ. 47. n. 22. *prophanaſti ſemen tuum.*

Et habuit filiam Dei alieni.

HEbraicè, *uxorem duxit*: quod ſeveriſsimè fuerat interdictum à Deo Exod. 34. num. 16. Deuter. 7. num. 3. & ſuo malo tranſgreſſus eſt Salomon 3. Reg. 11. num. 2.

Numerus 12.

Diſperdet Dominus virum, qui fecerit hoc, magiſtrum, & diſcipulum de tabernaculis Iacob, & offerẽtem munus Domino exercituum.

67 AQuum profectò eſt, ut qui Dei ſanctificationẽ violavit, qui ſemen ſanctum Iſraelitici populi inceſto connubio polluit, ſive ſit Sacerdos, ſive laicus, ſive non reſipiſcat, ſive Deũ ſacrificijs placare conetur, in horrorem tanti ſceleris exſcindatur ab eo populo, à cuius ſe ſanctitate, ac puritate ſeiunxit. Haud abſimile fulmen illi Apoſtolico 1. Corinth. 3. num. 17. *Si quis templum Dei violavit, diſperdet illum Deus.*

68 In fonte propriè eſt, *exſcindet*. Hęc enim nativa eſt ſignificatio verbi *carat*, exſcindere, delere, anathemate ferire. Variè, ut ſolet, illuſtrat Interpres. Ezech. 14. num. 8. *diſperdam eum de medio populi mei.* Sic Pſalm. 11. num. 4. & Hierem. 51. num. 62. Geneſ. 17. num. 14. *Delebitur anima illa de populo ſuo.* Pſalm. 108. num. 15. *Diſpereat de terra memoria eorũ.* Levit. 18. num. 29. *Peribit de medio populi ſui.* Proverb. 2. num. 22. *Impij verò de terra perdentur.* Vbique vides exciſionem.

69 Exſçindentur autem *de tabernaculis Iacob*, ideſt, de populo Iſrael. Non ſolùm indicto quotannis tabernaculorum feſto, de quo Riber. lib. 5. de Templo cap. 13. ſed uſu etiam quotidianò loquendi, voluit Deus membriam ſæpe refricari illius beneficij, quod commemorat Levit. 23. num. 45. *Vt diſcant poſteri veſtri, quòd in tabernaculis habitare fecerim Tribus Iſrael, cùm educerem eos de terra Ægypti.* Tunc ipſe Deus etiam in tabernaculo ſibi ſedẽ, ac domicilium collocavit, ut expẽdit Geneb.

neb. Pſ. 77. nu. 67. qui Pſ. 86. num. 4. illa verba, *ſuper omnia tabernacula Iacob*, urbes exponit, & oppida. Sic Caſtr. Hier 10. n. 20. *Tabernaculum meum vaſtatum eſt: omnes funiculi mei diruptiſunt*; Hieruſalem ipſam, imperij caput interpretatur, quæ turribus, ac mœnijs, templo, atque palatijs, perinde, ac funibus fulciebatur.

70 Quod vertit Vulgat⁹, magiſtrum, & diſcipulum, Hebraicè, *Her vehone*. Latinè eſferas, *vigilantem, & reſpondentem*. Vnde gravis ſanè quæſtio orta inter Rabbinos, vter vigilantis nomine dignior ſit magiſterne, an diſcipulus? Contendunt hîc nervos ingenij; alij magiſtrum vigilantem exigunt, ſedulum, & acrem, minutulis interrogatiunculis prementem diſcipulum, rubores illi ejicientem, donec ille aptè, ſcienterque reſpondeat. Alij contrà diſcipulum ipſum vigilantem requirunt, acutum, & induſtrium, crebris interrogationibus veritatem, ac doctrinam haurientem à magiſtro; cui⁹ mun⁹ eſt, dilucidè ad quæſita reſpondere. Ego nolim, dum me pacificatorem interpono, horum Grãmaticorum ferulas ſubire: ſtet modò illud, egregiè rem expreſsiſſe Vulgatum; de cæterò non admodùm diſceptaverim.

Numerus 13.

Et hoc rurſum feciſtis: operiebatis lacrymis altare Domini, fletu, & mugitu, ita ut non reſpiciam ultrà ad ſacrificium, nec accipiam placabile quid de manu veſtra.

71 FAcilis eſt ſententia, nec poſſum eam preſsiùs, & enucleatiùs, quàm Hieronymi verbis explanare. [Derelictæ uxores Iſraeliticæ, & in thoris maritorũ alienarum Gẽtium feminas contemplantes, ad Dei ſolius auxilium confugiebant, diebus, ac noctibus ante altare Domini provolutæ, lacrymis, gemitu, atque eiulatibus invidiam faciebant eius providẽtiæ, quòd non reſpiceret humana, & miſeras non iuvaret.]

Numerus 14.

Et dixiſtis, quam ob cauſam?

72 PErſiſtunt adhuc petulantes iſti Sacerdotes in ſua procacitate. Violabant omnia iura; ſacra, prophanaque miſcebant: avertebat Deus faciem à pollutis eorum ſacrificijs, exhorreſcebat manus ſanguine, ac ſcelere redundantes: interim uxorum lacrymæ ubertim ad altare profuſæ, quaſi velum quoddam inter Deum, & eorum victimas prætendebant; & tamen adeò ſunt ſtolidi, ut à Deo petulantiſsimè ſciſcitentur, cur eorum ſacrificia non admittat? cùm vel leviſsima proximi offenſiũcula reſarciẽda ſit priùs, quàm Deo ſacrificium immoletur. Matth. 5. num. 23.

Quia Dominus teſtificatus eſt inter te, & uxorem pubertatis tuæ, quam tu deſpexiſti.

73 DOctè probat Riber. teſtificari Deũ, idẽ eſſe, ac præcipere. Legem itaq; ſanxit, ac promulgavit volũtatis ſuæ teſtem, & indicem. Geneſ. 2. num. 24. Matth. 19. num. 5. Ad Epheſ. 5. num. 31. ſuã auctoritatem graviſsimè interpoſuit, ſeveriſsimèque indixit, ne uxorem tuam legitimam, quam adoleſcens duxiſti, abs te per ſummam iniuriam abdicares, ac fidem illi datam frangeres. Hoc propriè ſignificat, *deſpicere*. Vide ſuprà n. 10.

Et hæc particeps tua, & uxor fœderis tui.

74 REpulſæ huius fœditatem expendit, ſive ab inita iam inde à prima adoleſcen-

lescentia societate, arctissimèque servata, adeò, ut in unam quasi carnem coaluisse viderentur. Genes. 2. num. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis.* Matth. 19. num. 5. *Erunt duo in carne una.* Sive ab ipsius matrimonij fœdere sanctè, ac legitimè sancito, cuius iura violare nefas esset.

Numerus 15.

Nonne unus fecit, & residuum spiritus eius est? Et quid unus quærit, nisi semen Dei?

75 LOcus est difficilis, quem multi interpretes ab Hebraizantibus abducti, difficiliorem reddiderunt. Videat, qui volet, Rabbinorum sententias apud Figueirum, Riberam, & Montanum.

Mihi Hieronymus videtur rem, quasi acu, tetigisse; cuius ego intelligentiam paucis comprehendam. Idem est Prophetæ argumẽtum, quamvis concisum, quod posteà instauravit, ac dilatavit Christus Matth. 19. num. 4. Summa hæc est: nonne Deus unus creavit marem, & fœminam, ut arcto matrimonij fœdere colligati genus humanum propagarent? Nonne cùm inspirasset in faciem hominis spiraculum vitæ, Genes. 2. num. 7. non solùm de costa viri mulierem formavit, sed etiã quasi residuum eiusdem halitus illi infudit, de eodem spiritu eam afflavit, similem illi animam inspiravit? Nonne totum hoc eo consilio fecit, ut matrimonio vincti filios procrearent, qui Deum colerent, Deo servirent, semen Dei, & dici, & esse mererentur? *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Matth. 19. num. 6.

Custodite ergo spiritum vestrum, & uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere.

76 HIeronymus. [Ne abducamini libidine, ne alienigenarum amore vincamini.] Sumit itaque *spiritum* prò impotentia quadam animi, ut Proverbior. 25. num. 28. *Vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.*

Non assentior huic expositioni: nam ipsius consequẽtiæ vis exigere videtur, ne in eodem versu vox *spiritus* in tam diversa acceptione sumatur. Dixerat, afflatum fuisse fœminæ, quasi reliquum ipsius spiritus, quem viro inspiraverat; residuum spiritus viri fœminam hausisse: consequẽs erat, ut unus, idemque spiritus in duobus corporibus habitaret, ut uxoris spiritus dimidium esset animæ viri, ut Horatius locutus est, lib 1. Ode. 3.

Serves animæ dimidium meæ.

Vt anima ipsius viri, quasi transfusa per vim amoris plus esset, ubi amabat, quàm in eo ipso corpore, quod animabat. Scitũ enim est illud Platonis: *amor est ardor animi proprio quodammodò in corpore mortui, in alieno viventis.* Itaq; *custodite spiritum vestrum*, id est, retinete, & conservate eam, quam & auctor naturæ Deus, & castus amor coniugalis, quasi vestrum spiritum, & animæ vestræ dimidium effecerunt. Hoc propriè sonat verbum *Samar*, ut probat Pineda ad illud Iob. 10. vers. 12. *Visitatio tua custodivit spiritum meum.* 77

Neque huic explicationi obstat Hebraicus textus, quem reddas verbum è verbo. *Servate in spiritu vestro.* LXX. *Custodite in spiritu vestro.* Vulgare enim idioma est. Habac. 1. num. 5. *Aspicite in gentibus*, id est, *gentes.* Psalm. 81. num. 8. *Quoniam tu hæreditabis in omnibus gẽtibus.* Imò Pagninus addictissimus Hebræo, legit: *custodite igitur vobis spiritum vestrũ*: & Tigurina lucẽ affert nostræ intelligentiæ. [Vos igitur, quàm chara est vobis anima vestra, cavete, ne in uxores perfidi sitis.] 78

Mihi etiam emphasim videtur habere illa commemoratio, *uxorem adolescentiæ tuæ*, vel, *pubertatis tuæ*, num. 14. eadem enim subest utrobique vox: spectatque ad suggerendam memoriam illius temporis, quo adolescentulam illibatam duxit, & eam unicè dilexit. Prover. 5. nu. 18. *Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ, cerva charissima*: Hebraicè, *amorum*, 79

Tantam

Tantam verò esse amoris vim, ut amãtis spiritu quasi transfundat in amatum, testatur Dionysius cap. 4. de Div. nom. [Est autem mentis secessum, extasimque faciens Divinus amor; amatores sui iuris esse non sinens, sed in ea, quæ amant, penitus transferens.] Huius potentiæ admirabilis, quam exercet vis amoris, vestigium etiam aliquod extat in Sacris litteris. Amantis est enim illa vox, ad Galat. 2. num. 20. *Vivo autem, iam non ego: vivit verò in me Christus.* & 1. Corint. 6. n. 17. *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.*

80 Ac non solùm de sublimi isto amore, sed etiam de naturali eadem legimus. Genes. 44. num. 20. *Pater verò tenerè diligit eum:* num. 30. *Igitur si puer defuerit, (cùm anima illius ex huius anima pendeat,) morietur.* 1. Reg. 18. num. 1. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ David, & dilexit eum Ionathas, quasi animam suam.* Quid igitur mirum est, si uxor in pubertate eximiè, ac tenerè dilecta, spiritus viri, idest, anima, nominetur? Nam & Apostolus ait ad Ephes. 5. num. 29. *Qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit.*

81 Facit deniq; pro hac explicatione numerus 16. ita ibi repetitur hæc sententia, *Custodite spiritum vestrum, & nolite despicere.* Vbi hortatur Propheta, ne eumdẽ illum spiritum despiciant; hoc est, ex proprietate verbi *Bagad*, ne datã fidem frangant, ne perfidiosè agant cum illo: quod in expositione Hieronymi non potest constare.

Numerus 16.

Cùm odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel.

82 HIC Ribera deserit Hieronymum: sed, ut ego quidem arbitror, sine causa deserit; & cogitur, ironicè hunc locum explicare, & opinionem prorsus impro babilem defendere; non licuisse Hebræis, nisi ob solam fornicationem, uxores repudiare; quod eruditè refellunt Maldonatus Matth. 19. num. 8. & Castro Hierem. 3. num. 3. & ipsa videtur sacra Scriptura refellere, Deuter. 24. num. 1. *Si non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij.* Vbi durum, & violentum est, fœditatis nomine adulteriũ intelligere, propter quod non dimittebatur uxor, sed lapidibus obruebatur. Levit. 20. num. 10. Deuter. 22. num. 22. Ioann. 8. num. 5. Imò libellus repudij mulieris honori cõsulebat, ut posset, si vellet, alteri viro nubere: esset autem libellus famosus, si daretur propter solum adulterium.

Rectè itaque Hieronymus affirmat, 83
hæc verba esse Sacerdotum, qui suæ libidini, quasi velum quoddam, Mosaicam legem obtendebant. Quid nos (inquiũt) tam acerbè criminaris? Auctor ipse legis potestatẽ facit, ut qui odio habuerit uxorem, dimittat. Sic etiam Pharisæi obiecerunt Christo Matth. 19. num. 7. *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudij, & dimittere?*

Operiet autem iniquitas vestimentum eius, dicit Dominus exercituum.

LOci huius difficultas in varias explicationes distraxit interpretes. Prado Ezech. 13. vers. 18. uno enodat verbo. [Operietur (inquit) iniuria hoc velamine, & prætextu.] Confirmat ex cap. 32. Genes. num. 20. *Placabo illum muneribus:* quod ita ait, ex Hebræo verti posse: *operiam faciem eius velamine.* Sed versio ista loci Genesis vel ipsis Hebraizantibus est inaudita. Scio, solum Forerium Isai. 27. num. 9. affirmare, *Kiper*, quod in propria significatione idẽ est, ac *oblinire*, ibi posse reddi, *tegam*, sive *operiã*. De cuius sentẽtia 84

non est hîc disceptandi locus; sed qui vocem *minha*, quam vertit Vulgatus *muneribus*, exponat, ut exponit Prado, *velamine*, reperietur omnino nemo.

Et quidem Pradi explicatio diserte habetur in Tygurina [Num ergo violentiâ vestimento suo teget?] Isidorus Clarius [Tanquam vestimento celat nequitiam suam.] Vatablus. *Tegit iniquitatem sub veste sua.* Sed boni isti interpretes lectionis Vulgatæ nullâ rationem ducunt, cui vix, aut ne vix quidem, potest ista expositio accommodari.

85 In eumdem lapidem impingit Figueirus: existimat, esse proverbialem locutionem, *operire aliquid super vestimento*, & perinde esse, ac palam proferre: ut si quis rem furto ablatam, super suum pallium vellet occultare. Vertit itaque Hebraica, nec malè vertit [Et operuit iniquitatem super vestimento suo:] ideſt, nequicquam, & frustrà eam obtegere conatur.

86 Huic affinis est intelligentia Ariæ Montani. Observat, aliud esse operire vestimentum, aliud operire super vestimentum. Primum est, vestimentum studio occultandi tegere: alterum est, ita redundare, atque eminere, ut nullo vestimento occultari, aut dissimulari possit. Incurrit itaque in superiores expositiones. Illud præterea discrimen mihi non probat. Imò ipsa testimonia, quę pro se affert, eius opinionem refellunt, ut patet Deuter. 13. num. 8. Iosue 24. num 7. & 2. Esdræ 4. num. 5.

87 Hieronymi explicatio penè ab omnibus deseritur: *operiet iniquitas vestimentum eius*, ideſt, corpus, quo anima vestitur. Vt in quo peccavit, in ipso puniatur. Quamquam Ribera non multùm mihi videtur à Hieronymo discrepare; iniquitatem sumit ex idiomate Hebraico pro pœna iniquitatis. Gravissimè (inquit) à Deo punietur: non solùm in anima, sed etiam in bonis corporis: usque eò premetur inopia, ut ne vestes quidem habeat, nisi laceras, & attritas.

Sà notam similitudinis supplet, quod, & si frequentissimum est, tamen hîc locum non habet propter præpositionem *hal*, [Iniquitatis punitio (inquit) velut vestimentum totum hominem operiet.] Confirmare posset ex Ps. 108. n. 29. *Operiantur, sicut diploide, confusione sua.*

Liceat mihi inter tam graves auctores meam quoque dicere sententiam. 88
Contextus ipse, antithesisque requirit, ut frivola illa excusatio, quam Sacerdotes repulsæ legitimarum uxorum prætexebant, his verbis coarguatur. Causabantur illi, se ex præscripto legis, iustis de causis uxores repudiasse; sed eos mendaces palàm ostendebat lex ipsa, de non ducendis alienigenis publice violata; libido etiam potiundæ pulchritudinis iuvencularum, repudij causas fuisse artificiosè cõfictas, præ se ferebat; in tanta ergo patrati facinoris evidentia, ipsa iniquitas (Hebraicè, *hamas*: propriè, *violentia, vis aperta, iniuria per vim illata,*) in omniũ oculos per summam indignitatem incurrebat: nullis velis obtegi, nullo artificio dissimulari poterat: *operiet igitur iniquitas vestimentum eius*, scilicet, ipsius iniquitatis, quę in fonte generis est masculini. 89
Hoc est, involucra, & integumenta, quibus iniuria per vim illata occultari nititur, vincentur ipsius sceleris violentia: apparebit, & extabit iniquitas, operietque ipsa, & quasi obruet integumentum suũ, quo suam turpitudinem contegere moliebatur: latebræ illę quæsitæ facinori, facinore ipso luce palàm concepto, illustrabuntur. Præiverunt mihi ad hanc intelligentiam LXX. qui ita reddiderũt. *Et operiet impietas super cogitationes tuas.* Exponit Theodoretus: *revelabuntur cogitationes tuæ*; quasi dicat: tu diverticula, flexioneſque excogitas tuæ iniquitati, multis simulationum involucris eam obtendis; verùm nihil agis; erumpet enim ex istis latebris; in publica luce, in omnium sese conspectu collocabit.

Nume-

Numerus 17.

Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris.

90 HActenus Propheta reprehẽdit iniurios in uxores; nunc invehitur in atrocissimum crimen læsæ Maiestatis Divinæ, in homines scilicet impios, & contra cæleste numen verbis contumelioſos. Facinus audax, & horrendum, ipsi Deo defatigationem, & lassitudinem afferens, ex nimia laborandi, & sustinendi contentione. Hæc enim est vis Hebraici verbi, ut hîc advertit Montanus, & expressit Tygurina: *Defatigastis Dominũ.* Et ipse Deus sæpe conqueritur, Isai. 1. num. 14. *Laboravi sustinens.* Forerius. *Defatigatus factus sum ferendo.* Regia. *Ad defatigationem laboravi sustinendo.* O mira, & incredibilis Dei bonitas in sustinendis peccatoribus!

91 Non involvam silentio memorabilem Glossam Hebræorum antiquorum super hunc Malachiæ locum; quam ex libro, qui inscribitur Victoria contra Hebræos, capite 10. refert Sotomaior in cap. 5. Cantic. num. 2. *Aperi mihi soror mea*: quamquam in hæc ipsa verba Cantici, scribit Galatinus, lib. 8. de Arcanis cap. 8. editam eam fuisse. [Filij mei, aperite mihi aperturam unam pœnitentiæ, sicut est foramen acus; & ego aperiam vobis aperturas misericordiæ, per quas intrabunt quadri-

92 gæ, & currus.] Hunc Dei affectum blandè ad pœnitentiam invitantis expressit Hieremias cap. 15. numero 6. *Laboravi rogans.* Hebraicè. *Defatigatus sum ad pœnitendum.* Hoc est, summis precibus ad defatigationem usque à vobis contendi scelerum pœnitentiam, ut me quoq; sententiæ in vos latæ pœniteret. Isidorus Clarius legit: *lassus sum misereẽdo.* Exponitque: *toties vobis debitam pœnam intermisi, ut iam sim delassatus.* Reprimit enim Deus, & coercet suam iracundiam iustè conceptam, & ad punienda scelera erumpentem: & in hoc quasi conflictu, in quo victrix evadit misericordia, quodammodò defatigatur. Isai. 43. num. 24. *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* LXX. 93
In peccatis tuis hyperaspistes tuus fui, id est, oppositi me velut scutum, ut tela in te contorta meo corpore exciperem, ac retunderem; fui tuus satelles, & stipator, qui clypeo te protegerem. In Vulgata sæpe redditur *protector*, aut *scutum*, vox *hyperaspistes*, quam Deo attribuunt LXX. Genes. 15. numero 1. & 2. Regum 22. numero 3. & numero 31. Psalm. 17. numero 3. Psalm. 30. numero 5. Psalm. 58. numero 12. Psal. 83. numero 10. & Psal. 143. numero 3.

Et dixistis, in quo eum fecimus laborare?

VIde cap. 1. numero 2. & numero 6. & cap. 2. numero 14.

In eo, quod dicitis: omnis, qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent.

ATrox, & horribilis blasphemia est: Divinæ bonitati, æquitati, & providentiæ contumelioſa: inde autem ansam arripuerunt. Viderant periti isti rerum æstimatores, qui Dei benevolentiam ex sola scilicet bonorum tẽporalium copia metiebantur, Babylonios inani simulachrorũ superstitione deluſos, tetrisq; flagitijs coopertos, florere divitijs, & in omni rerum abundantia vivere; se autem, apud quos unius, summique Dei cultus, & vera religio, ac pietas vigebat, vexatos, direptos, egentes rerum omnium, in sordibus, & squalore iacere: dolebant videlicet illis oculi, & in Deum tam horrẽda verba nefariè iactabant. 94

95 Ac fuit etiam perantiqua hæc piorum hominum querimonia, quam Deo humiliter, ac demissè repræsentabant. Verùm honorem semper præfabantur æquitati divinæ: profunda Dei iudicia licèt non penetrarent, suspiciebant tamen, & venerabantur. Hierem. 12. num. 1. *Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum; verumtamen iusta loquar ad te: quare via impiorum prosperatur? benè est omnib⁹, qui prævaricantur, & iniquè agunt?* Iob. 21. n. 4. *Numquid contra hominem disputatio mea est?* n. 7. *quare ergo impij vivunt, sublevati sunt, confortatique divitijs?* Habac. 1. nu. 13. *Mundi sunt oculi tui, nè videas malum, & respicere ad iniquitatem nō poteris. Quare respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio iustiorem se?* Psalm. 72. n. 1. *Quàm bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde: mei autem penè moti sunt pedes,* &c. Hæc eò commemoravi, ut constet, quantum sit discrimen inter sacrilegas, & blasphemas horum Sacerdotū voces, & pias, humilesque sanctorum querimonias.

Aut certè ubi est Deus iudicij?

96 VIdebantur sibi cornutum conflare dilemma, quod refelli, diluique nō posset. Vt vel Deum iniquitatis arguerēt, vel certè eius providentiam è medio tollerent. Simile est illud Claudiani elegantissimi quidem Poetę, sed pagani pervicacissimi, lib. 1. in Ruffinum.

Sed cùm res hominū tanta caligine volvi,
Aspicerem, lætosq; diu florere nocentes,
Vexatosque pios, rursus labefacta cadebat
Religio.

Argumentum autem sic instituebant: si Deus humanarum rerum cura tangitur, eas præcipuè curare dicēdus erit, quæ maximè prosperantur, & ad optatos exitus pervehuntur; sed videmus sceleratos, & impios bonis omnibus affluentes: improbi igitur sunt accepti Deo, & ab illo maximè curantur. Si verò fatemur, Deum impietatem aversari, scelera prohibere, commissa vindicare: fateamur simul, necesse est, debere impios scelerum suorum pœnas luere, bonis everti, vita ipsa spoliari: at contrà videmus lætos diu florere nocentes: Deus igitur humana non curat, iudicia non exercet. Hæc erat impiorū cornuta argumentatio, quam tamen viri pij cornibus abscisis, hinc inde prominentibus, inermem reddiderunt. Vide infrà c. 3. num. 16. 97

CAPVT III.

Numerus 1.

Ecce ego mitto Angelum meum.

1 ACcessim⁹ ad vaticinium per illustre, in quo multa occurrunt adnotāda: sed ut totam rem in pauca conferamus, ut brevitas deposcit Commentarij; quæ observatione digniora sunt, ad certa capita redigemus.

Primò, aptissimè attexitur hæc concio superiori. Comminatus fuerat De⁹ improbis illis Sacerdotibus, rescissurum se pactum, abdicaturum eos dignitate; pollicetur modò summum Sacerdotem, qui, & templum lustraturus, & novos, ac puros Sacerdotes creaturus ipse sit. Illi temerè effutientes, inquirebant: *Vbi est Deus iudicij?* asseveranter nunc confirmat, adfuturum aliquando diem illum, quo facta, dicta, & cogitata facinora gravissimè plectantur.

2 Secūdò; habet hoc Malachiæ vaticiniū luculētum enarratorem, scilicet Verbum, & Sapiētiam Patris, Christum, qui disertis verbis illud exponit de suo præcursore Ioanne Baptista. Matth. 11. num. 10. Marci 1. num. 2. Luc 7. n. 27.

Tertiò; licèt in speciē dissentire videantur Malachias, & Evangelistæ: dum ille ait: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*: isti verò: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuā ante te,*

ubi

ubi manifesta est personæ mutatio; aptè tamen concordantur ex Theologico illo principio, quo Trinitatis opera externa, cùm individua sint, modò uni, modò alteri personę attribuuntur. Missio itaque Ioannis à Propheta quidem Filio, ab Evangelistis autem adscribitur Patri. Lege, quæ adnotavi ad Colos. 2. n. 12. & Maldonat. Matth. 1. n. 18.

3 Quartò: implicatior est ille nodus, quomodò Marcus hoc vaticinium sub Isaiæ nomine referat: sic enim ait cap. 1. num. 2. *Sicut scriptum est in Isaia Propheta: ecce ego mitto Angelum meum*, &c. cùm nihil tale extet apud Isaiam. Fatetur Hieronymus in lib. de Optimo genere interpretandi, hunc nodum sibi esse inenodabilẽ. [Solvat (inquit) hanc quæstiúnculam imperita præsumptio, & ego erroris veniam deprecabor, quasi solvi non possit.]

Evangelistas fuisse aliquando memoria lapsos, & si sunt, qui dixerint, mihi religio est dicere. Sixtus Senensis lib. 7. Bibliothecæ, Hæresi tertia, & Maldonatus Marci 1. num. 2. commodissimè hunc nodum expedire visi sunt. Evãgelista duo citat vaticinia, Malachiæ unũ, Isaiæ alterum; sed utrumq; compẽdio usus, in unũ quasi conflavit, & contexuit testimoniũ, utrumque enim unam, & eamdem prænuntiat rẽ, sequé mutuò confirmant; sed Evãgelista totum vaticiniũ Isaiæ tribuit, nõ solùm tanquam antiquiori, celebriorique Prophetæ, sed etiam quia præcipua vaticinij pars, & in qua tota consistebat vis probationis, quamq; potissimùm producere intendebat, Isaiæ erat.

4 Quintò: auctor est Eusebius lib. 9. de Demonstratione Evangelica cã. 5. plerosque Iudæos, cùm viderent Ioannem Angelicam vitam ducere, existimasse eum verum fuisse Angelum. Disertè id affirmavit Origenes homil. 1. in Ioannem. [Nec mirum (inquit) est, si cùm primogenitus omnis creaturæ, pro suo in genus hominum amore, corpus induisset, Christi æmuli, & imitatores fuerint, qui voluerunt simili corpore, ipsius in hominnes benignitati ministrare.] Nota inuerunt hunc errorem, tacito Origenis nomine, Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 7. & Beda Marci 1. Vide Sixtum Senensem lib. 6. Bibliothecæ annotatione 117. Suarez Tom. 2. in 3. part. disput. 24. sect. 1.

Apertè refellitur hic error Ioann. 1. num. 6. *fuit homo missus à Deo*. Homo itaque fuit natura; Angelus, idest, nuntius, ministerio: quia missus à Deo est, ut Christum prænuntiaret iam instantem, & digito indicaret præsentem. Vide suprà c. 2. n. 7. *quia Angelus Domini exercituum est.*

Sextò, fuit etiam Ioãnes Angelus propter supereminentem humanæ sanctitati puritatem, & excellentiam. Auctor Imperfecti homil. 27. [Mirabilis est, qui in humana natura Angelicam sanctitatem transgressus est; & obtinuit, quod non habuit natura, per gratiam.] Augustin. Sermone 4. de Baptista [Quisquis Ioanne plus est, non tantùm homo, sed & Deus est.] Ambros. Serm. 94. [Præcellit cunctis, eminet universis, antecellit Prophetas, supergreditur Patriarchas: & quisquis ex muliere est, inferior est Ioanne.] Gerson tractatu 4. in Magnificat [Videtur Ioannes Baptista primus post Mariam positus, in ordine Seraphinorum, loco Luciferi.] Qui plura de Baptistæ eximijs laudibus volet, legat duo de triginta singulares prærogativas, expositas à Barrad. To. 1. lib. 7. cap. 3. & 4.

5

Et præparabit viam ante faciem meã.

6 NImis exactam, & accuratam præparationẽ significat verbũ *pinnas*; cuius vis unicâ voce Latinâ nequit exhãriri; est enim propriè, removere è conspectu quidquid offensioni, aut impedimento esse potest. Psalm. 79. nu. 10. ubi nos legimus, *dux itineris fuisti in conspectu eius*; Hebraicè sibest idem verbum. Vertitque Pagninus, *evacuasti ante eam.* Regia, *scopasti.* Tigurina, & Isidorus Clarius; *repurgasti diligenter superficiem eius.* Geneb. *everristi ante eam, purgasti solum: fistulisti lapides, ne posset impingere:*

tanta est huius verbi fœcunditas. Quam Vulgatus significanter adumbravit Levitic. 14. num. 36. *Præcipiet, ut efferant universa de domo.* Hebraicè, *verrant, vel expurgent domum.*

Congruenter itaque Isidorus Clarius illustrat istum Malachiæ locum [Repurgabit viam, tollens è medio impedimenta pietatis.] Tigurina. *Complanabit.* Vatablus. *Verret, emundabit.* Cadunt hæc omnia in verbum quàm aptissimè. Quod etiam subest Isai. 40. num. 3. *Vox clamantis in deserto: parate viam Domini.* Vbi Forerius ait, hanc esse eius vim, *efficere, quòd res habeat faciem, & nihil sordium, inæqualitatis, seu indecentiæ in ea sit.* Oleaster verò Genes. 24. idem esse, ac *vertere.* Itaque vertere domum dicimur mundando, & scopando eam: nam domus mundata alia ab immunda videtur, & versa in aliam.

Expensa verbi vi, elucet iam ipsius sententiæ granditas: alludit enim Propheta ad regum consuetudinem, qui ingressuri civitatem, solent adventum suum per præcursorem denuntiare; quò sternantur, repurgentur, ornenturque viæ publicæ, ipsisque ingredientibus solemni comitatu, pompaque occurratur. Hoc egregiè præstitit Ioannes, clamabat enim Matt. 3. num. 2. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum cœlorum:* perinde, ac si diceret. *Parate viam adventãti domino*: ejicite ex animo peccata, ut ejici solent sordes è via; viam ipsam, idest, mores, institutumque vivendi, quasi aulæis, virtutibus exornate. Sic exposuit hoc vaticinium ipsius Pater Zacharias Lucæ 2. nu. 76. [Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius: ad dandam scientiam salutis plebi ei², in remissionem peccatorum eorum.]

Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis.

Mirari sæpe soleo Ariam Montanũ, in regio illo apparatu recognoscẽtem, expendentemq; Pagnini versionem, ad obrussam Hebraici textus exacta. Rejecit sæpe vocem, quam Hebræa reddidit Vulgatus, imò & ipse linguæ sanctæ sciẽtissimus Pagninus; aliamque substituit arbitratu suo, sine ulla prorsus causa: nisi illa fortè sit causa, ne nihil in ea sua recognitione egisse videatur. Ac esset ille quidem in hac industriæ ostentatione ferendus, nisi interdum sententiam per se planam, aut inverteret, aut certè obscuraret. Passim suppetunt exempla. Verùm non longè abierimus. Novam hîc substituit lectionem: *& statim veniet ad palatium suum.* Vbi nescio, quid illi venerit in mentem, cùm de Christo expressè agitur, apposito insigni *Dominatoris* titulo, ut Michææ 5. num. 2. cur templum illi eriperet, palatium subrogaret. Atqui vox ipsa *templum* relinquitur à Montano in eadem editione Pagnini, innumeris in locis, ubi Hebraicè subest etiam *hecal*, ut 3. Regum 6. num. 3. & cap. 7. num. 21. Psalm. 5. num. 8. Psalm. 26. numer. 4. Psalm. 47. num. 10. Psalm. 78. num. 1. Hieremiæ 7. num. 4. Ezech. 41. num. 15. Aggæi 2. num. 16. Zachariæ 6. num. 15. Cur ergo mutavit in hoc loco, ubi reddiderũt LXX. *ton naon*, & omnes interpretes concordissimè, *templum*? Causam ipse viderit; nam de viro Catholico non fert animus suspicari, duplex validissimum telum contra Iudæos, unâ voculâ suppositâ, de industria nobis è manibus extorquere voluisse; alterum, quod hîc acerrimè vibrat Hieronymus. [Miror, quomodò eos rerum exitus non doceat veritatem. Quòd enim Templum suum inveniet Dominator, quod usque ad fundamenta destructum est?] Alterum, quod in eosdem Iudæos intorquet Galatinus lib. 4. cap. 10 Isidorus Clarius hîc, & Barradas tom. 1. lib. 2. cap. 16. probantes ex isto loco Christi Divinitatem. Templum enim non erigitur, nisi soli Deo: ergo Messias, cuius erat illud Templum, Deus est.

Similem novandi pruritum perstringit, & coercet Delrius in Montano.

Genes.

Genes. 14. num. 37. sed nullibi periculosiùs errat, quàm Psalm 15. num. 10. *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Supponit Montanus *foveam*, contra proprietatem ipsius Hebraicæ vocis, &, quod caput est, contra Apostolum Petrum Actuum 2. num. 31. & Paulum, Actuum. 13. num. 35. Hæc adnotarim, ne prudens lector nimis fortasse fidat versioni isti Ariæ Montani, & ut simul animadvertat, quàm in periculo versentur, qui immodicè cupiunt Hebraïzare.

11 Iam quod ad huius loci intelligentiam attinet, existimo, tunc Christum implevisse hoc vaticinium, cùm post prædicationem Ioannis docere cœpit, præsertim in Templo. Matth. 26. num. 55. tunc nimirùm Evangelium promulgavit, & miracula edidit. Paulò antè suo fungebatur munere Præcursor. Matth. 3. num. 11. & Ioannis 1. nu. 27. Actuum 19. num. 4. & illa erat prædicationis summa. *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim Regnum cœlorum.* Nec ita multò post cœpit Iesus prædicare, dicens Marci 1. num. 15. *Quoniam impletum est tempus, & appropinquavit regnum Dei.*

Et Angelus testamenti, quem vos vultis.

12 Impensè efflagitaverat populus ille Iudaicus mediatorem à Deo, præsentis numinis terrore cõcepto. Pollicitus illum Deus est Deuteronom. 18 num. 15. & 16. quem propensissimo studio videre iam cupiebant. Denuntiat itaque Malachias, citò adfuturum; *Angelumque vocat testamenti*, ideſt, internuncium novi fœderis ineundi. Vide suprà cap. 2. num. 7. Hierem. 31. nu. 31. & ad Hebræos 10. nu. 16. *Feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus novum.* Cuius novi, ac melioris testamenti mediator est Christus. Ad Hebræos 8. num. 6. cap. 9. num. 15. cap. 12. num. 24. *Mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus.* 1. ad Timotheum 2. n. 5.

Ecce venit, dicit Dominus exercituum.

REpetita asseveratio temporis præsentis, & summam certitudinem, & adventus indicat celeritatem.

Numerus 2.

Et quis poterit cogitare diem adventus eius, aut quis stabit ad videndum eum?

13 DE primo Christi advẽtu non dubitanter expono; & erit nihilominus aptior intelligentia, si verba hęc ad terrorem incutiendum, non ad excitandam mysterij admirationem referantur.

14 Primum id requirit verbum *KilKel:* quod reddiderunt LXX. *Hypomenei: sustinebit:* & sic vertitur à Vulgato 2. Paral. 7. num. 7. Hierem. 6. num. 11. & cap. 20. num. 9. & Ioelis 2. num. 11. qui locus maximè præsentẽ illustrat. *Magnus enim dies Dñi, & terribilis valde: & quis sustinebit eum?* Quare non incongruè Montanus sic exponit in commentario verbum *cogitabit.* Quis vel cogitatione solùm, nedum re ipsa, diei illius vim perferre queat?

15 Secundò verbum *Homed: stabit*, quod solet vertere Vulgatus, *sustinebit*, ut Psal. 129. num. 3. Psalm. 147. num. 17. cùm per interrogationem effertur, imbecillitatem, atque adeò impotentiam denotat obsistẽdi Deo irato. Nahum 1. num 6. *Ante faciẽ indignationis eius quis stabit? & quis resistet in ira furoris eius?* Apocal. 6. num. 17. *Venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?*

Tertiò, Christi adventus credentibus, & humilibus salutaris; incredulis tamen, & superbis, valde formidandus fuit. Lucæ 2. nu. 34. *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel.* Ioan. 9. num. 39. *In iudicium ego in hunc*

mundum

mundum veni, ut qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant. 1. Petri 2. num. 7. *Vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem, lapis, quem reprobaverunt ædificantes; hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali.* Matt. 21. num 43. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Luc. 20. num. 16. *Veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam alijs.* Præcursor etiam intonuit Matth. 3. num. 12. *Cuius ventilabrum in manu sua, &c.*

16 Quartò, hęret sic tota sententia. Sacerdotes illi omnes suas spes in Salvatoris adventu defixerant, sed solùm exspectabant Regem florentissimũ, qui eos omnibus copijs locupletaret: de pœnitentia autem, & vitæ emendatione ne cogitabant quidem. Aititaque Propheta. Veniet Salvator iste, de quo tantopere gloriamini, sed frustrà, & nequicquam eius adventum exoptatis: *malos enim malè perdet.* Confirmat hanc expositionem locus ille Amos 5. num. 18. *Væ desiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? Dies Domini ista tenebræ, & non lux.*

Ipse enim quasi ignis conflans.

17 VErbum *Saraph* Vulgatus de more, alio, atq; alio Latino illustrat. *Vrere, excoquere, igne examinare, scoriam expurgare.* Est verò aptissima Prophetæ redditio: an plumbum, an stannum, & scoria ignem sustinebunt, cùm argentum, cui mista sunt, in ardentem fornacem conijciatur, ut adulterina materia repurgetur? Christus igitur erit, quasi ignis Matth. 3. num. 11. Lucæ 12. num. 49. conflans, excoquensque argentum prædicatione Evãgelica. Improbi tunc Sacerdotes, & increduli, quasi tabescens scoria in fumos evanescent: qui probi erunt, igne examinati mundabuntur, ac velut argentum probatum magis splendebunt.

18 De primo ignis effectu legimus Hierem. 6. num. 29. *Defecit sufflatorium: in igne consumptum est plumbum: argentum reprobum vocate eos, &c.* Isai. 1. num. 25. *Excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum.* Psalm. 118. num. 119. ubi nos legimus: *Prævaricantes reputavi, &c.* Hebraicè. *Scorias cessare feci, omnes impios terræ.* Vide Ezechiel. 24. n. 11. & 12. & Forerium Isai. 48. num. 10.

De altero, Zachariæ 13. num. 9. *Vram eos, sicut uritur argentum, & probabo eos, sicut probatur aurum.* Iob. 23. num. 10. *Probavit me, quasi aurum, quod per ignem transit.* Sapient. 3. num. 6. *Tanquam aurum in fornace probavit illos.* Vide Psalm. 25. numero 2. Psalm. 65. num. 10. Psalm. 104. num. 19. Proverb. 17. num. 3. cap. 25. numero 4. cap. 27. num. 21. Ecclesiast. 2. numero 5. Hierem. 9. num 7. 19

Et quasi herba fullonum.

HEbraicè, *borit*; quam vocem retinuit Vulgatus Hieremiæ 2. nu. 22. nec dubium, quin herba sit, quam saponariam vocant, qua utuntur fullones, qui vestimenta dealbant. Marc. 9. numero 2. Abluet itaque Dominus Leviticæ familiæ sordes. Isai. 4. num. 4. *In spiritu iudicij, & spiritu ardoris.* Et sordes quidem ipsæ evanescent, at vestes, quibus insidebant, mundæ, ac nitidæ relinquentur. Vtrumque etiam coniungitur Danielis 12. numero 10. *Eligentur, & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur.* 20

Numerus 3.

Et sedebit conflans, & emundans argentum.

INtentum operi depingit: nõ id efficiet, quasi obiter, & perfunctoriè, sed per ocium, & accuratè.

Et purgabit filios Levi.

SVbest Hebraicè idem verbum *tihar*, quod in hoc ipso versu interpres vertit, *emundans*, ut Hierem. 33. num. 8. Ezechielis 37. num. 23. *mundo.* Psalm. 50. numero 3. & Ezechie. 24. num. 13. *purifico.* 21

Leviti. 8.num.6 & Numeror. 8.num.21. *sanctifico.* 2.Paralip.29 num 18.

Deus itaque Sacerdotalem Tribum purificabit, emundabit, sanctificabit: purissimos, sanctissimosque Sacerdotes Ecclesiæ suæ providebit. 1.Regum 2.nu.35. *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Isai. 66 nu.21. *Et assumam ex eis* (scilicet, Gentibus) *in Sacerdotes, & Levitas.* Vide Bellar.lib.1.de Missa, cap.9. Etiam illos ipsos antiquos Sacerdotes *fide purificavit*, ut loquitur Petrus, Actuum 15.num.9.nam in eodem lib.cap.6 nu.7.legimus. [Multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei.]

Et colabit eos, quasi aurum, & quasi argentum.

22 ITerum, ac sæpiùs eadem repetit, ut altiùs in animo defixa teneantur. Verbum *Zacac*, quod Vulgatus reddidit, *colabit*; Iob 28.num.1.vertit, *conflabit*: et Isai.25.num.6. *defæcabit*: & aurum ita fusum, dicitur ab eadem radice *purgatum*; Psalm.11. num 7. *purissimum*, 1.Paral.28. num.18. *probatissimum*, cap.29. num.4. Perpende, quanta puritas exigatur in Sacerdotibus Evangelicis, ut iure optimo dixerit Chrysostomus homil.83. in Matt. [Quo nõ oportet esse puriorem, tali fruẽtem sacrificio? Quo solari radio non splẽdidiorem eam manum, quę carnem hanc dividit? Os, quod igne spiritali repletur? Linguam, quæ tremendo nimis, sanguine rubescit.]

Et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia.

23 A Deò excocti, probatique Sacerdotes litabunt Domino *in iustitia*, id est, purè, sanctèque. Vulgaris Hebraismus, ut probat Bellar.part.4 suæ Grammaticę cap.1. præpositio *in*, apposita nomini gerit vices adverbij: *in iudicio*, idest, legitimè: *in sapientia*, idest, sapienter.

Offerent autem oblationem illam mũdam, & sacrosanctam, de qua, cap.1.n.11. eadem enim vox *minha*, subest hîc, quam versu proximo vertit Vulgatus, *sacrificium*. Nũc autem non sine mysterio *sacrificia* vocat. Quamvis enim unicum sit, ac singulare sacrificium, tamen sub panis, ac vini speciebus immolatur. Vnde, & ipsa Ecclesia in Canone ait: *hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata.*

Numerus 4.

Et placebit Domino sacrificium Iuda, & Hierusalem, sicut dies seculi, & sicut anni antiqui.

24 OBservant Expositores, particulam *Sicut*, non semper declarare in Scriptura æqualitatem, sed interdum solam proportionem, & quamdam similitudinem. Multis hunc canonem confirmant exemplis: pauca instar sint omnium. Matth.5. num.48. *Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.* Divinam perfectionem assequi omnino non possumus; at pro nostra tenuitate eam imitari certè possumus; ut neque equare illam unitatem naturalem, quæ est inter Patrem, & Filium; ad quam tamen aspirare, & quotidie propiùs imitando possumus accedere. Ioan.17.n.21. *Vt omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.*

25 Itaque non est dubium, quin sacrosanctum, & illibatum Eucharistiæ sacrificiũ longè sit Deo gratius, & acceptius, quàm fuerunt sacrificia illa, quæ Abel, Noe, ac primi illi Patriarchæ, cum simplicitate cordis, vitæ puritate, promptissimaque animi devotione, immolabant; quæ Deo suavissimum odorem incendebant. Genes.8. num.21. Exodi 29.num.18. Lege Augustin.lib.20.de Civitate cap.26.

26 Auream illam, primamque ætatem, seculum vocari, probat Ribera Michęę 5. num.39. Ac nescio, quomodò insitum est in mortalium animis, quod nobilis ille Poeta cecinit:

Como a nuestro parecer
qualquiera tiempo passado
fue mejor.

Lege eruditum Lorini Commentarium Ecclesiastes 7, nu. 11. Ad eam enim quasi insculptam in animis persuasionem se se accommodant sacrę litteræ, cùm magnifica quædam, & ampla pollicentur. Isai. 1. num. 26. *Restituam iudices tuos, ut fuerunt priùs; & consiliarios tuos, sicut antiquitus.* Hierem. 46. nu. 26. *Post hæc habitabitur, sicut diebus pristinis.* Threnorum 5. nu. 21. *Innova dies nostros, sicut à principio.* Amos 9. num. 11. *Reædificabo illud, sicut in diebus antiquis.*

Numerus 5.

Et accedam ad vos in iudicio; & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dñus exercituum.

27 REputdiato iam illo Sacerdotio vetere, & instaurato novo, eoque acceptissimo, refellit nunc Propheta blasphemam illam calumniam, qua Sacerdotes impij Deum criminabantur; quòd aut sceleratos fortunaret, aut certè non curaret, neque discuteret humana. Ostendit itaque, odio sibi esse flagitia, eaque quanvis intimo cordis recessu concepta, aut occultissimè patrata, luce palàm discussurum se, & citissimè puniturum. Hæc series est totius sententiæ, in qua cùm omnia perspicua sint, est tamen notatione dignum, Deum non solùm acerrimum, ac severissimum iudicẽ, sed testem etiam oculatissimum, ac præsentissimum esse facinorum. Hierem. 29. num. 23. *Ego sum iudex, & testis.* Sapient. 1. num. 6. *Renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus.* Iob. 16. num. 20. *Ecce enim in cœlo testis meus.* Hinc illæ Prophetarum minæ, 1. Regum 12. num. 5. *Testis est Dominus adversum vos.* Michęæ 1. num. 2. *Sit Dominus Deus vobis in testem.* Sapienter itaque Boethius lib. 5. de Consolatione philosophica, prosa 6. [Magna vobis est necessitas indicta probitatis, quia ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis.] deest, qui testibus non indiget adferendam sententiam, qui simul est testis, & iudex.

28 Sed testem velocem se futurum minitatur, quia, ut graviter exponit Augustinus lib. 20. de Civitate, c. 26. [Ipsas convincet sine ulla sermonis prolixitate conscientias.] Probat Augustinus ex illo Sapientiæ 1. num. 9. *In cogitationibus enim impij interrogatio erit.* Ipsa cogitatio hominum sua sponte confitebitur Deo: *testimonium reddente illis conscientia ipsorũ, & inter se invicẽ cogitationib⁹ accusantib⁹,* ad Roma. 2. nu. 5. Et ubi nos legimus, Sapient. 17. num. 10. *Cùm sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis;* Græcè habetur. *Timida res est nequitia, proprio teste condemnata. Idio martyri catadica zomenẽ.* Perpẽdit verò Bernardus Epist. 42. velocem istum testem acutissimo sensu, vel ipsam conscientiam propriam superare. [Cuius utique scientiam non effugit, sententiam non subterfugit, etiam quod propriam latet conscientiam. Audit Deus in corde cogitantis, quod non audit vel ipse, qui cogitat: tremenda prorsus auris.]

29 Dicitur etiam testis velox, inquit ibidem Augustin. [Quia erit iudicium inopinato eius adventu celerrimum, quod tardissimum putabatur.] Ecclesiast. 8. nu. 11. *Etenim, quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore ullo filij hominum perpetrant mala.* Vide Ezech. 12. nu. 13. Et quamvis videatur Deus connivere, differreque supplicium, ut peccatores resipiscant, sed velocissimum est, quidquid huius vitæ terminis circumscribitur. Leo serm. 5. de ieiunio Quadragesi. [Non sunt

longæ

longæ vitę mortalis inducię; nec diuturna est licentia insipientium voluptatum, in æternarum dolorem transitura pœnarum.]

Numerus 6.

Ego enim Dominus, & non mutor: & vos filij Iacob non estis consumpti.

30 IMmutabilitas unum est ex atttributis Deo maximè proprijs, & à quo deducitur nomen illud ineffabile, quod hîc subest, *Iehova*. Exod. 3. num. 14. *Ego sum, qui sum: qui est, misit me ad vos*. Ostendit enim ibi Deus, se esse immutabilem. Vertuntque alij, *Ero, qui ero: erit, misit me ad vos*; ideſt, qui semper idem erit; ille, cui nullum nomen magis quadrat, quàm *erit*: ille, in quem nulla unquam cadet mutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

31 Sed quorsum in præsenti iniecta mentio huius attributi? Antequàm explico sententiam meam, adverto. Primò, Hebraicè legi. *Et non sum mutatus*.

Secundò, verbum *Calà*, quod reddit interpres, *non estis consumpti*, omnimodam penitus consumptionem significare; ita ut nihil ex re supersit: ut animadvertit Arias Montan. & Scriptura ipsa clamat Psalm. 101. num. 4. *Defecerunt, sicut fumus, dies mei*. Isai. 21. num. 16. *Auferetur omnis gloria*.

32 Adverto tertiò, coniunctionem *Ve*, ideſt, &, Hebraico idiomate sæpe esse causalem, redditivam, & adversativam; & his particulis illustrari, *quia*, *quoniam*, *etsi*. Psalm. 50. num. 13. & Psalm. 107. numero 13. *Da nobis auxilium de tribulatione, quia* (Hebraicè, &) *vana est salus hominis*. Psalm. 94. num. 5. *Quoniam ipsius est mare, & ipse* (Hieronymus, quia ipse) *fecit illud*. Psalm. 142. num. 7. *Non avertas faciem tuam à me, &* (ideſt, *quoniam*) *similis ero descendẽtibus in lacum*. Gen. 14. num. 18. *Proferens panem, & vinum: erat enim* (Hebraicè, & *ipse*) *Sacerdos Dei altissimi*. Isai. 64. nu. 5. *Ecce tu iratus es, &* (ideſt, quia) *peccavimus*. Sic explicat Theophilactus id Lucæ 1. num. 42. *Benedicta tu inter mulieres, &* (ideſt, *quia*) *benedictus fructus ventris tui*.

Iam ergo ad Malachiæ verba, quæ sic 33
verti possent, veniamus. *Ego enim Dominus non sum mutatus, quia vos*, vel, *quanvis vos non estis consumpti*. Hoc est: exigebant quidem vestra scelera, ut vos ad internetionem usque delerem; sed postulat clementia mea, ut coerceam iracundiam, supplicium reservem, & longiùs spa[illegible] prorogem pœnitentię. Nolite igitur severitatis aculeos, qui reconditi sunt, excussos arbitrari: conditus est in vagina gladius ultor, non hebetatus; compressa est indignatio mea, sed aliquadotandem erumpet: *non enim sum mutatus*: non abieci ex animo iracundiam iustè conceptam: quamvis adhuc eam non effudi, nec vos, ut digni eratis, penitus devastavi.

Divinam itaque immutabilitatem cõ- 34
testatur Deus, ut terrorem improbis incutiat: ut certò sibi persuadeant, stare fixum decretum, ratamque sententiam illos exscindendi, quamvis eius executio iustissimis de causis differatur. Isai. 14. num. 17. *Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare? Et manus eius extenta, & quis avertet eam?* Hierem. 4. num. 28. *Lugebit terra, & mærebunt cœli desuper, eò quòd locutus sum; cogitavi, & non pœnituit me, neque aversus sum ab eo*. Huc spectat formidandũ illud Epitheton Sapient. 11. num. 11. *Illos autem, tanquam durus Rex interrogans condemnasti*. Græcè. *Apotomos*, ideſt, pręfractus instar pręrupti saxi; inflexibilis, inexorabilis.

Numerus 7.

A diebus enim Patrum veſtrorum receſsiſtis à legitimis meis, & non cuſtodiſtis.

35 IVre quidem potuiſſem vos funditus delere, patriamque, & avitam impietatẽ, hæreditariam vobis, & quaſi per manus traditam, debito ſupplicio vindicare. Threnor. 3. num. 22. *Miſericordiæ mini, quia non ſumus conſumpti.*

Revertimini ad me, & revertar ad vos, dicit Dominus exercituum.

VIde hîc admirabilẽ, & ad ignoſcendum propenſiſsimam Dei benignitatem. Ille ipſe, qui ſe immutabilem dixerat, qui futurum ſe ſeverum iudicem, teſtemque velocem denuntiaverat; qui propter hæreditariam improbitatem ad internetionem uſque delendos aſſeruerat; qui omnem quaſi aditum præcluſerat effugiendi ſupplicij; nunc tandem rationem aperit, viamque expeditam munit, qua exorare inexorabilem, flectere inflexibilem, & immutabilem poſsint immutare.

36 Similes clamores ſubinde edit per Prophetas, ut homines reſipiſcant: ſeque paratiſsimum pollicetur ad eoſdem obvijs ulnis excipiendos: per ipſos itaque ſtare, quominùs in ſuam recipiat gratiam. Hierem. 3. num. 1. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.* Zachar. 1. num. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos.* Ioel. 2. num. 13. & Hierem. 15. num. 19.

37 Pugnare cum his videtur, quod legimus Threnor. 5. num. 21. *Converte nos Domine ad te, & convertemur*: perinde, ac ſi dicant: quid tu nos averſos per peccata, iubes ad te converti? Converſio noſtra in tua benignitate poſita eſt, non in noſtra manu. Conglaciant corda rigente gelu, tu, ò Sol Iuſtitiæ, luce, & calore glaciem ſolve: præpediunt cæcæ tenebræ, & arctiſsima vincula: tu illas diſcute, hæc diſrumpe: tunc iuſsis parebimus tuis.

38 Sed ſciẽdũ eſt, iuſtificationis exordium in adultis à præveniente gratia ſumẽdum eſſe: tangit itaque Deus cor peccatoris per excitantem gratiam, hoc eſt, per illuſtrationem mentis, aut inſpirationem volũtatis, ſine qua converti ad Deum libera ſua voluntate nunquam poſſet; neque verò homo ipſe nihil omnino agit in ſua converſione: liberè enim conſentit illi inſpirationi, cui poſſet diſſentire, ſi vellet. Ita conciliat hæc loca Tridentinum Seſſ. 6. cap. 5. [Cùm dicitur, convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur. Cùm reſpondemus, converte nos Domine ad te, & convertemur, Deinos gratia præveniri fatemur.]

Et dixiſtis, in quo revertemur?

NImirùm nõ ſibi videbantur à Deo receſsiſſe. Vide cap. 1. nu. 2. nu. 6. & 7. & cap. 2. nu. 14. & 17.

Numerus 8.

Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixiſtis: in quo configimus te? In decimis, & in primitijs.

39 NOvum obijcit, & acriter exagitat crimen. Graſſata fuerat atrociſsima fames, adeò, ut de filijs agerent pro frumento divendendis. 2. Eſdræ 5. numer. 2. in tanta inopia rei frumentariæ, decimas Deo omnis ferè populus ſubduxit cap. 13. num. 10. *Et cognovi, quòd partes Levitarum non fuiſſent datæ, & fugiſſet unuſquiſque*

in

in regionem ſuam de Levitis, & cantoribus. Vide hinc deſertum divinum cultum.

40 Verbum Hebr. *cabah*, quod Interpres vertit, *affiget*, propriè ſignificat circumvenire, & fraudare, aut per vim rapere, aut expilare: convenit hoc inter expoſitores. LXX. *Nũquid ſupplantabit homo Deum?* ideſt, num imponet homo Deo? num defraudatio decimarum, licèt occultiſsima, Deo latebit? Aquila, Symmachus, & Theodotio. *Num defraudabit homo Deum?* Iſidorus Clarius. *Si deprædatur.* Vatabl. *Si expoliat:* Mont. *Si auferet.* Pagn. *Si rapiet homo, quæ ſunt Dei?* Vulgatus autẽ ſignificantiſsimè. *Si affiget homo Deum?* Si tantum Deo dolorem inuret, dum eius miniſtros debita ſuſtentatione defraudat? ſi Deum ipſum hoc quaſi iaculo configet? Audax profectò, impium, & atrox facinus eſt. Qui enim defigit Sacerdotes, Deum ipſum defigit. Zachar. 2. num. 8. *Miſit me ad gentes, quæ ſpoliaverunt vos; qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*

41 Et quidem licèt probabilior opinio ferat, decimarum ſolutionem, quoad quotam, in lege Gratiæ præſcribi iure Eccleſiaſtico, certè in vetere Teſtamento præcepta fuit iure Divino. Levit. cap. 27. num. 30. Numer. 18. num. 26. Deut. 14. num. 28. & in omni lege, Sacerdotum ſuſtentatio eſt de iure Divino, & naturali. Matth. 10. num. 10. *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo.* Lucæ 10. n. 7. *mercede ſua.* 1. Corinth. 9. num. 7. & 11. & 1. ad Timoth. 5. num. 17. Videantur è noſtris Azor, tom. 1. lib. 7. Inſtitution. Moralium c. 34. Valen. tom. 3. diſput. 6. q. 5. p. 1. & Suarez tom. 1. de Religione, lib. 1. cap. 10. Vnde qui miniſtros altaris decimis defraudat, iure dicitur Deum ipſum defraudare. Graviter ſanè Tridentinum Seſſ. 25. cap. 12. [Cum decimarum ſolutio debita ſit Deo, qui eas dare noluerint, res alienas invadunt.]

(?)

Numerus 9.

Et in penuria vos maledicti eſtis, & me vos configitis, gens tota.

42 HEbraicè, *in maledictione*: illa ſcilicet, quã intentat Deus Deuter. 28. num. 17. & 20. *Maledictũ horreum tuũ: mittet Dominus ſuper te famem, & eſuriem.*

Coniunctio &, idem eſt, ac *quia*. Sic explicat Tygurina: & debere ſic accipi in ſacra Scriptura, oſtendi ſuprà num. 6. ſenſuſque eſt apertiſsimus. Quod mihi per fraudem ſurripuiſtis, maximæ vobis fraudi fuit: fruſtratus enim ſum agrorum proventus, quoniam vos meis me decimis defraudaſtis. Hieronymus [Pro decimis, & primitijs, quæ parva erant, ſi à vobis darentur, ubertatem poſſeſſionum veſtrarum, & omnem fruguni abundantiam perdidiſtis.]

Hoc ſæpe monendus eſt populus: hoc pro concione crebrò intonabant Patres. Ambroſ. Sermone in feria 3. poſt Dominicam primam Quadrageſimæ, & habetur cap. *Quicumque* 16. q. 7. [Non licet homini, retinere illud, quod Deus ſibi reſervavit: tibi dedit novem partes, ſibi verò reſervavit decimam partem; & ſi tu non dederis Deo decimam partem, Deus tollet à te novem partes.] Auguſt. lib. 50. homil. 48. & habetur cap. *Maiores*, eâdem cauſa, & quæſt. [Maiores noſtri ideo copijs omnibus abundabant, quia libentius decimas Deo dabant: nolumus partiri cũ Deo decimas: modò autem tollitur totum.] Hieronymus in Commentario huius loci, & habetur cap. *revertimini*, 16. q. 1. [Si quando fames, & penuria, & rerum omnium egeſtas opprimunt mundum, ſciamus, hoc ex Dei ira deſcendere, qui in pauperibus, ſi non accipiant eleemoſynam, fraudari ſe loquitur, & ſua portione privari.]

43

Numerus 10.

Inferte omnem decimam in horreum, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus: ſi non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem uſque ad abundantiam.

44 DIlucida ſententia eſt, et vix commentario indiget. Horrei, in quo decimæ condebantur, meminit etiam Eſdras lib. 2. cap. 13. num. 12. & 13.

Cataractæ vulgò iam notum vocabulum eſt, ex illo Geneſ. 7. num. 11. *cataractæ cæli apertæ ſunt.* Extat longa de cataractis diſputatio apud Pereriũ Tom. 2. in Geneſ. lib. 12. diſp. 5. Hiſpanè diceremus, *la preßa*: diſruptis enim cataractis è cœlo, hoc eſt, è media regione aeris, maxima vis imbrium tanto impetu decidit, ut totum cælum vaſtiſsimis hiare ſciſſuris, & non guttatim, ut ſolet, ſed torrentium inſtar fluenta effundere videretur.

45 Quod verò hîc pollicetur Deus decimas exactè ſolventibus, pollicitus etiam eſt, Prov. 3. num. 9. *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da ei; & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia redundabunt.* Eccleſiaſt. 35. num. 11. *In exultatione* (Hilarem enim datorem diligit Deus 2. ad Corinth. 9. num. 7.) *ſanctifica decimas tuas, quoniam Dominus retribuens eſt, & ſepties tantum reddet tibi.* Vide Deuter. 12. num. 6. & 7.

Numerus 11.

Et increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ veſtræ; nec erit ſterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum.

46 PRomiſerat Deus, ſe imbrẽ copioſiſsimũ, temporaneũ, & ſerotinum opportunè in eorum agros effuſurũ; quia tamen fieri poterat, ut luxuriantes ad ubertatem ſegetes, bruchus, aut locuſta devaſtaret, commodè adiungit, *increpabo pro vobis devorantem*, ideſt, noxias iſtas beſtiolas avertam.

47 Increpare eſt, cum obiurgatione quadam, & poteſtate imperare. Subeſt Hebraicè, *gahar*, cuius vim expendi cap. 2. n. 3. & quanvis aliquando ſignificet, *diſperdere, corrumpere*, quod quadrat præſenti loco, ſed obſtat huic ſignificationi littera *bet*, ut obſervat in ſuo Theſauro Pagninus: & mihi ſignificantius eſt, Deum duriùs inſonando, & obiurgando, beſtiolas iſtas, quaſi dicto audientes effugare. Hæc eſt huius verbi vis: & hinc etiam ortum eſt, ut Græcũ *epitimao*, quo ſolent illud reddere LXX. tam variè verterit Vulgatus. Matth. 8. n. 26. *Imperavit ventis, & mari.* Marc. 4. n. 39. *Comminatus eſt vento, & dixit mari: tace, obmutesce.* Lucæ 8. n. 24. *Increpavit ventum.* Hoc videlicet frequentiùs ùtitur. Nahum 1. num. 4. *Increpans mare, & exſiccans illud.* Pſ. 105. num. 9. *Increpuit mare rubrum, & exſiccatum eſt.*

48 Expreſsit verò ſcientiſsimè Vulgatus participium Hebraicũ *OKel, devorantem*; nihil enim magis proprium his beſtiolis, quàm avida, & inſaturabilis cupiditas devorandi: bruchus quidem apud Græcos à voracitate nomen traxit: nam *bryco* Græcè, idem eſt, ac voro. Solet aliàs interpres, *OKel* reddere, *comedentem*; & utroq; verbo efferre bruchorum, & locuſtarum ingluviem. Vide Ioelis 1. n. 4. & c. 2. n. 25. & Nah. 3. num. 15.

Nume-

Numerus 12.

Et beatos vos dicent omnes Gentes: eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum.

49 ITa naturâ comparatum est, ut ex ijs quisq; beatitudinẽ metiatur, quæ ipse in oculis fert, inter prima ponit. Atq; hinc etiam accidit, quod observavit Aristoteles lib. 1. Ethicorum, cap. 4. ut idem variè affectus diversa de felicitate sentiat: & ægrotus, sanitatem; pauper, divitias; despectus, honorem in summis bonis numeret. Missa facio testimonia prophana, ubi sacra suppetunt. Sæpe enim Scriptura ad hanc loquendi consuetudinem se se accommodat. Psalm 126. num. 5. *Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis*: scilicet, filijs robustis. Eccles. 10 nu. 17. *Beata terra, cuius Rex nobilis est.* Ecclesiast. 26. num 1. *Mulieris bonæ beatus vir.* Et cap. 25. num. 11. *Beatus, qui habitat cum muliere sensata.* Et num. 12. *Beatus, qui invenit amicum verum.*

50 Regiones itaq; finitimæ, cùm viderent Iudęam, soli bonitate pinguem, ac feracẽ, & cæli benignitate amæniss imam, opportunis imbribus irrigatam, ac ne minima quidem infestatam bestiola, credita semina multiplicato cum fœnore reddentem, non poterant non eius incolas beatissimos prædicare. Psalm 143. num 13. *Promptuaria eorum plena, & oves eorum fœtosæ: beatũ dixerũt populum, cui hæc sunt.*

51 Consequens etiam erat, ut qui eius terræ incolas arbitrabantur felicissimos, cuperent vehementer in tam fertili regione pariter habitare: quæ idcirco *Terra desiderabilis* dicitur: sic enim illustravit Vulgatus Hebraissmum. Vbi adverte, non subesse hîc eamdem vocem originalem, quę Cant. 5. num. 16. *Totus desiderabilis.* Hebraicè, *totus desideria*, idest, nihil prorsus est in eo, quod non dignissimum desiderio sit. Aggęi 2. num. 8. *Veniet desideratus cunctis gentibus.* Hebraicè, *desiderium. El blanco de todos los desseos del mundo.*

Hîc autem subest vox *hephes.* Regia. 52
Terra beneplaciti. Tigurina. *Terra optata.* Propriè, *terra voluntaris.* Nam ut advertit Maldonatus Matth. 27. nu. 43. verbum *Haphes*, idest, *velle*, ex idiomate Hebraico significat, *amare, concupiscere*; ut in hoc cap. num. 1. *Quem vos vultis.* Et Genes. 34. nu. 19. *Amabat enim puellam valde.* LXX. reddiderunt Græcè, *Thelete*; *accepta.* Hieron. to. 3. epist. 129. non cõtentus vertisse, *Terra voluptaria*; ait, significantiorem esse vocẽ: ea certè subest Prover. 8. nu. 11. quam extulit interpres. *Omne desiderabile.* Et cap. 3. nu. 15. *Omnia, quæ desiderantur.*

Numerus 13.

Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus.

IMpiam illam, execrandamq; 53
blasphemiam, de qua cap. 2. num. 17. acerbissimè rursus insectatur: & verbũ quidem Hebraicum *Hazac*, pervicacem, contentiosam, atque præfractam in iactandis blasphemijs obstinationem indicat. Propriè reddas, *fortificaverunt*, aut *confortaverunt se.* Psalm. 63. num. 6. ab eadem radice dicitur: *Firmaverunt sibi sermonem nequam. Se ratificaron en su dicho.* Et Hieremiæ 5. num. 3. *Induraverunt facies suas supra petram.* Idem etiam est verbum, Exod. 7. num. 13. *Induratum est cor Pharaonis.* Hebraicè, *fortificavit se.*

Secundò, detestandis illis, procacibusque blasphemijs usque eò divinam iracũdiam irritarunt, ut Dei clementia quasi det manus, & in hoc conflictu se iam victam, & superatam esse fateatur. Vide, quæ adnotavi ad illa verba cap. 2. numero 17. *Laborare fecisti Dominum in sermonibus vestris.* Hoc propriè significat *invalescere.* Tigurina. *Superaront me verba vestra.* In hanc sententiam variè illustrat Latinus verbum *Hazac*, 54

4. Reg. 3. num. 26. *Cùm vidisset prævaluisse hostes*: & Hierem. 20. num. 7. *Fortior me fuisti*: & 3. Reg. 20. num. 23. *Superaverunt nos.*

Numerus 14.

Et dixistis: quid locuti sumus contra te?

Cæcitatem! ò stuporem! ò ferreum os! Similem obloquendi impudentiam quinquies iam animadvertimus.

Dixistis: Vanus est, qui servit Deo: & quod emolumentum, quia custodivimus præcepta eius, & quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum?

55 EXposui iam cap. 2. num 17. unde ansam arripuerint, ut ista temere effutirent: & illi duplici se scelere obstringebant: sibi enim arrogabant morum sanctitatem, & divinam providentiam impudenter incusabant. Totum hoc argumentum illustrabit locus simillimus Isai. cap. 58. num. 2. *Me etenim de die in diem quærunt* (ducuntur in speciem studio quærendi Deum: confluunt quotidie in Synagogas; divinam legem assiduè meditantur; sed ab eius observatione absunt quàm longissimè) *& scire vias meas volunt* (consilia mea, & occultæ providentiæ rationes curiosius investigant) *quasi gens, quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit*; (exteriore illa nixi specie probitatis, omnia sibi à Deo deberi arbitrantur) *rogãt me iudicia iustitiæ* (Hieronymus: est alia temeritas Iudæorum: quasi fiduciâ bonæ conscientiæ iudicium postulant iustum) *appropinquare Deo volunt.* Verbum Hebraicum *carab*, ut observat Forerius,

56 animum hostilem notat. Itaque sibi præfidẽtes, non dubitant cum ipso Deo iudicio decertare. Ita ne verò? inquiunt: nos legem tuam exactissimè observamus; tu datã fidem observantibus legem, frangis? pollicit⁹ es, te defensurum cultores tuos; nos autem, quasi legis trãsgressores derelinquis? *Quare ieiunavimus, & non aspexisti? humiliavimus animas nostras, & nescisti?* Humiliare, sive affligere animas, idem est, ac ambulare tristes: quod isti iactant apud Malachiam, id est, ieiunio, sacco, cinere carnem macerare. Levit. 16. n. 29. c. 23. n. 27. Num. 29. n. 7. Psal. 34. n. 13. & 1. Esdræ 8. num. 21.

Sed sunt longè culpandi isti vehemen- 57
tiùs, quàm, qui apud Isaiam conquerun-
tur: illi enim, & si verę, germanæque iustitiæ solidã, & expressam effigiem nõ tenebant; umbram tamen, & speciem quãdam oculis obversantem sectabantur,; isti umbraticam etiam ipsam iustitiam deseruerant: offerebant illi lectissimas victimas, adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, Isai 1. n. 11. isti verò deterrimas hostias immolabant. Solvebat illi, ac fortasse nimis superstitiosè, frugum suarum decimas, mentæ etiam, anethi, atque cymini Matth. 23. n. 23. isti palàm Dei ministros decimarum solutione fraudabant. Honorabant illi labijs Deum, Isai 29. num. 13. Matth. 15. n. 8. isti verbis contumelioſis Deũ ipsum proscindebant: & tamẽ adeò sunt cæci, adeò stupidi, atque procaces, ut sanctitatem sibi arrogent, & cum Deo ipso tam graviter expostulent.

Alterũ istorum crimen est multò gra- 58
vius, & periculosius; sensim enim, & obscurè iugulũ petunt Divinæ providentiæ, ad quam funditus evertendam, occultos cuniculos agunt. Nam ea sublata, collabi Religionem, scelera impunè patrari, & omnia permisceri necesse est. Quis enim illud nimẽ veneretur, quod sit velut trũcus, & stipes, neque bonos præmijs, neque malos supplicijs afficiat? Quis pietatem colat, si cæcæ fortunæ arbitrio, & temeritate trahantur omnia susque

deque

deque? Sapienter sanè Boethius lib. 5. de Cõsolatione philosophica prosa 3. [Quid enim vel speret quisque, vel etiam deprecetur, quando optanda omnia series indeflexa cõnectit? Auferetur igitur unicũ illud inter homines, Deumque commercium, sperandi scilicet, ac deprecãdi; quae ne necesse erit, humanum genus dissectũ, atque disiunctum suo fonte, tatiscere.]

59 Egregiè hoc confirmat Ezech. cap. 9. n. 9. [Iniquitas domus Israel, & Iudà magna est nimis valde: & repleta est terra sanguinibus, & civitas repleta est aversione: dixerunt enim: dereliquit Dominus terram, & Dominus nõ videt.] Vide, quàm immania scelera hac ianua patefacta, se propripiant. Huc etiam spectat illud Sophoniæ 1. num. 12. *Qui dicunt in cordibus suis: non faciet bene Dominus, & non faciet malè*; & similes impiorum voces, Iob. 21. num. 15. & cap. 22. num. 17. & Psal. 72. num. 11. Vide Lorinum Ecclesiast. cap. 5. num. 5.

60 Observavi cap. 2. num. 17. solitos etiã aliquando pios suas querimonias Deo repræsentare; sed timidè, ac supplicìter, honorem præfantes æquitati Divinæ; & abstrusa summæ providentiæ iudicia suspicientes: etiam si eventorum causas non attingant. Tractat copiosissimè de toto hoc argumento August. lib. 20. de Civit. cap. 2. & 3. & in hanc sententiam explicandus est Sapiens, Ecclesiast. 8. num. 14. *Sunt iusti, quibus mala proveniũt, quasi opera egerint impiorum*: & cap. 9. num. 2. *eò quòd universa æquè eveniant iusto, & impio; bono, & malo; mundo, & immundo; immolanti victimas, & sacrificia contemnenti*: & David Ps. 72. num. 12. *Et dixi: ergo sine causa iustificavi cor meum, & lavi inter innocẽtes manus meas, & fui flagellatus tota die.*

Numerus 15.

Ergo nunc beatos dicimus arrogãtes: siquidem ædificati sunt facientes impietatem.

61 METiebantur isti felicitatem ex sola rerum temporalium affluentia: cùm ergo viderent impios, ac superbos (eadem enim subest vox, quæ capit. 4. num. 1.) florere divitijs, opibus, & honoribus abũdare; beatos illos, ac felices prædicabant. Lege, quæ adnotavi num. 12.

Nimis coarctat Ribera significationẽ verbi *bana*, ideſt, *ædificare*; restringit enim iuxta Hebraici sermonis idioma, ad prolem tantùm, & posteritatem augendam. Fateor quidem, Exodi 1. num. 21. *ædificare domos*, idem esse, ac propagare sobolem: et Genes. 16. num. 2. *ædificari ex muliere*, esse, liberos ex ea suscipere; sed *ædificare* absolutè positum, est, firmam, stabilem, ac bene fundatam felicitatem constituere. Vnus Hieremias quatuor nobis exempla suppeditat: cap. 12. num. 16. cap. 24. num. 6. cap. 31. num. 4. & c. 42. num. 10. Vide Pinedam Iob. 22. num. 23. & Perer. Exod. 1. disp. 10.

62 *Ædificati* itaque *sunt facientes impietatem*: hoc est, valent viribus, pollent honoribus, copijs circumfluunt. Sint gravissima August. verba, quasi Commentarius huius loci, in illo lib. 20. de Civitate c. 2. [Nescimus, quo iudicio Dei, ille bonus sit pauper; malus ille sit dives: impius optimè valeat; pius languore tabescat: latrocinentur sanissimi iuvenes; & qui nec verbo quemquam lædere potuerunt, diversa morborum atrocitate affligantur: infantes utiles rebus humanis immatura morte rapiantur; & qui videntur nec nasci debuisse, diutissimè insuper vivant: plenus criminibus sublimetur honoribus; & hominem sine querela tenebræ ignobilitatis abscondant.] Sic August.

63 Torsit sane hoc etiam sanctissimos viros. Hierem. 12. num. 2. *Bene est omnibus, qui prævaricantur, & inique agunt: plantasti eos, & radicem miserunt.* Novâ metaphorâ declaratur stabilis impiorum felicitas; quæ velut arbor amænissima consita iuxta aquas, altas radices egit, & truncos, ramosque procreavit. Iob 5. num. 3. *Ego vidi stultum firma radice.* Psalm. 36. nu. 35. *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani.* Vertit Hieronymus ex Hebræo: *sicut indigenam virētem. Como arbol, que se dà bien en la tierra.*

64 Pergit Hieremias: *propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum.* Quæ verba sic explico. Præsto es tu voluntati, ac desiderio eorum; quidquid collibitum illis fuerit, ad nutum exequeris. *Todo se lo concederas a pedir de boca.* Os enim ex idiomate Hebraico idem est, ac voluntas; desiderium, nutus, Genes. 24. num. 57. *Quæramus ipsius voluntatē.* Hebraicè, *os.* Psa. 102. nu. 5. *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Hebraicè, *os tuum.* Ecclesiastes 8. num. 2. *Ego os regis observo,* idest, nutum intueor, promptissima parendi voluntate.

65 *Et longè à renibus eorum,* idest, ne molli quidem brachio eos corripis, nec leviss imo flagello attingis. *Renes* enim in arcano sermone sunt quasi sedes correptionis, castigationisque divinæ. Psalm. 25. nu. 2. *Vre renes meos.* Threnor. 3. num. 13. *Misit in renibus meis filias pharetræ suæ.* Confirmatur hæc explicatio ex cap. 21. Iob n. 9. *Domus eorum securæ sunt, & pacatæ, & non est virga Dei super illos.* Et Psalm. 72. num. 5. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.*

Et tentaverunt Deum, & salvi facti sunt.

66 HEbraicè. *Et evaserunt*; hoc est, abierunt impunè. *Se salieron con ello.* Vide Genes. 19. nu. 17. & Psalm. 21. nu. 9. & Danielis 3. num 88.

Atque hinc illustratur illud Genes. 32. nu. 30. *Vidi Deum facie ad faciem, & salva facta est anima mea,* idest, cùm viderim Deum, è vivis tamen non excessi, incolumis evasi. impunè tuli. Insederat enim in hominum animis talis opinio, cum, qui conspicatus esset Deum, vel potiùs Angelum, Dei personam sustinentem, statim esse moriturum. Sic Gedeon Iudicum 6. num. 22. *Heu mihi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem, dixitque ei Dominus: pax tecum, ne timeas, non morieris.* Et Manue, cap. 13. num. 22. *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* In hanc 67
sententiam explico illud Exod. 20. nu. 19. *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Hinc etiam orta admiratio illa, Deuteron. 5. num. 24. *Probavimus hodie, quòd loquente Deo cum homine, vixerit homo.*

Fortè ansam erroris arripuit populus rudis ex cœlesti illo oraculo, Exod. 33. n. 20. *Non videbit me homo, & vivet,* ut q. 54. in Exodum scribit Augustinus. Quod tamen non placet nostro Serario Iudicū 6. q. 14. nam Iacob longè præcessit ætatem Moysis; refertque ad insitam mortalibus opinionem de immenso Divinæ Maiestatis splendore, agnatumque conscientiæ nostræ sensum, quo nos indignos prorsus Divino congressu profitemur.

Porrò *tentare Deum*, in hoc loco, non 68
est experimentum capere potentiæ illius, aut bonitatis, aut sapientiæ; neque ex præsumptuosa confidentia ab eo expectare id, quod humana ratione assequi possis: quod prohibetur Deuteron. 6. num. 16. Quo telo Christus dæmonē profligavit, Matth. 4. num. 7. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Egit de hoc genere tentationis Dei accuratissimè Suarez, tom. 1. de Religione lib. 1. de Irreligiositate, cap. 2. & 3.

Hìc verò tentare Deum est, illum ad 69
iracundiam provocare, & quasi Divinæ longanimitatis, & patientiæ experimentum sumere. Vt solemus Hispanè dicere: *me tentais de paciencia.* LXX. *Antestesantheo. Steterunt contra Deum: obstiterūt Deo.* Psalm 77. num. 40. *Quoties exacerbaverunt eum in deserto? in iram concitaverunt*

eum

eum in inaquoso? Quod alijs verbis ſtatim exponitur, num. 41. *Et converſi ſunt, & tentaverunt Deum, & ſanctum Iſrael exacerbaverunt.* Et num. 56. *Et tentaverunt, & exacerbaverunt Deum excelſum.* Pſ. 94. num. 9. *Sicut in irritatione ſecundum diem tentationis in deſerto; ubi tentaverunt me Patres veſtri.* Itaque tentare Deum, idem eſt, ac irritare, exaſperare, exacerbare.

Numerus 16.

Tunc locuti ſunt timentes Dominum, unuſquiſque cum proximo ſuo.

70 Hieronymus. [Illis de Dei iudicio blasphemantibus, qui timent Deum, ad invicem ſunt locuti: quòd retributio bonorum, vel malorum, non ſit in præſenti, & brevi ſæculo; ſed in futuro, & æterno: & quòd homo non poſsit Dei ſcire iudicia, & de illius æquitate, ac iuſtitia diſputare.] Pauciſsimis verbis complexus eſt Hieronymus rationes validiſsimas, quibus contumelioſæ illæ, & ſtolidę, iactatę ab impijs contra Divinam providentiam; refelluntur.

In primis ingenuè fatentur iuſti, arcanum illud, ac reconditum Divinæ providentiæ conſilium, quo univerſa pariter, ac ſingula ſapientiſsimè gubernantur, fide potius, admiratione, atque ſilentio venerandum eſſe, quàm ratione, curioſitate, & argumentis indagandum. Nam, ut ſapienter claudit Auguſtinus cap. illud 2. lib. 20. de Civitate. [Multa, ac penè omnia iuſta iudicia Dei, ſenſus, mentesque mortalium latent; cùm tamen pietum fidem non lateat, iuſtum eſſe, quod latet.]

71 Poſtquàm eoſdem pene eventus bonorum, & malorum contemplatus eſt Sapiens, tandem concludit, Eccleſiaſtes 8. num. 17. *Et intellexi, quòd omnium operum Dei nullam poſsit homo invenire rationem.* Sic David, cùm admiratus dixiſſet, Pſ. 72. num. 12. *Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſeculo, &c.* commodè ſubiungit, num. 16. *Exiſtimabam, ut cognoſcerem hoc; labor eſt ante me* (ideſt, aciem mentis intendi ad hoc perveſtigandum; ſed ſumma mihi difficultas obiecta eſt) *donec intrem in ſanctuarium Dei*; (ideſt, difficillimum eſt, de re tam abſtruſa ferre ſententiam homulum mortali corpore incluſum, donec his expedito vinculis aditus pateat ad arcanum illud Divinæ providentiæ ſanctuarium.)

72 Addit denique id, quod eſt alterum defenſionis caput: *& intelligam in noviſſimis eorum.* Cùm exitus vitæ perſpiciantur, tunc demum, quàm ſit felix bonorum ſors, quàm miſera impiorũ, facilè apparebit. Hac ſe conſolatione ſuſtentabat Iob, cùm florentes videret impios, cap. 21. nu. 17. *Quoties lucerna impiorum extinguetur, & ſuperveniet eis inundatio?* Et Hiere. cap. 12. num. 3. *Congrega eos, quaſi gregem ad victimam.* Perinde ac ſi diceret: fruantur illi nunc ſanè tranſitoria iſta felicitate, indulgeant genio, & in omni rerum abundantia vivant: nihil enim aliud eſt, quàm ſaginari inſtar pecudum, quæ ſunt ſacrificijs deſtinatæ, ut pingues, & obeſi ſubitò mactentur. Lege Lorinum Eccleſiaſt. 8. nu. 14. Genebrar. Pſal. 72. nu. 17. & Barradam to. 3. lib. 4. cap. 6. ad illa verba Lucæ 16. num. 25. *Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala; nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.*

73 Atque hinc etiam deducitur tertium caput defenſionis, quod luculentè perſecutus eſt Chaldæus Paraphraſtes, enodans illa verba Eccleſiaſtes 8 num. 14. *Sunt iuſti, quibus mala proveniunt.* [Et vidi in Spiritu Sancto, quia malum, quod accidit bonis, ac iuſtis in ſeculo hoc, non eſt propter peccata eorum, ſed ad removendam ex eis culpam levem, & ut ſit merces integra eorum in ſeculo vēturo: & bonum, quod contingit peccatoribus, non eſt meriti eorũ; ſed ad retribuendũ eis mercedẽ meriti levis, quod fecerunt, ut comedant

mer-

mercedem suam in seculo hoc, & ut perdant partem suam in seculo venturo.]
74 Hoc perspicuè docemur, 2. Machab. 6. nu. 14. [Non, sicut in alijs nationibus, Dominus patienter expectat, ut eas, cùm Iudicij dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat: ita & in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet.] Talis fortasse fuit istorum etiam iustorum sermo. Sed Commentarium claudant egregia Philonis verba, in libro de Confusione linguarum. [Insignis poena, & vindicta impietatis est, connivere Deum, atque etiam indulgere peccantibus; nec solùm eis impunitatem, verùm magnam, & diuturnam prosperitatem concedere.]

Et attendit Dominus, & audivit: & scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum, & cogitantibus nomen eius.

A *Largò Dios el oydo, y llevole la atencion esta platica de los justos.* Studium attendendi voluptatem significat, quam Deus hausit ex Iustorum sermonibus; ut etiam dicitur respicere opera, quæ gratis oculis, & benigno vultu prosequitur.

75 *Liber monumenti*, Hebraicè, *memoriæ*. Vide Sixtum Senensem lib. 2. Bibliothecæ verbo, *memorialis liber*. Fit manifesta allusio ad commentarios, in quos Regum iussu referebantur res à subditis præclarè gestæ, ut in memoriam redactæ, opportuno tempore compensarẽtur. De quibus Serarius Esther 6. q. 16. & Pineda in Salomone, lib. 5. cap. 13. ad illa verba 3. Regum 4. num. 3. *à commentarys*. Chaldæus: *præpositus super monumenta*. LXX. *Commonefaciens*. Caietanus. *A memoria*. Pagnin. *Revocans in memoriam*. Extat exẽplum per illustre, Esther 6. num 1. & 2. & cap. 12. num. 4. quò etiam alluditur Isai. 62. num. 6. *Qui reminiscimini Domini; ne taceatis, & ne detis silentium ei, donec stabiliat*. Tigurina; *qui in memoriam revocatis*. Pagnin. *qui reminisci facitis*. Vatab. *qui recensere soletis*. Hoc est, qui Deo redigitis in memoriam obsequia sibi præsti-
ta, fidemque suam interpositam, assidue illum interpellate, donec stet promissis.
Vehementer consolatur, & accendit 76
Iustos hæc tam specialis Dei providentia referendi sigillatim in suos annales, etiam ipsa verba, & cogitata Iustorum, ne unquam effluant è memoria, sed opportuno tempore debita mercede afficiantur. Quod legit Vulgatus secutus LXX. Psal. 55. num 9. *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*; sic vertit ex Hebr. Tigurina. *Lachrymas meas repone in lagunculam tuam: an non in rationario tuo?* Isidorus Clarius: *nonne in libro rationum tuarum?* Vatablus, *An non sunt in commentarijs tuis?* Genebr. *in tua memoria*. Pagninus, & Tegia. *Nonne in libro tuo?* Subest enim ibi Hebraicè eadem vox, quæ hîc apud Malachiam. *No se le pierde a Dios ni una lagrima de un Iusto: en una garrafa las manda guardar, como vino de los Angeles, y escrivir en su libro de memoria*. In hunc librum cupiebat Iob, sua dicta referri, cap. 31. num. 35. *Et librum scribat ipse, qui iudicat*.

Eadem providentia alia metaphora denotatur ad Roman. 15. num. 28. *Et assignavero eis fructum hunc*. Græcè, *sphragisomæ. Obsignavero, sigillo muniero*. Hoc est, quasi minister, qui sum Deo à commentarijs, in librum monumenti retulero, sigillumque impressero, ac veluti pretiosissimum thesaurum in tuto recondidero. Eadem enim metaphora, & providentia utitur Deus adversus peccata. Deuteron. 32. nu. 34. *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* Et Iob 14. nu. 17. *Signasti, quasi in sacculo, delicta mea*: nam etiam ipsa delicta referuntur accuratè in librũ monumenti. Threnorum 1. num. 14. *Vigilavit iugum iniquitatum mearum: in manu eius convolutæ sunt*. Tigurina. [Impressum est iugum prævaricationum mearũ manu eius.] Exponit 77

Vatab. [Deus quibusdam notis peccata mea in manibus suis designavit, ut illorum recordaretur.] Isai. 65. num. 6. *Ecce scriptum est coram me: non tacebo, sed reddam, & retribuam in sinum eorum.* Sic visus est Ezechieli Iudex ipse inter Angelos, quasi inter satellites, & administros suæ iustitiæ, cap. 9. num. 2. *Et atramentarium scriptoris ad renes eius.* Hieronymus ibi. *Vt omnium peccata describeret.* Atque hi sunt illi libri, qui in extremo Iudicio proferentur in lucem, & clara voce recitabuntur, iuxta communem interpretum expositionem. Danielis 7. num. 9. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Et Apocalyp. 20. num. 12. *Et iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Quæ ad Theologicam horum librorum intelligentiam spectant, ne trāsiliam Commentarij terminos, legi poterunt apud Suarez. tom. 2. in 3. part. disp. 57. sect. 9. quod verò attinet ad doctrinam, pro concione populo explicandam, apud Barradam tom. 3. lib. 10. cap. 11.

Numerus 17.

Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die, qua ego facio, in peculium.

78 IDest, in die, qua ego debitas pœnas de blasphemantibus sumam. Observo in arcano sermone, verbum *facere*, sæpe idem esse, atque strages edere, occidione occidere. Vulgatus autem modò illustrat, modò retinet Hebraismū. Gene. 18. n. 29. *Non percutiam propter quadraginta.* Hebraicè, *non faciam.* Et ibi num. 28. 30. & 31. quasi synonima coniunguntur, *non faciam, non interficiam, non delebo.* Sopho. 3. num. 19. *Ecce ego interficiam.* Hebraicè, *faciam.* Ezechiel. 23. num. 8. *Confregarunt.* Hebraicè, *fecerunt.* Psalm. 118. nu. 126. *Tempus faciendi Domine, dissipaverunt legem tuam.* Genebrard. *Tempus puniendi, & ulciscendi.* Vide Danielis 8. numero 12. & 24. & cap. 11. numero 28. & 30.

In peculium, Hebraicè subest vox illa celebris *Cegulà*: quam variè varij reddiderunt. Exodi 19. num. 5. Deuteron. 7. num. 6. & cap. 14. nu. 2. & cap. 26. nu. 18. & Psalm. 134. num. 4. Assentior Ariæ Montano, vocabulum esse dignius, & liberalius, quàm peculium; eò significari charissimam, selectissimamque divitiarum partem, quæ vel natura sua, vel etiam opere præstet. Vt sunt gemmæ, uniones, aurum, & argentum pretiosè cælatum. Vide Pinedam in Salomone, lib. 7. cap. 13. num. 8. 79

Hinc, Auctore Mercero, motionem illam tribus constantem punctis, quæ insignem bullam auream, triangulari figura, tribusque distinctam margaritis, refert; qualis è collo Regum pendere solet, *Cegol* Grammatici vocaverūt. Vno verbo quod rarum, & pretiosum est, & in delicijs habetur, & tanquam singulare reconditur, hac voce significatur. Vatab. vertit Exod. 19. num. 5. [Vt thesaurus unicè dilectus.] 1. Paralipom. 29. num. 3. *Obtuli in domum Dei mei de peculio meo, aurum, & argentum.* Ecclesiastes 2. num. 8. *Congregavi mihi argentum, & aurum, & substantias* (Hebraicè, *cegula*) *Regum*, id est, Regiam gazam, exquisitam supellectilem. Tigurina. *Mundum pretiosum.* Pineda in Salomone lib. 4. cap. 18. num. 12. *Pretiosissima monilia.* Paulus ad Titum 2. num. 14. secutus LXX. sic expressit vim vocis. *Vt mundaret sibi populum acceptabilem.* Perpende, quanti æstimet Deus Iustos, quos, ut selectissimum, pretiosissimumque thesaurum in oculis fert.

Et parcam eis, sicut parcit vir filio suo servienti sibi.

GVevara Habac 1. vers. 17. nu. 172. asserit, verbum *Hamal*, in hoc loco idem esse, ac iucundari. Quare ita vertit: *& lætabor super eos, &c.* Sed miror, 80

virum

virum doctum obtrudere nobis ſine ullo fundamento voluiſſe, quod etiam ipſi diſplicuit Hebraizantium Duci, qui primus id excogitavit: in quo vel ab ipſis perperàm eius ſectatorib⁹ deſcritur. Nihil enim opus eſt, verbum à germana ſua ſignificatione deflectere: imò ipſa genuina ſignificatio multò congruentior, & illuſtrior eſt, ſi tantùm advertamus, *parcere*, non tam eſſe, *ignoſcere*, quàm prudentiſsimè conſulere, atque proſpicere. Ezech. 36. num. 21. *Et peperci nomini ſancto meo.* 1. Regum 23. num. 21. his verbis allocutus eſt Saul ſubditos ſuos. *Benedicti vos à Domino, quia doluiſtis vicem meam:* Hebraicè. *Quia pepercisti mihi*, ideſt, quia mihi conſuluiſtis, ſeu rem mihi gratiſsimam feciſtis. 2. Regum 21. num. 7. *Pepercitque Rex Miphiboſeth filio Ionathæ*, id eſt, filiũ viri ſibi amiciſsimi, fœdereque coniunctiſsimi, omni benevolentia complexus, omni genere officiorum proſecutus eſt. Sic explicat Pineda in Salomone lib. 6. cap. 20. illud Pſalm. 71. num. 13. *Parcet pauperi, & inopi*, ideſt, tangetur miſerorum ærumnis, & commovebuntur viſcera eius.

Itaque in hoc loco, *parcam eis*, idem prorſus eſt, ac benigniſsimè proſpiciam: eos tãquam pupillam oculi tuebor. Cùm ſtomachum in ſceleratos erupero, non modò calamitas nulla, ſed ne leviſsima quidem calamitatis ſuſpicio Iuſtos attinget; quos duplici nomine unicè dilexi, & quia adoptione filij ſunt, & quia mihi ſemper dicto audientes extiterunt.

Numerus 18.

Et convertemini, & videbitis, quid ſit inter iuſtum, & impium; & inter ſervientem Deo, & non ſervientem ei.

82 NOn dubium, quin ad impios illos, & in divinam providentiam cõtumelioſos, hæc verba referantur. Vos temere iactabatis, num. 14. *Vanus eſt, qui ſervit Deo*: tunc demum, cùm à vobis atrociſsimas pœnas ſumpſero, & Iuſtos paterno favore protexero, volentes nolentes oculos aperietis, & clarè tandem perſpicietis, quid interſit inter Iuſtum, & impium. Tunc pœnitentiam agentes, Sapient. 5. num. 3. ſed omnino ſeram, & infructuoſam: *impij mirabuntur* (Græcè, *exieſontæ*: obſtupeſcent, de ſtatu mentis deijcientur) *in ſubitatione inſperatæ ſalutis.* Græcè. *Epi tó paradoxo.* In ſalute piorum ſibi prorſus paradoxa, & minimè opinata. Tunc facti evidentia extorquebit ab invitis illam confeſsionem. *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam. Ecce quomodò computati ſunt inter filios Dei.* Tunc demum ſerò ſapient, & aptè, ſed inutiliter ratiocinabuntur: *Ergo erravimus à via veritatis.* Lege, quæ adnotavi, num 16. ex Pſalm. 72. num. 17. Iob 21. num. 17. Hieremiæ 12. num. 3.

CAPVT IIII.

Numerus 1.

Ecce enim dies veniet ſuccenſa, quaſi caminus.

1 COncors eſt Expoſitorum omnium intelligentia, hæc verba de extremo Iudicij die interpretantium. Hoc requirit illa cauſalis *enim*: hoc ſeries ipſius ſententiæ poſtulat. Illa enim dies erit impijs formidoloſa, Iuſtis verò lætitiæ, luciſque pleniſsima.

Et revera *ſuccenſa erit illa dies, quaſi caminus*: nam nota illa ſimilitudinis, *quaſi*, non ad metaphoram, ſed ad proprietatem, rigoremque ſermonis, referenda eſt: ſolet enim in fornace coarctatus, & conſtipatus ignis propter flammarum dẽſitatem, eſſe vehementior. Erit verò ille ignis extremus longè vehementiſsimus, quippe purgaturus elementa, aurum, cautes, & adamantas diſſoluturus, ferve-

factu-

facturus ipsum pelagus, & pisces in mari delitescentes exuturus.

2 Extant verò adeò expressa oracula Divina de isto extremæ cõflagrationis igne, ut nisi aperta Scripturæ inferatur vis, nõ possint alio detorqueri. 2. Petr. 3. num. 6. [Ille tunc mundus aqua inundatus perijt: cœli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem Iudicij, & perditionis impiorum hominũ.] Vbi ex antithesi eluvionis quarum ad diluvium ignis, constat, verba in sensu proprio, non metaphoricè esse accipienda. Quod clariùs deindè explicatur, num. 10. [Elementa verò calore solventur.] Et num. 12. [Ignis ardore tabescent: terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur.] 1. Corinth. 3. num. 13. *Dies Domini declarabit, quia in igne revelabitur.* Anselmus ibi. [Dies Iudicij, qui nunc omnes latet, tunc omnibus erit notus: cùm enim viderint omnes ignem illum ante faciem Iudicis, per totum diffundi orbem, scient adesse diem Iudicij.] 2. Thessalonicens. 1. num. 7. [In revelatione Domini Iesu de cœlo cum Angelis virtutis eius, in flamma ignis dãtis vindictam ijs, qui non noverunt Deum.] Daniel. 7. vbi sermo est de extremo Iudicio, ut liquet ex contextu, num. 9. [Aspiciebam, donec throni positi sunt: fluvius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius: Iudicium sedit, & libri aperti sunt.]

3 Hæc sunt maximè illustria vaticinia: in alijs Scripturæ locis, vel alluditur ad veritatem istam à Maioribus quasi per manus traditam, vel id ipsum in illis locis significatur. Isai. 66. num. 15. *Ecce Dominus in igne veniet.* Et num. 16. *Quia in igne Dominus diiudicabit.* Psalm. 49. num. 3. *Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit: ignis in conspectu eius exardescet.* Psalm. 96. num. 3. [Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.] Ioëlis 2. num. 3. *Ante faciem eius ignis vorans.* Deniq; congruenter his vaticinijs canit Ecclesia: *dum veneris iudicare seculum per ignem.*

Existit autem hoc loco gravis sanè quæstio: an vehementissimus ille ignis antecessurus sit Iudicis adventum, an verò cõsecutur? Res est magnis involuta difficultatibus, quam Augustin. lib. 20. de Civitate cap. 30. ut fuit vir in sustinendo iudicio mirabilis prudentiæ, vix audet certò definire, nosque præiudicio suo deterret, ne quid temerè definiamus. 4

Sed in re lubrica nostri Suarez opinio, quæ & recitatis Scripturæ testimonijs, & Augustini menti conformior est, mihi valde probatur. Existimat ille, tom. 2. in 3. P. disp. 57. sect. 1. ignem illum, excitatis iam hominibus, antecessurum esse Iudicis adventum; ita tamen, ut in se ipso conglobatus, illud spacium dumtaxat occupet, in quo iacebunt miseri damnati; peracto verò Iudicio, vehemẽtissimè augendum, & summis incrementis multiplicãdum, ut & mũdum purificet universum, & eosdem damnatos correptos, & implicatos, secum in imum Tartarum devolvat.

Sapientissimè hinc concludit Petrus epist. 2. cap. 3. num. 11. *Cùm igitur hæc omnia dissolvenda sint; quales oportet vos esse in sanctis conversationibus, & pietatibus?* Egerunt accuratè de hoc extremo igne Acosta de Temporibus novissimis lib. 4. à cap. 8. usque ad 12. Valent. to. 4. disp. 11. quæst. 2. punc. 3. Barradas to. 3. lib. 9. c. 11. Suarez disp. citata, & disput. 58. sectio. 3. Lorinus Sap. 5. nu. 22. & 2. Petr. 3. nu. 7. 5

Et erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum.

IPsi silices, ipsi adamantes, illius ignis ardore dissilient, atque tabescent: *petræ dissolutæ sunt ab eo,* Nahum 1. num. 6. an stipula ad exardescendum facilis, põpulantes illas flammas sustinebit? Imò verò celerrimè concipiet, tametsi acerbis- 6

simo

simo illo, atrocissimoque incendio nunquam ablumetur. Hoc itaque significat Scriptura, cùm impios comparat aridæ materiæ, & ad concipiendum ignem paratissimæ, ut *stipulæ*, Exod. 15. nu. 7. Isai. 5. num. 24. cap. 33. num. 11. cap. 47. nu. 14. Abdiæ, num. 18. Nah. 1. num. 10. *Ligno arido.* Lucæ 23. num. 31. *Spinis arentibus.* 2. Regum 23. num. 2. Isai. 9. num. 18. & cap. 10. num. 17. *Paleis*, Matth. 3. num. 12. Lucæ 13. num. 17. *Zizanijs*, Matth. 13. n. 40. denique; *stupæ collectæ.* Eccl. 21. n. 10.

7 Superbi, & facientes impietatem, quos corripiet voracissimus ille ignis, ijdem ipsi sunt, qui cap. 3. num. 15. beati, & felices prædicabantur; eadem enim utrobique vox subest, quam hîc *superbos*, illic *arrogantes* vertit Interpres.

Quæ non derelinquet eis radicem, & germen.

RAdicitus eos extirpabit ille ignis; ne surculum quidem, aut fibram derelinquet: præcisa penitus est omnis spes evadendi è tantis malis.

Numerus 2.

Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol Iustitiæ, & sanitas in pennis eius.

8 SOlem, ac lucem, Christum; eiusque adventum, solis ortum in Scriptura nominari, notius est, quàm ut probatione indigeat. Lucæ 1. num. 78. *Visitavit nos Oriens ex alto.* Græcè. *Anatole*, ideſt, Solis ortus. Isai. 60. num. 1. *Venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Propterea sæpe Christus suam in hoc mundo præsentiam vocavit diem; absentiam verò, noctem: quia Sol erat mundi, & Solis proprium est efficere diem. Ioan. 9. num. 4. *Donec dies est: venit nox*; & num. 5. *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* Et cap. 12. num. 35. *Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Lege eruditam Christi cum Sole comparationem apud Sotomaior in illa verba Cant. 1. n. 5. *Decoloravit me Sol.* 9

Hîc verò antithesis ipsa continuata necessariò requirit, ut huius Solis clarissima lux ad recreãdos, hilarandos, & protegẽdos Iustos referatur. Erit extremus ille dies improbis quidem obscurissimus, & tristissimus; probis verò splendidissimus, & lætissimus illucescet: occumbet illis Sol in sempiternam noctem, ut ipsi miseri lamentabuntur; Sapient. 5. numero 6. *Iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis*; his verò exorietur nitidissimus Iustitiæ Sol in diem sempiternam. Hac videlicet metaphora solet Scriptura, vel extremam calamitatem denuntiare, vel summam lætitiam polliceri. Vtriusque rei exempla præsentem locum illustrabunt.

Ac primùm obscuratione Solis atro- 10
cissima declarari supplicia, constat Hierem 15 num 9. *Occidit ei Sol, cùm adhuc esset dies; confusa est, & erubuit: & residuos eius in gladium dabo.* Amos 8. nu. 9. *Occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciã terrã in die luminis.* Isai. 13. n. 9. *Ecce dies Dñi veniet crudelis, & indignationis plenus: obtenebratus est Sol in ortu suo, & Luna non splendebit in lumine suo: & visitabo super orbis mala.* Ezech. 32. n. 7. *Operiam, cùm extinctus fueris, cælũ, & nigrescere faciam stellas eius: solem nube tegam.* Ioel. 2. nu. 10. *Sol, & Luna obtenebrati sunt.* Et nu. 31. *Sol cõvertetur in tenebras, & Luna in sanguinẽ, antequàm veniat dies Dñi magnus, & horribilis.* Et c. 3. n. 14. *Iuxtà est dies Dñi in valle concisionis: Sol, & Luna obtenebrati sunt.*

Et revera obtenebrãdum esse Solem ante Iudicij diem, ad perterrefaciendos impios, disertè affirmavit Christus Matt. 24. nu. 29. *Sol obscurabitur.* Marc. 13. n. 24. *Sol contenebrabitur.*

Cõtrà verò res prosperas, ac lætas solet 11
Scriptura lucis nomine denotare. Esther 8. nu. 16. *Iudæis autẽ nova lux oriri visa est, gaudiũ, honor, & tripudiũ.* 2. Reg. 23. nu. 4. *Sicut lux auroræ, oriente Sole, manè absque nubibus rutilat.* Iob 30. nu. 26. quod paulò antè dixerat, *expectabam bona*; ita effert:

præ-

præstolabar lucem. Ps. 17. n. 29. *Tu illuminas lucernam meam*; ideſt, facis, ut omnia mihi proſperè contingant. Iſai. 9. n. 2. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucẽ magnam*. Iob 22. n. 28. *& in vijs tuis splẽdebit lumen*. Sed nullibi hoc frequentiùs, quàm in Pſalmis occurrit. Ps. 30. n. 17. *illustrà faciem tuam*, ideſt, hilarem te, ac benignum nobis oſtende. Ps. 66 n. 2. *illuminet vultum ſuum ſuper nos*. Psal. 118. n. 135. *Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum*. Ps. 96. n. 11. *Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia*. Ps. 111. n. 4. *Exortum eſt in tenebris lumen rectis*.

12 Arescentibus itaq; impijs præ horribili timore, & in mæſtiſsima caligine, in cimmerijs tenebris verſantibus: iuſti tunc demum fulgentiſsima luce perfuſi, & hilarati, extollent caput, & iuſtitiæ Solem ſibi exorientem, ſecuris, lætis, & intentis oculis intuebuntur: qui tunc tam eximio splẽdore collucebit, ut graviſsimi Interpretes aſſeruerint, ſolem iſtum materialem, ideo tunc extinguendum fore, quia in fulgentiſsimos illius radios incurret; quẽadmodùm interdiu evaneſcit ſtellarũ lux, quia obſcuratur, & obruitur luce ſolis. Auctores ſunt Hieron. Chryſoſt. Beda, Theoph. & Eutym. in c. 24. Matth. Hilarius c. 26. Aug. ſerm. 130. de Tẽpore; atq; è noſtris Màldon. Matth. 24. n. 29. Suar. t. 2. diſ. 56. ſec. 3. Vieg. Apoc. 6. Comm. 4. ſect. 12. num. 2.

13 Vocatur autem aptiſsimè Chriſtus *Sol iuſtitiæ*, hoc eſt, miſericordiæ, benignitatis, & clementiæ, ut exponit Geneb. Pſal. 23. n. 6 nã benigniſsimè, & liberaliſsimè lucem hilaritatis, & proſperitatis impertiet Iuſtis. Tritũ enim eſt in Scriptura, benignitatẽ, & miſericordiã vocari iuſtitiã, ut probat idem Geneb. Pſal. 36. n. 27. & Maldon. Matth 6. n. 1. Agellius Ps. 4. v. 1. & Belarm. Ps. 88. n. 14. quod intelligẽtes LXX. voces Hebraicas *Sedec*, aut *Sedaca*, Græcè reddiderũt *eleos*, id eſt, miſericordia, Iſaiæ. 56. n. 1. Ezechiel. 18. n. 19. & 21. aut, *Eleemoſyne*, Deuteron. 6 n. 25. cap. 24 n. 13. Ps. 23. n. 5. Ps. 32. n. 5. Ps. 102. num. 6. Iſaiæ 1. num. 27. cap. 28. num. 17. cap. 59. num. 16. Danielis 4. n. 24. & cap. 9. n. 16.

Sive exponamus, *Sol iuſtitiæ*, ideſt, ſol ſalutis, ſol maximè ſalutaris. Sic explicat Prado Ezech. 16. n. 4. ad illa verba, *aqua nõ es lota in ſalutem*; iuſtitia enim in arcano ſermone, idẽ eſt, ac ſalus. Psal. 131. n. 9. *Sacerdotes tui induantur iuſtitiam*: cũ rurſus repetitur n. 16. *Sacerdotes eius induam ſalutari*. Iſa. 61. n. 10. *Induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circũdedit me*. Vbi LXX. pro *iuſtitia, iucunditatẽ, & lætitiam*, reddiderunt. Favent huic expoſitioni verba illa, *& ſanitas in pennis eius*. Radij enim ſolis *pennæ* dicũtur, quia his velut alis omnia perluſtrat: & Chriſtus vitalẽ lucẽ impartiẽdo, corpora Beatorũ ſana, vegeta, & incorrupta ſuſcitabit. 14

Sive denique dicatur Chriſtus *Sol iuſtitiæ*, ideſt, omnia patefaciẽs, & in lucem proferens, ut iuſtè iudicentur, ut Ps. 4. n. 1. *Deus iuſtitiæ meæ. Dios, que deſcubrirà mi juſticia, ò me hara juſticia*. Michęę 7. n. 9. *Educet me in lucem, videbo iuſtitiã eius*. Ps. 36. n. 6. *Educet quaſi lumen iuſtitiã tuã: & iudicium tuum, tanquã meridiẽ*. Quemadmodùm enim cùm nox terras opacavit, iacẽt omnia caligine demerſa, nec pulcherrimarũ rerũ gratia, nec deformiũ apparet turpitudo; ſole autem exoriente, *rebus iam color redit, vultu nitẽtis ſideris*. Sic in tam cæcis rerum humanarũ tenebris, àpleriſq; mortalium, nec virtutum pulcritudo, nec vitiorum cernitur fœditas: at illuceſcente in illo extremo die *Iuſtitiæ ſole*, erunt cuncta conſpicua: illa etiam, quæ abditiſsimè latent, Iuſtiſsimi ſolis illuſtrata fulgore, in omnium oculos incurrent. 1. Corint. 4. n. 5. *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoaduſque veniat Dominus, qui, & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo*. Tunc orietur Sol iuſtitiæ timentibus Deum, altam enim caliginem, qua eorum egregiæ virtutes abditæ deliteſcunt, ſuis radijs clariſsimis diſcutiet, latentemque ſanctitatem in publicum totius orbis thea- 15 16

trum ſumma cum laude proferet: & iuſtitiæ radios emittens, quàm iuſtè iuſtos beet, impios verò damnet, & Angelis, & hominibus patefaciet. Lege Auguſt. lib. 20. de Civit. cap. 27.

Et egrediemini, & ſalietis, ſicut vituli de armento.

17 EGredientur beati de ſepulcris, doteq; agilitatis inſigniti: *Tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*, Sap. 3. n. 7. exſilient; & tripudiabunt, ut ſolent vituli ludibundi, Ierem. 50. n. 11. Tigurina, & Regia: *ſicut vituli ſaginati*; ut firmitas, ac robur corporis glorioſi, mirabilis celeritas, incredibiliſq; lætitia beatorū indicetur. LXX. *ſalietis, ſicut vituli de vinculis relaxati*: tunc enim liberiùs, & iucundiùs ſubſiliunt, & huc illuc geſtientes circumcurſant. Lege Suarez t. 2. in 3. P. diſp. 58. ſec. 1. probantē ex iſto loco dotē agilitatis.

Numerus 3.

Et calcabitis impios, cùm fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum.

18 VAlde illuſtrant præſentē locum ea, quæ accuratè commentatus eſt Maſius, Ioſue 10. n. 22. expendens factum illud notabile huius præſtantiſsimi ducis; quod his verbis ibi cōmemoratur num. 24. [Vocavit omnes viros Iſrael, & ait ad Principes exercitus, qui ſecum erant: ite, & ponite pedes ſuper colla Regum iſtorū; qui cùm perrexiſſent, & ſubiectorum colla pedibus calcarēt, &c.] Quòd enim ſuos Tribunos inſultare cervicib⁹ Regū iubet, qui victi, proſtrati, ac ſupplices, ante ipſi⁹ pedes iacebant, & moderatum dedecere Imperatorem videtur, & inſolētiæ, ac immanitatis barbaricæ, ſuperbæque Tyrannidis ſpeciem præ ſe fert.

19 Iure optimo credit Maſius, afflatu, inſtinctuq; Divino, hoc ſingulare ſpecimē potiūdæ victoriæ eū edidiſſe, taleq; triūphandi rationē, etſi inſolens, & inhumana videatur, maximū tn, ac teſtatiſsimū felicitatis, & dignitatis illius populi fuiſſe argumētum. Quod iā antè prædixerat moribundus Moyſes, Deut. 33. n. 29. *Beatus es tu Iſrael; quis ſimilis tui populè, qui ſalvaris in Dño? ſcutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.* Itaq; hoc ritu non immanis, aut barbarus, ſed Dei auſpicijs dignus triūphus denotatur: qualis ille eſt ipſius Chriſti Pſ. 109. n. 2. *Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedū tuorū*: verè enim protriti ſunt, & cōculcati Chriſti pedibus ipſius ſanguinarij hoſtes, ideſt, Dæmones, ut exponit Iuſtinus in Dialo. cū Triphone, & antè expoſuerat Paul. 1. Corint. 15. n. 24. [Cùm evacuāverit omnē principatū, & poteſtatē, & virtutem: oportet autē illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius.] Quin, & ſuis etiam ſtrenuis militib⁹ hoſtes proſternēdos, calcandoſq; ſubiecit. Luc. 10. n. 19. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpētes, & ſcorpiones, & ſuper omnē virtutem inimici.* Pſ. 90. n. 13. *Super Aſpidē, & Baſiliſcū ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconē.* Ad Rom. 16. n. 20. *Deus autem pacis conterat Satanam ſub pēdibus veſtris.* Vide Serarium Ioſue 10. q. 37. & Pined. Iob 18 v. 19. circa illa verba, *calcet ſuper eum, quaſi Rex, interitus.* Vbi probat ex Cedreno, hūc morem apud Imperatores Oriētales diu viguiſſe. Et quidē hoc in victis, extremæ ſervitutis, & ignominiæ; in vincētibus autē, glorioſiſsimæ victoriæ, & dominatus, argumentum ſemper extitiſſe, tum priſca hiſtoriarum monumenta, tum mutæ ipſę ſtatuæ veteres palàm ubiq; loquuntur.

Hoc igitur vaticinium nobis ponit ob oculos ampliſsimum triumphum, quem in extremo Iudicij die de impijs profligaris, atque proſtratis agent pij. Sap. 5. num. 1. *Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt*: contrà verò Pſal. 1. num. 5. *Non reſurgent impij in iudicio.* Hebraicè, *non ſtabunt*; non leva-

20

21

bunt

bunt caput; ne oculos quidem attollent, conſcientia; ac pondere peccatorum oppreſsi: n. 4. *Erunt tãquam pulvis, quem proijcit ventus.* Iusti autem tunc erecto, ac fidenti animo conſiſtent, ac in ſublime elati, obviàm Chriſto procedentes, impios, tanquam viliſsimum pulverem, ac cinerem pedibus ſubſtratum conculcabunt.

In die, qua ego facio, dicit Dominus exercituum.

EXpoſui hanc loquendi formulam cap. 3. num. 17.

Numerus 4.

Memento te legis Moyſi ſervi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Iſrael.

22 VTilis admodùm eſt, & memoria digna obſervatio illa Hieronym. in cap. 1. Oſeæ. [Prophetæ ſic multa poſt ſecula de advẽtu Chriſti, & vocatione Gentium pollicentur, ut præſens tempus non deſerãt, ne concionem ob aliud convocatam; non docere de ijs, quæ inſtant, ſed incertis, ac futuris ludere videantur.] Ex hac regula (ut notavit Ribera) petẽda eſt connexio horum verborum cum præcedentibus. Nam, ut ait Aug. lib. 20. de Civitate, cap. 28. poſt declaratum tam magnum futurum inter obſervatores legis, contemptoreſque diſcrimen, opportunè divinæ legis memoriam, obſervationemque commendat. Quemadmodùm ſi ardens, ac pius concionator horribilem Iudicij diem vivis coloribus depinxiſſet, populum attonitum, & tam atrocibus minis ſtupentem, commodè ſatis hortaretur, ut Chriſti legem exactiſsimè obſervaret, quò poſſet futuras illas calamitates effugere. Quod verò ex hoc Malachiæ loco argumentantur Iudei, nondum eſſe abrogatam legem Moyſi, refellit Barrad. to. 1. lib. 2. cap. 21. Horeb autem eſſe montem Sinai, doctè probat Torniellus, anno mũdi 2544. num. 34.

Præcepta, & iudicia.

HEbraicè ſunt celebres illæ voces, *HuKim u miſpatim*: de quibus, ut de illis alteris, *iuſtitia, & iudicio*, præter Pagninum, Forſterum, Mercerum, & Brixianum in ſuis Theſauris, accuratiſsimè diſſeritur à viris ſcientiſsimis linguæ ſanctæ; multaq; preſſè, ac ſubtiliter expenduntur, ad uniuſcuiuſq; vocis limites præfigẽdos. Quę vereor, ne nimis arguta ſint, mihi certè, & valde ſubtilia, & parùm ſolida vidẽtur; & ut verũ ingenuè fatear, nondũ ſatis liquet de exacta differentia harum vocũ. Scio, prę cepta omnia legalia, iudicialia, ceremonialia, hoc loco Malachię cõprehẽdi, atq; adeò ad eius intelligentiam nihil prętereà deſiderari. Qui tamẽ vim, notionẽq; vocũ velit curioſè examinare, adeat Maſiũ, Ioſue 24. n. 25. Oleaſt. Gen. 18. & 26. Forerium, Iſai. 5. n. 14. & c. 10. nu. 1. & c. 33. n. 22. Pradũ, Ezech. 10. n. 17. & Arrã Mõta. Iſa. 1. pag. 55. Delriũ, Gen. 18. n. 23. 23

Numerus 5.

Ecce ego mittam vobis Eliam Propheram, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis

DEvenimus tandem ad extremum Malachiæ vaticinium, idq; per illuſtre, & variè, copioſèq; ab interpretib⁹ enodatum. Sed quia non amo longos cõmentarios, qui vel alienis teſtimonijs deſcribẽdis, vel diverſis opinionibus refutandis, in molem creſcant; paucis perſtringam ſententiam meam.

Cenſeo igitur, Indubitata fide tenendũ eſſe, hoc vaticinium in ſenſu litterali ad Eliam Thesbiten ſpectare. Quare opinionem Vatabli, Burgenſiſq; in hoc loco, Sixti Senenſis, lib. 6. Bibliothecę, Hęreſi 3. & Ianſenij, Eccleſ. 48. nu 10. aientium, hæc verba ad primum Chriſti adventum pertinere, ac proinde de pręcurſore Ioanne interpretantium, graviore nota inurendam exiſtimarem. 24

Primò, quia omnes ferè Ecclesię Patres unanimi consensu in hanc intelligentiam conspirarunt: supersedeo eos nominare, quia hoc labore perfuncti sunt, in primis ipsemet Iansenius, qui senior factus priorem sententiam correxit, cap. 67. Concordiæ: deinde Maldonatus Matth. 11. n. 14. Rib hîc: Suarez tom. 2. in 3 part. disp. 55. sect. 2. Maluenda lib. 9. de Antichristo, c. 6. Viegas Apocal. 11. comment. 5. sect. 6. Acosta lib. 3. de Temporibus novissimis cap. 6. Mendoza q. 5. scholastica n. 7. Pererius lib. 15. in Danielem, initio. Pamellius in Tertullian. lib. de Anima, num. 565.

25 Secundò, perspicuum est ex toto contextu, de extremæ diei Iudicio sermonẽ esse; nam præter ea, quæ toto hoc cap. 4. iam explicavimus, modò subiungit: *Antequàm veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Quę apposità, ut in Iudicij diẽ horroris, ac tremoris plenam, aptissimè quadrant, & illis solet à Prophetis denotari: Ioelis 2. n. 11. & 31. Sophon. 1. n. 15. ita minimè conveniunt priori adventui, mãsueto, humili, pleno consolationis, & dulcedinis.

26 Tertiò, postquàm Auctor Ecclesiast. c. 48. Eliæ præclara facta laudibus ornavit, tandem concludit, n. 10. [Qui scriptus es in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini: conciliare cor Patris ad Filiũ, & restituere Tribus Iacob] Si nullum aliud haberemus argumẽtum, hoc solum evinceret intelligentiam huius locsi; cæcus enim sit, qui non videat, sacrum Auctorẽ Ecclesiastici ad Malachiæ vaticiniũ allusisse: imò verò præsens oraculum totidem ferè verbis expressisse, & de Elia Thesbite, temporibusq; novissimis disertissimè declarasse.

27 Quartò, Matthęi 17. n. 10. interrogaverunt Apostoli Christum: *Quid ergo Scribæ dicunt, quòd Eliã oportet primùm venire?* (percrebuerat enim Malachiæ vaticiniũ, licèt perperàm intellectum.) Sed Scribarum errorem correxit Christus: *at ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* Potuit ne Christus apertiùs de futuro Elię adventu vaticinarì? Atqui Ioãnes Baptista iam tunc venerat, iam pręcursoris partes egerat. Simul etiã hîc adverte, testimonium lib. Ecclesiastici verbis Christi explicari, atque fulciri: eò enim sine dubio alluśit Christus, cùm dixit, *& restituet omnia.*

Quintò, in editione Vaticana LXX. 28
restituta est pristino nitori lectio huius loci, sublato mendo, quod irrepserat in Plãtiniãnã. Ita enim illustrãt hoc oraculum. *Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbiten.* Sinistræ videlicet interpretationi omnem quasi aditum obstruentes. Solitos autem esse LXX. ad planiorem Scripturæ intelligentiam, & illustriorem; expressiorẽq; mysterij significationem, nonnulla addere Spiritus sancti instinctu, eruditè probant Genebrar. Psalm. 4. num. 9. & Psal. 95. num. 10. Riber. Habac. 3. nu. 9. Sacroboscо in defensione Vulgatæ part. 3. cap. 7.

Quæ contra hanc explicationem objici possunt, hæc ferè sunt. Matthæi 11 nu. 29
14., ubi apertè de Ioanne sermo est, ait Christus: *Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est*: & cap. 17. n. 12. & Marci 9. n. 12 ad illã ipsam Apostolorum quæstionem: *Quid ergo Scribæ dicunt, quòd Eliã oporteat primùm venire?* ita respõdet Christus. *Dico autem vobis, quia Elias iã venit, & non cognoverunt eum*; & subijcit Evangelista Matth. 17. num. 13. *Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis.*

Facilis erit solutio, si animadvertamus, Ioannem fuisse Christi præcursorem in primo eius adventu, quemadmodùm erit Elias in secundo: itaque spiritu, virtute, & ministerio fuit Elias; re ipsa, & personæ proprietate non fuit. Ita conciliant omnes interpretes duo illa loca, quæ in speciem pugnare videntur, Ioannis 1. num. 21. *Elias es tu? & dixit, non sum*: & Matth. 11. num. 14. *ipse est Elias.* Fuit quidem Ioannes Elias, non persona, sed Præcursoris officio: quod disertè

præ-

prædixit Angelus Zachariæ, Lucæ 1. n. 17. *Et ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ, ut convertat corda Patrum in filios.* Atque hæc extrema verba, non dubiũ est, quin Angelus usurpaverit ex isto Malachiæ loco, & per accõmodationem aptaverit Ioanni; ut observarunt Ludovicus Vives in lib. 10. de Civit. cap. 29. Maldonatus Luc. 1. n. 17. & Maluenda lib. 4. de Antichristo cap. 7.

31 Sensus igitur dilucidus verborũ Christi, Matth. 17. n. 11. & Marc. 9. n. 12. hic est. Elias quidem Thesbites in sua persona reverà præcursor futurus est secundi mei advẽtus; sed hoc etiam adijcio, quòd Elias mysticus, ideſt, Ioannes Baptista, Eliæ illi in spiritu, & virtute quàm simillimus, iam venit, iam præcursoris munus obijt; itaque duos suos adventus, duosq; eorumdem adventuum præcursores, spiritu, zelo, & moribus penè pares significavit. Hæc est perspicua huius loci sententia, omnium ferè Patrum, & interpretum iudicio, atque consensu comprobata.

Numerus 6.

Et convertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum.

32 OVamvis primo aspectu ea videatur esse horum verborũ sententia, Patres, & filios inter se intestinis odijs dissidẽtes conciliabit; & ita interpretari videtur Vulgatus Eccles. 48. num. 10. *Conciliare cor Patris ad filium*: nihilominùs optimus mihi videtur enarrator huius loci Angelus ille, Lucæ 1. num. 17. qui dum ea verba ad Ioannem accommodavit, litteralem nobis sensum expressit: nam priore illo membro contẽntus, *Vt convertat corda Patrum in filios*, quo tota sententia declarabatur, secundum prætermisit, atque eius loco perspicuam utriusque membri explicationem posuit: ut acutè advertit Maldo. Adiecit enim: *Et incredulos ad prudentiam iustorum.* Fidem autem prudentiam vocat, cùm eam opponat incredulitati.

Hoc videlicet est dissidium, quod Elias 33
conciliabit. Dissidebunt quidem Iudæi extremis illis temporibus à suis Patribus, ideſt, à primis illis Patriarchis, qui in Christum venturum crediderunt; dissidebunt à Filijs, id est, Apostolis: Ps. 44. n. 17. qui eorum loco succedẽtes, Christi fidem prædicabunt; & dissidebunt non solùm moribus, sed multò magis Religione, & fide. Conciliabuntur autem ab Elia corda illa maximè dissidentia, cùm veram Christi fidem, ac Religionem edocti, eã, & patres pariter, & filij complectentur, ac simul in unum cor, eamdemque doctrinam fidei conspirabũt. Hoc est, quod adiecit Ecclesiasticus, c. 48. n. 10. *Et restituere Tribus Iacob*: & Christus Matth. 17. n. 10. *& restituet omnia*, ideſt funditus collapsam apud Iudæos fidem, Religionem, pietatem, morumq; disciplinam flagrans Divini amoris zelo, indut⁹ asperrimo sacco, signa, & miracula edens, incredibili animi ardore verba faciens Elias, instaurabit, ac penè in integrum restituet. Lege cap. 11. Apocal.

Occasione hui⁹ oraculi Malachiæ, agi- 34
rari posset hîc difficilis, ac nobilis illa quæstio, utrùm in novissima mundi ætate, debacchãte Antichristi furore, cõcionibus, & miraculis Eliæ, Iudæi omnes sint ad fidẽ Christi cõvertendi. Sed quia lõgiùs cogerer evagari, quàm soleo, lectores relego ad eruditissimos viros, qui ea de re ex instituto tractaverũt: ij sunt Iosep. Acosta de Temporibus novissimis à c. 7. usq; ad 12. Maluenda lib. 11. de Antichristo à cap. 13. usque ad 18. Barrad. tom. 1. lib. 2. cap. 10.

Mihi compertum est, non omnes pro- 35
miscuè Iudæos traducendos esse ad fidem, imò pleroſq; obvijs ulnis Antichristum excepturos: illi duntaxat convertentur, quos Danielis digitus, vel potiùs Dei ipsius designavit. Daniel. cap. 12.

nu. 1. *In tempore illo ſalvábitur populus tuus, omnis, qui inventus fuerit ſcriptus in libro.* Itaq; cùm affirmat Paulus ad Ro. 11. n. 26. *Et ſic omnis Iſrael ſalvus fieret*; commodè interpretandum eſt, ut dilucidè interpretatur Ioannes Apoc. 13. nu. 8. *Adoraverunt beſtiam omnes, qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vi-*
36 *tæ Agni*. Daniel nimirùm prædicit, populum omnem Iſraeliticũ, qui ſcriptus fuerit in libro, ſalutem tunc per fidem conſecuturum; quod etiam prænuntiat Paulus. Ioannes inſuper addit, non ſolùm omnes Iudæos, ſed ceteros etiam, quorùm non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ; Antichriſtum adoraturos. Lege, quæ ſcribunt in hanc ſententiam Suarez tom. 2. in 3. partem diſputatione 56 ſect. 1. Toletus in cap. 11. ad Rom. notatio. 18. Viegas Apocal. 7. comment. 5. ſect. 7. Barradas tom. 3. lib. 2. cap. 6.

Ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.

37 VIde inæſtimabilẽ Dei benignitatẽ: eò ſpectat, cùm intentat terrores, cũ Concionatores prę̃mittit, ne veniens ipſe cogatur de impijs ſuppliciũ ſumere. Simili affectu allocutus eſt Moyſen, Exodi 33. numer. 2.: *Mittam Præcurſorem tui Angelum: non enim aſcendam tecum, quia populus duræ cervicis es, ne forte diſperdam*
38 *te in via*. Vulgò iam nota eſt ſignificatio vocis *anathema*: paſsim enim in ſacris Cõcilijs hæretici anathemate percelluntur. Hebraicum nomen *herem*, exciſionem, internetionem, vaſtitatemque ſignificat; & verbum ipſum *haram*, ut obſervat Forerius, Iſai. 11. num. 15. & cap. 34. num. 2. eſt penitus deſolare, è medio ſine ulla commiſeratione tollere, funditus perdere, ut nihil omnino remaneat. Congruenter Maſsius, Ioſue 2. num. 11. omnium execrationi, ac deteſtationi devovere, & planè occidione occidere, prorſuſque abolere. Deutero no. 13. num. 15. *Delebis eam, ac omnia, quæ in illa ſunt, uſque ad pecora*. LXX. *Anathemate anathematizabis eam*. Cap. 20. nu. 17. *Nullum omnino permittes vivere, ſed interficies in ore gladij*. LXX. *Sed anathemate anathematizabis eos*. 1. Regum. 15. num. 3. *Demolire univerſa eius*. LXX. *Anathematiza*. Hinc il- 39
lud. 1. Machabęorum 5. num. 5. *Anathematizavit eos, & incendit turres eorum igni, cum omnibus, qui in ys erant*. Hinc Matth. 26. num. 74. *Cœpit deteſtari*. Græcè. *Anathematizare*: quod verbum retinuit Vulgatus Marci 14. nu. 71. Hoc eſt, diriſsima, & peſsima quæque ſibi imprecari, extremis diris ſe ipſum devovere. Lege Lorinum ad illa verba Actuum 23. num. 12. *Devoverunt ſe*. Et Maſsium, Ioſue 6. num. 17. *Sit autem urbs anathema*. Et Riberam Zachariæ 14. num. 38. *Anathema non erit amplius*. Et Toletum, ad Roman. 9. annotatione 3. circa illud, *optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto*.

Cui ſit laus, honor, & gloria per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

(ę)

IN EPISTOLAM B. PAVLI APOSTOLI AD COLOSSENSES COMMENTARII EXEGETICI LITTERALES.

AVCTORE

PATRE AVGVSTINO DE QVIROS
è Societate IESV.

ARGVMENTVM.

1 COlossensibus obtrudebant Impostores Cherinti perversum dogma, qui Angelos præponebat Christo, & Iudaicas rursus superstitiones inculcabat. De quo Baronius tom. 1. anno 60. Vtrúque errorem Apostolus refellit: totumque se effundit in extollenda Christi supra omnes cælestes spiritus dignitate. Ad extremum confirmata fide, mores instruit, usitatisque salutationibus Epistolam claudit.

§ 5

CAPVT I.

Numerus 1.

Paulus.

2 EPistolæ B. Pauli commendantur ab Auctore; sed mea quidem sententia hæc Epistola suum ipsa & prodit, & commendat Auctorem: est certè Auctor præcipuus Divinorum librorũ Spiritus ille Divinus, qui sacris Scriptoribus, velut Amanuensibus, non sententias modò, sed singula etiam verba dictavit: sed *unicus, & multiplex* cùm sit, Sapientiæ 7. num. 22, *& in manu Prophetarum assimilatus*, Oseæ 12. num. 10. hoc est, singulorum ingenio, & stylo se se accommodans; non solùm diversis, sed eidem etiam, diversis temporib⁹ diversa suggerebat; Paulo, cũ Hebraicè scriberet, cultiora; cùm Græcè, minùs culta; ut notavit Ribera in Epist. ad Hebr. cap. 2. procœmij n. 3. Sic idem Apostolus,

cùm

cum ſcribit ex vinculis, ardentiore caritate inflammatus, ſpirat neſcio quid ardentius, & ſublimius; quod hîc advertit Chryſoſt. homil. 1. Igitur hæc Epiſtola, ut quæ maximè, ſuum ipſa Auctorem præ-
ſefert.

3 Quod ad nomẽ attinet, variæ ſunt Antiquorũ, Recentiorũq; ſententiæ: lege Baron. to. 1. anno Chriſti 36. Salmerõ, to. 13. lib 2. Tolet. in cap. 1 ad Roma. annotat. 1. Perer. ibi diſput. 1. Illud conſtat; antequàm ſegregaretur in Apoſtolum, Actuum 13. num. 2. conſtanter à Luca appellatum fuiſſe Saulum; deinde verò conſtantiſsimè Paulum: ſcilicet Apoſtolus Gentium, Latinum nomen plauſibile Gentibus aſſumpſit; Romanis præſertim gratũ, quorum civitate donatus erat: quò ſibi apud eos benevolentiam conciliaret. Auguſt. lib. de ſpiritu, & litera, c. 7. altiorem affert cauſam. [Non ob aliud, inquit, hoc nomen elegit, niſi ut ſe oſtenderet parvum.] Quando igitur eximio honore affectus eſt à Deo, tunc ipſe profundiùs ſe depreſſit; & cum nomine Apoſtoli, quo Lucas ſtatim, c. 14. num. 4. & 13. bis eum inſignivit, nomen ipſe ſibi ſumpſit Pauli: nam ipſum Pauli nomen A Emiliorum familiæ à brevitate ſtaturę inditum eſt. Eiuſdẽ Pauli eſt humilis illa vox. 1. Corinthi. 15. num. 9. *Egò ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus.*

Apoſtolus Ieſu Chriſti.

4 NVſquam honorificum Apoſtoli titulum uſurpat Paulus, niſi neceſsitate conſtrictus, quò ſuam auctoritatem tueatur. In Epiſtola ad Philipp. & in utraque ad Theſſalon. & ad Philemonem, modeſtiæ cauſa ſe Paulum tantùm nominavit. De Epiſt. ad Hebr. ſic Clemens Alexandri. apud Euſeb. lib. 6. hiſtor. cap. 11. [Pro humilitate, qui ad Gentes fuerat deſtinatus, non ſcripſit ſemetipſum Hebræorum Apoſtolum; vel propter honorem Domini, qui ſe miſſum dixerat ad oves Iſrael.] At cũ Impoſtores eius auctoritatẽ elevabant, vel ijs, ad quos ſcribebat, erat ignot⁹, veldeniq; cùm præcipiebat aliquid Apoſtolicum, nempe Timotheo, & Tito, ut Epiſcopos conſtituerent, ut conſtaret ſuæ poteſtatis id eſſe, ſe appellabat Apoſtolum, honorificans nempe non ſe, ſed ſuum miniſterium. Ad Rom. 11. n. 13. & 1. ad Timoth. 2. num. 7. & 1. ad Cor. 9. num. 1. ut prædicatio Evangelij meritum pondus haberet apud omnes.

Et ſanè Apoſtolatus munus honorifi- 5
centiſsimum eſt in Eccleſiaſtica Hierarchia: prima eius, ac ſuprema dignitas 1. ad Corinth. 12. nu. 28. & ad Epheſ. 4. nu. 11. Latiſsimè patuit eorum poteſtas: ad eos enim ſpectabat, Evangelium promulgare, interpretari veteres Scripturas, condere novas; formam credendi in ſymbolo tradere, Eccleſias per totum orbem erigere; earũ miniſtros inſtituere; leges ſancire, aut eaſdem, ſi opus eſſet, abrogare. Denique ſacramentorum numerum, & eorum uſum legitimum edocere: idcirco appellantur *Eccleſiæ columnæ*, ad Galat. 2. nu. 9. & ad tanta obeunda munia primitias ſpiritus habuerunt, ad Rom. 8. num. 23. Adeò, ut affirmet Anſelm. & D. Thom. Matth. 3. & Suarez to. 2. diſp. 8. ſect. 2. & diſp. 24. ſect. 3. Chriſti Præcurſorem Baptiſtam minorem fuiſſe Apoſtolis miniſterio. [Maius enim miniſterium (inquit Anſel.) non fuit, quàm Apoſtolatus.] Cuius miniſterij titulo vel ipſe Chriſtus inſigniri voluit. Ad Hebræos 3. num. 1. *Conſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſsionis noſtræ Ieſum.* Vide ad Roman. 15. nu. 8. & Matthæi 15. nu. 24.

Iam verò Paulus per antonomaſiam 6
eſt Apoſtolus. Sic Auguſtin. lib. 3. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 3. Ipſe certè modeſtè æquat ſe vel ſupremis Apoſtolis 2. ad Corinth. 11. num. 5. *Exiſtimo, nihil me minus feciſſe à magnis Apoſtolis.* Et cap. 12. num. 11. *Nihil enim minus fui ab ijs, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli.* Sed memor demiſſionis, ſubdit: *tametſi nihil ſum.* Illud non dubitanter auſim affirmare, ſignificationem vocis, Paulo ſupra omnes Apoſtolos

convenire: Apoſtolus idem eſt, ac miſſus: Paulus autem fuit, qui miſſus à Chriſto, plures orbis regiones Evangelij face colluſtravit. Perſtringit ipſe longiſsimam peregrinationem, admirabilemque circuitum ad Roman. 15. num. 19. ubi Tol. annotatione 11.

Per voluntatem Dei.

7 DEtogabant impoſtores Apoſtoli auctoritati, quòd non fuiſſet aſcitus à Chriſto in Collegium Apoſtolicum, ſed vel privatim miſſus à Petro, vel certè publicè electus ab Apoſtolis. Hanc ipſe calumniam ſæpe refellit ad Galat. 1. num. 1. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitavit eum à mortuis.* Vbi duo docet: primum, ſe non eſſe miſſum ab hominibus, ut ipſe aliquando miſit Lucam, & Titum 2. Corint. 12. nu. 18. alterum, ſe nonnullis etiam Apoſtolis in hac parte eſſe præferendum, quòd illi per homines electi ſint, ut Matthias, Actuũ 1. num. 23. *Statuerunt duos*; ipſe verò immediatè ab Spiritu Sancto. Expreſſè enim

8 habetur Actuum 13. num. 2. *Dixit illis Spiritus Sanctus, ſegregate mihi Saulum, & Barnabam.* Cùm verò à Spiritu Sancto miſſus eſſet, à Chriſto ſe miſſum affirmat, quia eadem eſt poteſtas utriuſque perſonæ. Sic Actuum 20. nu. 28. creatio Epiſcoporum Eccleſiæ attribuitur Spiritui Sancto, cùm tamẽ ipſe Paulus ad Ephe. 4. nu. 11. eãdem attribuat Chriſto. Et 1. Corinth. 12. nu. 28. eadem etiam attribuitur Deo. Videlicet opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa. Obſervat Chryſoſt. hom. 1. ad Galat. verba illa, *qui ſuſcitavit eum à mortuis*, pertinere non ad tuendam modò, ſed etiam amplificandam Apoſtoli dignitatem: nam magnos illos Apoſtolos ambulans iuxta mare vocaverat Chriſtus, cùm morti obnoxiam vitam agebat. Paulum verò vocavit, cùm iam aſcendiſſet in cælum. Vide Auguſti. lib. 1. Rètractationũ. c. 24. & D. Th. lect. 1. in epiſt. ad Galat.

9 Secundò ſignificat Apoſtolus, ſe non ſuis meritis, ſed Dei nutu, ac ſingulari beneficio fuiſſe evectũ ad Apoſtolatus culmẽ. Vtrumq; ſenſum agnoſcit Anſel. hîc, cùm ait. [Et hoc non per ſua merita, vel per humanam electionem, ſed per voluntatem Dei.] Propterea à Apoſtolatum ſæpe gratiam appellat. Ad Epheſ. cap. 3. n. 8. *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, in Gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti.* Sic ad Roman. 1. num. 5. & cap. 15. num. 15. & ad Galat. 2. num. 9.

10 Illuſtratur totum hoc ex illo cap. 1. ad Galat. ubi cùm abundè diluiſſet Apoſtolus, quod ſibi obijciebatur; addit, nu. 15. *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret filium ſuum in mè, ut evãgelizarem illum in Gentibus, &c.* Græcè, *eudoKeſen*: cuius verbi germana ſignificatio ea eſt: ita probare aliquid, gratumque habere, ut eius approbationis cauſa potiſſimùm ducatur ex prona Dei ad benefaciendum voluntate. De quo fuſiùs infrà num. 19. *Ergo cùm placuit ei*, ideſt, cùm ſua ſponte, nullis meis meritis lacęſsitus, decrevit, tam eximiam gratiam in me conferre, ac me nondum in lucem editum, altiſsimo miſericordiæ beneplacito, ad tam excelſum munus ſegregare: (ecce idem verbum, quod ad Roma. 1. nu. 1. & Actuum 13. num. 2.) iam tunc ſelegit me, ac ſepoſuit ad promulgandum Evangelium. Hoc proprie eſt *aphorizin*: eximia quædam, lectiſsimaque ſecernere. Vnde Aphoriſmi, ſententiæ ſelectæ; Paulus verò *vas fuit electionis*. Actuũ 9. n. 15. ideſt, valde ſelectum.

11 Hoc eodem modo Chriſtus ſegregavit Apoſtolos. Marci 3. num. 13. *Vocavit ad ſe, quos voluit ipſe.* Quo verbo & ambitionem, & meritum Apoſtolorum excludit. *Neque quiſquam ſumpſit ſibi honorem, ſed qui vocatus eſt à Deo.* Hebr. 5. num. 4.

Atque hinc, quaſi ſponte naſcitur poſtremus horum verborum ſenſus: Apoſtoli perſonam non ipſe mihi arripui, ſed per

Dei

12 Dei voluntatem impoſitam ſuſtineo. Cõgruunt hunc ſenſum Apoſtoli menti, mirificè confirmat ſalutatio 1. Timothe. 1. *Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti ſecundũ imperium Dei.* Ecce quã hîc appellat voluntatem, ibi vocat imperium; quod detrectare nefas eſſet: nam ut ipſe ait, 1. Cor. 9. num 16. *Neceſſitas mihi incumbit. Væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero.* Sed quando denunciatum eſt Paulo hoc imperiũ? Cùm ſpirantem minas, cædeſque anhelantem, cæleſti luce perculſum Chriſtus exturbavit. Sic ipſe refert Actuum 22. num. 21. *Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te.*

Et Timotheus frater.

13 CVm Paulus Romæ detineretur in vinculis à Nerone, Timotheum ad ſe accerſijt, quem Epheſi Epiſcopum conſtituerat, 2. ad Timoth. 4. nu. 8. nu. 13. & 21. Cùm ergo Timotheus dictò audiẽs eſſet, quas deinde ex vinculis dedit Epiſtolas, & ſuo, & Timothei nomine prænotavit. Vide Baron tom 1. anno. 59.

14 Hieronym. in Epiſtolam ad Philem. duplici de cauſa factum putat. [Vt & epiſtola maiorem haberet auctoritatem, quæ non ab uno ſcribebatur; & quia nulla æmulatio erat inter Apoſtolos, ſi quid fortè Paulo dictãte, alij Spiritus ſuggeſſiſſet, abſque ulla triſtitia addebat Paulus.] Sic Hieronym. Sed magiſtro orbis, ſapientiæ cæleſtis luce perfuſo, parum à diſcipulo poſſet auctoritatis, aut lucis accedere: & iam totæ epiſtolæ Pauli non eſſent ipſiuſmet Pauli, ſi alius præterea dictabat, quæ ſibi ſpiritus ſuggerebat: & interdum contingeret, ut univerſa promiſcuè fidelium multitudo afflatum condendi Scripturas acciperet, quia omnium nomine ſalutatio prænotatur, ut ad Galat. 1. num. 2. *Et qui mecum ſunt, omnes fratres.* Chryſoſt. mihi videtur cauſam propiùs attigiſſe hom. 1. in epiſt. 2. ad Corinth. [Coniunxit illum ſibi, partim illi hac re dignitatem, & auctoritatem concilians, partim ſuam declarans modeſtiam.]

Numerus 2.

Eis, qui ſunt Coloſsis.

15 MIROR, poſtquàm Chryſoſt. & OEcumenius diſertè affirmarunt, Coloſſas urbem eſſe Maioris Phrygiæ, cuius etiã meminit Plinius; dum Aſiam deſcribit lib. 5. cap. 32. & Strabo lib. 12. c. 3. tamen adhucuſque eò hallucinatos fuiſſe quoſdã interpretes, ut Coloſſenſes cum Rhodijs confundant! Perſtrinxit eos ſcilicet Coloſſus ille Solis, Rhodi fabricatus, adeò ſtupẽda mole, ut teſte Plinio, lib. 34. cap. 7. pauci pollicem eius amplecterentur, maioreſque eſſent digiti, quàm pleræque ſtatuæ. Prodigium iure optimo inter ſeptem orbis miracula relatum. Vulgarẽ hunc errorem refellit Baron. to. 1. anno Chriſti 60. Salmeron tom. 14. diſput. 1. in hanc Epiſtolam. Mihi ſatis eſt illa ratio; Laodiciam, & Hierapolim finitimas eſſe Coloſsis, ut conſtat ex cap. 2. num. 1. & cap. 4. num. 13. & expreſsiùs nu. 16. [Cùm lecta fuerit apud vos epiſtola hæc, facite, ut & in Laodicenſium Eccleſia legatur.] At in inſula Rhodo nuſquam tales urbes memorantur; quas tamẽ conſtat, in Phrygia ſitas eſſe.

Sanctis, & fidelibus fratribus in Chriſto Ieſu.

16 BLandè compellat Coloſſenſes triplici honorifico vocabulo, de more naſcentis Eccleſiæ: dicti nimirùm tunc omnes Chriſtiani, *fratres*: qua etiam nomenclatura uſus eſt Chriſtus, Matth. 23. n. 8. Lucę 22. num 32. Ioannis 20. num 17. & cap. 21. nu. 23. Tertullianus in Apologetico, cap. 39. [Quantò digniùs fratres & dicuntur, & habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt: qui unum ſpiritum biberunt ſanctitatis: qui de uno utero ignorantię eiuſdem, ad unam lucem ex-

paverint

17 paverint veritatis?] Nominabantur etiam ſancti. Paulus duntaxat plura nobis ſuppeditat teſtimonia: ad Roman. 1. num. 7. *Vocatis ſanctis*: cap. 15. num. 25. 1. Cor. 1. num. 2. 2. Corinth. 1. num. 1. & cap. 13. num. 13. *Salutant vos omnes ſancti.* Ad Epheſ. 1. num. 1. Sanctum autem, ſive *Agion*, idem eſt, ac purum, Deo dicatum. Sic illi primævi Chriſtiani abluti Chriſti cruore recēs effuſo, & adhuc penè calente, Deo addicti, & conſecrati ſanctitatem mirificè colebant; idque in eis operabatur æternus Pater: quod unigenitus Filius, iã iamque crucem ſubiturus, ab eo impetravit, Ioannis 17. nu 17. *Sanctifica eos.*

18 Fidelium appellatio cōmunior eſt, quia ad noſtra uſque tempora permanavit. Chryſoſt. hom. 1. hîc. [Non ideo dumtaxat fideles vocamur, quòd credimus: ſed & propterea quòd myſteria iſta nobis à Deo concreduntur.]

Numerus 3.

Gratia vobis, & pax.

19 APVD Hebræos communis fuit illa ſalutatio, qua pacem ſibi precabantur. Geneſ. 43. num. 23. *Pax vobiſcum.* Iudicum 6. num. 23. *Pax tecum.* Et aliàs ſæpe. Sic etiam abeūtes bona cum pace dimittebantur. 1. Reg. 1. num. 17. & 2. Reg. 15. num. 9. *Vade in pace.* Hac etiam ſalutandi forma uſus eſt Chriſtus, Ioannis 20. n. 26. *Pax vobis.* Eâdem ut uterentur, præceperat Apoſtolis, Matth. 10. num. 12. Pacis autem nomine bonorum affluentiã contineri, Hebræi exiſtimabant, omni calamitate ſecluſa. Hinc crebra illa interrogatio, cùm ſuborta erat ſuſpicio impendentis mali, 4. Regum 9. num. 19. *Numquid pax eſt? Es por bien eſta venida?* Bethlehemitæ, etiam Samueli inopinatè venienti, 1. Reg. 16. nu. 4. *Pacificus ne eſt ingreſſus tuus? Vienes a amenazarnos algun deſaſtre?* 2. Regum 18. num. 29. *Eſtne pax puero Abſalon? Ale ſucedido alguna deſgracia?*

Sed ut ad Epiſtolarum ſalutationes veniamus, non prætermittam memorabilem Platonis ſententiam, Epiſt. 3. ad Dionyſ. Petis, an rectiùs ponatur in ſalutationibus *gaudere*; an quemadmodùm ego ſolitus ſum, *bene agere.* Ego autem neque Deum hoc modo, neque hominem ſalutarim: non Deum, quia contra illius naturam loquerer; nam procul à moleſtia, & voluptate Divinitas: non hominē, quia ſæpius detrimentum, & dolorem ſibi affert voluptas, hebetudinem in animo, & oblivionem, inſipientiam, & petulantiam pariens.] Horat. lib. 1. epiſt. 8. utrumque coniunxit. *Celſo gaudere, & bene rem gerere, &c.* Illa verò deinde ſalutatio omniū frequentiſsimè percrebuit, qua ſe valere iubebant, ſibi ſalutem nuntiabant. Quam ſalutandi formam videmus uſurpaſſe Vulgatum, Iacob. 1. num. 1.

Ad eamdem ſpectat, quod ſcribit Seneca, Epiſtol. 15. ſolitos fuiſſe Veteres ad ſuam uſque ætatem, *ita* epiſtolas inchoare: *ſi vales, bene eſt.* In quam ſententiam Plinius Iunior lib. 1. epiſt. 11. [Vel ſolum illud ſcribe, unde Priores incipere ſolebant: ſi vales, bene eſt; ego quidem valeo.] Seneca verò, ut erat Philoſophiæ amator egregius. [Nos, inquit, diçimus: ſi philoſopharis, bene eſt. Valere enim hoc demum eſt: ſine hoc, æger eſt animus.]

Paulus verò quaſi ſigillum impreſsit Epiſtolis, gratiæ ſalutationē. De quo c. 4. num. ulti. Tertullianus lib. 5. contra Marcionem, cap. 5. [Iudæi in pacis nomine ſalutant: evangelizator autem bonorum, id eſt, gratiæ Dei, paci eam præferendam ſciebat.] Hac ergo ſalutatione uſus eſt ad Roman. 1. num. 8. 1. Corinth. 1. num. 3. ad Galat. 1. nu. 3. ad Epheſ. 1. nu. 2. ubique ferè eiſdem verbis. Sed cùm ubiq; etiam oratio inabſoluta maneat, ex uſu Apoſtolico ſupplendum eſt verbū *Plethynthie*, quod expreſsit Petrus in utraq; Canonica, & beatus Iudas in ſua. In priore quidem Petri cap. 1. num. 2. vertit Vulgatus, *multiplicetur.* In poſteriore, cap. 1. num. 2.

&

& in epiſtola Iudæ, num. 2. *adimpleatur.* Precabantur nimirum Apoſtoli fidelibus & cumulum, & incrementum bonorum cæleſtium.

23 Gratia, & pax ita ſunt interſe connexa, ut priùs Apoſtolus exoptet gratiam, nempe iuſtificãtem, qua & remiſsio peccatorum, & amicitia cum Deo, & participatio divinæ naturæ, & ius ad gloriam continetur: deinde verò precetur pacem, quæ ſine gratia conſiſtere non poteſt, nam pax uberrimus eſt virtutis fructus. Iſa. 32. num. 17. *Erit opus iuſtitiæ, pax.* Pſalm. 84. nu. 11 *Iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt.* Pſa. 71. num. 7. *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis.*

24 Contrà verò flagitioſi neque ipſi ſecũ, neq; cum alijs pacẽ habere poſſunt. Secũ non habent, quia diſsidentium cupiditatum fluctibus huc illuc miſerè agitantur. Iſai. 57. nu 20. *Impij autem quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt: non eſt pax impijs.* Ab alijs etiam diſsidẽt, quia ob ea, quæ ardenter appetunt, ſæpe cum illis in contentionem veniunt: unde diſcordiæ implacabiles oriuntur. Iacob. 4. num. 1. *Vnde bella, &c.*

A Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.

25 NOn meminit Spiritus Sancti, quia poſtulare gratiam & pacem, eſt ipſum Spiritũ Sanctũ poſtulare. Ad Ro. 5. n. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Propterea etiam appellatur ab Eccleſia *donum Dei altiſsimi.* Et 2. Cor. 13 n. 13. illud nobis à Deo cõmunicari, & impartiri exoptat Apoſtolus. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & cõmunicatio Sancti Spiritus ſit cum omnibus vobis.* Ergo cùm poſtuletur miſsio Spiritus Sancti, ideo non poſtulatur, niſi à Patre, & Filio, qui ſolùm dicũtur mittere in Diuinis. Vt docent Theologi cum D. Tho. 1. P. q. 34.

26 Deum appellat Patrem noſtrum, non ſolùm quia creatione Pater eſt, Deut. 32. num. 6. ſed quia per Evangelium accepimus ſpiritum adoptionis filiorum, ad Roma. 8. num. 16. Legis Moſaycę cultores non tam pro Patre indulgente habebant Deum, quàm pro ſevero Domino: ſpiritus ſervitutis, metuſque pœnæ eos in officio continebat. At Chriſtiani, quibus talem charitatem dedit Pater, *ut filij Dei nominemur, & ſimus,* 1. Ioannis 3. num. 1. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei vivi,* 1. Petr. 1. num 23. *Effecti divinæ conſortes naturæ,* 2. Petr. 1. num. 4. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti,* ad Roman. 8. num. 17. pro filijs ſe gerunt, ſpiritu filiorum aguntur, Deum ut Patrem reverentur, eius vel minimam offenſiunculam extimeſcunt. Denique erecti ſpe Paternæ agnationis, hæc cęleſtia dona ab indulgentiſsimo, effuſiſsimoq; Parente pro certo ſibi pollicentur.

Gratias agimus Deo, & Patri Dñi noſtri Ieſu Chriſti.

27 SVbeſt hîc, *Euchariſteo.* Quod verbum Salmeron tom. 13. diſput. 26. & Maldonatus Matth. 14. num. 19. & cap. 26. nu. 26. identidem uſurpari à ſacris Scriptoribus promiſcuè pro benedicere, aut gratias agere, itidem ut *eulogeo,* copioſiſſimè demonſtrant. Itaque in hoc loco perinde ſe habet, *gratias agimus Deo, & Patri,* ac ad Epheſ. 1. nu. 3. & 2. Corinth. 1. num. 3. & 1. Petr. 1. num. 3. *Benedictus Deus, & Pater.*

28 Et ſententia quidem perſpicua eſt, ſed quæ incenſam Apoſtoli charitatem vel maximè commendet. Agere enim Deo gratias pro beneficijs in proximos collatis, eſt ita ardenter proximos amare, ut eos tanquam me alterum exiſtimem; obſtrictuſque ſim Deo pro beneficijs, quæ ipſi receperunt. Atque ea de cauſa ſalutatione finita, ubi conciliat ſibi fidem, & auctoritatem, ſolet ſemper Apoſtolus exordium ducere à gratiarum actione, precibuſque fuſis pro ijs, ad quos ſcribit,

quò

quò eorum ſibi conciliet benevolentiam: permagni enim intereſt ad recipiēda monita ſalutaria, ſi ea tibi perſuadeas ab eo tradi, cui tua ſalus cordi ſit.

Semper pro vobis orantes.

29 ET agit gratias pro ijs, quæ iā à Deo obtinuerant Coloſſenſes; & preces aſſiduè fundit pro obtinendis ijs, quæ adhuc deſiderabant: quod utrumque argumentū eſt ardētiſsimæ caritatis. *Sēper* (inquit) quæ vox Luc. 18. n. 1. *oportet ſemper orare*, faceſsit negotium expoſitoribus; cùm fieri nullo modo poſsit, ut nunquam ab oratione deſiſtamus: nam ut etiam varijs occupationibus diſtricti, Deum præſentem contemplemur, identidemque ad illum animum referamus, quod non niſi valde perfecti faciunt; certè dormientes minimè poſſumus orare; & eſt neceſſariū perfectiſsimo cuique, aliquantulum ſomni capere.

30 Planiſsimus eſt Auguſt. ſenſus, exponentis illud Apoſtoli 1. Theſſalon. 5. nu. 17. *Sine intermiſsione orate*; & ad Epheſ. 6. num. 18. *Orantes omni tempore*, tom. 6. de Hæreſibus ad Quodvult. hæreſi 57. [Vt nullo die, inquit, intermittantur certa tēpora orandi.] Affirmat ergo Apoſtolus, ſe nunquam orare, quin pro Coloſſenſibus etiam Deum deprecetur. Clariùs ſenſum hunc expreſsit 2. ad Timoth. 1. num. 3. *Quòd ſine intermiſsione habeam tui memoriam in orationibus meis*: & ad Philem. num. 4. *Semper memoriam tui faciens in orationibus meis*. Sed quid mirum, flagrātem Apoſtoli caritatem eò uſque progreſſam, ſi ferè hoc ipſum de ſe teſtatur Samuel 1. Reg. 12. n. 23. *Abſit autem à me hoc peccatum in Dominum, ut ceſsem orare pro vobis*. Se inexpiabili ſcelere violatum iri putat, ſi preces intermittat fundere pro populo: notabile Sacerdotibus documentum.

31 Illud eſt mirandum maximè, adeò exoptaſſe Apoſtolum, ut Romani in animum inducerēt, ſibi vel maximè eſſe cordi eorum ſalutem, ut hanc ſolicitam curā aſſiduè pro illis deprecādi; arctiſsimo, ſanctiſsimoq; iureiurando illis firmatam, teſtataméque voluerit, ad Rom. 1. n. 7. *Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſervio in ſpiritu meo, in Evangelio filij eius, quòd ſine intermiſsione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis*. Hanc Pauli adſeverationem fuiſſe verè iuramentum, convenit inter Expoſitores; & ſimile uſurpavit cap. 9. n. 1. ubi mirabilem dilectionem, creditu difficilem, qua optabat anathema eſſe à Chriſto pro fratrib⁹ ſuis, grayiſsimo iureiurando confirmavit. Finis enim doctrinæ arduæ, ac pernecceſſariæ ſtabiliendæ, iuſtam facit uſurpationē iuramenti. Quia ergo magni momenti erat, hanc ardentē Apoſtoli caritatem notam, ac certam eſſe proximis: cùm res eſſet occulta, quæq; ſub aſpectum minimè caderet, Deū, qui occultorum eſt conſcius, teſtem appellat. Et quamvis noluerit hîc teſtatam facere iureiurando hanc curam deprecandi pro Coloſſenſibus, tamen hoc ſupplevit repetita aſſeveratione, nam id ipſum inculcat num. 9. 32

Numerus 4.

Audientes fidem veſtram in Chriſto Ieſu.

33 AUſam reddit Apoſtol⁹, cur in eam gratiarum actionem proruperit: nempe quòd audiſſet ab Epaphra (auctor eſt hîc Chryſoſtomus) eos alta iecciſſe Fidei fundamenta, & ſpe cæleſtis repromiſsionis erectos, caritatem in proximos exercere. Græcè, *cùm audiſſemus. Acusātes.* Atq; ut ſemel hoc adnotem⁹ pro tota hac Epiſtola; habent Græci quædam participia formata ex Aoriſtis, quæ vim habent apud ipſos præteriti temporis; ea tamen noſter Interpres, fortaſſe ductus religione reddendi participium participio, coactuſque inopia Latinæ linguæ, ſæpe ſolet vertere, quaſi præſentia. Hîc c. 1.

numer. 2. *pacificans*. Græcè, *pacificatus*. cap. 2. num. 13. *donans*. Græcè, *condonatis*. num. 14. *delens*, Græcè, *deleto*. ibidem, *affigens*. Græcè, *ſuſtulit affixum cruci*. num. 15. *expolians*. Græcè, *expoliatis*. c. 3. num. 9. *expoliantes*. Græcè, *poſtquàm exſuiſtis*. numer. 10. *induentes*. Græcè, *induti*.

34 Sed quia cauſati ſumus inopiam Latinæ linguæ, illud eſt animadvertendum: ſæpe Vulgatum reddidiſſe hæc Aoriſta per præſens, etiam ubi præteritum æquè Latinum ſuppetebat. Matth. 14. num. 14. *Exiens vidit turbam*. Græcè, *egreſſus*. Actuum 1. num. 22. *Incipiens à baptiſmate*, Græcè, *exorſus*.

35 Identidem etiam Vulgatus, cùm id ſententiæ perſpicuitas deſiderat, ingenitam vim præteriti attribuit Aoriſtis, etiã ſi illi opus ſit, uti circuitione. Hîc c. 1. n. 12. *qui dignos nos fecit*, vertere de more potuiſſet, *facienti*. Sic c. 2. n. 12. c. 3. n. 10. ut hinc cernere liceat, quantopere iuvet cognitio Græcæ linguæ ad innatam vim temporum penetrandam. Sed doctè advertit Ribera in Epiſtolam ad Heb. cap. 1. num. 16. ita Vulgatum alterum tempus pro altero uſurpare, ut tamen ex ijs, quæ dicuntur, non ſit difficile Græcè neſcienti, utrũ præſens, an præteritum ſit, diiudicare: v. gratia, Heb. 1. num. 3. *Purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis*. Perſpicuum cuivis eſt, ſententiam requirere præteritum tempus, ſcilicet, *peccatorum purgatione facta*.

Et dilectionem, quam habetis in ſanctos omnes.

36 CVm latiſsimè pateat caritas, & ad omnes proximos ſe diffundat, cur tam anguſtis cancellis eam circumſcribit Apoſtolus, ut ſanctos dumtaxat complectatur? At hos illi terminos quaſi præfigit, non hîc ſolùm, ſed etiam ad Epheſ. 1. num. 15. & ad Philem. numer. 5. Floruit quidem initio naſcentis Eccleſiæ ſingularis amor inter fideles. Hæc erat illa caritas fraternitatis, tam ſæpe commendata ab Apoſtolo: nam & fratres, & ſanctos appellatos fuiſſe fideles, probavi ſuprà num. 2. ad Rom. 12. n. 10. *Caritate fraternitatis invicem diligentes*. 1. ad Theſſalon. 4. nu. 9. *De caritate autem fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis: etenim illud facitis in omnes fratres*. Ad Hebræos 13. nu. 1. *Caritas fraternitatis maneat in vobis*. Græcè, *Philadelphia*: de cuius vocis vi lege Tolet. in Cap. 12. ad Rom. & Riber. in Cap. 13. ad Hebræos.

37 Sed ſuſpicor, hîc nõ ſolùm ſermonem eſſe de caritate illa Theologica, amoreq; elicito, quo Chriſtiani vel ſanguinarios hoſtes proſequuntur; ſed etiam de dilectione imperata, hoc eſt, de eleemoſyna, qua alij aliorum indigentiam benigniſsimè ſublevabant, egenteſque fideles Ethnicis præferebant. Habet enim caritas ordinem ſuum, quem non evertere, ſed perficere voluit Chriſtus, cùm præcepit Luc. cap. 6. num. 30. *Omni petenti te tribue*: ut explicat Maldon. Matth. cap. 5. num. 42.

38 Hanc eſſe germanam huius loci intelligẽtiam, colligo primùm ex more receptiſsimo fidelium, qui per collectas, ſanctorum neceſsitatib⁹ ſummo ſtudio ſubveniebant. 1. Corinth. 16. num. 1. *De collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Eccleſijs Galatiæ, ita & vos facite*. Ad Rom. 15. num. 16. *Collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum*: & n. 31. *& obſequij mei oblatio accepta fiat in Hieruſalem ſanctis*, id eſt, ut meo miniſterio collecta eleemoſyna perveniat ad ſanctos, qui ſunt in Hieruſalem, eoſque reficiat. Lege Baron. tom. 1. anno 44.

39 Moveor ſecundò, quia ſæpe hortatur Apoſtolus ad huiuſmodi caritatem exercendam erga ſanctos: ad Roma. 12. num. 13. *Neceſsitatibus ſanctorum communicantes*. Ad Galat. 6. num. 10. *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei*. Vbi Apoſtolus verba facit de eleemoſyna, quam præcipuè vult conferri fi-

delibus,

delibus, quos domeſticos nominat. Si enim Eccleſia Dei vivi eſt dom⁹ Dei 1. ad Timoth. 3. n. 15. omnes, qui de Eccleſia ſunt, domeſtici, & familiares ſunt. Subvẽtionem verò ipſam appellari ab Apoſtolo *dilectionem*, conſtat ex cap. 6. ad Heb. n. 10. *Non enim iniuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis.* Miniſtrare in Scriptura, eſt eleemoſynas largiri: probat ibi Ribera ex cap. 15. ad Roman. num. 25. & 27.

40 Moveor tertiò ex Epiſtola illa ad Philem. dilaudãs enim Apoſtolus caritatem illius erga ſanctos, ſubiungit num. 7. *Quia viſcera ſanctorum requieverunt per te.* Grę cè, *refocillata ſunt*. Sic vertunt Eraſmus, Gagneius, & Vatabl. qui adhuc planiùs explicat [Quòd alimenta neceſſaria ſanctis ſuppeditaſti.]

Atque hinc arbitror ortum habuiſſe, ut convivium illud, quod in primitiva Eccleſia ſolemne erat, ſanctis pauperibus exhiberi, Agape diceretur: eadem nimirum voce Græca, qua hîc uſus eſt Apoſtolus, de quo Baron. tom. 1. anno 57. & Lorin. Act. 2. verſ. 42.

Numerus 5.

Propter ſpẽ, quæ repoſita eſt vobis in cælis.

41 ADmovet ſtimulos exercendę caritatis, merces ampliſsima promiſſa eleemoſynæ. Vnde non levis ducitur cõiectura pro noſtra explicatione: ſpes enim præmij, vehemens eſt incitamentum ſubveniendi, non item amandi. Legimus, quoſdam inſultaſſe Tobiæ cap. 2. n. 16. *Vbi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas faciebas?* Sed illud notandum, ſpem hîc ſumi pro re ſperata, ut ad Titum 2. num. 13. *Expectantes beatam ſpem.* Actuum 28. num. 20. *Propter ſpem enim Iſrael catena hac circumdatus ſum.* Propter Chriſtum, hoc enim nomine eum compellat in hoc cap. num. 28. & 1. Timoth. 1. num. 1. *Chriſti Ieſu ſpei noſtræ.* Nec alienum hoc à profanis Scriptoribus. *Magnæ ſpes altera Romæ*, cecinit ille.

Repoſita, inquit, ideſt, recondita, aſ- 42
ſervata, ut, *manet alta mente repoſtum.* Iob 19. num. 27. *Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* 2. Machab. 12. num. 45. *Optimam haberent repoſitam gratiam.* 2. Timoth. 4. num. 8. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*: inſtar ſcilicet pecuniæ altè defoſſę: ut Lucæ cap. 19. numer. 20. talentum dicitur *repoſitum*, quod Matth. cap. 25. numer. 17. ait, fuiſſe *defoſſum in terra*.

Qui verò ſubvenit egenti, theſaurum 43
ſibi recondit non in terra, ſed in cęlo. Luc. 12. nu. 33. *Date eleemoſynam: facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt; theſaurum non deficientem in cælis.* Opes ibi repoſitæ neque tinea corrumpi, neque furto eripi, neque incendio abſumi, neque naufragio abſorberi poſſunt. Propterea Petrus Epiſtola 1. cap. 1. num. 3. ſpem, in quam ſumus regenerati, vocat *ſpem vivam, hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem*: quo nihil grandius, & magnificentius dici potuiſſet. Subiungit, unde tam fixa, & inconcuſſa certitudo proveniat: *conſervatam*, inquit, *in cælis*; ſcilicet in tuto. Spes 44
mortalium acutè appellavit Ariſtoteles, apud Laertium lib. 5. cap. 1. *vigilantium ſomnia*: evaneſcunt ſubitò; ludificantur, ac deſerunt hiantes omnibus ſenſibus, & imminentes; ſpes verò noſtra ſolida res eſt, & in cælis aſſervata. Proverb 11. nu. 18. *Impius facit opus inſtabile.* (Hebraicè, *fallax, mendax*) *ſeminanti autem iuſtitiam merces fidelis.* Vatab. *ſtabilis.* Iuſtitia in ſacro ſermone, idem eſt, ac eleemoſyna: multis probant Maldonat. Matth. 6. nu. 1. & Genebr. Pſalm. 36. numer. 27. & Pſalm. 23. n. 6. Sementis verò cum eleemoſyna comparatio uſurpata eſt ab Apoſtolo, ad Galat. 6. nu. 8. & 9. & 2. Cor. 9. 45

num.9. & 10. eſtque ſatis apta translatio. Nam ut ille, qui ſementem facit, quaſi diſſipat per agros, quæ aſſervabat in horreis; ſic ineſt quędam quaſi profuſio in eleemoſyna: & ut terra mandata ſemina, agricola aliud agente, multiplicato cum fenore reddit; ita quæ in egentes effudit largitio, ijs, qui effuderant, nihil cogitantibus in cæleſti theſauro opportuno tempore tribuenda reponuntur.

Quam audiſtis in verbo veritatis Evangelij.

46 GEneroſus ille impetus, quem ad proſequendum bonum arduũ ſpes indit animis noſtris, incitari nullo modo poſſet, niſi anteceſsiſſet fides, certaque, ac firma perſuaſio, quòd illud obtineri tandem queat. Nemo enim exardeſcit efficaci deſiderio, ſpemque concipit aſſequẽdi, quod aut futile, & nugatorium, aut prorſus cenſet impoſsibile. Propterea fides definitur ab Apoſtolo ad Hebræ. 11. num. 1. *Sperandarum ſubſtantia rerum*: nulla enim erit ſpes, niſi fulciatur, ac ſuſtentetur fide. Græcè, *hypoſtaſis*. Subſiſtentia: quæ ſcilicet efficit, ut ea, quæ ſperantur, atq; adeò non ſubſiſtunt, ſubſiſtant tamen fidę, hoc eſt, uſque eò rata, ac firma habeantur, ac ſi in rerum natura ſubſiſterẽt, & manu tenerentur.

47 Huius validiſsimę anchoræ ſpei adũci dẽtes mordicus apprehenſam tenẽt divinã veracitatem, ad Hebr. 6 nu. 18. *Vt per duas res immobiles* (promiſsionem, & ius iurandũ,) *quibus impoſsibile eſt mentiri Deum, fortiſsimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus. Fortiſsimum*, inquit, cuius nempe immobilitatem fluctus difficultatum, tanquam editam rupem, altis radicibus defixam, ita verberẽt, non ut eam commoveant, ſed ut ipſi frangantur.

48 Appellatur autem Evãgelium *verbum veritatis*, ut ad Epheſ. 1. num. 13. multis de cauſis. Primò, quia eſt verbum Chriſti, qui eſt increata, & ſumma veritas, Ioannis 14. nu. 6. Deindè, quia veritas idẽ eſt, ac ſtabilitas, perpetuitas, ut probat Maldon. Ioan. 14. num. 17. Itaque verbum veritatis, id eſt, ſtabile, in omnem æternitatem duraturum. *Cælum enim, & terra tranſibũt, verba autẽ mea nõ tranſibũt*. Luc. 21. n. 33.

Tertiò, veritas Evangelij opponitur figuris Veteris legis: umbram enim fugavit veritas, de quo infrà, cap. 2. num. 17. Verbum ergo veritatis, id eſt, continens res ipſas ſolidas, & expreſſas, per umbras illas obſcurè ſignificatas.

Quartò denique ſimpliciſsimè, verbũ veritatis, id eſt, verax. Chriſtus enim ad hoc venit in mundum, ut teſtimoniũ perhiberet veritati: Ioan. 18. nu. 37. Sic Spiritus Sanctus, quòd doctor ſit veritatis, vocatur *Spiritus veritatis*. Ioan. 16. num. 13. Imò Evangelium ipſum per antonomaſiã intelligitur nomine Veritatis. Galat. 5. nu. 7. *Quis vos impedivit veritati non obedire?* Græcè, *pitheſthæ*. Eraſmus: *ut non crederetis veritati*. Montanus: *veritate non ſuaderi*. 49

Quadratque utrumque in vocem, & in rem; ſuaderi, ad mentem; obedire ſpectat ad affectum. Et certè veritatem Evãgelicam in utraque animi parte dominari, ęquiſsimum eſt: nam quę vera eſſe quis iudicat, ijs niſi pareat, niſi vivat ex eorum præſcripto; iure optimo graviſsimas pœnas incurret.

Numerus 6.

Quod pervenit ad vos, ſicut & in univerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit, ſicut in vobis.

QVod, ſcilicet Evangelium (ut conſtat ex Græco) ad vos perlatum avidè excepiſtis: fructuſque editis tanto ſemine dignos. Vt verò aliorum etiam exemplo incitati, longiùs in dies progrediantur, docet, eamdem ſementem ubique terrarũ factam, lætiſsimos, uberrimoſq; proventus polliceri. 50

Occaſione hui⁹ ſentẽtię gravis eſt exorta 51

quæſ-

quæſtio, an tempore Apoſtolorum fuerit impletum celebre illud vaticinium Chriſti, Matth. 24. num. 14. *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe: & tunc veniet conſummatio.* Marc. 13. n. 10. *Et in omnes Gẽtes primùm oportet prædicari Evãgelium.*

Pars affirmans ſuadetur ex altero etiam teſtimonio huius Epiſtolæ cap. 1. nu. 23. *Quod prædicatum eſt in univerſa creatura, quæ ſub cælo eſt*: & ad Rom. 10. n. 18. *Sed dico: numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit ſonus eorum*, &c.

52 Ex altera verò parte compertum eſt, ipſa experientia teſte, etiam noſtra tempeſtate, nondum fuiſſe Evãgelium diſſeminatum toto orbe; nam patefactæ ſunt in Oriẽte, & Occidẽte regiones vaſtiſsimæ, quibus ne tenuiſsimus quidem doctrinæ Evangelicæ ſplendor affulſit: quò nunquam lux Apoſtolorum penetravit. Agitarunt hanc quæſtionem Bellarm. tom. 1. lib. 3. de Romano Pontifice c. 4. Tolet. in Epiſt. ad Roman. cap. 10. annotat. 11. Suarez tom. 2. diſput. 56. ſect. 1. & copioſiſsimè Maluend. toto lib. 3. de Antichriſto.

53 Paucis ego perſtringam ſententiã meã. Verba illa Chriſti accipienda ſunt in rigore, ac proprietate ſermonis: ſic ea accipiunt omnes ferè Patres apud citatos. Primò, nam alioqui nihil valeret illud ſignũ, quo Chriſtus prænuntiavit, ac prodidit conſummationem ſæculi. Deinde, quia cauſam huius univerſalis promulgationis reddidit Chriſtus Matth. 24. n. 14 *in teſtimonium omnibus Gentibus*: ne ulla ſcilicet eſſet natio tam diſſita, tam abdita, quæ in die Iudicij poſſet infidelitati ſuæ, quaſi velũ quoddam obtendere, invincibilem ignorantiam. Ergo oportet, priùs Evãgelij lucẽ univerſos orbis angulos perluſtrare.

54 Cenſeo ſecundò, hæc Apoſtoli verba fuiſſe hyperbolica: qui tropus frequentiſsimus eſt in ſacra Scriptura. Luc. 2. nu. 1. *Deſcriberetur univerſus orbis*: neque enim totus orbis, Romanorum parebat imperio. Ioann. 12. num. 19. *Ecce mundus totus poſt eum abijt.* Matth. 27. num. 45. *tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram.* Ioan. 21. n. ult. *Quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Actuum 2. n. 5. *Ex omni natione, quæ ſub cælo eſt*: & c. 11. num. 28. & cap. 24. num. 5. ad Rom. 1. num. 8. *Fides veſtra annunciatur in univerſo mundo.* 1. Theſſal. 1. num. 8. *Sed & in omni loco fides veſtra*, &c.

Illa autem verba, *fructificat, & creſcit*, 55
translata ſunt à ſemente, unde crebrò ducitur hæc metaphora. Luc. 8. num. 12. & Marc. 4. n. 26. *Sic eſt regnum Dei, quemadmodùm ſi homo iaciat ſementem in terrã, & ſemen germinet, & increſcat.* Sed videntur verba quaſi trãſpoſita: priùs enim creſcũt ſegetes, deinde fructificant. Deeſt quidem *auxanomenon* in pleriſque codicibus, quare Vatab. & Eraſm. qui ut ſuas verſiones obtrudant, nullam non captant occaſionem detrahẽdi Vulgatæ, illud rejiciunt: ſed agnoſcunt tamen, & exponũt Græci haud paulò iſtis graviores, Chryſ. & OEcumen. *Fructificat* (ait Chryſoſt.) *eò, quòd efficaciter operatur: creſcit, propterea quòd multi illud amplectuntur.* Itaque primò fructus edit virtutum ſolidarum in ijs, ad quos pervenit: deinde verò eorum exemplo, ac prędicatione in dies magis, ac magis dilatatur.

Ex ea die, qua audiſtis, & cognoviſtis gratiam Dei in veritate.

PErſtat adhuc in laudatione Coloſſenſium; quibus ubi primùm affulſit Evangelium; & lux illa veritatis eorũ oculis gratiſsima accidit, & nullis unquam apud eos tenebris obſolevit. Ineſt in hac laudatione obliqua illa quidem, ſed gravis, ac vehemens cohortatio; ne à ſe ipſis deſciſcant: ne ſibi inconſtantiæ, ac levitatis notã inurãt; tueantur potius, atq; adeò vincant concitatam expectationem ſui. 56

Gratiam Dei vocat ſingulare illud beneficium, quod in homines cõtulit Deus. 57

Charis enim apud Græcos, & gratia apud Latinos, identidem uſurpantur in hac ſignificatione: ad Titum 2. nu. 11. *Apparuit gratia Dei.* Ideſt, eximium promeritum, quod cap. 3. num. 4. vocat *benignitatem.* Græcè, *chreſtotes*: cuius nominis vim Græcę linguæ ſcientiſsimus D. Baſil. explicavit in Regulis brevioribus, interroga. 214. cùm ſcilicet benefacimus ijs, qui opus habent, etiam ſi nulla eis ratio ſuppetat obtinendi: in quo propriè gratia conſiſtit.

58 Quam Dei gratiam non ſunt aſſequuti Coloſſenſes tenui coniectura, ſed infallibili veritate Evangelij, ſuprà nu. 5. Nihil enim magis proprium Evangelij, quàm firma, & inconcuſſa veritas. Luc. 1. nu. 4. *Vt cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Græcè, *aſphalian.* Montanus vertit. *Firmitudinem.* Maldonat. *Firmitatem.* Vatab. & Pagninus. *Certitudinem*; eam nempe, quæ omnem prorſus excludat dubitationem.

59 Sed duplex hîc tam brevi intervallo facta mentio veritatis, ſuſpicionem mihi movet, iam nunc Apoſtolum, vel in ipſa laudatione ſenſim, & obſcurè pœdem cũ hoſtibus conferre, & in arcem cauſæ, quã ſibi propoſuit expugnandam, invadere. Moliebantur Impoſtores, fide inſtructos Coloſſenſes, à lege Evangelica ad Iudaicos ritus; à Chriſto, ad Moyſen; à vera religione, ad inanem iam ſuperſtitionem; ab ipſa denique veritate, ad meras umbras, figuraſque traducere. Tacitè itaque illos adhortatur ad retinendam veritatẽ: *cognoviſtis*, inquit, *gratiam Dei in veritate*,
60 id eſt, agnoſcitis tam eximium Dei beneficium, non in umbraticis, legalibuſque ceremonijs vobis exhibitum, ſed in ipſa veritate, in re ſolida, & expreſſa, quam illę umbræ figurabant. Ergo ne tanto ſtupore mentis opprimemini, ut prudentes, ac volentes ad futiles illas, & inanes umbras devolvamini? In hanc ſententiam exponit Maldon. verba illa Ioannis 17. num. 17. *Sanctifica eos in veritate.* Hoc eſt, non iam legalibus ceremonijs, ſed chariſmatis Evãgelij; non umbra, ſed vero ſpiritu. Eòdem ſpectat illud Ioannis 4. num. 24. *Spiritus eſt Deus: & eos, qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare*, id eſt, non iam Iudaico ritu, & ſuperſtitione, ſed verè, & ſpiritualiter colendus eſt Deus.

Sic intelligo locum illum ad Epheſ. 6. 61
num. 14. *State ergo ſuccinti lumbos veſtros in veritate.* Solebant Orientales oblongis uti veſtibus: ideoque miniſtraturi colligatam veſtem cingulo ſtringebant ad lũbos, ne ſibi eſſet impedimento Vide Maldonat. Luc. 12 nu. 35. Cùm ergo cuperet Apoſtolus, fideles in procinctu eſſe, omninoque paratos ad Dominũ excipiendum; ut nuntiato rumore de eius repentino adventu, ne tantulam quidem moram interponerent, ſed confeſtim advolarent; & (quod præcipit Chriſtus) faces iam inflãmatas manibus tenerent, ne tãtiſper morarentur, dum ignem illæ conciperent; iubet eos eſſe præcinctos, non illo quidem externo baltheo, ſed præparatione interna, quam baltheus, quaſi per umbram ſignificabat. Non itaque umbra, ſed veritate ſunt conſtringendi lumbi: quãdoquidem & ipſi lumbi præcingendi, non ſunt lumbi carnis, ſed mentis, ut expreſſè monuit Petrus 1. cap. 1. num. 13. *Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam.*

Numerus 7.

Sicut didiciſtis ab Epaphra cariſsimo conſervo noſtro.

62 NOndum contigerat Apoſtolo, corã inſtruere Coloſſenſes: ſed prima apud eos iecerat fundamẽta doctrinę Epaphras, eorum popularis, & Epiſcopus: ut colligit Baron. tom. 1. anno Chriſti 60. ex cap. 4. num. 12.

Cariſsimũ eum vocat. Græcè, *agapetu.* Vnde illi, quib⁹ nihil eſt antiquius, quàm Vulgati luminibus obſtruere, Eraſmum

intellig o,

intelligo, & ſimiles, mira cõſenſione pro chariſsimo *dilectum* ſuppoſuerunt: perinde quaſi id Vulgatus ignoraverit, qui cæleſti inſtinctu, ubi res ipſa clamabat, & infinitum amorem præferebat, ſic reddidit hanc vocem, Matth. 3. num. 17. *Hic eſt filius meus dilectus*. Sic Marc. 1. num. 11. Luc. 3. num. 22. Matth. 12. nu. 18. & c. 17. nu. 5. & 2. Petr. 1. num. 17.

63 Neque verò id perpetuò obſervavit, ſed aliquando etiam vim nominis expreſſit, etiam cùm ex re ipſa inexplicabilis erumpebat amor. Marci 9. num. 6. *Hic eſt filius meus cariſsimus*. Sed quia, ut notavit Salmer. to. 14. diſp. 3. in cap. 1. ad Epheſios, num. 6. & Adamus in cap. 1. 2. Petri, & Ribera in cap. 6. ad Hebræos, num. 40. Græcum verbum *agapan*, longè plùs ſignificat, quàm *diligere* Latinum, ut ipſum etiam diligere apud Ciceronẽ minus eſt, quàm amare: idcirco Interpres, ut æquaret vim nominis *agaperos*, quod magis ſonat amabilem, quàm dilectũ, neceſſe habuit vertere, *cariſsimus*, ut in hac epiſtola cap. 4. num. 9. & nu. 14. Iacob. 1. num. 16. & num. 19. & cap. 2. num. 5. aut *dilectiſsi-*
64 *mus*, ut ad Hebr. 6. num. 9. Nec tamen recuſat interdum reddere *dilectus*, ut Græcum imitetur, & verbum reddat è verbo. Et verò ſolet etiã aliàs Vulgatus, cùm Latinum poſitivum non exhaurit vim Græci, eam exprimere ſuperlativo. Ad Hebr. 6. num. 18. *Fortiſsimum ſolatium*. Græcè, *ilchyran*: & cap. 12. num. 11. *fructum pacatiſsimum*. Græcè, *irenicon*.

Qui eſt fidelis pro vobis miniſter Chriſti Ieſu.

65 ATtribuit illi honorificentiſsimum titulum, de quo ſæpe Paulus gloriatur. Vt in hoc cap. n. 23. & n. 25. 2. Cor. 6. num. 4. & 1. Cor. 4. num. 1. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti*. Quæ tamen eſſent hæ functiones, ſive Diaconiæ, explicat Tolet. ad Roman. 12. num. 7. & Baron. tom. 1. anno 34.

Numerus 8.

Qui etiam manifeſtavit nobis dilectionem veſtram in ſpiritu.

Ententiã alioqui per ſe perſ- 66
picuam obſcuravit vox illa *in ſpiritu*: interpreteſque diſtraxit in varias expoſitiones. Prima Carthuſsiani: *quia* (inquit) *ab Spiritu Sancto infunditur, & eſt in ſpiritu*, id eſt, *in ſuperiore parte animæ, ut in ſubiecto* Verè id quidem, ſed ad rem parum accommodatè. Neque enim ignorabat Apoſtolus, charitatem infuſam auctorẽ habere Deum, ſubiectum, animam: neque ſi ignoraret, Epaphras manifeſtare potuiſſet, in cuius adſpectũ non cadebat. Mitto, in Græco deſiderari articulum: ſæpe enim non apponitur, etiam cùm ſermo eſt de Spiritu Creatore, ut attigit Ribera, ad Hebr. 9. num. 71.

Secunda Claudij: id eſt, *Dilectionem* 67
non fictam. Scio, hanc ſæpe commẽdari ab Apoſtolo ad Roman. 12. num. 9. *Dilectio ſine ſimulatione*; ad Epheſ. 4. num. 15. *Veritatem autem facientes in caritate*. *Amando con veras, no por cumplimiento*. Sic 1. Ioa. 3. num. 18. Iacobi 2. nu. 15. Sed exigua laus, eos nõ amare Paulum ſimulatè, quorum dilectionem in omnes ſanctos extulerat. Tertia Chryſoſt. Oecumenij, Anſelm. & ferè cõmunis: *dilectionem in ſpiritu*, id eſt, ſpiritualem, non excitatam communione ſanguinis, non conglutinatam beneficijs, &c. [Nihil enim terrenum hîc eſt, (ait Chryſoſt.) unde iſta naſcatur: non ex conſuetudine, non ex beneficentia, non ex natura, ſed ex ſupernis deſcendit, ex ipſo cælo.]

Simpliciſsimus ſenſus mihi videtur, ut 68
Epaphras retulerit Apoſtolo dilectionem erga ipſum conceptam *ſpiritu*, & animo, cùm nunquam de facie illum noviſſent. Sic ſæpe uſurpatur vox *Spiritus* hîc cap. 2.

num.

num.5. *Etſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum.* 1.Corinth.5. num.3. *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu.* Marci 2.num.8. *Quo ſtatim cognito Ieſus ſpiritu ſuo.* Et quod hîc dicit Apoſtolus *in ſpiritus*, 1.Theſſalon.cap.2.num.17. ait, *corde. Nos autem, fratres, deſolati à vobis* (Græcè, orbati. Ferebat enim eos in oculis, ſicut Pater filios ſuos, ibidē nu.11.) *ad tẽpus horæ* (id eſt, ad breviſsimum tempus) *aſpectu, non corde, abundantiùs feſtinavimus faciem veſtram videre cum multo deſiderio*, id eſt, etſi carebam moleſtè cōſpectu veſtro, animus tamen pervolabat ſpatia terrarum, præſenſque vobis aderat. Sic in præſenti. Renuntiavit mihi Epaphras dilectionem veſtram, qua me nondum de facie notum, ſpiritu tamē amatis. Cohęret mirificè, quod ſubdit.

Numerus 9.

Ideo & nos ex qua die audivimus, non ceſſamus pro vobis orantes.

69 NOs itidem tam propenſam voluntatem pari voluntate rependentes, atque adeò emetientes cumulatiſsimè, vos viciſsim, etiam non viſos, amamus, ex eo ſtatim die, quo de veſtra in nos charitate certiores facti ſumus. Atque huius amoris ardentiſsimi illud erit vobis argumentum, quòd nullum tempus intermittimus, quin Deum pro veſtra ſalute deprecemur. Vide ſupr.nu.3.

Orantes. Græciſmus eſt, & frequentiſsimus, & elegantiſsimus; in quo participium uſurpatur pro infinitivo. Ad Epheſ. 70 1.num.16. *Non ceſſo gratias agens.* Vnus Lucas, qui Græcè ſcribendi palmam ceteris præripuit, plura exempla ſuppeditabit, ne ea corrogemus à prophanis ſcriptoribus. Cap.5.num.4. *Vt autem ceſſavit loqui.* Græcè, *loquens.* Cap.7.num.45. *non ceſſavit oſculari.* Græcè, *oſculans.* Actu 6. num.13. & cap.21.num.32. Græciſmum retinuit Vulgatus, Actuum 5. num.ulti. & cap.20. numero 31.[Non ceſſavi, cum lachrymis monens unumquemque veſtrum.]

Et poſtulantes, ut impleamini agnitione voluntatis eius.

71 ENumeravit Apoſtolus dona Coloſſenſibus divinitus collata, propter quæ proruperat in gratiarum actionem: accedítque deinceps ad materiam orationis. Primò ergo poſtulat, ut pleniſsimè agnoſcant divinam voluntatem, cuius iam notitiam aliquam percèperant: quod valde mirandum eſt; cùm potiùs petendum videretur, ut eam cumulatiſsimè exequerentur. *Nam ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non præparavit, & non fecit ſecundum voluntatem eius, vapulabit multis.* Luc.12. num.47. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi.* Iacobi 4. num.17. eſt enim tunc tranſgreſsio cum inexcuſabili malitia.

72 Enim verò ſemper in Scriptura immortalis beneficij loco reponitur, Deum impertire agnitionem ſuæ voluntatis: eſt enim perinde, ac ſi nocte quadam obſcuriſsima incedenti viâ lubrica, foveis, præcipitijſque prærupta, facem præferres. Baruc. 4.num.4. *Beati ſumus Iſrael, quia, quæ Deo placent, manifeſta ſunt nobis.* Hoc enixè contendit Moyſes à Deo, ut exponit Oleaſter Exod.33.num.13. *Oſtende mihi faciẽ tuam.* Hebraicè, *vias tuas.* Quæ autem eſſent iſtæ viæ, explicavit nobis David Pſalm.102. num.7. *Notas fecit vias ſuas Moyſi, filijs Iſrael voluntates ſuas.* Præcepta (inquit Genebr.) & prohibitiones, voluntates Dei dicuntur.

73 Propterea idem David *unam* dumtaxat à Domino poſtulat, Pſalm.26.num.4. *Vt videam voluntatem Dñi.* Scio, Hebraicè

legi

legi, *dulcedinem*, Græcè, *voluptatem*; atque ita haberi in Vulgatis correctis: ſed poteſt etiam explicari in eam ſententiam, ut præoptet David fluxis, ac perituris huius mundi voluptatibus ſolidam illam voluptatem, quę percipitur ex agnitione eorum, quæ Deo placita ſunt. Certè Ananias dum commemorat beneficia in Paulum divinitus collata, digitum intendit ad hunc fontem, ex quo cætera fluxerũt. Actuum 22. num. 14. *Deus Patrũm noſtrorum præordinavit te, ut cogноſceres voluntatem eius.*

74 Hanc ipſam agnitionem crebrò commendat Apoſtolus. Ad Epheſ. 5. num. 17. *Intelligentes, quæ ſit voluntas Dei.* Sed eſt locus inſignis ad Roman. 12. num. 2. *Ut probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Græcè, *doKimazin.* Origenes in cap. 12. epiſtolę ad Romanos, Baſil. in Regulis breviorib⁹, interrogatione 276. Hieron, lib. 1. contra Iovi. expendentes vim huius verbi, ſic eam exponũt. *Vt exquiratis, ſeu exploretis.* Sunt enim triplicia, quę Deus vult, à nobis fieri. Quędam enim bona ſunt, quædam meliora, quędam perfecta. Illuſtrat hoc multis exẽplis Toletus ibi. Vnum ſubijciam. Diligere amicum, bonum eſt: ei benefacere, melius: at inimicum diligere, eiuſque iniurias beneficijs compenſare, perfectum planè eſt. Ergo exquirendum eſt ſummo ſtu-

75 dio, quæ ſit voluntas Dei bona, quæ beneplacens, aut perfecta. Hæc eſt germana proprietas huius verbi: nam quod Lucas, cap. 12. num. 56. ait, *faciem cæli, & terræ noſtis probare*, ſic expreſsit Matth. cap. 16. num. 4. *Faciem ergo cæli diiudicare noſtis.* Vides quemadmodùm probare, idem ſit, ac ſcire, ſeu diiudicare? Ad Roman. 2. num. 18. *Noſti voluntatem eius, & probas utiliora.* Ad Epheſ. 5. num. 10. *Probantes, quid ſit beneplacitum Deo.* Ad Philip. 1. nu. 10. *Vt probetis potiora*: & 1. Theſſal. 5. num. 21. *Omnia probate: quod bonum eſt, tenete.* Et qui tam ſæpe adhortatur ad explorandam, & exquirendam divinam voluntatem, quod ſanè difficillimum eſt in tanta rerum humanarum caligine, in tã cæca, & effrenata perturbatione cupiditatum, quæ fucum nobis faciunt, & mentis oculos ſæpe perſtringunt, & rebus etiam perſpicuis tenebras offundunt: idẽ Apoſtolus aliàs monet, ne tranſverſum quidem unguem ab hac divina voluntate iam perſpecta deflectẽdum eſſe, ut hîc cap. 4. num. 12. & ad Hebr. 13. num. 28.

In omni ſapientia, & intellectu ſpirituali.

GRæcè ſecundo loco, *ſyneſi*: quam 76
vocem non ſolùm Eraſmus, & Vatab. hîc vertunt *prudentia*, ſed etiam Vulgatus, Lucæ 2. num. 47. 1. Corinth. 1. num. 19. ad Epheſ. 3. nu. 4. ut ad Epheſ. 1. num. 8. *In omni ſapientia, & prudentia.* Græcè, *phroneſi*: diverſis quidem nominibus, ſed idem prorſus ſignificantibus.

Variè hæc exponunt interpretes: nec 77
vacat properanti ſingulas recenſere opiniones, nedum refutare. Perſtringam, quod reputo probabilius. Sapiẽtia verſatur circa veritates æternas, rimatur myſteria Trinitatis, Incarnationis, Iuſtificationis, & Glorificationis: quę planè ſuperant noſtrum captum: idque cum quodam ſpirituali guſtu, ex admirabili convenientia. Nam ut rectè Bernard. ſerm. 84. in Cantica. [Sapientia à ſapore denominatur: nec dixerim reprehendendum, ſi quis ſapientiam ſaporem boni definiat.]

Prudentia verò eſt recta ratio rerum 78
agendarum. Quæ latiſsimè patet, & in omnium virtutum ſupernaturalium munia ritè, atque ex ordine obeunda, cæleſtẽ ductum, rationeſque ſectando, ſe ſe interſerit.

Spiritalem eam appellat, ut ſecerni 79
poſsit à prudentia illa carnali, de qua ad Rom. 8. num. 6. *Prudentia carnis mors eſt: prudentia autem ſpiritus, vita, & pax.* Quęcunque eligit prudentia ſpiritus, ea debẽt præponderari honeſtate; carnalis verò prudentia metitur omnia honore, voluptate, & emolumento: modò iſta aſſequatur,

nihil

nihil pensi habet, turpiter ne, an honestè; ut cernimus in illo villico iniquitatis, Lucæ 16. num. 8.

Numerus 10.

Vt ambuletis dignè Deo.

79 AMbulare in Scriptura idem est, ac operari. Eius rei, quia innumera exempla adduci possunt, nullum adducam. Legatur Maldonat. Luc. 13. num. 33. Est ergo ambulare dignè Deo, ita vitam instituere, ut Dei filios decet: ut par est, eos vivere, qui iure gloriantur, se Parentem habere Deum. Phrasis est Apostolo familiaris. Ad Roman. 16. num. 2. *Vt eam suscipiatis in Domino, dignè sanctis.* Hoc est, ut decet sanctos, excipere hospites. Ad Ephes. 4. num. 1. *Vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis.* Id est, ut respondeatis tam eximio beneficio. Ad Philipp. 1. num. 27. *Tantùm dignè Evangelio Christi conversamini*, id est, eam vitam agite, quæ decet professores Evangelij. 1. ad Thessalon. 2. num. 12. *Vt ambularetis dignè Deo, qui vocavit vos.*

Per omnia placentes.

80 NImirùm qui ambulaverint dignè Deo, placebunt illi per omnia. Genes. 5. num. 24. ubi legimus de Henoch: *Ambulavitque cum Deo*; LXX. vertunt. *Beneplacuit Deo.* Eccles. 44 num. 16. *Henoch placuit Deo.* Sapiē. 4. num. 10. *Placēs Deo factus est dilectus.* Ad Hebr. 11. nu. 5. *Testimonium habuit, placuisse Deo.* Ecce, qui cum Deo ambulavit, hoc est, vitam traduxit dignè Deo, congruenter divinæ voluntati, placuit illi per omnia.

81 Sic Noe Genes. 6. nu. 9. *Cum Deo ambulavit.* LXX. reddunt, *placuit Deo.* Invenit scilicet gratiam coram Domino, ibi, num. 8. *Et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Eccles. 44. num. 17. Græcè, *antallagma*, idest, pretiū, quo aliquid redimitur. Nā usq; adeò placuit Deo eius vita integerrimè acta, ut hoc pretio transegerit Deus de incolumitate generis humani, quod aquarum eluvione funditus obruere statuerat.

Cùm vellet Deus Abrahamum ad eximiam, & excellentem virtutis ideam informare, hæc illi tradidit præcepta vivendi, Genes. 17. num. 1. *Ambula coram me, & esto perfectus.* LXX. *complace corā me, & esto inculpabilis, seu, irreprehensibilis.* Augustl. lib. 16. de Civitate, cap. 26. legit absolutè, *place, & esto sine querella.* Iam cernimus, quemadmodùm LXX. illud ambulare cum Deo, sive corā Deo, quod idem est, ac ambulare dignè Deo, semper interpretati sunt, *placere Deo.* Vt valde suspicer Apostolum, tam eximiè versatū in sacris Scripturis, ad suprà commemoratos locos in præsenti alludere voluisse. 82

In omni opere bono fructificantes.

83 FRuctus, quos edere solet fides, sunt bona opera. Quod Baptista monuit. Matth. 3. num. 7. & Luc. 3. num. 8. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*; exposuit Paulus Actuum 26. num. 20. *Digna pœnitentiæ opera facientes.* Hinc illæ minæ Matth. 21. num. 43. *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.*

84 Hoc mysterium fuit arefactæ ficulneę. Matth. 21. num. 19. cùm tamen non esset tempus ficorum, ut prodidit Marcus, cap. 11. num. 13. Nam (ut graviter exponit Maldon.) arbores non nisi statis temporibus fructus ferre debent; hominibus verò tota vita est quasi æstas, atque adeò tota debet esse bonis operibus fructifera: nec quidquam eos, præter voluntatem depravatam, steriles facit. Vide Isai. 5. n. 2. & Luc. 13. num. 6. & Matth. 3. num. 10. ubi isti fructus requiruntur à Deo, quos etiam exigit Apostolus ad Ephes. 5. nu. 9. *Vt filij lucis ambulate; fructus enim lucis est in omni bonitate.* Ad Philipp. 1. num. 11.

repleti

repleti fructu iuſtitiæ. Ad Roman. 6. n. 22. *habetis fructum veſtrum in ſanctificationẽ.*

Et creſcentes in ſcientia Dei.

85 SCientiam illam, qua Deum agnoſcimus, in omni opere bono fructificãtes aſſequũtur. Aurea planè eſt illa B. Frãciſci ſententia. [Tantum quiſque ſcit, quantum operatur.] Pſalm. 110. num. 10. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Hebraicè, *ea*, nempe, *mandata*: antecеſſerat enim, *fidelia omnia mandata eius.* Sed quia illud antecedens erat remotius, LXX. perſpicuitatis gratia, ad proximum *timorem Domini* retulerunt. Pſ. 118. num. 104. *à mandatis tuis intellexi*; id eſt, obſervatione tuorum mandatorum intelligentiæ lumẽ accepi. Ioan. 7. n. 17. *Si quis voluerit voluntatẽ eius facere, cognoſcet de doctrina, utrùm ex Deo ſit.* Provocat Chriſtus ad experientiam, validiſsimum probationis genus: obcęcabat Iudæos alienus à Chriſto animus, flagitioſa vita, cupiditas ardentiſsima rerum fluxarum: monet eos, iſta reſecare, divinæ voluntati morem gerere; ſic facilè, diſcuſsis tenebris, clariſsimam doctrinæ ſuæ lucem aſpecturos.

Numerus 11.

In omni virtute confortati ſecundum potentiam claritatis eius.

86 NON ſolùm deprecatur Apoſtolus, ut in omni genere virtutum excellentes, uberiora quotidie capiãt incrementa gratiarum; ſed circũſpiciens etiam pericula undique impendentia, Deum obſecrat, ut potentiæ ſuæ dexteram illis porrigat, eoſq; nutantes ob admotas hęreticorum machinas, ſuo robore confirmet. Græcè, *en paſe dynami dynamumeni.* Ad verbum: *in omni potentia facti potentes.* Vatab. *omni robore corroborati.* Vnde refellitur error penè puerilis Lyrani, & Cartuſsiani; nõ enim eſt hîc *aretè*, virtus, quę opponitur vitio, ſed *dynamis*, quę imbecillitati. Atque ob eamdem cauſam ſolent miracula appellari virtutes, quòd ijs patrandis maximè divina virtus, & poteſtas eluceſcat. Vide Rib. ad Hebr. cap. 2. num. 11. & Maldon. Matth. 7. num. 22. & Marci 6. num. 5.

Virtutis ergo nomine Spiritum ſanctũ 87
intelligo, ſeu (quod idem eſt) donum fortitudinis, quo ſolet ille fidelium pectora adverſus hoſtiles impetus obarmare. Facem mihi præfert ad hanc expoſitionem locus ille ad Epheſ. 3. num. 16. *Vt det vobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem.* Moveor etiam, quia Spiritus Sanctus ſolet hoc nomine vocari in Scriptura. Luc. 1. num. 3. *Virtus altiſsimi obumbrabit tibi*: eſt enim quaſi repetitio ſentẽtiæ ſuperioris, *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*: ut doctè probat ibi Maldon. Expreſsiùs Lucæ 24. num. 49. *Vos autem ſedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Actuum 1. num. 8. *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos.* 88
Sic enim virtus, & Spiritus Sanctus frequentiſsimè ſolent in ſacris litteris copulari. Lucæ 4. num. 14. *Regreſſus eſt Ieſus in virtute ſpiritus.* Actuum 10. num. 38. *Quomodò unxit eum Deus Spiritu Sãcto, & virtute.* Ad Roman. 1. num. 4. & cap. 15. num. 13. 1. Corinth. 2. nu. 4. & 1. ad Theſſalon. 1. num. 5. Et hoc eſt, quod ſubdit Apoſtolus, *ſecundum potentiam claritatis eius*: neque enim ſunt metiendæ, aut æſtimandæ vires, quas interdum in ſanctis obſtupeſcimus, ex humana ipſorum imbecillitate, ſed ex divina, qua fulciuntur, corroborantúrque virtute. Ad Epheſ. 6. num. 10. *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius.* 2. Timoth. 2. nu. 1. *Confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Præclarè Bernard. ſermo. 85. in Cantica. [Nihil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit omnes, qui in ſe ſperant.]

Fiden-

89 Fidenter itaque pronuntiat Apostolus ad Philippens. 4. numer. 13. *Omnia possum in eo, qui me confortat*: sed longè fidentiùs ad Roman. 8. cùm exaggerato animi impetu omnia, sive supera, sive infera, ad singulare certamen provocasset, perinde quasi reportata victoria, epinicion canit ante initam pugnam: numero 37. *In his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Augustin. lib. 22. de Civitate cap. 23. & lib. 4. de doctrina Christiana, cap. 20. legit, *per eum, qui dilexit nos.* Sic vertit Vatabl. & Erasmus: imò & Interpres ita reddere solet præpositionem *dià* Ioan. 1. numero 3. *Omnia per ipsum facta sunt*: numero 10. *Mundus per ipsum factus est*; & sexcentis alijs locis. Et ita hîc interpretantur Græci, & Tolet. annotatione 24. ut *propter*, significet causam efficientem, cuius virtute victoria reportetur. Græcè, *hypernicomẽ. Supervincimus.* Quod expendens Basilius in Psalm. 114. ait. [Vincit is, qui necessitate quapiam illatis non cedit; at supervincit, qui sua sponte ad se quoque accersit dolores permolestos, & acres, quò suæ edat specimen patientiæ.]

90 Et verò homulum pavidum, & imbellem usque eò progredi invicto animi robore, ut cruciatus acerbissimos, atrocissimamque mortem, non modò non perhorrescat, sed lacessat etiam, atque deposcat, mirificè redundat in glòriam Divinæ omnipotentiæ. Hoc Christus prænunciavit Petro, Ioann. 21. numero 19. *Significans, qua morte clarificaturus esset Deum.* Igitur *potentia claritatis* est potentia clara, pervagata, & maximè illustris, per Hebraismum, in sacris litteris frequentem, quo gignendi casus adiungitur pro appositio. Clarificatur enim Divina omnipotentia, redditurque gloriosa, non re quidem ipsa, sed hominum opinione, (quod nomen ipsum *doxa* præsefert) ex cruciatibus, & morte ipsa pro Dei honore constanter oppetita. Atque ut ex hoc ipso nomine Hebraismi petamus exẽpla, ad Hebr 9. n. 5. *Cherubim gloriæ.* Græcè, *doxes*, hoc est, *gloriosi*, ut ibi exponit Riber. num. 30. Matth. 19. numero 28. *in sede maiestatis suæ.* Græcè, *doxes.* Id est, in nube quadam longè, latèque collucente.

In omni patientia, & longanimitate cum gaudio.

91 QVos Spiritus Sancti virtus invicto robore munivit, ij nõ æquo solùm, & lubenti animo perferunt adversa, sed in medijs etiam cruciatibus gaudent, ac triumphant. Actuum 5. numero 41. *Et illi quidem ibant gaudentes, &c.* Ad Roman. 5. numero 3. *Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus*; id est: tantùm abest, ut despondeamus animum, aut suffundamur pudore, ut veluti accepto insigni, & honorifico Dei dono, in medijs calamitatibus nos felices, ac beatos prædicemus. Iacob. 1. numero 2. *Omne gaudium existimate, &c.* 1. Petr. 3. numero 14. *Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati.* Hauserant scilicet hoc Apostoli omnes propinante Christo Matt. 5. num. 11. *Gaudete, & exultate, &c.*

92 Atque hic est altissimus patientiæ gradus, quem à fidelibus requirit Iacobus, cap. 1. numero 4. *Patientia opus perfectum habet.* Græcè, *habeat*: explicat Gagneius, id est, *gaudium, & alacritatem.* Imò iam tunc non tam est virtus patientiæ, quàm fructus Spiritus Sancti, de quo ad Gala. 5. numero 22. Nam ex S. Thom. 2. 2. q. 136. artic. 1. ad 3. [Fructus in sui ratione importat quamdam delectationem: & ideo patientia quantum ad habitum, ponitur virtus; quantum autem ad delectationem, quam habet in actu, ponitur fructus.] Sic Sanctus Thomas.

Numerus 12.

Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum.

93 SVbeſt hîc idē verbum, quod 2. Corinth. 3. num. 6. reddit Vulgatus, *idoneos nos fecit.* Græcè, *hicanoſen*: & ſignificat, Deum ſua electione dignos facere, quos eligit: ut elegantèr cecinit ingeniorum Phœnix, Picus ille Mirandu.

Quanquam ſat digni, ſi quos dignatur amare:
Qui, quos non dignos invenit, ipſe facit.

Sortem verò appellat regiam hæreditatem, vel potiùs divinam, ad quam vocati ſumus; quia ſortitò diſtributæ ſunt partes terræ promiſsionis. Actuum 13. num. 19. *Sorte diſtribuit eis terram eorum.* Pſal. 77. num. 54. & Numer. 34. num. 13. & Ioſue 14. num. 2. Vnde crebrò ducitur metaphora. Sap. 3. num. 14. *Dabitur illi fidei donum electum, & ſors in templo Dei acceptiſsima.* Cap. 5. n. 5. *Inter ſanctos ſors illorum eſt.* Actuum 8. num. 21. *Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto.* Et à voce Græca *cleros*, Sacerdotes, Divino cultui conſecrati, clerici dicuntur: vel quia (ut ait Hieron. in Epiſt. ad Nepotianū.) de ſorte ſunt Domini, vel quia ipſe Dominus ſors, ideſt, pars clericorum eſt.

94 Quærit Auguſt. tom. 8. ſerm. 2. in Pſ. 30. ad illa verba, *in manibus tuis ſortes meæ*, cur Propheta Regi⁹ Dei gratiam eximiā, ſortem appellet: & reſpōdet Aug. [Quia in ſorte non eſt electio, ſed voluntas Dei: ubi merita conſiderantur, electio eſt, non ſors: quando autē Deus nulla merita noſtra invenit, ſorte voluntatis ſuę nos ſalvos fecit; quia voluit, non quia digni fuimus.] Hactenus Aug.

95 Conſonat ſibi Apoſtolus ad Epheſ. 1. n. 11. *Sorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecūdum propoſitum eius.* Ex quibus verbis perſpicuè colligitur, bonum uſum liberi arbitrij pręviſum à Deo, non fuiſſe cauſam totius noſtræ prædeſtinationis: cùm prima vocatio omnino fluxerit ex perenni illo Divinæ bonitatis fonte: de quo Mol. 1. P. q. 23. art. 4. diſput. 1. memb. 4. & Vazq. 1. P. diſp. 95. c. 2.

In lumine.

96 NIhil luce purius: quæ cùm omnia perluſtret, nulla tamen ſordium contagione obſoleſcit: nihil potentius, & efficacius: nempe, quæ Solis, cauſarumq; cęleſtium præcipuum eſt inſtrumentum: nihil aſpectu pulchrius, nihil lætius. Eccleſiaſtes 11. num. 7. *Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre ſolem.* Propterea Cicero lib. de Vniverſitate, quem Græci vocant *coſmon*, Latinè reddit, *lucentem mundum.* Quid enim eſſet mundus, luce penitus extincta? Iam verò quanta eſt lucis in ſui diffuſione liberalitas? quanta in luſtratione velocitas? Quæ omnia cùm 97 mirificè quadrent in cæleſtem fidei doctrinam, ea ſæpenumero lumen appellatur. 1. Petr. 2. n. 9. *Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum.* Actu. 26. num. 18. *Vt convertantur à tenebris ad lucem.* Tempus etiam infidelitatis, & ignorantiæ, vocatur nox; & lux Evāgelij, dies. Ad Rom. 13. num. 12. *Nox præceſsit, dies autem appropinquavit.* Quin & ipſi fideles dicuntur filij lucis. Lucæ 14. n. 8. Ioann. 12. num. 36. ad Epheſ. 5. nu. 8. & 1. Theſſal. 5. num. 5. *Omnes vos filij lucis eſtis*, ſcilicet: quòd quemadmodùm filij ſuos parētes habitu oris effingūt, ſic fideles adeò exprimant moribus lucem Evangelij, ut ipſius etiam lucis agnomen mereantur. Ad Epheſ. 5. num. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

Ergo *in lumine*, ideſt, in fidei doctrina, 98 ſeu (quod eòdem recidit) in Baptiſmo. Tritum enim eſt, Baptiſmum appellari lumen, vel illuminationem: cuius nomenclaturę cauſam prodit Dionyſ. lib. de Eccleſiaſt. hierarchia cap. tertio. *Quia primi luminis conſortium tradit; omnium.*

que divinarum illuſtrationum principium eſt. De quo Nazianz. oratione 39. in ſancta Lumina: & ibi Nizetas. Ribera ad Hebræ. 6. num 4. *Qui ſemel ſunt illuminati*, id eſt, *baptizati*: & cap. 10. num 32. & Salmer. tom. 14. diſput. 2. in hanc epiſtolam: Belarmin. tom. 3. Controverſiarum controverſia 2. cap. 1. Viegas Apocal. 4. ſect. 7.

99 Neque alienum erit ab Apoſtoli ſtylo, imò congruentiſsimum ſcopo huius Epiſtolæ, ſi ita exponamus. *In lumine*, id eſt, in Chriſto. Certè ad Epheſ. 1. num. 11. ſic loquitur: *in quo* (ſcilicet Chriſto) *etiam & nos ſorte vocati ſumus.* Et ne aliunde petamus exempla, in eodem cap. 1. ad Epheſ. num. 3. *Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionem.* Eſt enim Chriſtus cauſa meritoria, & exemplaris noſtræ prædeſtinationis.

100 Quòd verò intelligatur nomine lucis, ſive luminis, eadem enim eſt vox Græca *phos*, notum eſt in Scriptura. Iſai. 9. numero 2. & Matth. 4. num 16. *Populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam.* Iſai. 60. num 1. *Surge, illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum.* Explicatque ſtatim, quodnam ſit iſtud lumen: *Super te autem orietur Dominus; & gloria eius in te videbitur.* Sic intellexit Iſaiam Simeon iuſtus. Luc. 2. num. 32. *Lumen ad revelationem Gentium*, hoc eſt, Gentibus revelandum. Sic etiam Paulus Actuum 13. n. 47. expoſuit illud eiuſdem Iſaiæ 49. num. 6. *Poſui te in lucem gentium.* Ioan. 3. num. 19. *Lux venit in mundum.* Cap. 8. num. 12. *Ego ſum lux mundi.* Cap. 9. nu. 5. *Quandiu ſum in mundo, lux ſum mundi.* 2. Corinth. 6. nu. 14. *Quæ ſocietas luci ad tenebras?* Subiungit Apoſtolus, quam lucem intelligat: *quæ autem conventio Chriſti ad Belial?*

(?)

Numerus 13.

Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum.

101 COntẽta voce clamabat Chriſtus Ioann. cap. 12. numer. 46. *Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.* Eximium ſanè beneficium, in pectoribus altè defigendum.

Eripuit verò nos; quia quaſi per vim abſtraxit: nam fortis ille armatus Luc. 11. num. 21. cuſtodiebat atrium ſuum, quoad fortior eo ſuperveniens vicit eũ, prædamq; è manibus extorſit. Iam Princeps huius mundi iectus eſt foras, Ioan. cap. 12. num. 31. exturbatus eſt ea poſſeſsione, quam ſibi per tyrannidem occupaverat. Nam quamvis etiam nunc in multorum animis dominetur, ſed, quantum in Chriſto fuit, omnino depulſus eſt: ipſi homines portam arcis, velut proditione quadam, ſua ſponte illi patefaciunt, ipſi deditionem moliuntur.

102 Dæmones ergo ſunt tenebræ, ſeu poteſtas tenebrarum; quia lucem illam, quæ lucet in tenebris, obſcuri, & tenebricoſi nunquam comprehenderunt. Ipſi ſunt architecti tenebrarũ, idololatriæ, & ſcelerum: ipſi tenebras amant, tenebris ſunt addicti; & ad eaſdem tenebras homines pertrahere machinantur.

103 Et *poteſtatis* quidẽ nomine Rectores, ſeu Principes intelliguntur in Scriptura, Lucæ 12. num. 11. ad Rom. 13. num. 1. ad Tit. 3. num. 1. ſignatè verò Dæmones: ad Epheſ. 6. num. 12. *Adverſus principes, & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum.* In hac Epiſtola cap. 2. n. 15. *Expolians principatus, & poteſtates.* At Lucæ 22. num. 53. *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*: per tenebras, Dæmones intelligunt omnes ferè Expoſitores.

Huius impotentiſsimi tyranni iugum

à no-

à nostris cervicibus deiecit Christus: de quo Sanctus Thom. 3. Part. quæst. 49. articul. 2. Has cimmerias tenebras, quas mortalibus offuderat, Sol hic iustitiæ fulgentissimo splendore discussit. *Visitavit nos oriens ex alto.* Luc. 1. num 78. Græcè, *ortus solis ex alto*. Prodigium nunquam spectatum in natura. Quis unquam vidit Solem subitò orientem, & illucentem mundo ex nostro Zenit? Ex Oceano surgentem, fingunt Poetæ: certè ex Orizonte emergit, cùm Hemisphęrium illustrat. At huius Solis *egressio est à summo cælo.* Psalm. 18. num. 6. rectis quodammodò lineis ad nos descendit, *illuminare his, qui* 104 *in tenebris, & in umbra mortis sedent.* Vmbram mortis appellat hanc miseram servitutem; qua in tenebricoso carcere oppressi tenebamur à potestate tenebrārum. Isai 9. num. 2. & Matth. 4. num. 16. *Sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* Est verò umbra mortis tristissima rerum facies, terrorem incutiens, ducta similitudine ex tetris, caliginosisque sepulchris, quibus nihil potest excogitari funestius, & ad aspectū horribilius. Lege Maldonat. Luc. 1. num. 79. & Pined. to. 1. cap. 3. versu 5. & tom. 2. cap. 24. vers. 17.

Et transtulit in regnum filij dilectionis suæ.

105 ERipi è tanto, tamque presenti discrimine, & horrore, satis profectò fuisset ad eximiam lætitiam concipiendam. Quid ergo erit gaudij, non modò è carcere extrahi, & impendenti morte liberari; sed & ad solium regale evehi, & cum Vnigenito Filio conregnare? *Que sentiria el esclavo aherrojado en una mazmorra, que por horas aguardava ya la muerte por sus delitos, quando de repente le vistiessen la purpura Real, y le pusiessen la Corona?* Simile quid refert Suetonius in Claudio, cap. 10. Claudius enim quæsitus ad cædem, extractusque ê latebris, quò se abdiderat, cùm iam iamque mucrones militū timeret, miro fortunæ lusu, creatus est subitò Romanorum Imperator.

Verè iusti sunt Reges: servire Deo, reg- 106
nare est. Mitto, quòd in cælesti regno dominabuntur in omnem æternitatem; etiam nunc verè regnant vel in medijs calamitatibus. Apocalyp. 1. num. 9. *Ego Ioannes frater vester, particeps in tribulatione, & patientia.* Tribulatione, & patientia, tanquam mœnibus fortissimis, septum, & vallatum est hoc regnum Cap. 5. num. 10. prorumpunt hi Reges in eam gratiarum actionem: *Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram.* Super terram, inquit, ne oculos dumtaxat defigeremus in regno cęlesti. 1. Petr. 2. num. 9. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium.*

Annotavit Beda, quos Matth. cap. 13. 107
num. 17. vocavit iustos: *multi Prophetæ, & iusti cupierunt videre, quæ vos videtis;* à Luca dictos fuisse Reges, cap. 10 numero 24. *Multi Prophetæ, & reges, &c.* Quia ij demum, vel potiùs ij soli sunt reges, qui fuerint iusti. Et profectò iniqui reges indigni erant, qui viderent Christum; ac proinde non extolleret beneficium collatum in Apostolos, nisi de Iustis loqueretur.

Psalm. 109. num. 3. ubi vertit Vulga- 108
tus, *tecum principium*; Græcè, *arche*; id est, *Principatus*; ex Hebræo reddi potest ad verbum. *Populus tuus Principes.* Nam eamdem vocem à radice *nâdab* Vulgatus exponit Psalm. 50 num. 14. *Spiritu principali*, id est, Principe. Lege ibi Geneb. nu. 5. & Pagnin. in Thesauro, & Viegam Apocalyp. 1. sect. 12. qui egregiè ponderat ex Ruperto, cedere hoc in eximiam Christi dignitatem, qui propterea appellatur *Princeps regū terræ*, quia omnes eius clientes, ac subditi, reges omnino sunt. Quod nulli Imperatorum contigit unquam. Hac verò regia Iustorum dignitate continetur regalis nobilitas, vel potiùs divina; ab ipso videlicet Deo originem ducunt, Divinæ naturæ consortes; cor magnanimū: cogitationes dignę Principe:

amplíſsimum patrimonium bonorum cę leſtium; nulli turpiter ſubeſſe; denique ſuæ Reip. hoc eſt, ſuis affectibus imperare.

109 Miror Gentiles aſſequutos fuiſſe hoc. Senec. in Thieſte.

Regem non faciunt opes,
Non veſtis Tyriæ color;
Non frontis nota regiæ;
Non auro nitidæ trabes.
Rex eſt, qui poſuit metus,
Et diri mala pectoris:
Qui tuto poſitus loco,
Infra ſe videt omnia.

Horat. lib. 1. Epiſtol. 1. *Ad ſummam: ſapiens uno minor eſt Iove: dives, liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.* Claudianus de 4. Honorij Conſulatu.

Tunc omnia iura tenebis,
Cùm poteris rex eſſe tui.

Auſonius. *Qui rectè faciet, non qui dominatur, erit Rex.* Omitto Philoſophos.

110 Appellatur Chriſtus filius dilectionis, & ut exponit Auguſtinus lib. 15. de Trinitate, cap. 19. & S. Tho. 1. P. q. 41. arti 2. ad 2. intelligendum eſt de amore eſſentiali, ſeu notionali reſpectivo, non de producto, qui eſt Spiritus Sanctus: nec denotatur habitudo cauſę, ſed formę. Eſt verò Hebraiſmus frequens in Scriptura genitivus pro appoſito: ad Roman 1. num. 4. *Spiritus ſanctificationis*, id eſt, *ſanctificans*. Vt notat ibi Toletus, & Ribera Oſeæ 1. num 26. Itaque *filius dilectionis*, idem eſt, ac eximiè dilectus. Lege Maldon. Matth. 3. num. 17. & Ioan. 3. num. 35.

Numerus 14.

In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum.

111 PRopiùs iam accedit; pedem cum hoſtibus confert; ſalutem humani generis nō Angelis, ſed Chriſto acceptam referendam eſſe, demonſtrat Extant eadē prorſus verba ad Epheſ. 1. num. 7.

Græcè, *apolytroſis*: propriè eſt redemptio captivi, perſoluto pro capite eius pretio: ut notant Adamus, & Toletus ad Roman. 3. num. 24. ad illa verba, *per redēptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Fuit verò pretioſiſsimum pretium, nempe ipſius ſanguis. 1. Cor. 6. num. 20. *Empti enim eſtis pretio magno.* 1. Petr. 1. num. 18. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine, &c.* Huius vel unica guttula, propter perſonam Verbi illi immediatè coniunctam, etiam cùm effuſus eſt in triduo, valorem infinitum habuit, & abundantiſsimum pretium fuit ad innumeros mūdos redimendos. Latè Suar. tom 1. diſput. 4. ſect. 4. Vel potiùs pretiū fuit ipſe Chriſtus. Ad Titum 2. nu. 14. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* 1. Tim. 2. num. 6. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Non ſubeſt hîc eadem vox Græca, ſed *antilytron*, hoc eſt, pretium perſolutum pro redemptione: itaque totus fuit noſtrum pretium: corpus ſanctiſsimum pro nobis tradidit, dilectam animam pro nobis poſuit: *non guttam ſanguinis modicam* (ait Clemenſ. 6. extravag. unigenitus, de pœnis, & remiſsionibus) *quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis ſuffeciſſet: ſed velut quoddam profluvium ſanguinis effudit.* Totus ergo eſt *noſtra iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio*, 1. Cor. 1. n. 30. [Quid miſericordius (inquit Anſel. lib. 2. cur Deus homo cap. 10) quàm quòd peccatori æternis tormentis deputato, & unde ſe redimeret, non habenti, Deus Pater dicit: accipe Vnigenitum meum, & da pro te; ipſe Filius: tolle me, & redime te.]

(?)

Numerus 15.

Qui eſt imago Dei inviſibilis.

PAſsis iam velis totum ſeſe effundit in extollenda Chriſti ſupra omnes cęleſtes ſpiritus dignitate.

114 *Inviſibilis*, genitivus eſt. Græcè, *aoratu*: eſtq; appoſitum Deo maximè proprium. 1. Timoth. 1. n. 17. *Immortali, inviſibili.* cap. 6. num. 16. *Lucem inhabitat inacceſsibilem: quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Pſalm. 103. num. 2. *Amictus lumine, ſicut veſtimento.* Pſalm. 17. n. 12. *Poſuit tenebras latibulum ſuum*: quæ licèt diverſa videantur, eòdem tamen recidũt; nam ut offuſa caligo cæcat aſpectum, ſic eximius ſplendor perſtringit.

115 Eſt ergo Deus inviſibilis, quia nulla creatura, quantumvis excellens, naturali intelligentię vi poteſt illum clarè intueri, niſi elevetur lumine gloriæ: Angeli eſto, fugiant noſtrę mentis aciem; at Dei ipſi? velint nolint, imò & aliorum ſpirituum notionem fugere non poſſunt. Deus verò à nemine omnino poteſt videri, niſi ſe ipſe ſpõte manifeſtet. Chryſoſt. homil. 2. de Verbis Iſaiæ, & hom. 3. de incomprehẽſibili Dei Natura, congruenter editioni LXX. et textui Hebraico, ut vertit etiam Forerius, Vatabl. Montanus, & Pagnin. Iſai. 6. num. 2. Seraphinos ait, duabus alis facies ſuas, oculoſque obtegere, quia ſplendorem illum inacceſſum è divino ſolio procurſantẽ, infirma mentis acie ſuſtinere minimè poſſunt. Hoc ſcilicet eſt, quod Dionyſ. ſcripſit c. 7. de cęleſti Hierarchia: *Seraphinos aſsidere ad valvas Deitatis*: quò nimirũm, niſi benignè admittantur, aditus omnino præcluſus non pateret.

116 Imago, ut definit Aug. lib. 83. Quæſtionum, quæſt. 74. & S. Thom. 1. P. q. 35. art. 1. eſt ſimilitudo expreſſa ad repræſentandum. Vnde unum ovum, licèt ſit ſimillimum alteri, non eſt illius imago, quia non producitur ad eius imitationem. Quia ergo Verbum Divinum ex vi ſuę productionis per intellectum procedit ut ſimile in natura; & concurrente eſſentia Divina in ratione ſpeciei intelligibilis, perfectiſsimè exprimit perſonam Patris, verè eſt illius abſolutiſsima imago.

Ad huius imaginis abſolutionem ſpe- 117
ctat, ut ſicut prototypon eſt inviſibile, ſit ipſa etiam inviſibilis. Nam ſicut Ioan. 1. num. 17. & cap. 6. num. 46. legimus, *Neminẽ unquam vidiſſe Patrem, niſi Filiũ*; ſic etiam Matth. cap. 11. num. 27. *Nemo novit Filium, niſi Pater.* Perſtringit etiã Filius eximio ſplendore mentis oculos. Sapientiæ 7. num. 26. *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius.* Ad Hebr. 1. num. 3. *Cùm ſit ſplendor gloriæ*, ideſt, lumen de lumine, ſpeculum vibrans ſole percuſſum, ſolemque ipſum fulgore, ac radijs repræſentans: *& figura ſubſtantiæ eius.* Græcè, *character*, hoc eſt, expreſsiſsima imago. Vide Vazq. 1. p. diſp. 125. c. 4.

Primogenitus omnis creaturæ.

MVlti exponunt de Chriſto, ut homo eſt, eo ducti argumento, quia Chryſoſtom. homil. 15. in illa verba ad Roman. cap. 8. num. 29. *ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus* [Secundum Divinitatem, inquit, unigenitus eſt: per humanitatem autem frater noſter effectus eſt.] Chriſtus ergo eſt primogenitus omnis creaturæ, quia omnia condita ſunt propter ipſum, & ad eum tanquam ad finem, referuntur. Hæc ſuprema dignitas decebat eum, *propter quem omnia*, ad Hebr. 2. num. 10 & 1. Corinth. 3. num. ultimo. Illuſtrat multis hanc expoſitionem Suarez tomo primo, diſput. 5. ſect. 2. Mendoza quęſt. 1. ſcholaſtica §. 9. Viegas in cap. 1. Apocalypſ. ſect. 8. 118

119 Sed conformius exiſtimo contextui, ut uſque ad numerum 18. agat Apoſtolus de Chriſti Divinitate. Cùm enim aſſeruiſſet, expreſſam eſſe imaginem divinæ naturæ, atque adeò Filium; ſubiungit huius generationis æternitatem, reſpiciens ſine dubio ad illud Eccleſ. 24. num. 5. *Ego ex ore Altiſsimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Et Proverb. 8. num 22. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequàm quicquam faceret à principio poſſedit*, id eſt, genuit, ut Geneſ. 4. num. 1. *Poſsedi hominem per Deum.* LXX. *creavit.* Quod idem eſt: ut Horatius lib. 1. Epiſt. 2.

Puerique beata creandis uxor.

Et Virgil. in Opuſc.

Natis Venus alma creandis ſerviat.

Vide huius loci elegãtem explicationem apud Belarm. to. 1. lib. 1. de Chriſto, c. 18. & Valent. lib. 1. de Vnitate, & Trinitat. cap. 21.

120 Filius itaque genitus eſt: creaturæ, ut ipſum nomen præſefert, à Deo creatæ per Filium: etiam ſpirituales illę Intelligentię ab omni mortali concretione ſeiunctæ; ut vel hinc Chriſti dignitas ſupra omnes illas eluceſcat.

Nec Primogeniti nomẽ eſt cur negotium faceſſat: nam Matt. 1. n. 25. & Luc. 2. num. 7. dicitur Beatiſsima Virgo peperiſſe filium ſuum *primogenitum*; non quòd poſt Chriſtum alius, ſed quia ante eum nullus genitus eſt.

Numerus 16.

Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cælis, & in terra; viſibilia, & inviſibilia; ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt.

121 HAEC tota ſententia perſpicua eſt, & eius cõnexio cùm ſuperiore: probatur enim Chriſti Divinitas, & æternitas, cùm oſtenditur, ex illo tanquam ex perẽni fonte, omnes omnino fluxiſſe creaturas, etiam ſupremas illas Intelligentias; quas proinde conſtat, longè inferiores eſſe Chriſto, à quo ſuum eſſe receperunt. Quod ipſum ex nomine Filij convincit ad Hebr. 1. nu. 4. & ex Throno ad Patris dexteram conſtituto, ad Epheſ. 1. num. 21. & ad Hebr. 1. nu. 13.

Hos verò ſpiritus Angelicos, Dionyſ. 122
cap. 6. de Cæleſt. hierarch. edoctus, ut ibidem commemorat, ab Apoſtolo Paulo, in tres Hierarchias, novemque illarum ordines diſtinguit. Dionyſium ſequuntur Gregor. homil. 34. in Evangelia, Iſidor. lib. 1. de Summo bono, cap. 12. Bernard. lib. 5. de Cõſideratione, & Theologi cum ſancto Thom. 1. P. q. 108. unde nominum ratio, functionumque diverſitas peti poteſt.

Illæ autem præpoſitiones *per*, & *in*, ni- 123
hil derogant verę efficientiæ, qua Chriſtus, non ut inſtrumentum, ſed tanquam prima cauſa condidit univerſa. Vt contra Arianos demonſtrat Maldonat. ad illa Ioan 1. num. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Et Ribera ad Hebr. 1. num. 2. *Per quem fecit & ſæcula.* Quin potiùs eodẽ genere loquendi utitur Apoſtolus, etiam cùm de Deo Patre ſermo eſt, ad Roman. 11. n. 36. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Ad Hebr. 2. num. 10. *Propter quem omnia, & per quem omnia.* Lege ibi Rib. num. 47.

Numerus 17.

Et ipſe eſt ante omnes.

PRimaſius, & Gagneius ſubaudiunt, creaturas: interpretes Chryſoſtom. OEcum. & Theophil. legunt, *ante omnia.* Græcè, *pro panton:* ut ſic etiam vertere potuerit Vulgat⁹.

Et omnia in ipſo conſtant.

124 IIdem, & Eraſmus vertunt, *conſiſtunt*: quo verbo claudit Apoſtolus quæ ſpectãt ad Chriſti Divinitatem. Exponitque Chryſoſt. omnium ſubſiſtẽtia ita pendet à Chriſto, ut ſi ab ipſo conſervetur, ſolidè conſiſtat: ſin minùs, continuò funditus intereat. Sic dicitur ad Hebr. 1. num. 3. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*: ubi *verbum* idem eſt, ac nutus: & per Hebraiſmum *verbum virtutis*, id eſt, potens, efficax. Senſus ergo eſt. Chriſtus hanc mundi molem à ſe conditam nullo negotio, facillimè ſuſtentat: vel nutu ipſo eam adminiſtrat: potentiſsimo ſuo imperio tuetur, atque conſervat: quod niſi faceret, omnia in nihilum redigerentur.

Numerus 18.

Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ.

125 QVæ deinceps ſequuntur, ad Chriſti humanitatem ſpectant. Et in primis eſſe caput totius Eccleſiæ, tam triumphantis, quàm militantis, tam hominum, quàm Angelorum. Quòd verò id competat Chriſto, quatenus homo eſt, evidẽter conſtat ex cap. 1. ad Epheſ. num 22. Cùm enim premiſiſſet Apoſtolus, *ſuſcitãs illum à mortuis, & conſtituẽs ad dexteram ſuam*: quod perſpicuum eſt, convenire humanitati; tandem concludit. *Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius: & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiã*. Chriſto, ut Deus eſt, omnia per ſe ſubiecta erant: humanitati illi ſupra omnes cælos evectæ, ſubiecit Pater omnia, ipſamque conſtituit Eccleſiæ căput, ad Epheſ. 4. num. 15. & c. 5. num. 23.

126 In hanc ſententiam exponunt illa verba ad Epheſ. 1. num. 10. *Inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt*, Hieronym. & Irenæus lib. 3. cap. 30. qui *ana Kephalæoſæ* vertunt, *recapitulare*, hoc eſt, tam homines, quàm Angelos ad Chriſtum, tanquam ad unicum omnium caput, redigere. Lege Salmeron, diſput. 3. in cap. 1. ad Epheſ. & Belarm. tom. 1. lib. 1. de Chriſto, cap. 6. & Viegam in cap. 1. Apocalyp. ſect. 9. qui rectè colligit ex hoc teſtimonio, Chriſtum eſſe etiam caput Angelorum. Id, quod probat Suar. to. 1. diſput. 23. ſect. 1.

127 Hæc Chriſti dignitas ſupponit, Eccleſiam eſſe unum corpus ex diverſis conſtans membris. Ad Epheſ. 1. num. 23. & cap. 4. num. 4. & 1. Cor. 12. nu. 12. ad Roman. 12. num. 5. *Ita multi unum corpus ſumus in Chriſto*. Atque in hæc mẽbra Chriſtus influit, tanquam caput, quodammodò homogeneum. Eſt enim caput, ut ait Plato in Timæo, membrum corporis diviniſſimum: in quo proinde plerique Philoſophi animi principatum, ac ſedem collocarunt: ab eo certè animantis ſenſus, motuſque pendent.

128 Nexus ergo, ſeu vinculum, quo fideles inter ſe arctiſsimè colligantur, & unum corpus efficiunt, à Chriſto capite procedit. Ipſius merito, ac virtute nobis communicatur. Sive nexus ſit interior, ſcilicet fides, ſpes, charitas, cæteraque chariſmata Spiritus Sancti: ſive exterior, nimirùm præcepta, Sacramenta, & ſacrificium. Ad Epheſ. 4. num. 16. *Ex quo totum corpus compactum, &c.* Vide S. Thom. 3. P. quæſt. 8. artic. 6.

Qui eſt principium.

129 CAjetanus ita exponit. Qui per Deitatem eſt principium, & prima cauſa rerum omnium, idem per myſterium Incarnationis dignatus eſt fieri caput corporis Eccleſiæ. Veriſsima quidem ſententia, ſed iam ab Apoſtolo penè inculcata, & per pronomen *ipſe* abundè percepta.

Meliùs Anſelmus. Qui eſt principium omnium chariſmatum, omniumque gratiarum: quod capitis proprium eſt. Hoc ſenſu dicitur de Chriſto Apocal. 3. n. 14.

qui

Qui eſt principium creaturæ Dei, id eſt, fons, & origo totius ſanctitatis. Nam creatura Dei, ſeu nova creatura in ſacro ſermone, eſt homo renovatus per gratiam Chriſti ad imaginem eius, qui creavit illum, ut doctè probat ibi Ribera, num. 41. Vide Maldonat. Ioan. 8. num. 25. ad illa verba, *principium, qui & loquor vobis.*

130 Tertiò: Chryſoſt. Theodoretus, OEcum. Theoph. & omnes ferè Græci legunt *aparche*, id eſt, primitiæ: quam vocem trahit ad ſuperiorem interpretationem Theophilactus, dum ait. [Quemadmodùm uno manipulo, veluti primitijs, oblato tota meſsis benedicitur: ſic per ipſum omnes ſanctificati ſumus, & oblati.] Et quamvis in pleriſque Græcis legatur *arche*, & fideliter verterit Vulgatus, *principium*; tamen utraque vox Latina, & Græca eumdem admittit ſenſum. Proverb. 1. num. 7. *Timor Domini, principium ſapientiæ.* Cùm apud LXX. ſit, non *phobos*, ſervilis metus; ſed *theoſebia*, cultus Dei reverentialis: ſenſus eſt. Timor filialis, primitiæ ſunt ſapientiæ, hoc eſt, præcipua ſapientiæ pars. Iob 28. num. 28. *Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia.* Apertiùs Eccleſ. 1. num. 20. *Plenitudo ſapientiæ, eſt timere Deum.* Et num. 22. *Corona ſapientiæ, timor Domini.* Imò cap. 25. num. 13. præfertur ipſi ſapientiæ. *Quàm magnus eſt, qui invenit ſapientiam, & ſcientiam! ſed non eſt ſuper timentem Dominum: timor Dei ſupra omnia ſe ſuperpoſuit.*

131 Eadem phraſi dicitur Eccleſ. 11. nu. 2. *Brevis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus illius*, id eſt, obtinet primas partes in dulcedine: inter omnia dulcia dulciſsimus eſt. Lege Eccleſ. 29. num. 28. & cap. 39, num. 31. Satis erit properanti locus ille Iacobi 1. num. 18. *Vt ſimus initium aliquod creaturæ eius.* Græcè, *ut ſimus primitiæ creaturarum eius.* Sunt verò primitiæ primi fructus, præcipuoque honore digni. Senſus ergo eſt: ut principatum obtineamus inter omnes creaturas. OEcumeni. *Vt ſimus primi, & honoratiſsimi inter viſibiles creaturas.* Veriſsima itaq; eſt Ambroſ. ſententia lib. 1. Epiſ. 22. [Primitia dicitur Chriſtus, quia ſanctior omnibus fructus, qui etiam cæteros omnes conſortes ſui fructus ſanctificavit.]

Quartò denique, plerique Græci, ſignatè Theodoretus, hanc vocem coniungunt cum ea, quę proximè ſequitur, ad unam, integramque ſententiam.

Primogenitus ex mortuis.

PRima Corinth. 15. num 20. *Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium.* Et num. 23. *Vnuſquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus.* Apocalyp. 1. numero 5. *Primogenitus mortuorum.* Ex quibus locis Suar. tom. 2. in Commentario ad artic. 3. quæſt. 53. colligit eſſe de fide, neminem ante Chriſtum reſurrexiſſe ad vitam immortalem: primitię enim ſunt primi fructus, qui colligūtur: & Primogenitus in rigore eſt, qui ante cęteros filios eſt generatus. 132

Reſurrectio verò in Scriptura eſt quaſi altera nativitas. Matth. 19. num. 28. *In regeneratione*, id eſt, *in reſurrectione.* Lege Maldonat. Ioan. 16. num. 21. Viegas Apocalyp. 1. ſect. 11. Riberam Apocalyp. 1. num. 36. Extat luculentum teſtimonium Actuum 13. num. 33. *Hanc Deus adimplevit filijs noſtris, reſuſcitans Ieſum, ſicut & in Pſalm. 2. ſcriptum eſt: filius meus es tu: ego hodie genui te.* Ecce tunc dicitur æternus Pater rurſus genuiſſe Chriſtum, cùm illum à mortuis excitavit. In hanc ſententiam copioſè explicat iſtum locum Vazquez tom. 1. in 1. Par. diſp. 18. cap. 2. 133

Vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens.

GRęcè unicum eſt verbū, *protevon*: primas tenens in omnibus. OEcumenius. [Nam & ante omnia ſęcula natus eſt ex Patre; & ante omnes homines reſurrexit ex mortuis ad vitam immortalem: & tanquam caput influit omnem gratiam in Eccleſiā. Itaq; in quovis ordine, tam creationis, quàm regenerationis; tam naturæ, quàm gratię; tam viſibilium 134

crea

creaturarum, quàm invisibilium; in omnibus omnino primatum tenet.]

Numerus 19.

Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare.

135 ANguste nimis exponunt hãc sententiam, qui eam restringunt ad plenitudinem Divinitatis; ducti fortasse; quia sic legebatur in plerisque Vulgatis: sed in correctis sublatus est ille gignendi casus, qui obrepserat in textum alcitus, ut opinor, ex cap. 2. num. 9. neque enim hic habetur in Græco.

136 Etiam valde coarctant, qui explicant de gratia iustificante: malim plenam sententiam in sua relinquere fœcunditate, & omnem omnium gratiarum plenitudinem exponere. Inhabitavit enim in Christo gratia unionis hypostaticæ, quæ appellari potest infinita, cùm uniat Verbum Divinum illi humanitati; eamque formaliter reddat summè gratam, & sit radix infiniti meriti. Lege S. Thom. 3. P. quæst. 7. artic. 11. & Suar. tom. 1 disp. 18. sect. 1.

137 Inhabitavit etiam plenitudo gratiæ habitualis, non illa quidem infinita, nec omnino tanta, quin de potentia absoluta augeri possit: sed certè ea fuit, quanta maxima à Deo de lege ordinaria potest infundi: usque adeò, ut si omnium cælestiũ spirituum, & hominum beatorum, qui unquam erunt, gratia in unum quasi cumulum congeratur, ea longè minor futura sit, quàm quæ data fuit soli Christo: imò verò ut gutta cum mari; cum illa ne conferri quidem possit. Fuit enim omnino *plenus gratiæ*. Ioan. 1. num. 14. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus*, numer. 16.

138 Fuit quidem Beatissima Virgo *gratia plena*. Luc. 1. num. 28. fuit Baptista *repletus Spiritu Sancto*, ibi num. 15. fuit Stephanus Actuum 6. nu. 18. Receperunt enim eximiam perfectionem gratiæ, quæ adæquabat munus, & dignitatem, ad quam eligebantur à Deo. Sed cùm unicuique data sit gratia *secundum mensuram donationis Christi*, ad Ephes. 4 num. 7. *Filio non ad mensuram dedit Spiritum Deus.* Ioan. 3. num. 34. Et aliter Sol est plenus lumine, aliter speculum multo fulgore à Sole collustratum. Plenum est aqua mare: plenum ex mari flumen: plena vasa: sed vide, quantum interst. Lege S. Tho 3. P. quæst. 7. ar. 10. & ibi Suar. disput. 22. sect. 1. Toletum Ioan. 1. annotatione 47. Barrad. lib. 4. Concordiæ, cap. 12. Maldonat. Ioan. 1. num. 14.

Complacuit, subest verbum *eudoKeo*. Et notant hîc omnes ferè Expositores, eo significari, hanc uberrimam omnium gratiarum plenitudinem collatam fuisse sacratissimæ Humanitati, nullis præcedentibus eius meritis, sed ex gratuita, ac liberali Dei beneficentia, altissimoque eximiæ prædestinationis beneplacito. Hanc esse germanam huius verbi vim, multis probant Legionensis in cap. 1. ad Galatas num. 15. Toletus ad Roman. 8. annotatione 31. Maldonat. Matth. 3. num. 17. & Lucæ 2. num. 14. & cap. 12. num. 32. exponẽs illa verba, *complacuit Patri vestro dare vobis regnum*. Significat, inquit, regnum cælorum gratuita Dei voluntate, benignitateque esse nobis prædestinatum. Salmeron tom. 14. disputat. 3. super illud ad Ephes. 1. num. 5. *Qui prædestinavit nos secundum propositum voluntatis suæ.* Græcè, *eudoKian*, *beneplacitum*. Sic enim vertit Vulgatus eamdem vocem, ibidem num. 9. (?)

139

Numerus 20.

Et per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt.

140 VAlido ictu iugulat Hæreticorum cauſam. Nempe ex hac tam ſublimi Chriſti dignitate promanavit, ut quælibet eius actio, aut guttula ſanguinis in cruce fuſa, & æterno Patri oblata, habuerit valorem infinitum ad placandum cæleſte numen, reconciliandumque illi humanum genus. Tantùmque abeſt, ut hęc reconciliatio Angelis referenda ſit accepta, ut ipſis etiam Angelis Chriſtus tanquam eorum caput, omnem gratiam ſuis meritis obtinuerit. Terminos Commentarij tranſilirẽ, ſi de gratia collata Angelis Chriſti merito diſputarem: videatur Suar. to. 1. diſputat. 42. ſect. 1. & 2.

141 Chriſtus verò dicitur pacificaſſe etiam ea, quæ in cælis ſunt; non quòd Angelos in peccatum prolapſos, Deo reconciliarit, qui fuit Origenis error, ut refert Sixtus, lib. 6. Bibliothecæ, notatione 170. quem errorem Ruffinus impingebat etiã Hieronymo, referente eodem Sixto, notatione 296. & Suar. diſput. 42. ſect. 2. Sed quia *pacificare*, idem eſt, ac interturbatum aliquid ad ſuum ordinem, tranquillitatemque redigere; & certè tot ſpiritibus cæleſtibus de gradu ſuo deiectis, atq; ad inferos detruſis, illorum ordo à Deo conſtitutus, labefactatus omnino fuerat. Quem Chriſtus pacificavit, ſuppleto numero per homines. Sic exponit Auguſt. in Enchiridio. c. 62. verba illa ad Epheſ. 1. num. 10. *inſtaurare, &c.* [In ipſo, inquit, inſtaurãtur, quę in cęlis ſunt, cùm id, quod inde in Angelis lapſum eſt, ex hominibus redditur.]

142 Meliùs fortaſſe Græci, Chryſoſt. Theo. Theophilact. OEcumen. in hanc ſententiam concorditer exponunt. Hoſtiliter diſſidebant à nobis Angeli, cùm Dominum ſuum viderent, ab hominibus per ſummã impudentiã iniuria affici, ſcelere violari: mittebantur illi ſæpe ad terras, ad inferẽda graviſsima ſupplicia; contrà verò nulli hominum aditus patebat in cælum. Chriſti ergo ſanguine, effractis his repagulis, hominibuſque aſcitis in illam cęleſtem civitatem, omnes velut concives pacatiſsimè converſantur. *Interfecit ſcilicet Chriſtus inimicitias in ſemetipſo, & veniẽs evangelizavit pacem*, ad Epheſ. 2. nu. 16. Imò & ipſi Angeli, naſcẽte Domino, iam tum pacem hominibus annunciarũt, Luc. 2. num. 14. & quaſi dextras cum infenſis anteà hoſtibus coniunxerunt: ut exponit Cyprian. tract. de Nativitate Domini, & Gregor. hom. 8. in Evangel.

Numerus 21. & 22.

Et vos cùm eſſetis aliquando alienati, & inimici ſenſu in operibus malis: nunc autem reconciliavit in corpore carnis eius per mortem.

143 AM eximium beneficium collatum per Chriſti mortem in homines univerſos, docet Apoſtolus, ſpeciatim etiam pertinuiſſe ad Coloſſenſes. Nempe quos demerſos idololatrię tenebris tranſtulit Chriſtus ad Evangelij lucem: fœdatos peccatorum ſordibus, effuſo cruore deterſit: abalienatos à Deo, ac dedita opera in flagitia ruentes, Patri reconciliavit.

144 Solet verò Apoſtolus refricare memoriam illius miſerrimi temporis, cùm nondum erat oborta veritatis lux, ut in hac epiſtola, cap. 2. num. 13. & ad Epheſ. 2. num. 1. *Et vos cùm eſſetis mortui delictis, & peccatis veſtris.* Et cap. 5 num. 8. *Eratis enim aliquando tenebræ.* 1. Corint. 6. n. 11. cùm cõmemoraſſet atrociſsima ſcelera, ſubiungit: *& hæc quidam fuiſtis.* Idque efficit

ficit duplicem ob cauſam. Primò, ne efferantur donis à Deo acceptis: *porque deſhaze la rueda de la vanidad preſente, mirar los pies lodoſos de la vida paſſada.* 1. Cor. 15. num. 9. *Non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſequutus ſum Eccleſiam Dei.*

145 Deinde, ut perpendentes ſe è tenebricoſo carcere extractos, & ad regale ſoliũ evectos, tantorum bonorum largitori, ut par eſt, immortales gratias agant. In hanc gratiarum actionem prorumpit ipſe Apoſtol⁹, 1. Tim. 1. n. 12. *Gratias ago ei, &c.* Et quaſi exaggerans beneficium, quòd eſſet collatum immerenti, ſubdit: *qui prius blaſphemus fui, & perſequutor, & contumelioſus.*

Inimici ſenſu.

146 GRæcè, *diania*: quam vocem variè vertit Vulgatus. Luc. 2. nu. 51. *mente. Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui*, id eſt, capit eos, atque irretit ſuis ipſorum conſilijs. *Comprehendit ſapientes in aſtutia eorum.* 1. Corint. 3. num. 19. & Iob 5. nu. 13. Vel per hypallagem, diſſipat conſilia, & cogitationes ſuperborum, ut adverſos exitus ſortiantur. Sic etiam reddit Matth. 22. num. 37. Marc. 12. nu. 30. Lucæ 10. num. 27. *Ex omni mente tua.* Et 2. Petr. 3. num. 1. *Sinceram mentem.* Ad Epheſ. 4. num. 18. *Tenebris obſcuratum habentes intellectum.* Eodem ſenſu, quamvis non eadem voce.

Et quidem ſpectata vi, & proprietate verbi *dianoiſthæ*, quod interdum ſignificat deliberare, ſtatuere; *inimici ſenſu*, idem eſt, ac deliberatò, conſultò, non per ignorantiam, aut cæcum animi impetum; ſed ex conſilio, ex propoſito. Quod ut exaggerat malitiam Coloſſenſium, ita mirificè extollit Chriſti gratiam.

147 Eadem etiam vox exprimit affectum, & quidem tenaciſsimè adhærentem, ex antegreſſa deliberatione. Quod ait Hieremias cap. 31. num. 33. *Dabo legem meam in viſceribus eorum*; Paulus expreſsit ad Hebreos 10. num. 16. *In cordibus eorum*: & cap. 8. num. 10. *In mentem eorum.* Græcè, *dianian.* Ad Epheſ. 1. num. 18. *Illuminatos oculos cordis noſtri.* Vbi etiam ſubeſt eadem vox. Iam ergo liquet, hac voce ſignificari, Coloſſenſes & mente, & affectu abhorruiſſe prorſus à Deo, in cœnoque peccatorum altè defixos hæſitaſſe.

In corpore carnis eius.

148 NOn redundat hic genitivus: imò cruentat, & lacerat hæreticos; præcipuè Baſilidem; qui teſte Epiphanio hæreſi 24. aſſerebat, Verbum aſſumpſiſſe corpus aereum, ac merè phantaſticum: atque adeò neque paſſum, neque mortuum verè fuiſſe. Eumdem defigit ad Hebr. 5. numero 5. *In diebus carnis ſuæ.* Hoc eſt, cùm in carne verſatus eſt inter nos; phraſi Apoſtolo familiari. 2. Corint. 10 num 3. ad Galat. 2. num. 20. ad Philippenſ. 1. nu. 22. & 24.

Exhibere vos ſanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo.

149 FVit hic uberrimus fructus paſsionis Chriſti: uſque eò cumulatè peccatorum ſordes eluiſſe, adeòque copioſum aperuiſſe omnibus gratiæ fontem, ut, ſi velint, nulla certè gravior labes animis inſideat, quæ in Dei oculos poſsit incurrere. Lucæ 1. num. 73. *Daturum ſe nobis, ut ſerviamus illi in ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo.* Ad Epheſ. 1. num. 4. *Vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius.* Cap. 5. nu. 25. *Vt ſit ſancta, & immaculata.* Ad Titum 2. num. 14. *Vt mundaret ſibi populum acceptabilem.*

150 Et obſervandum valde eſt illud, quod adiungitur *coram ipſo*, ſive, *in conſpectu eius*: qua phraſi non fallax, & hominum opinione nixa, quorum oculis imponere facillimũ eſt; ſed ſolida, & expreſſa virtus ſignificatur, Dei, qui falli non poteſt, iudicio cõprobata. Apocal. 14. nu. 5. *Sine ma-*

cula enim sunt ante thronum Dei. Vbi subest eadem vox, quæ hîc *amomi*: quibus nec Momus quidem ipse possit aliquid obijcere, quod Dei oculos offendat. Et agitur illic de sanctitate, quam iusti habuerunt in hac vita, ut probat Ribera num. 17. & 19.

151 Iudæ num. 24. *Potens est vos conservare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos.* 2. Petr. 3. num. 14. *Satagite immaculati, & inviolati ei inveniri*; hoc est, illius oculos quærite, illi dūtaxat vos probate. Quod uberiùs prosequitur idem Apostolus Epistola 1. cap. 3. nu. 4. postquàm vituperavit superfluum corporis cultum, auro, vestibusque nitentem subiungit. *Sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.* Hic est scilicet verus, germanusque cultus, animus virtutibus exornatus.

152 Quærit Augustin. tom. 7. lib. de Perfectione iustitiæ contra Cælest. quomodò Iusti dicantur immaculati, & irreprehensibiles corā Deo, cùm sæpe clamet Scriptura, neminem vivere sine culpis, saltem levioribus? Et respōdet. [Ingredi sine macula non absurdè ille dicitur, non qui iam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens crimininibus damnabilibus; atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis.] Sic Augustin. Confirmat exemplo Pauli ad Philippen. 3. num. 12. *Non quòd iam acceperim, aut quòd iam perfectus sim.* Ecce ingenuè fatetur Apostol⁹, se non esse perfectum: & tamen paulò pòst subdit, num. 15. *Quicunque ergo perfecti sum⁹, hoc sentiamus.* Quia scilicet perfectio huius vitæ in eo sita est, ut perfectè curratur ad consequendam illam ipsam perfectionem: est autem perfectè currere, non solùm non insistere, aut regredi, sed nec lentè, aut remissè ingredi.

Numerus 23.

Si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Evangelij, quod audistis.

153 EST quasi quędam correctio sententiæ superioris; sed plena Apostolicæ prudentiæ, cęlestisq; artificij; plena vehementię, & acrimoniæ: non hortatur modò, sed pungit. Christus vos eximijs donis cumulavit: traduxit ex flagitiosa vita ad perfectam, & omnibus numeris absolutam sanctitatem: sed cœpisse nihil prodest, si vos patiamini hęreticorum machinis abduci à veritate, à spe dimoveri.

154 Similis locus est ad Ro. 8. nu. 8. *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.* Hoc est, iam non paretis appetitionibus carnis, quę adversantur divinæ legi, sed sequimini ductū Spiritus; si tamen Spiritus dona in vobis perseverant, neque ea novis peccatis abiecistis. Et cap. 11. num. 22. *In te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.* Ad Ga-155 lat. 3. num. 3. *Sic stulti estis, ut cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Tanta passi estis sine causa? Si tamen sine causa*: id est: quæ ista dementia est, cùm tam insignia dona vobis contigerint ex fide, & spiritu, sine legalibus ceremonijs, nūc ad eas miserè provolvi, & pati vos Iudaico ritu circūcidi? Graves sanè persecutiones passi estis: & tamen omnes sine fructu passi estis, si quidem fidē deseratis. Ad Hebr. 3. num. 14. *Participes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ eius* (scilicet fidem) *usq; ad finem firmum retineamus.*

Quod prædicatũ eſt in univerſa creatura, quæ ſub cælo eſt.

156 EXplicavi ſuprà n. 6. ſed nũc iterũ, atq; iterum inculcavit Apoſtolus, ut puderet cos cogitare de mutanda ea fide, quæ iã ad omnes ferè nationes penetraverat.

Cuius factus ſum ego Paulus miniſter.

SVam etiam auctoritatem interponit; quam æquiſsimum eſt, eos revereri; nec ſibi turpi defectione tãtum dolorem inurere.

Numerus 24.

Qui nunc gaudeo in paſsionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſsionum Chriſti, in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.

157 LOcus difficilis, & à Theologis recentioribus adverſus nóſtri temporis Hæreticos ſolertiſsimè excuſſus. Hinc enim ſtabiliuntur tria præcipua fidei dogmata, quæ iſtę inferorum furiæ labefactare machinantur. Primum eſt, in Eccleſia communionem eſſe Sanctorum. Sunt enim fideles eiuſdem corporis membra, ad Roman. 12. num. 5. ad Epheſ. 1. numero. 23. & cap. 4. num. 4. & 1. Corint. 12. num. 12. Atque adeò ſicut in eodem corpore humano unumquodq; membrum, non in ſuam tãtùm, ſed in aliorum etiam utilitatem operatur; ſic membra viva huius myſtici corporis, nempe Iuſti, non ſolùm ſibi mereri, ſed ſuis bonis operibus alios etiam iuvare poſſunt. Signatè ad ſatisfaciendum pro peccatis: ita ut opus unius, alteri applicatũ, valeat ad remiſsionem alicuius pœnæ temporalis obtinendam. Hoc dogma confirmant illa verba, *qui nunc gaudeo in paſsionibus pro vobis*: quæ, ut prodũt ardentẽ Apoſtoli charitatẽ, qui vincula, quibus conſtrictus tenebatur, gaudẽs perferebat, & afflictiones illas Coloſſenſibus liberaliter communicabat; ita eorum animos mirabiliter ſibi devinciunt, confirmantque in ſuſcepta fide. Atque hic eſt nexus huius ſententiæ cum ſuperioribus: hæc cauſa, quæ impulit Apoſtolum ad hoc commemorandum. 158

Huc ſpectat illud 2. Timot. 2. num. 9. *In quo laboro uſque ad vincula, &c. Ideo omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutẽ conſequantur.* 1. Cor. 15. num. 31. *Quotidie morior propter veſtram gloriam.* Quamvis enim Vulgata Clementis 8. legat, *per veſtram gloriam*, conformiùs Græco, ubi eſt *ne*, particula iurantis: iurat enim Apoſtolus per eorum gloriam, tanquam per rem ſibi chariorem vita; ſed nihilominùs illa verba admittunt etiam priorem ſenſum: & ita exponunt ipſi Græci. Chryſoſt. homil. 40. [Non ſolùm, inquit, non doleo, ſed glorior, iſta pro vobis ferẽs.] Sic Theodor. Photius OEcumen. & Theophil.

Alterum dogma eſt. Chriſtum quidem cumulatiſsimè quoad ſufficientiam pro omnibus ſatisfeciſſe: cæterùm ut hæc abũdantiſsima Chriſti merita in nobis efficaciam ſortiantur; aliquid illis deeſt, nempe applicatio, quæ eſt velut conditio, ſine qua non: atque ad hanc ipſam applicationem valde conducunt Sãctorum preces, corporiſque afflictationes, Deo pro nobis oblatæ. Atque hic eſt germaniſsimus ſenſus verborum Apoſtoli: laborando enim pro Evangelio, ſubeundo multa perpeſſu aſpera in carne ſua, ſupplebat defectus paſsionum Chriſti, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia, id eſt, vice ipſius Chriſti (ut indicat verbum *antanaplero*) eius merita fidelibus applicabat. 159

Extant huius rei luculentiſsima teſtimonia apud eumdem Paulum, præter illa duo proximè commemorata. Ad Philippenſ. 1. num. 12. [Quæ circa me ſunt, magis ad profectum venerunt Evangelij: ita ut vincula mea manifeſta fierent in Chriſto in omni prętorio, & in cęteris omnib⁹: & plures è fratribus in Dño, confidentes 160

vinculis meis, abundantiùs auderent ſine timore verbum Dei loqui.] Ecce uberem fructū promulgationis Evangelij perceptum è vinculis Pauli. 2. Cor. 1. n. 6. *Sive autem tribulamur pro veſtra exhortatione, & ſalute.* Vbi ponderat Caiet. Apoſtoli tribulationes vehemēs eſſe incitamentū ad perferendos labores Evāgelij; ac proinde ad implēdū id, quod deeſt paſsionū Chriſti, ut explicat ſtatim: *quæ operatur tolerātiam earumdem paſsionum, quas & nos patimur.* Vide mirabilem efficaciam paſsionum Apoſtoli: ſuis paſsionibus obtinuit fidelibus, ut ſimiles paſsiones tolerarēnt: ut corpus myſticum conforme eſſet ſuo capiti: ut per varias afflictiones viam ſibi muniret ad regnum.

161 Tertium deniq; dogma eſt: omnia opera Iuſtorum, quę procedūt ex gratia, pręter meritū novæ gratiæ, & glorię, habere etiam vim ſatisfaciēdi pro pœna, quatenus adiunctam habent aliquā difficultatem. Innumera ergo opera ſatisfactoria ſuperfuerunt Sanctis, & pręcipuè ſacratiſſimæ Virgini quæ, ut omni vel minima labecula caruit, ita nullo reatū pœnę fuit obſtricta; & alijs viris perfectiſsimis, qui multò plura pertulerunt, quàm neceſſe fuit, ut luerent pœnā tēporalē, culpis ſuis debitam. Quamvis ergo ſolę pœnæ, quas perpeſſus eſt Chriſtus, ſatis, ſuperq; eſſe potuiſſent: tamen ad maiorē Iuſtorū perfectionē, & caritatis cōmunicationē voluit, Sanctorum ſatisfactiones ſuis coniūgi, & in Eccleſię theſauro reponi; & per illius miniſtros ex acceptatione divina fidelibus applicari: qui ſubſidio communis illius theſauri ad pœnæ tēporalis redemptionem indigerent.

162 In hanc ſententiam ait Paulus, ſe adimplere in carne ſua ea, quæ deſunt paſsionum Chriſti ad hunc theſaurum recondendū: & cùm addit, *pro corpore eius, quod eſt Eccleſia*, apertè ſignificat, ſe nō ſolùm ſuſtinuiſſe paſsiones, ut coniunctæ Chriſti paſsionib⁹ ſibi gratiā, & gloriā promererēt, ſed etiā ut in Eccleſię univerſę utilitatē redundarēt. Poterant autē prodeſſe Eccleſię etiā ſecundū vim ſatisfaciēdi pro pœna. Sed quia loci difficultas me lōgiorē fecit, videātur è noſtris Salmer. diſp. 3. pag. 907. Belar. li. 1. de Indulg. c. 3. Valen. lib. de Indulg. c. 1. pag. 879. Suar. tom. 4. diſp. 48. ſect. 1.

Numerus 25.

Cuius factus ſum ego miniſter.

163 SIlicet Eccleſiæ, ut conſtat ex Græco. Paulò antè vocaverat ſe miniſtrū Evāgelij; ſed ibi ſermo eſt de re, quæ diſpēſatur: nūc de perſonis, in quarum gratiā miniſtrabat. 1. Cor. 4. n. 1. ſe etiā appellat miniſtrū Chriſti. Subeſt in his locis vox *diaconos*: quæ de ſe indifferens eſt ad ſignificandum etiā profanū miniſteriū, ut patet Matth. 22. num. 13. & Ioan. 2. n. 5. Licèt frequentiùs ſignificet ſacram diaconiam, & Chriſto etiam applicetur ad Rom. 15. n. 8.

164 In eodem c. 15. n. 16. *ut ſim miniſter Chriſti Ieſu in Gētibus*, ſubeſt altera vox *liturgos*: quæ etiam attribuitur Chriſto, ad Hebr. 8. n. 2. *ſanctorum miniſter*, ideſt, Pōtifex ingrediens Sancta ſanctorum. Vnde Riber. ibi n. 3. & Tolet. Rom. 15. annot. 9. obſervāt, *liturgon* eſſe Sacrorum miniſtrum, ſeu Sacerdotē: quæ obſervatio non eſt perpetuò vera, ut conſtat ad Rom. 13. n. 6. ad Philip. 2. n. 25. & ad Heb. 1. n. 7.

Secundum diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi in vos.

165 NEmpe in Gentes: ad Galat. 2. n. 9. & aliàs ſæpe. Ad Epheſ. 3. n. 1. *Pro vobis Gētibus: ſi tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis.* Vtrobiq; eſt Græcè *œconomia*, ut 1. Cor. 4. n. 1. *Diſpēſatores myſteriorū Dei.* Græcè, *œconomus*: cuius vocis germana proprietas eſt, ut probat Maldon. Luc. 16. num. 1. *Totius domus diſpenſator.* Huius œconomi munia expreſsit Chriſtus Lucæ 12. n. 42.

Quis

Quis, putas, eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuprà familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram?

166 Talis diſpenſator extitit Paulus *multiformis gratiæ Dei*, 1. Petri 4. num. 10. *Fidelis* quidem 1. Corinth. 4. num 2. & *prudens*: ſiquidem cæleſti prudentia ductus, & omnibus omnia factus, his doctrinam fidei; alijs Sacramenta miniſtrabat: his ſuppeditabat temporalia; illis de miniſtris Eccleſię providebat: alijs, ut pueris, lac; alijs, ut infirmis, olus; alijs verò tanquam perfectis præbebat ſolidum cibum. Alijs beneficia ſanitatum; alijs edebat ſigna virtutum. Diverſis deniq; diverſa pro ratione temporis, loci, & perſonarum, prudentiſsimè diſpenſabat.

Vt impleam verbum Dei.

167 COmmunis expoſitio: ut exequar Dei cõſilium ab æternò definitum, & per ſuos Prophetas promulgatum, de vocatione Gentium ad fidem. Suſpicor, exponi etiam poſſe, ut exponit Toletus illud ad Rom. 15. num. 19. *Ita ut repleverim Evangeliũ Chriſti.* Significat enim copioſiſsimum ſuæ diſpenſationis fructum: eſt namque Evangelium, ſeu verbum Dei, ut rete quoddam, quo piſces concludũtur. Ac proinde, implere verbũ Dei, erit, innumerabilem hominum multitudinẽ pertrahere ad Evangelium: ſicut implere rete, eſt, copioſam piſcium multitudinẽ comprehendere.

Numerus. 26.

Myſterium, quod abſconditum fuit à ſæculis, & generationibus.

168 PEr appoſitionem hæc ſubiũgit: quod indicat articulus *to*: cohærẽtq; mirificè cum eo, quod præceſſerat, ut iam videbimus.

Myſterium propriè arcanum quiddã, quod in vulgus efferre, & nõ initiatis enũtiare, nefas eſſet: uno verbo eſt *ſacrum ſecretum*. 1. Cor. 13. nu. 2. *Et noverim myſteria omnia*. Matth. 13. nu. 11. *Vobis datũ eſt, noſſe myſteria*. Et quoties in editione Vulgata legimus *Sacramentum*, Græcè ſubeſt hęc vox, ut in hoc c. nu. 27. Tob 12. nu. 7. Daniel. 2. nu. 30. ad Epheſ. 1. nu 9. & c. 5. n. 32. 1. Timo. 3. nu. 16. & Apoc. 1. nu. 20.

Myſterium hoc à ſæculis abſconditum, 169
quidam interpretãtur Incarnationẽ Verbi; ſed neque congruenter contextui; neq; alijs Apoſtoli locis, ut ex germana explicatione conſtabit. Eſt enim hoc myſteriũ vocatio Gentiũ ad Evangelij gratiã. Chryſoſt. ho. 5. [Homines lapidibus ſtupidiores ad Angelorũ ſubitò dignitatẽ evehere, revera gloria eſt, ac myſterij huius divitię.] Eadem Theophil. & Theodoretus. Myſterium ſcilicet vel ipſis Apoſtolis abſconditum, etiam poſtquàm Spiritum Sãctum acceperunt. Actuum. 10. nu. 45. & c. 11. n. 2. diſceptabant adverſus Petrum; *quare introiſti ad viros præputium habentes?* Vt planè fuerit admiranda illuſtratio Simeonis Luc. 2. nu. 31. qui primo intuitu Infantis faſcijs obvoluti, myſterium illud agnovit, quod vix Petrus, Apoſtolorum Princeps, poſt demiſſum è cælo linteũ, immundis animãtibus refertum, penetravit.

In huius rei confirmatione eſt inſignis 170
locus ad Epheſ. 3. n. 2. & 3. *Notum mihi factũ eſt Sacramentum* (Græcè, myſterium, ut n. 4. in myſterio Chriſti) *quod alijs generationibus non eſt agnitũ filijs hominum*. Explicat deinde, quale tãdẽ ſit hoc myſterium. *Gentes eſſe cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis eius in Chriſto Ieſu per Evãgeliũ: cuius factus ſum miniſter.* Vide, quàm conſentaneè his, quę nũc exponimus. Nullius enim animũ ſubiret, Gẽtiles, hoc eſt, cultores lapidũ, ac Dæmonũ, atrociſsimis flagitijs coopertos, meras belluas, adituros eſſe cęleſtẽ illam hęreditatẽ; futuros mẽbra viva huius corporis myſtici; ac de influxu capitis, ſcilicet Chriſti, uberrimos gratiarum fontes percepturos: quod eſt, eſſe cohęredes, concorporales, & comparticipes.

171 Proptereà ſubdit n. 8. *Mihi omnium ſanctorũ minimo data eſt gratia hæc, in gentib⁹ evãgelizare inveſtigabiles divitias Chriſti,* ideſt, imperveſtigabiles, latentes in tã abdito myſterio: n. 10. *ut innoteſcat principatibus, & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* Quę verba egregiè demõſtrat Vazq. t. 2. in 1. P. diſp. 215. c. 2. explicari non poſſe de myſterio Incarnationis: nam illud, antequàm Paulus prædicaret, etiam quoad omnes circunſtantias, Angelis innotuerat: ſed ſignificant, nova quędam, & mirabilia edenda eſſe in Evangelij promulgatione; in quib⁹ Dei bonitas, & ſapientia reluceret: quæ cùm fierent in cõſpectu Angelorum, neceſſe erat, ut illis innoteſcerent.

172 Ad Rom. 16. n. 25. *Iuxta Evangelium meũ, et prædicationẽ Ieſu Chriſti, ſecundũ revelationem myſterij tẽporibus æternis taciti.* Tacitũ vocat tẽporibus ęternis, ut hîc, *abſconditum à ſeculis, & generationibus.* Lege Vazq. tom. 1. in prim. part. diſput. 33. num. 3. & Riber. ad Hebr. 1. n. 75. Subiungit Apoſtolus, *in cunctis gentibus cogniti,* ut in hoc loco.

Numerus 27.

Nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis eius, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ ſacramenti huius in Gentibus.

173 PErſpicua eſt iam ſententia, menſq; Apoſtoi luſq; ad finẽ capitis. Tunc verò præcipuè patefactũ eſt hoc myſteriũ, cùm Princeps Apoſtolorum in illa verba prorupit, Actuum. 10. num. 14. *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente,* &c. Quibus conſonant illa ad Rom. 3. num. 29. *An Iudæorum Deus tantùm? nonne & Gentium?* Obſtupeſcebant ſcilicet fideles Actuum 10. num. 45. *Quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt.* Hæ ſunt divitiæ glorię huius myſterij, ut iam vidimus ex Chryſoſt.

174 Neque verò ſatis fuit Apoſtolo, gloriam myſterij dicere: ſed exaggerationi exaggerationem adiungens, *divitias gloriæ* nuncupavit: phraſi illi frequenti. Ad Rom. 2. num. 4. *divitias bonitatis,* &c. Cap. 9. num. 23. *ut oſtenderet divitias gloriæ.* Cap. 11. num. 33. *ò altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.* Sic ad Epheſ. 1. num. 7. & num. 18. & cap. 2. num. 7. & cap. 3. num. 8. & 16. & ad Philip. 4. num. 19. Et revera Gentium vocatione oſtenditur Deus *dives in miſericordia,* ad Epheſ. 2. num. 4. *dives in omnes, qui invocant illum,* ad Roman. 10. num. 12. Quæ divitiæ longè clariſsimam reddunt Divinam gloriam.

Quod eſt Chriſtus, in vobis ſpes gloriæ.

175 HAE ſunt divitiæ huius Sacramenti: Chriſtum annunciatum vobis fuiſſe: vos erectos eſſe ad concipiendam ſpem cæleſtis illius gloriæ. Græcè eſt *os,* & refertur ad divitias, quas ipſi *pluton* appellant. Quomodò Chriſtus dicatur *ſpes noſtra,* ut 1. Timoth. 1. n. 1. explicui ſuprà n. 1.

Numerus 28.

Quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in omni ſapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu.

VIde, quàm ſtrenuè ſuas partes agat: quàm longè, latèque diffundat Evangelij lucem: quò aſpirẽt eius conatus. Effracta ſunt legis repagula: patet iam aditus violentis: nullos deinceps cancellos præfigit Apoſtolus: omnes ad fidẽ, & perfectionẽ vocat: omnes pro data ſibi cęlitus ſapientia, in fidei, ac morum doctrina inſtruit.

Cor-

176 *Corripientes*, Græcè, *nuthetuntes*. Vulgatus cap. 3. num. 16. vertit, *commonentes*. Et certè germana vis huius verbi, licèt interdum ſpectet ad ſeveritatem, frequentiùs congruit Apoſtoli manſuetudini: qui in exhortationibus obſecrabat, comiter appellabat, ſæpe laudibus efferebat, denique blandiſsimis verbis, & amorem ſpirantibus utebatur. Actuum 20. num. 31. *Per triennium nocte, & die, non ceſſavi cum lacrymis monens unumquemque veſtrum*. 1. Cor. 4. num. 14. *Non ut confundã vos, hæc ſcribo; ſed ut filios meos chariſsimos moneo*. Vtrobique eſt idem verbum, ut 2. Theſſal. 3. num. 15. *Nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite, ut fratrem*.

177 *In omni ſapientia*. Perſpicuum eſt, Apoſtolum hîc non gloriari de ſapiẽtia, ut nec iactat ſe de prudentia, cùm eam ſibi attribuit ad Epheſ. 3. n. 4. ſed agnoſcit, quæ à Deo donàta ſunt illi 1. Cor. 2. n. 12. & prędicat Dei donum, ut ſibi auctoritatem conciliet, & impoſtoribus fidem deroget. Et congruentiſsimè Gentibus, quæ pollebant ſapientia, datus eſt Apoſtolus ſapientiſsimus; Iudæis autem Princeps Apoſtolorũ, ſignis, prodigijſque cõſpicuus: quoniam *& Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt*. 1. Corint. 1. n. 22. Hæc ſapiẽtia cæleſtis ex omnibus Apoſtoli verbis emicabat. 2. Petr. 3. n. 15. *Sicut & chariſsimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis*.

Numerus 29.

In quo & laboro.

178 Græcè *is ò*: ad quod munus ritè exequendũ elaboro. Quis commemoret, quos labores pertulerit Paulus in Evangelij promulgatione? Aliquos ipſe recenſet 2. Corint. 6. n. 4. & cap. 11. num. 23. *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum*. Fidenter itaq; aſſeverat. 1. Cor. 15. n. 10. *Abundantiùs illis omnibus laboravi*, ſcilicet *Apoſtolis*.

Certando.

179 Græcè *agonizomenos*, hoc eſt, enixè, totis viribus, & omni contentione depugnans. Ducta a metaphora ab ijs, qui in agone decertabant. 1. Cor. 9. n. 25. & 2. Timoth. 1. n. 5. Verbum ipſum Græcũ reliquit Vulgatus Eccleſ. 4. n. 33. *Pro iuſtitia agonizare pro anima tua*. Luc. 13. n. 24. ſic expreſsit idem verbum: *Contendite intrare per anguſtam portam*. Ioan. 18. n. 36. *Miniſtri mei utique decertarent*. Vbique ſignificat virium contentionem, ſummumque conatum.

Secundum operationem eius, quam operatur in me.

180 Nihil ſibi arrogat: etiam labores ipſos ſpõte toleratos Deo refert acceptos. Sic 1. Cor. 15. n. 10. poſtquàm aſſeruit, *Abundantiùs illis omnibus laboravi*, continuò ſubdit, *non ego autem, ſed gratia Dei mecum*. Græcè *energia*, propriè, *efficacitas*; ut *energes, efficax*, ad Hebr. 4. n. 12. Affirmat ergo, ſe quidem exorbuiſſe labores, certamina ſuperaſſe in Evangelij promulgatione. Verùm hæc non eſſe attribuenda ſuę imbecillitati, ſed efficaciſsimæ, qua fultus eſt, Chriſti virtuti. Hæc eſt vis vocis *energiæ*. Ad Philip. 3. n. 21. *Secundum operationem*, (Græcè *energian, potentiam, efficaciam*) *qua etiam poſsit ſubijcere ſibi omnia*. Tria ſimul coniunxit ad Epheſ. 1. n. 19. *Secundum operationem potẽtiæ virtutis eius*: & c. 3. n. 7. (qui locus mirificè congruit cum præſenti) *cuius factus ſum miniſter ſecundum donum gratiæ Dei, quæ data eſt mihi ſecundum operationẽ virtutis eius*.

In virtute.

181 Svbeſt vox *dynamis*, virtº, ſeu potẽtia: de qua multa ſuprà n. 11. Hac virtute cõtinebatur admirabilis efficacia verbi divini, & poteſtas patrãdi miracula, eratq; quaſi ſigillũ prædicationis Apoſtolicæ: *El ſello pendiẽte: la diviſa, y ſeñal de los Apoſtoles*.

Propterea iussi sunt tantisper se continere, neque aggredi tam arduum munus, *donec induerentur virtute ex alto*. Luc. 24. num. 49. Postquàm verò *acceperunt virtutem supervenientis Spiritus Sancti*, Actuum 1. num. 8. *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi*. Actuum 4. num. 33. Idipsum affirmat Paulus de sua prædicatione ad Roman. 15. num. 19. *In virtute signorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti*. Et 1. Corint. 2. num. 4. *Prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus, & virtutis*. 2. Cor. 12. num. 12. *Signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, & prodigijs, & virtutibus*. Actuū 19. num. 11. *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli*. Hoc denique illud est, quo claudit Marcus suum Evangelium: *Prædicaverunt ubique, Domino cooperante* (Græcè, *synerguntos*; energiam, & efficaciam verbo tribuente) *& sermonem confirmante sequentibus signis*.

182

CAPVT II.

Numerus 1.

Volo enim vos scire, qualem solicitudinem habeam pro vobis.

1 Au salis illa particula *enim* indicat, Apostolum reddere rationem, cur commemoraverit labores, & certamina, eorum causa suscepta: nempe ut sibi persuaderent, illorum salutem Apostolo esse charissimam: quod mirè valet ad devinciendos animos, & quasi præparandum solum ad doctrinæ satus accipiendos.

2 *Qualem* (inquit) *solicitudinem habeam*: nimirùm ea res nos anxios, & solicitos tenet, quæ nobis valde cordi est: & ad pastorem propriè spectat, stimulari de ovibus. Ad Roman. 12. num. 8. *Qui præest, in solicitudine*. Quam operam egregiè navabat Paulus, 2. Corinth. 11. num. 28. *Instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum*. Sed in his duobus locis, licèt sit eadem vox Latina, Græca tamen est diversa. In illo ad Roman. *Spude*, id est, vehemens animi intentio, sive studium. In hoc ad Corinth. *merimna*: propriè solicitudo suspensa timore eventuum futurorum; quæ dum animum pungit, stimulos scilicet admovet ad illam ipsam contentionem adhibendam.

3 Hîc verò grandior, & significantior subest vox, *helicon agona: quantum certamen habeam*. Ita solet reddere Vulgatus eamdem vocem (cuius vim exposui cap. 1 num. 29) ad Philip. 1 num. 30. *Idem certamen habentes*. 1. Timoth. 6 num. 12. *Certa bonum certamen*. Sic 2. Tim. 4. num. 7. & ad Heb. 12. nu. 1.

4 Non diffiteor, etiam à Vulgato *agonem* verti *solicitudinem*, 1. Thessal. 2. nu. 1. sed eiusmodi solicitudo concipienda est, quæ cruciat animum decertantis cum sanguinario hoste atque eo conflictu, unde non modò vita, honorque pendeant, quæ hominibus solent esse antiquissima; sed illa vera salus, in omnem æternitatem duratura, exitu prælij contineatur. Vide, quàm solicitus erit de victoria, qui confligit. Huic coniecturæ fidem etiam facit, quòd vehemens illa afflictio, angorque Christi, qui sudorem sanguineum illi expressit, agonia nominatur à Luca, cap. 22. n. 43. hoc est, mæstissima quædam solicitudo.

Et pro ijs, qui sunt Laodiciæ.

VRbs erat finitima Colossis, c. 4. n 13. num. 15. & 16.

Et quicunque non viderunt faciem meam in carne.

5 COlligunt hinc nonnulli, Apostolum nondum de facie notum Colossensibus, & Laodicenis: quamvis enim iam tunc Phrygiam pertransisset, Actuū 16. nu. 6. tamen vetitus est à Spiritu Sancto,

loqui

loqui verbum Dei in Aſia. Hæc ſententia probata eſt mihi ſuprà cap. 1. num. 8. ſedulus eſt lubrica. Lege Baronium to. 1. anno Chriſti 60. Hinc colligo Apoſtoli charitatem, quæ homines adeò diſsitos, & nondum de facie cognitos, tam arctè complectebatur.

Numerus 2.

Vt conſolentur corda ipſorum.

GRæcè, *Paracleſthoſin: conſolationem accipiant.*

Inſtructi in charitate.

6 VVlgatus, ſequutus ſententiam, neglexit Grammaticam: ſed ipſi⁹ etiã cõſtructionis ratio habita eſt ab Apoſtolo: nã Græcè eſt gignẽdi caſus *ſymbibaſthentõ*: cuius verbi germana vis eſt, compingere, & coagmentare, quaſi membra unius corporis; ut planè ſententia ſit, eos inter ſe colligatos, atque connexos arctiſsimo charitatis vinculo, mira conſolatione fruituros.

7 Sic vertit Vulg. idem verbũ ad Epheſ. 4. num. 16. *Totum corpus compactum, & connexum*: & in hoc cap. num. 19. *conſtructum*: quod idem eſt. Vnde Nazianz. oratione 1. contra Iulianum, trãslatè uſurpat elegantiſsimè, dum ait, *ex varijs Prophetarum oraculis canticum coagmentans, Symbibazon.* Atque hinc explico illud Act. 9. num. 22. *Confundebat Iudæos, affirmans, quoniam hic eſt Chriſtus.* Græcè, *ſymbibazon*, hoc eſt, ex collatione ſacrorum vaticiniorum apertiſsimè convincens: nam alioqui nuda Apoſtoli affirmatio haud ita facilè Iudæis rubores eijceret.

(2)

Et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem myſterij Dei Patris, & Chriſti Ieſu.

PLenitudo hîc non dicitur Græcè, 8
pleroma, ut cap. 1. num. 19. ſed *plerophoria*: de cuius vocis proprietate copioſe, & ſubtiliter diſputat Ribera ad Heb. 6. num. 49. Maldon. Luc. 1. num. 1. Toletus ad Rom. 14. annotatione 6. Barradas tom. 1. lib. 7. cap. 1. Ego cenſeo, immeritò negari à Ribera, *plerophoriæ* idẽ eſſe, ac *compertum habeo, certiſsimè novi*: convincitur enim hoc ex cap. 4. ad Roman. num. 21. *Pleniſsimè ſciens.* Græcè, *plerophorethis.* Et cap. 14. num. 5. *Vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abundet.* Græcè, *plerophoriſthō*: hoc eſt. Perſuaſum habeat, ſuam veram eſſe ſententiam, ac mentis ſuæ perſuaſione conquieſcat. Ad Hebr 10 n. 22. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei*, hoc eſt, fide certa, nihil de Chriſti promiſſionibus hęſitante.

Non malè ergo vertit Eraſmus in præ- 9
ſenti. *In omnes divitias certæ perſuaſionis*: & mens Apoſtoli hęc eſt In hoc omnes nervos intendo, ut charitatis vinculo cõpacti, & Spiritus Sancti conſolatione delibuti, adeò firmiter teneatis Chriſti myſterium, ut nullis hæreticorum labefactati machinis, de hac certiſsima perſuaſione poſitis dimoveri.

Numerus 3.

In quo ſunt omnes theſauri ſapiẽtiæ, & ſcientiæ abſconditi.

INtendit digitum ad uberri- 10
mum fontem, unde aqua iſta ſapientiæ ſalutaris hauriendæ eſt. Ab iſto ſplẽdidiſsimo Sole impertienda erat Coloſſenſibus intelligentię lux: divitiæ illæ plenitudinis intellectus ex his reconditis theſauris depromendæ. Et verò theſauri iſti non

ingentes

ingentes modò, ſed omnino fuerunt inexhauſti. Nam in primis ipſe Chriſtus eſt Sapientia Patris. 1. Corinth. 1. num. 24. eſt Verbum illud, quod infinitam intellectus Divini fœcūditatem exhauſit; quod profundiſsima quæque ipſius Dei perſcrutatur, atque adeò comprehendit.

11 Deinde fuit in Chriſti anima ab inſtāti Incarnationis ſcientia illa beata, quæ licèt ſimpliciter fuerit finita, per eam tamen infinitas ſpecies poſsibiles, & omnia in quacumque differentia temporis futura cognoſcebat. Fuit etiam ſcientia per ſe infuſa, per quam intuitivè videbat, quidquid Deus videt ſcientia viſionis. Sed hęc accuratiùs Theologi cum Sancto Thom. 3. P. à q. 9. uſque ad 12.

12 Abſconditi dicuntur hi theſauri, nam is revera theſaurus eſt, qui abſconditus eſt. Matth. 13. num. 44. Vide elegantem explicationem huius vocis apud Pinedā, to. 2. cap. 38. verſ. 22. Et quidem ſapientia iſta mirabilis latebat intuentium oculōs, recondita prorſus, atque abdita in illā mortali, quæ obijciebatur, humanitate.

Numerus. 4.

Hoc autem dico.

13 PHraſis eſt Apoſtolo per quā familiaris, qua ſolet excitare legentium attentionem; & ſcopum, quem ſibi propoſuit, collimare. Actum agerem, ſi exempla congererem. Congerit innumera Salme. to. 13. diſp. 7. pag. 26.

Vt nemo vos decipiat in ſublimitate ſermonum.

14 GRæcè eſt unica dumtaxat vox *pithanologia*, hoc eſt, perſuaſibilitas; ſermo ad fallendum compoſitus; qualis culta, ſublimis, & exaggerata oratio, varijſque dicendi luminibus diſtincta, eſſe ſolet. 1. Corinth. 2. num. 1. cùm ait Apoſtolus, *Veni non in ſublimitate ſermonis*; eamdem rem diverſis expreſsit vocibus.

Atque ut eſt veriſsima aurea illa Arnobij ſententia 1. contrà Gentiles. [Nūquam veritas ſectata eſt fucum, neque quod exploratum eſt, ac certum, circumduci ſe patitur orationis per ambitum longiorem.] Ita ſemper hæreticorum fuit ingenium, fallaciſsimè venditare eloquētiam; ut mendacijs, techniſque ſuis aliquem vel fucatum colorem illinerent: & hac veluti ſcabie illectos rudes, & imperitos ineſcarent. Quod hîc vocat Paulus *paralogizesthæ*. 15

Ipſe verò Paulus grandis quidē, vehemensque ſententijs, ſed ſermone rudis fuit. Hieronymus tom. 2. epiſt. 50. [Quotieſcunque Paulum lego, videor mihi non verba audire, ſed tonitrua. Vidētur quidē verba ſimplicia, & quaſi innocentis hominis, & ruſticani, ſed quocumque reſpexeris, fulmina ſunt.] Et to. 3. epiſtol. 151. ad Algaſiam quæſtion. 10. [Profundos, & reconditos ſenſus lingua non explicat: & cùm ipſe ſentiat, quid loquatur, in alienas aures puro non poteſt transferre ſermone.] Idem aſſerit in epiſto. 150. ad Hedib. quæſtio. 11. & tom. 9. in cap. 3. ad Epheſ. [Iſte, qui ſolæciſmos in verbis facit, audacter ſibi vendicat ſapientiam.] 16

Sed quid Hieronymo teſte egemus? cùm ipſe Paulus ſermonis imperitiam ingenuè fateatur, cauſamq; reddat 1. Corint. 1. nu. 17. *Non in ſapientia verbi, ut non evacuetur crux Chriſti.* Quē locum explanans Theodoretus, ait. [Si eloquentia uſi eſſemus, non oſtenſa eſſet potentia eius, qui crucifixus eſt: omnes enim exiſtimaſſent, eos, qui crediderant, facundia, & dicendi arte captos eſſe.] Conſentanea ibi Anſelm. & Chryſoſt. hom. 6. vide Lorin. Actu. 14. verſ. 11. 17

1. Corinth. 2. num. 4. *Sermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, &c.* Propriè expreſsit ibi Apoſtolus, per luculentam ſcilicet periphraſim, quid ſit *Pithanologia*: ſubiungit 18

cauſam:

cauſam: *ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* 2. Corinth. 11. num. 6. *Etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia.*

Numerus 5.

Nam etſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum.

EXplicavi cap. 1. num. 8. & ſententia ipſa ſatis per ſe perſpicua eſt.

Gaudens, & videns ordinem veſtrum.

19 QVis eſſet iſte ordo, expoſuit nobis Martyr Ignatius, Epiſtola 10. ad Smyrnenſes. [Omnia veſtra decenti ordine perficiantur in Chriſto. Laici Diaconis ſubijciãtur; Diaconi, Preſbyteris; Presbyter, Epiſcopo; Epiſcopus, Chriſtõ, ut ipſe Patri.] Hũc ſpectat illud ad Titum 1. num. 5. *Et conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Et 1. Corinth. 11. num. 34. *Cætera, cùm venero, diſponam.* Vtrobique *diatattomæ*, id eſt, *ordino.*

20 Iſtum verò ordinem ritè ſervari etiam, atque etiam cupiebat Apoſtolus, 1. Corinth. 14. num. 40. *Omnia autem honeſtè, & ſecundum ordinem fiant.* Et 1. Theſ. 5. num. 14. iubet caſtigari eos, qui ordinem deſerunt. *Corripite inquietos.* Græcè, *ataktus, inordinatos.* Et 2. Theſſal. 3. num. 6. *Vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè.* Proponitque ſe ipſum exẽplar ſervati ordinis, num. 7. *Ipſi enim ſcitis, quemadmodùm oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos.* Græcè, *ataktesamen: non violavimus ordinem.*

21 Cur tantopere ordinem adamaret, rationem reddit 1. Corinth. 14. num. 33. Cùm enim præcepiſſet, quidnam, & quatenùs, qui prophetię donum acceperant, docturi eſſent in Eccleſia; quando alijs prophetantibus loco ceſſuri; ſubiungit: *non enim eſt diſſenſionis Deus.* Græcè, *akataſtaſias*: quæ vox propriè confuſionem, ordiniſq; perturbationem ſignificat: vertiq́ue ſolet à Vulgato, *ſeditio*, 2. Cor. 12. num. 20. *inconſtantia*, Iacobi 3. num. 16. Quæ nimirùm ex ordine perturbato proficiſcuntur.

Et firmamentum eius, quæ in Chriſto eſt, fidei veſtræ.

ID eſt, ſoliditatem, & firmitatem, Hæreticorum machinis oppoſitam: quam illi poterunt quidem oppugnare; labefactare certè minimè poterunt.

Numerus 6.

Sicut ergo accepiſtis Ieſum Chriſtum Dominum, in ipſo ambulate.

22 AQuum profectò eſt, acceptum fidei donum conſtantiſsimè retinere; atque adeò Chriſtum ipſum vita, & moribus exprimere. Ita intelligo, *ambulare in Chriſto*: ut enim ad Galat. 5. num. 16. & 25. *ſpiritu ambulare*, eſt, non carnis, ſed ſpiritus rationem ducere, eiuſq́ue ductum ſequi: & Iuſti dicuntur *ambulare in novitate vitæ*, ad Roman. 6. num. 4. *in dilectione*, ad Epheſ. 5. num. 2. *in luce*, 1. Ioan. 1. nu. 7. *in veritate*, 2. Ioan. num. 4. Sic ambulare in Chriſto, erit, inſiſtere viam, quam ille nobis reliquit virtutum altiſsimarum notatam veſtigijs. 1. Petri 2. num. 21. *Vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia eius.*

23 Confirmat hanc expoſitionem frequẽs ille loquẽdi modus, quo dicitur in Scriptura, qui alterum moribus imitatur, in vijs illius ambulare. 1. Reg. 8. nu. 3. de filijs Samuel. *Non ambulaverũt filij illius in vijs eius.* De ſanctiſsimo Rege Ioſaphat 3. Regum 22. num. 43. *Ambulavit in omni via Aſà Patris ſui.* De perverſo Achaz. 4. Regum 16. num. 3. *Ambulavit in via Regum Iſrael.* Id eſt, coluit Idola, ſicut illi coluerunt.

runt. De pijſsimo Ioſia 4. Regum. 22. num. 2. *Ambulavit per omnes vias David Patris ſui.*

24 Accedit, quòd Chriſtus ſe eſſe viam profitetur Ioan. 14. num. 6. *Ego ſum via, veritas, & vita.* Vbi Maldona. per veritatem, lucem intelligit, id eſt, ſum via, & ſum fax, quæ præit oſtendens ipſam viam; & vita, ad quam via ducit. Denique facit illud 1. Ioannis 2. nu. 6. *Qui dicit, ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.* Hoc videlicet eſt *ambulare in Chriſto.*

Numerus 7.

Radicati, & ſuperædificati in ipſo.

25 DVplex hîc metaphora, crebrò uſurpata ab Apoſtolo. Ad Epheſ. 3 n. 17. *In charitate radicati, & fundati.* 1. Corinth. 3. num. 9. *Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis.* Sic ad Roman. 11. nu. 17.

Et quidem Chriſtus *vitis vera eſt*, Ioan. 15 num. 1. Quamvis enim per metaphoram ſit vitis; ſed appellatur vera, quia multò perfectiùs palmites ſuos alit, id eſt, homines ſibi per fidē, caritatemq; cōiunctos, quàm ſarmēta ſua vitis naturalis. Ab hac radice trahendus eſt ſuccus, quo vita ſpiritualis augeſcit: hinc erigendus truncus rectæ intentionis in cælum tendentis: hinc patiētię cortex fulciendus: hinc derivandus viror ſpei: hinc flores boni exempli diducendi: hinc extendenda folia verborum ad pietatem excitantium: hinc denique uberrimi fructus bonorum operum proferendi.

26 Propterea Chriſtus ſæpe appellatur radix. Iſai. 11. num. 10. exponente Paulo ad litteram de Chriſto ad Roman. 15. n. 12. *Erit radix Ieſſe.* Iſai. 53. num. 2. *Sicut radix de terra ſitienti.* Apocalyp. 5 num. 5. *Vicit Leo de Tribu Iuda, radix David.* Vbi quæri ſolet, cur dicatur Chriſtus *radix David*, cùm potiùs ipſe à David, tanquam à radice, originem ducat. Reſpondent Ruiper. Bernar. & Ambr. utrūq; verè dici: quatenùs homo eſt, ſtirpē habet ex David: ſed quia idem Deus eſt, creatorque David, radix David meritò appellatur. Cùm cōtrà ſentiat Ribera, aliterque explicet hunc locum: ſententiam mihi ſuam minimè probat.

Altera ædificij metaphora cōmunior 27
eſt. *Fundamentū enim aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitū eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus*, 1. Cor. 3. n. 11. *In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino: in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei*, ad Epheſ. 2 num. 21. *Et ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis.* 1. Petr. 2. nu. 5.

Et confirmati fide, ſicut & didiciſtis.

HVc videlicet ſpectabat utraq; me- 28
taphora. Arefactos palmites vehementior interdum decutit ventus: virentes autem vix ſæva procella defringit. Matth. 7. num. 24. *Ædificavit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit.* Itaque radicatos, & ſuperædificatos in Chriſto Coloſſenſes haud ita facilè convellent excitati inferorum turbines.

Abundantes in illo in gratiarum actione.

GRæci omnes conſtanter legunt *in* 29
ipſa, nempe fide: ſed ſenſus eòdem recidit. Et valde ſuſpicor, non ſolùm tacitè hortari Apoſtolum, ut in dies magis, magiſque agnoſcant Chriſtum, eidemq; pro tam ſingulari beneficio ex animo gratias agant; ſed quaſi digitum intendere ad maximè expeditam, & compendiariam viam, qua ad uberrimum gratiarum omnium cumulum poſsint pervenire. Ea eſt, ſi ſe gratos, ac memores oſtēdant donorū

accep-

30 acceptorum. Nam quemadmodùm *ingratitudo* (teſte Bernardo ſermone 51. in Cantica) *eſt ventus urens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ*: ita (inquit idem Sanctus ſermone contra Ingratitudinem) *fælix, qui ad ſingula dona gratiæ redit ad eum, in quo eſt plenitudo omnium gratiarum: cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, ut maiora adhuc accipere mereamur*. Hæc omnia ex Bernar. Quæ mirè ponũt ob oculos, qualiter abundantia donorum cæleſtium effluat ex gratiarum actione: quod fortè indicavit etiam Apoſtolus ad Epheſ. 5. numero 18. poſtquàm enim dixit: *implemini Spiritu Sancto*, rationem oſtendit, qua id aſſequi poſſent, *gratias agentes &c.*

Numerus 8.

Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum.

31 SCribit Baronius tom. 1. anno Chriſti 75. quo tempore Apoſtoli, vtríque Apoſtolici ad imbuendos Chriſtiana religione populos, orbem peragrarunt; eodem complures contrà Philoſophos adijſſe nobiliſsimas quaſque provincias, ut avitæ ſuperſtitionis cultum retinendum eſſe perſuaderent. Hos prædones cavendos etiam atque etiã eſſe denuntiat Apoſtolus. *Videte, ne quis vos decipiat*, Græcè, *ſylagogon, deprædetur*, captos tanquam prędam, abducat. Et quia Philoſophię nomen grave, ac venerandum eſſe videbatur, *inanem fallaciam* appoſuit. Sic enim 1. Tim. 6. num. 20. *Falſi nominis ſcientiam* appellavit.

32 Quæ dogmata ſpargerẽt hi Philoſophi prodidit Clemens Alexan. lib. 1. Stromatum, pag. 318. [Philoſophiam, inquit, non omnem, ſed Epicuræam reprehendit, quæ tollit providentiam, & in Deorum numerũ refert voluptatem: etſi qua alia honore affecit elementa.] Quibus verbis explicat etiam Clemens ea, quæ proximè ſequuntur.

Secundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum.

NImirùm contendebant Epicuræi, divinum cultum eſſe tribuendum elementis mundi; id eſt, principijs, ex quibus ipſe mundus conſtat; Cælo, Soli, Lunæ, &c. Neque enim ita preſſè ſumenda eſt notio elementi, ut eam uſurpãt Philoſophi.

Niſi fortè per traditiones, & elementa intelligit Apoſtolus Axiomata quædam, & velut prima principia, à priſcis illis Philoſophis ad poſteros quaſi per manũ tradita: quibus impoſtores evertere fidei dogmata conabantur; qualia ſunt: *ex nihilo nihil fit*: *á privatione ad habitum non eſt regreſſus*: *accidentis eſſe, eſt ineſſe*: *&c.* Hęc enim erant velut prima Philoſophiæ rudimenta; quę fidei myſterijs videntur adverſari, ſi Divinam etiam potentiam cõplectantur. 33

Hæc ſignificatio mirificè quadrat in vocem, *elementa*. Ad Galat. 4. num. 3. *Cùm eſſemus parvuli, ſub elementis mundi eramus ſervientes*. Ad Hebr. 5. num. 12. *Cùm deberetis eſſe magiſtri propter tempus; rurſum indigetis, ut vos doceamini, quæ ſint elementa*. Id eſt, tyrocinia, & prima rudimenta. 34

Atque hanc expoſitionem exiſtimo probabiliorem, etiam illa, quam ſequuntur Græci, de dierum obſervationibus, ritibuſque Iudaicis. Scio, hęc appellari ab Apoſtolo, *elementa mundi*, ad Galat. 4. num. 9. ſcio, Coloſſenſes etiam ad Iudaicas ſuperſtitiones incitari: ſed certè nunc agit de Philoſophis; & Gnoſtici, ſive Epicuræi diſtinguendi ſunt à Iudaizantibus.

(:?:)

Numerus 9.

Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.

35 COrpus in Scriptura opponitur umbris, & figuris: in hoc cap. num. 17. *Quæ ſunt umbra futurorum, corpus autem Chriſti*. Omnis ergo plenitudo Divinitatis, ſeu plena Verbi Divinitas dicitur in Chriſto inhabitare corporaliter, hoc eſt, non typicè, non umbraticè, ſed re vera. Legimus Exod. 3. num. 2. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi*. Quem locum explanans Stephanus, Actuum 7. nu. 30. ait: [Apparuit illi Angelus in igne flāmæ rubi.] Nempe Angelus ille perſonam Dei gerebat; & non verè, & corporaliter, ſed umbraticè. Divinitas in illo inhabitabat. Sic etiam Exod. 19. & 20. narratur, Deum tradidiſſe legem Moyſi. Et Actuum 7. num. 38. ad Galat. 3. num. 19. ad Hebr. 2. num. 3. dicitur lata per Angelos, Dei perſonam ſuſtinentes.

36 Secūdò plenitudo Divinitatis inhabitat in Chriſto corporaliter, hoc eſt, non tantùm per effectum, aut operationem, ut in Iuſtis, 2. Cor. 6. n. 16. [Vos enim eſtis Tēplum Dei vivi, ſicut dicit Deus (Levit. 26. nu. 12) quoniam inhabitabo in illis.] Per gratiam ſcilicet, charitatem, cęteraq; chariſmata Spiritus Sancti, per quę ſpeciatim Deus inhabitat in Iuſtis.

37 At in Chriſto non ſolùm quaſi effectivè per hæc dona, ſed corporaliter inhabitat tota ſubſtantia Divinitatis, per unionē hypoſtaticam; quia ex Verbo divino, & humana natura componitur una ineffabilis ſubſtantia corporea: ſicut anima poteſt dici inhabitare corporaliter in homine, quia ita eſt unita corpori, ut cum illo cōponat unam corpoream naturam. Hoc exemplo explicant Cyril. OEcum. Theodoret. & Theophil.

38 Illud eſt apprimè obſervādum. Habet unio Deitatis cum humana natura duo inſigniter admiranda: alterum, quòd ipſa Deitas ſubſtantiale eſſe corporeū in Chriſto habet: alterum, quòd abſque ulla ſui mutatione habet. Propterea ergo dicitur inhabitare, ut omnis excludatur mutatio: neque enim immutatur inhabitans à domo, quam inhabitat; ſed additur *corporaliter*, ut excluſa extrinſeca denominatione, unio illa corporea, & ſubſtantialis exprimatur.

39 Extat luculentum teſtimonium huius veritatis, Ioannis 1. nu. 14. *Et Verbum caro factum eſt*. Non potuit apertiùs explicari, corpoream naturam unitam fuiſſe hypoſtaticè Verbo: unionem eſſe ſubſtantialē, non extrinſecam. Ac, ne quis exiſtimaret, Verbum fuiſſe intrinſecè mutatum, continuò ſubiungit: *& habitavit in nobis*. Græcè *eſKenoſen*, hoc eſt, tanquam in tabernaculo habitavit. Corpus enim humanum tabernaculū appellat Paulus 2. Cor. 5. nu. 4. & Petrus 2. epiſt. c. 1. num. 13. quo genere loquendi, immutabilitas Deitatis, in quam nulla cadere poteſt viciſſitudinis obumbratio, aptiſsimè denotatur. Cū hæc obſervatio placuerit Chryſoſt. Theodor. Cyril. Hilar. Theophil. & OEcum. magnis videlicet auctoribus, non video, cur diſpliceat Maldonato.

Numerus 10.

Et eſtis in illo repleti.

40 CHryſoſt. intelligit de ea dē plenitudine. Divinitatis. Theophil. exclamat. [Papæ, quid dixit? Nihil, inquit, minus habetis, quàm ipſe. Vos etiam Divinitate impleti eſtis: verūtamen in illo. Poſtquàm enim natura noſtra Deo copulata eſt, nos etiam divinæ eius naturę facti ſumus participes.] Sed in Chriſto plenitudo Divinitatis inhabitat ſecundum ſubſtantiam; in Iuſtis autem, ſecundum participationem. Ioan. 1. nu. 16. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*, id eſt, omnem gratiarum cumulū, ut Iob 1. nu. 4. *Pellem pro pelle*, hoc eſt, omnes facultates ſuas, quæ tunc in pecoribus

ſitæ erant. *Dará toda ſu hazienda pieça por pieça: todas ſus alhajas una por una.* Lege Pined. to. 1. c. 2. verſ. 4. num. 3. Prado Ezechi. 15. pag. 171.

Qui eſt caput omnis Principatus, & poteſtatis.

41 HIc eſt validiſsimꝰ Apoſtoli mucro: eo ſæpe iugulat hæreticorum cauſam: hoc quaſi ariete arcem iam labefactatam iterum, atque iterum verberat. De Chriſti fonte hauſimus: imò hauſerunt ipſi Principatus, & Poteſtates. Tantum abeſt, ut Angelis ſalutem acceptam referre debeamus. Facit expreſſè hic locus pro ea ſententia, quam cap. 1. num. 18. ſequuti ſumus, Chriſtum eſſe caput etiam Angelorum. Vide Valen. tom. 4. diſp. 1. quæſt. 8. punc. 3.

Numerus 11.

In quo & circumciſi eſtis circumciſione nõ manu facta in expoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti.

42 PRoſligata inani Philoſophia, tela iã obvertit in Iudaizãtes, qui Coloſſenſes ad circumciſionẽ iam abolitam, Iudaicoſque ritus avertere moliebantur: & collatione facta inter Baptiſmum, & circumciſionem, demonſtrat, quàm illa longo intervallo ſuperetur: eſt enim Baptiſmus ſpiritualis, & germana circumciſio, per legalem illam adumbrata. Theod. [Non eſt carnalis circumciſio, ſed ſpiritualis; neque manu facta, ſed Divina; neque exiguæ corporis particulæ ablatio, ſed ab omni corruptione, & interitu liberatio.]

43 Acriùs invectus eſt Apoſtolus in eos, qui Philippenſes ſolicitabant ad Iudaiſmum, cap. 3 num. 2. *Videte canes* (id eſt, cavete eos, qui velut canes impudentiſsimi, ad ritus, quos evomuerãt, relabuntur) *videte malos operarios, videte conciſionem.* Pulchra annominatio: circumciſio explosa iam, atque reiecta, ſi rurſus invehatur, nihil aliud eſt, niſi carnis ſectio, ac ſæva cõciſio: *Nos enim ſumus circũciſio, qui ſpiritu ſervimus Deo.* Nimirùm hæc eſt vera, & germana circumciſio Chriſti.

44 Quin & illa ipſa Hebræorum circumciſio eò ſpectabat, ut cor ipſum circumcideretur, omni vitiorum inanitate reſecta: quæ meritò vocatur ab Apoſtolo, ad Roman. 2. num. 29. *Circumciſio cordis in ſpiritu*: ut illa merè legalis, ad Epheſ. 2. n. 11. *Circumciſio in carne, manu facta.* Deut. 10. num. 16. *Circumcidite igitur præputium cordis veſtri*: & cap. 30. n. 6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo.* Hierem. 4. n. 4. *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordiũ veſtrorum.* Eoſque acriter obiurgat Stephanus, quòd hanc ſpiritualem circumciſionem neglexiſſent, Actuum. 7. num. 51. *Dura cervice, & incircũciſis cordibus, & auribus.*

Numerus 12.

Conſepulti ei in Baptiſmo.

45 IAvacrum regenerationis, quod paulò antè, Chriſti circumciſionẽ vocaverat, nunc ſepulturã appellat. Nam ſicut ſpiritualis circumciſio non pelliculã ſolùm reſecat, ſed omnino expoliat *corpore peccatorum carnis* (ut legunt conſtãtiſsimè Græci) ſic mors hæc, & ſepultura myſtica, hominem prorſus defunctum vetere vita planè denunciat.

46 Baptiſmus ergo ſimilitudinem gerit ſepulturæ Chriſti, quatenus, dum aquis immergimur, Chriſtum repreſentamus ſub terra conditum. Cyrillus Hieroſolymita. Catecheſi. 2. myſtagogica, & Theophil. hîc, volũt etiam, per trinam ſubmerſionẽ,

triduum illud, quod Chriſtus iacuit in ſepulchro, denotari; & quẽadmodùm Chriſtus ſepultus, omnino fuit expers vitæ mortalis; ſic baptizatus non ſolùm moritur priſtinæ peccatorum vitæ, ſed tanquam iam ſepultus, ab ea longè debet abhorrere.

47 Vberiùs hoc explicat Apoſtolus ad Rom. 6. n. 2. *Qui enim mortui ſumus peccato, quomodò adhuc vivemus in illo?* A repugnantibus ducit argumentum: pugnãt enim inter ſe mors, & vita. Sed unde probat, nos eſſe mortuos peccato? *An ignoratis, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus?* hoc eſt, ſimiles effecti ſumus ipſi mortuo (ut exponit Toletus notatione 3.) & ſtatim expreſsit Apoſtolus, ſubiungens. *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem. In mortem*, inquit, ſcilicet ut moriamur peccato, ſicut ille mortuus eſt vitæ temporali.

48 Extat illuſtre vaticinium huius myſterij apud Iſai. c. 53. n. 8. ubi eſt de fide, ad litteram ſermonem eſſe dẽ Chriſto. *Propter ſcelus populi mei percuſsi eum.* Explicat continuò uberrimum huius paſsionis frũctum: *& dabit impios pro ſepultura, & divitem pro morte ſua.* Hebræa ſic reddũtur ad verbum in Regia: *& dedit cum impijs ſepulturã eius*, ideſt, ſepultus eſt, ut impij unà cum ipſo per baptiſmum ſepelirentur: omniſque improbitas infra mortuos amandata nuſquam deinceps in terris appareret. Alteram verſiculi partem, *& divitem pro morte ſua*, ſic vertit Forerius: *& divitem in cruciatibus ipſius*: quia Pater ęternus reddidit Chriſtum per ſuos cruciatus, & mortem longè ditiſsimum. Has divitias ſigillatim deinde exponit n. 10. 11. & 12. *ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia.*

In quo & reſurrexiſtis.

49 SIcut baptizatus immerſus in aquam repræſentat Chriſtũ conditum in ſepulchro; ita emergens ex aqua eumdem exprimit reſurgentem. Itaque non ſolùm exuti eſtis vitijs in baptiſmo, ſed ibi etiã Chriſtum induiſtis: ad Roman. 6. num. 5. *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus.* Explicat, in quo ſita ſit iſta reſurrectio. *Vt quomodò Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris* (ideſt, ut vitam ageret glorioſam, qualis decet Filium Dei. Tolet. notation. 4.) *ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

50 In novitate vitę, inquit, quia in Baptiſmo exuitur homo vetus, & induitur novus, ad Galat. 3. num. 27. *Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Propterea ad Titum 3. numer. 5. vocatur *lavacrum regenerationis, & renovationis.* Chryſoſt. hom. 9. in cap. 6. ad Hebr. [Renovari, eſt novum fieri: novos quippe facere, lavacri eſt tantùm.] Vide ad Epheſ. 4. num. 23.

Per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit illum à mortuis.

EXponũt Adamus, & Salmeron, per fidem non otioſam, neque deſidem; ſed actuoſam, & efficacem; quæ ſcilicet eſt à Deo. Opinor, cupiditas revincendi hæreticos, in hanc eos impulit explicationem, difficilem Hebraiſmo, contextu, & proprietate vocis *energias*: de qua cap. 1. num. 29.

51 Senſum aſſequutus eſt Theophilactus: [Credentes, inquit, quòd Deus poſsit à mortuis excitare: atque huius rei certum indicium habẽtes Chriſtum excitatum.] Sic ad Rom. 4. cùm plena manu laudaviſſet fidem Abrahæ, ſubiungit num. 24. *Quibus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitavit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum à mortuis.* Vide, cuius myſterij fidem præcipuè requirat Apoſtolus; & iure quidem optimo: nam eſt veluti compendiaria quædam ſumma, complectens Divinitatis, & Humanitatis articulos: qui enim hæc credit, ſimul etiam credit, Chriſtum

eſſe

esse Filium Dei, verumque hominem pro nostra salute mortuum.

52 Illustrant maximè hunc locum verba quædam difficillima, quibus claudit Apostolus illud cap. 4. ad Roman: *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*. Cùm enim Christus sua morte non solùm satisfecerit pro peccatis, sed promeruerit etiam omnem gratiarum, & charismatum cumulũ, quibus iustificatio tota continetur: quod adeò certum est, ut nihil Christus meruerit resurgendo. Quid sibi vult Apostolus, cùm affirmare videtur, per mortem, satisfactionẽ pro peccatis; per resurrectionem verò, nostram meruisse iustificationem?

53 Video, qualiter exponat Tolutus Cardinalis notatione 25. in illud cap. 4. ad Roman. sed profectò series ipsa sententiæ postulat, ut quemadmodùm fides, in eo capite, dicitur reputari ad iustitiam, quia est iustificationis initium, & fundamentum: sic ad eandem iustificationem verba Pauli accommodentur. Resurrexit itaque Christus propter iustificationem nostram, hoc est, ad fulciendam, & corroborandam fidem, sine qua iustificari non possumus. Resurrexit, ut eius resurrectio nobis esset argumentum efficacissimum ad concipiendam fidem, & spem; atque adeò ad iustificationem obtinendam. 1. Corinth. 15. num. 17. *Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra.* 1. Petr. 1. num. 3. *Regeneravit nos in spẽ vivã per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.* Et num. 21. *Qui suscitavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides vestra, & spes esset in Deo.*

54 Illa est etiam expedienda difficultas: cùm Christus seipsum suscitaverit; *crucifixus enim est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* 2. Corinth. 13. num. 4. *Solvite* (inquit) *templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, Ioan. 2. num. 9. *Potestatem habeo ponendi eam* (scilicet animam) *& potestatem habeo iterum sumendi eam*, Ioann. 10. num. 18. cur tam sæpe in Scriptura dicitur ex mortuis à Patre suscitatus? Actuum 2. num. 24. cap. 3. nu. 15. c. 4. nu. 10. c. 5. nu. 30. c. 10. nu. 4. c. 13. nu. 30. nu. 34. nu. 37. c. 17. num. 31. ad Rom. 4. nu. 24. c. 8. nu. 11. c. 10. nu. 9. 1. Corint. 15. nu. 15. 2. Cor. 4. nu. 14. ad Galat. 1. nu. 1. Respondeo brevitèr, quia suscitare mortuos, magnæ potentiæ est; & potentia in Scriptura attribuitur Patri; ideo per attributionem dicitur Christum excitasse; licèt verè ipse Christus, quatenus Deus est, fuerit causa principalis suæ resurrectionis. Chrysost. hom. 1. in cap. 1. ad Galat. [Sic illum excitare dicitur, quemadmodùm & alia facere dicitur, quæ facit Filius.] Lege Sanctum Tho. 1. P. q. 39. artic. 8.

Numerus 13.

Et vos cùm mortui essetis in delictis.

AD Ephes. 2. num. 1. ijsdem propè verbis. Et num. 5. *Cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.* Cur memoriam illius miseri status, unde Christi beneficiò erepti sunt, refricet Apostolus, exposui, cap. 1. num. 21.

Et præputio carnis vestræ.

55 EThnicis tanquam probrosum quiddam obijciebant Iudæi, eos esse incircumcisos. Genes. 34. num. 14. *Nec dare sororem nostram homini incircumciso.* 1. Regum 17. n. 26. *Quis enim est hic Philistæus incircumcisus?* Et 1. Paralip. 10. nu. 4. Sed est luculentus Commentarius huius loci alter ad Ephes. 2. n. 11. *Memores estote, quod aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea, quæ dicitur circumcisio.* Quid autem debent meminisse? *Quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conversatione Israel, & hospites testamenti* (id est, experres pactorum Dei) *promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo.* In his tenebris iacuerant Colossenses, quas præputij nomine Apostolus cõprehendit.

Convivificavit cum illo.

ALta caligine demerſos perfudit Evãgelij luce: incircumciſos corde, & omni vitiorum genere redundantes, ſpirituali circũciſione reſecuit: mortuos delictis ad novam vitam per baptiſmum ſuſcitavit. Suprà, num. 12. *in quo & reſurrexiſtis.*

Donans vobis omnia delicta.

56 AQua illa ſalutaris tingens corpus, animum eluit ſcelerum ſordibus. Græcè *chariſamenos*: quod verbum & ſignificat condonare, ſive ignoſcere; & remiſsionem illam, ſeu condonationem, non eſſe noſtro merito, ſed ex gratuita Dei liberalitate profectam. Multis probant Salmer. to. 13. part. 2. diſp. 7. pag. 116. & Tolet. ad Rom. 5. notatione 21. Tota ergo vis argumẽti, quo utitur Apoſtolus, in hoc conſiſtit. Si per circumciſionem ſpiritualem, ideſt, per Chriſti baptiſmum, tam multa, tam admiranda, & planè divina chariſmata recepiſtis: quænam dementia eſt, carnalem circumciſionem iam abolitam, ac proinde umbraticam, & inanem, Iudaizantium fraudibus illectos conſectari?

Numerus 14.

Delens, quod adverſus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis.

57 CHirographum (ut ipſum nomẽ præſefert) eſt ſchedà manu propria exarata, vel certè ſubſcripta, qua ita quis ſe debitorem agnoſcit, ut ſi velit inficias ire, ſuo chirographo coarguatur. Vulgat. Lucæ 16. num. 6. *Cautionem* appellavit, & num. 7. *litteras*: cùm utrobique ſit eadem vox Græca, ſcilicet, *gramma*. Iſai. 58. num. 6. ubi nos legimus; *diſſolve colligationes impietatis*, expreſsiùs LXX. *diſſolve obligationes violentorum contractuum; & omnem ſcripturam iniquam conſcinde*. Sic Tobias dedit Gabelo ſub chirographo decem talenta argenti, Tob. 1. num. 17. quod chirographum apud ſe reſervabat, cap. 4. num. 21. & cap. 5. num. 3. & ait filio, cap. 4. n. 22. *Recipias ab eo ſuprà memoratum pondus argenti, & reſtituas ei chirographum ſuum.* Quod ita factum, narratur cap. 9. n. 6. ſoletque eiuſmodi ſyngrapha ſtatim cõſcindi ab eodem, qui ſcripſit.

Eſt igitur prima expoſitio, quam ſequuntur omnes ferè Patres. Denunciavit Deus Adamo decretum à ſe ſtatutum, & quaſi manu propria exaratum, Geneſ. cap. 2. num. 17. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Adamus, atque adeò eius poſteritas, violato divino præcepto, in huius decreti pœnam, ac proinde in æternũ ſupplicium incurrerat. Oſtentabat Diabolus hoc chirographum contrarium nobis, ex eoque urgebat genus humanum. Chriſtus verò miſeratus, vicem noſtram, quidquid ex hoc chirographo poterat à nobis exigi, id ipſe dependit in Cruce: ſyngraphamque extortam è manibus creditoris, non obliteravit modò ſuo ſanguine, ſed clavis etiam dilaceravit, atque cõcerpſit, imò verò ipſas Tartareas poteſtates, quæ in nos, tanquam reos, & obnoxios, ex lege agebant decreti violati, omnino fudit, ac profligavit: deque illis triumphatis palàm, ſpoliſque exutis, magnificum in ipſa Cruce tropheum erexit. Sic Chryſoſt. Anſelm. Primaſius, Theoph. OEcum. & tantorum interpretum auctoritas meruit huic expoſitioni fidem. 58

Altera eſt, Chriſtum in Cruce pendentem, Moſaycam legem, quod ad cerimonias, & præcepta legalia attinet, omnino abrogaſſe, & extinxiſſe: quę iure optimo appellãtur decreta, quia ex mero placito decernẽtis obligabãt. Omnes Græci cõſtãtiſſimè legũt: *chirographõ tis dogma-*

59

ſi, id eſt, chirographum decretorum, ut 2. Corinth 12. n. 7. Græcè, *ſtimulus carni*: niſi malis ſupplere Græcam præpoſitionē *en*. Vide Sixtum lib. 2. Bibliothecę, verbo, Chirographum.

Multa faciũt pro hac explicatione. Primò ipſe contextus videtur eam exigere: hoc enim præcipuè agit Apoſtolus; abolitos iam eſſe Iudaicos ritus; delicta iam condonari, nõ per circumciſionem illam umbraticam, ſed per veram, nempe per baptiſmũ. Hoc ipſum infert poſtmodùm, n. 16. *nemo ergo vos iudicet*, &c.

60 Secundò, chirographum erat ipſa lex, cuius ſervandæ fidem, propoſito etiã ſupplicio, obſtrinxerant Hebræi. Exod. 24. num. 3. *Omnia verba Domini, quæ loquutus eſt, faciemus*. Deuter. 27. num. 26. *Maledictus, qui nõ permanet in ſermonibus legis huius, nec eos opere perficit: & dicet omnis populus: amen*. Huic chirographo, quaſi propria manu ſubſcribebant per circumciſionem. Ad Galat. 5. num 3. *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ*. Agnoſce chirographi vim, deb[illegible]mq; ex illo contractum.

61 Tertiò, hoc chirographum vim exercebat ſuam in decretis, ſive dogmatis: cõtinebat enim lex Moſayca præcepta legalia de iure Divino indiſpẽſabilia tredecim ſupra ſexcenta, ut probat Enriq. tom. 1. lib. 1. cap. 7. n. 1. Oleaſter Geneſ. 3. Viegas Apocalyp. 2. commentario 4. ſect. 5. Propterea ait Apoſtolus ad Epheſ. 2. num. 15. *Legem mandatorum decretis evacuans*. Qui locus vel maximè præſentem illuſtrat. Græcè, *en dogmaſi in dogmatis*: ea enim abrogavit mandata, quæ in decretis, ſeu dogmatis conſiſtebant: neque enim venit Chriſtus *ſolvere legem, ſed adimplere*. Matth. 5. n. 18. Perfecit ſcilicet legem: nam, quæ ceremonijs adumbrata erant, re ipſa exhibuit. Sic pictor rudia lineamenta delet, eo ipſo quòd imaginem abſolvit. Vide ad Hebr. 10. num. 1.

62 Quartò, valde hoc ipſum confirmant illa verba num. 20. *Si ergo mortui eſtis cũ Chriſto ab elementis huius mũdi, quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis?* Vocat elementa mundi Iudaicos ritus, & ceremonias, ut ad Gal. 4. n. 3. *Si ergo ſoluti eſtis à lege mortis*. ad Rom. 7. n. 6. (quod ibi vocat mortificatos eſſe legi n. 4.) *quid adhuc decernitis, perinde quaſi etiam nunc viveretis in mundo?* Græcè, *dogmatizeſthe*. Eraſmus vertit, *decretis tenemini*. Sic Interpretes OEcumenij, & Theophilacti. Regia, *dogmatizamini*: & vis conſequẽtiæ planè hoc requirit: quid adhuc infirma iſta, & egena elementa, umbraticaque dogmata conſectamini? Et hunc eſſe Vulgati ſenſum, conſtat ex ijs, quæ proximè ſequuntur: Quid decernitis in fraudẽ à Iudaizantibus inducti: *ne tetigeritis* (ſcilicet morticinuum. Numeror. 19. n. 11.) *neque guſtaveritis* (carnem ſuillam, aut leporinam, Deuter. 14. num. 7.) *neque contrectaveritis* (ſedem, aut lectum menſtruatę. Levit. 15. num. 26.) quæ ſubit Iudaica dogmata, iam prorſus antiquata. Lege Riberam ad Hebr. 9. à num. 44. & Belarm. tom. 4. lib. 2. de bonis Operibus cap. 8.

Quintò, hoc chirographum erat con- 63
trarium nobis: nam coarguebat, reos eſſe ſupplicij, qui legem violaſſent, mortemq; atrociſſimam tranſgreſſoribus intẽtabat: erat iugum ſervitutis, ad Galat. 5. num. 1. iugum incomportabile, Actuum 15. num. 10. Quomodò etiam irritaret potiùs, quàm reſtingueret concupiſcẽtiam, doctè Barrad. tom. 1. lib. 1. cap. 3. & Maldonat. Ioann. 1. n. 17. In hanc ſecundam expoſitionem magis inclino; quæ præponderatur rationum momentis, ut illa prior interpretum gravitate.

Et ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci.

NOn facilè ſoleoè prophanis Ethnicorum moribus, Scripturę intelli- 64
gentiã corrogare. Sed ſuſpicor, hîc alludi ad veterẽ priſcorum cõſuetudinẽ, de qua

Turnebus lib. 12. Adversariorum, cap. 9. Alciatus, lib. 4. Parergon, cap. 20. Brissonius, lib. 6. de Formulis, pag. 570. Bona debitoris proscribebantur, affixa publicè tabella in celeberrimo urbis loco. Qui se pro amico vadem dabat, suarum fortunarum periculo tabellam refigebat. Cicero pro Quinctio, *libellos dejcit, &c.* Vbi Manutius, *proscriptionis scilicet bonorum publicè propositos.* Seneca lib. 4. de Beneficijs cap. 12. [Spondeo pro iudicato, & suspensum amici bonis libellum deijcio: creditoribus eius me obligaturus: ut possim servare proscriptum, ipse proscriptionis periculum adeo.]

65 Chirographum ergo decreti refixit, ac deiecit Christus: nec solùm è medio sustulit; verùm etiam in ipsa cruce concerpsit; subiturus ipse pœnas, ad quas violatores legis ex eo chirographo tenebantur: affixit illud cruci, ut ad Rom. 6. nu. 6. *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.*

66 Ad Galat. 3. num. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictũ: quia scriptum est: maledictus omnis, qui pendet in ligno: ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu.* Obscura sententia, sed quæ illustrata magnam huic loco afferat lucem. Legis transgressoribus inflicta erat maledictio Deut. 27. num. 26. Hanc maledictionem in se suscepit Christus, ut omnes ab eâ liberaret. Nam qui suscipit maledictum, quo non tenetur, iure liberat à maledicto eum, qui illo tenebatur. Nulla autem mors erat, propter quam lex maledictum inferret, nisi mors ligni, Deuter. 21. num. 23. Christus ergo subijt illud maledictum, ut omnes ab obligatione legis solveret: ut maledictum non comprehenderet eos, qui talem legem violarent: ut soluta lege illa, Gentibus, & Iudæis, Abrahæ benedictio, & lex vitæ traderetur.

Numerus 15.

Et expolians Principatus, & potestates.

67 APtissimè connectunt hanc sententiam cum superiore Patres, qui primam illam expositionem sequuntur: qui verò secundam, hærent in hac salebra. Quorsum iniecta mentio de victoria reportata à Christo, triumphoque acto de dæmonibus? neque enim tenebantur sub eorum potestate, qui parebāt legi Veteri, cùm illa vigebat. Sed meminerimus, Paulo esse propositum, extollere Christi dignitatem: salutem illi acceptam referre. Cùm ergo ostendisset, in Cruce abolitam fuisse legem illam decretorum, oblteratum chirographum, iugum intolerabile à nostris cervicibus deiectum: non potuit tam egregiam occasionem prætermittere hurius etiam victoriæ commemorandæ: quam attigerat, cap. 1. num. 13. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum*: ubi ostendi, quomodò expoliatus fuerit dæmon ea possessione, quam sibi per tyrannidem occupaverat.

Traduxit confidenter.

68 PVblicæ ignominiæ exposuit. *Los sacò a la verguença.* Græcè, *edigmatisen.* Augustin. tom. 6. lib. 16. contra Faustum, cap. 29. vertit *exemplavit*: nam *digma* propriè est exemplum, ut constat Iudæ nu. 7. *Factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.* Numeror. 25. num. 4. *Tolle cũctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis.* LXX. *paradigmatison*: ede exemplum in eis: ostenta eos. Interpretes sancti Ephrem, to. 2. parænesi 33. pag. 158. & Chrysost. hom. 3. hîc, reddiderunt, *ostentavit confidenter.* Quod sanè triumphantium est. Ambros. lib. 2. de Pœnitentia, cap. 2. *ostentui habuit*: ut Vulg. ad

Heb.

Hebr. 6. num. 6. *oſtentui habentes.* Græcè, *paradigmatizontas.*

69 Vno verbo: *traducere*, eſt tale ſuppliciũ publicè in aliquem edere, ut exẽplo omnibus ſit: ut qui alteri malè cupit, ſimile imprecetur. Náhum. 3. num. 6. *Ponam te in exemplum.* Num. 5. num. 21. *Det te Dominus in maledictionem, exemplumque. Para eſcarmiento.*

Hinc illuſtratur locus Matth. 1. n. 19. *Cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere.* Auguſt. Epiſt. 59. *exemplare*, ideſt, publico exemplo punire. At Sap. 4. num. 20. *traducent illos ex adverſo iniquitates ipſorum*, longè diverſum verbum ſubeſt Græcè, *elenxi*, ideſt, coarguent, convincent. Lege Riber. ad Hebr. 11. num. 4. & Salmer. Tom. 14. diſp. 12. in cap. 5. ad Epheſ. pag. 804.

Palàm triumphans illos in ſemetipſo.

70 ALludit ad veterem triumphãtium morem, qui ad pompam, oſtentationemque deducebãt debellatos hoſtes ante currum, manibus poſt terga revinctis. Ovid. 4. Triſtium Elegia 2. *Vinctaq; captiva Reges cervice ferentes, Ante coronatos ire videris equos.* Cic. in Piſon. *Quid vincti ãte currum Duces? quid ſimulacra oppidorum?* Tãtæ autem ignominiæ id erat, ut Cleopatra ſibi conſciverit mortem, ne in triumphali Auguſti pompa duceretur. Horat. lib. 1. Carminum Ode. 37. *Invidens privatà deduci ſuperbo non humilis mulier triumpho.*

71 Triumphalis ergo Chriſti currus fuit ipſa Crux. Sic eã vocat Ambroſ. in Cap. 23. Lucæ. Cyprian. præfatione de Card. oper. Tertul. in Apolog. cap. 50. & noſter Gretſerus lib. 1. cap. 50. Origen. hom. 8. in Ioſue legit, *triumphans illos in Cruce*, Græcè, *en auto*. OEcum. & Theoph. referunt ad Crucem: antecedſerat enim *to ſtauro*. Chriſtus ergo fuit quaſi triumphans in ſummâ crucis parte: in imâ trahitur diabolus catenis alligatus: & ad ſempiternum eius opprobriũ oſtentatur quaſi in pompa.

Quod verò Vulg. reddit *in ſemetipſo*, 72
ut ad Epheſ. 2. num. 16. *interficiens inimicitias in ſemetipſo* (ubi tamen Salmer. ait, verti etiã potuiſſe, in ipſâ Cruce) Chryſoſt. exponit *per ſemetipſum*, phraſi uſitatâ in ſacra Scriptura. Exempla congerit Riber. Oſee 1. num. 18.

Vel in ſemetipſo triumphum de hoſtibus egit: quia non repellendo illos, aut ſe contrà inferendo, ſed ſuſtinendo, & telũ quodammodò totum corpore excipiendo, vicit: ipſo illorum incurſu, atque impetu eoſdem contrivit: ut lapidem illum exprimeret, de quo ſcriptum eſt Matth. 21. num. 44. *Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur*: & ſerpens inſidians calcaneo ei, eodem pede, quem mordebat, capite illiſus, atque compreſſus necaretur. Gen. 3. num. 15.

Numerus 16.

Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu; aut in parte diei feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbathorum.

VIS huius illationis egregiè 73
confirmat, chirographum illud dogmatum, legẽ Moſaycam eſſe, quæ in Cruce obliterata nullam iam obligationem inducit. Nemo igitur vos condemnet, velut tranſgreſſores, ſi delectum illum ciborũ in lege præſcriptum non obſervatis: ſi ex vaſe bibitis, quod non tegebat operculũ. Num. 19. num. 15. aut quod maculaverat morticinum. Levit. 11. n. 32. ſi nullam rationem ducitis temporis ad eſum azymorum, & agni. Exod. 12. n. 18. ſi contẽnitis novilunia, & Sabbatha violatis. Vide ad Galat. 4. num. 9.

Et quidem cùm hos Iudaicos ritus ve- 74
lut antiquatos explodat Apoſtolus, oleũ & operam perderem, ſi in eiſdem ſigillatim

tim explicandis diutiùs immorarer. Qui curioſus harum obſervantiarum perſcrutator eſſe volet (velle autem nemò debebit, niſi quantũ neceſſe ſit ad ſacræ Scripturæ intelligentiã, leviter attingere) abunde ei ſatisfaciet Ribera de Templo lib. 5. cap. 1. 2. & 3. & ad Hebræ. 9. à num. 44. & Belarm. tom. 1. lib. 3. de Cultu Sanctorum cap. 10. & omnino digna eſt, quę legatur, docta Cardinalis Toleti diſputatio in Prooemio cap. 14. Epiſt. ad Rom.

Numerus 17.

Quæ ſunt umbra futurorum, corpus autem Chriſti.

75 VMbra dupliciter ſumitur: primò, ut eſt pictura rudis, & inchoata, Vnde aduimbrare, id eſt, delineare: & ſic opponitur imagini expreſſę, & omnibus numeris abſolutæ. Ad Heb. 10. nu. 1. [Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, nõ ipſam imaginem rerum.] Et c. 7. num. 19. [Nihil enim ad perfectum adduxit lex.]

76 Secundò, cùm corpus opacum obijcitur luminoſo, obiectu, interpoſituque illius efficitur umbra; & de hac umbra nunc intelligendus eſt Apoſtolus. Corpus enim, quod obijciebatur lumini Diuinæ mentis, erat Chriſtus, eiuſque myſteria; & hoc corpus luce perfuſum, efficiebat illas umbras legalium ceremoniarum.

77 Vbi primò nota: umbram nihil prorſus eſſe, ſed meram privationem lucis: ac proinde umbraticam ſimilitudinem corporis. Et ex hoc rectè colligit Belarmin. tom. 3. lib. 2. de Effectu ſacramentorum, cap. 14. nullam ex eis ceremonijs legalibus iuſtificaſſe ex opere operato. Deinde, iſtæ umbræ erant antecedentes, effectæ nimirùm à myſterio Chriſti ponè ſequente: propterea dicuntur, *futurorum*. Prætereà erant certiſsima indicia Chriſti venturi: nullum enim corporis ſignum certius umbra. Erant etiam obſcura quædam, & vixdum primis lineamentis adumbrata, non perſpicua, nõ expreſſa Chriſti ſignificatio: ut enim umbræ corpus, ſic legales ceremoniæ obſcurè Chriſtum repręſentabant.

Denique accedente corpore, ceſſat umbra. Vnde acutè concludit hîc Theophil. *Quid opus eſt tenere umbram, præſente corpore?*

Numerus 18.

Nemo vos ſeducat.

78 CRæcè, *catabrabeveto*: palmã intervertat, præmium intercipiat: bravio vos defraudet. Sic explicant Græci, Theodoret. OEcum. & Theophil. Curritis bene, palmam habetis proximam, ac penè iam manu contingitis: cavete, ne ſeductores iſti vos à verę religionis curſu ad falſam ſuperſtitionem, inanemque detorqueant: atque adeò palmam è manibus eripiant.

Volens in humilitate, & religione Angelorum.

79 LOcus obſcurus; & niſi facem præferat notitia antiquitatis, prorſus inexplicabilis: cui tenebras etiam addit oratio ipſa manca, & penè ſuſpenſa: ut aliquid ſupplendum neceſſariò ſit.

Duplex expoſitio. Prima, refelli hîc errorẽ Simonis, de quo Epiphan. hęreſi 21. Aſſerebat ille, Deum inacceſsibilem eſſe: neminem tam excellens numen placare poſſe; nimis eſſe credulos, qui ſibi perſuaderent, Dei Filium vilem hanc, abiectamque naturam induiſſe: Chriſtum purum fuiſſe hominem; Angelis proinde mediatoribus, & internuntijs nobis opus eſſe. Sic ergo explicat Theophil. Volens vos fraudare per humilitatem apparentem,

affirmans,

affirmans, indignum eſſe maieſtate, & amplitudine Vnigeniti, quòd per eum adducamur ad Patrem; eſſeque beneficium longe maius, quàm ut humanæ tenuitati conveniat: Angelos propterea à nobis colendos eſſe. Conſentanea Chryſoſt. Theodor. & Œcum. Lege Belarm. lib. 1. de Sanctorum beatitudine, cap. 20.

80 Altera expoſitio eſt Baronij, tom. 1. anno Chriſti 60. qui exiſtimat, his verbis refutari Cherinti dogma, qui, auctore Tertulliano lib. de Præſcriptionibus, c. 48. & Pamelio ibi num 312. adeò humiliter, & abiectè ſentiebat de Chriſto, ut non modò ab eo Divinitatem auferret, ſed & Angelos longè excellentiores illo confirmaret. Exponit itaq; Baron. Volēs placere *in humilitate*, ſcilicet Chriſti, ob ſcandalum crucis eum humilem reddens, & *Angelorum cultu*, cùm illos naturæ opifices eſſe iactaret. Eumdem errorem attribuit etiam Simoni Epiphan. ſuprà, & Ireneus, lib. 1. cap. 20.

81 Probare minimè poſſum hanc explicationem. Nam & inuſitatè ſupplet illum gignendi actum, nempe *Chriſti*; ſignatè expreſſo oppoſito, ſcilicet *Angelorum*: & (quod caput eſt) non animadvertit vir eruditiſsimus, Græcam vocem nullo modo ſignificare abiectionem, aut vilitatem; ſed potiùs ipſam humilitatis virtutem, fictam hîc quidem, & adumbratam, ut notarunt Græci. Non enim eſt vox *tapinoſis*, abiectio, vilitas: quo nihil frequentius in Scriptura. Geneſ. 29. numero 32. Deutero. 26. num. 7. Iudith. 6. num. 14. Pſalm. 24. num. 18. Pſalm. 89. num. 3. Pſalm 135. num. 23. Eccleſiaſt. 2. num. 4. 1. Machab. 3. num. 51. Lucæ 1. num. 48. Actu. 8. num. 33. ad Philipp. 3. num. 21. Iacob. 1. num. 10. Sed ſubeſt *tapinophroſyne*: quæ proprie eſt animi ſubmiſsio, ut evidenter conſtat, ubicumque uſurpatur hæc vox! in hac Epiſtola, cap. 3. num. 12. Actu. 20. num. 19. ad Philip. 2. num. 3. ad Epheſ. 4. num. 2. 1. Petr. 5. num. 5. Etſi verò originalis vox apertè reijcit Baronij expoſitionē, non diffiteor, Paulum in hac Epiſtola, Cherinti perverſum dogma refellere voluiſſe.

Quæ non vidit ambulans.

INſolens locutio Latinis auribus; expreſſa tamen è Græco; ubi *embate von*, eſt faſtuoſè incedens, ingrediens in ea, quæ nō vidit: ægri capitis ſomnia fundēs: quod Theodoretus, lib. 2. Hæreticarum, Fabul. cap. 4. ſcripſit de eodem Cherinto. [Confinxit etiam quaſdam revelationes, tanquam ipſe eas eſſet contemplatus.] 82

Fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ.

ID eſt, inaniter tumēs ea ſcientia rerum cæleſtium, quam ſibi ſomniavit, mente carnaliter affecta; quæ non eſt inutilis modò, ſed etiam noxia. Sic Matth. 15. numero 9. ex Iſai. 29. num. 13. iuxtà LXX. *Sine cauſa autem colunt me*. Id eſt, fruſtrà, & ſine fructu.

Numerus 19.

Et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum creſcit in augmentum Dei.

OVomodò Chriſtus ſit caput Eccleſiæ, explicui c. 1. n. 18. Tantùm ſit Commentarij vice locus ille ad Epheſ. 4. nu. 16. *Creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, &c.* Vt enim cerebrum non poteſt influere ſpiritus vitales, ſenſum, & motum impartientes, niſi membra ſint colligata per nervorum commiſſuras; ita neque Chriſtus influit in membra ab Eccleſiæ corpore præciſa; neque ipſa, ſibi invicem niſi ſint unita, influxum participatum à capite, ullo modo ſubminiſtrare poterunt. 83

Numerus 20. & 21.

EXposui iam numero 14. §. Quartò valde.

Numerus 22.

Quæ sunt omnia in interitum ipso usu.

84 EXplicant Hieronym. tom. 3. epist. 151. ad Algasiam, q. 10. Chrysost. Theod. Œcum. & Theoph. Esculenta, & poculēta, neq; per se prodesse possūt animę, neq; obesse; ipso enim usu corrūpūtur, & defluūt. Favet huic expositioni vox Græca *phthorà*: quæ propriè est corruptio: & sic redditur à Vulgato ad Roman. 8. nu. 21. & 1. Corinth. 15. num. 42. ad Gal. 6. nu. 8. & 2. Petr. 1. num. 4. & cap. 2. num. 19. Favet idem argumentū usurpatū à Christo, Matth. 15. num. 11. & num. 17. *Non intelligitis, quia omne id, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur?*

August. tom. 2. epist 59. quæst. 7. Anselm. Caietan. & Salmer. sic exponunt. Legalia ista iam abolita tantùm abest, ut salutem afferant, ut sint etiam exitiosa, atque mortifera utentibus. Hæc explicatio mihi videtur probabilior. Primò, quia non de cibis dumtaxat lege vetitis sermo erat: *quæ omnia*, inquit, scilicet, *dogmata*, sive *elementa*: quare locus Matth. 15. non est ad rem.

85 Secundò, vox *interitus*, quia usus est Vulgatus, retinetur in suo rigore. Inusitatè enim dicitur alimentum vergere in interitum: cùm tamen frequentissimè in Scriptura usurpetur pro morte, sive animi, sive corporis. Tertiò, vox ipsa Græca translatè significat perniciē animæ: 2. Petri 2. num. 12. *In captionem, & in pernicie* (Græcè, *phthoran*) *in his, quæ ignorant, blasphemantes in corruptione sua peribunt.* Græcè, *corrumpentur*: verbo ex eadem voce ducto. Quartò, *ipso usu.* Græcè, *apochresi*, id est, *abusu.* Nullus enim legitimus usus esse poterat eorum, quæ iam erant abrogata. Quintò denique, facilius sic connectuntur, quæ proximè subdit.

Secundum præcepta, & doctrinas hominum.

86 ABusus ille nimirum ab hominibus inventus est. Atqui lex ipsa Vetus lata est à Deo. Fateor; sed respondet Chrysostom. hom. 7. [Ea iam deincops humana doctrina est, elapso videlicet temporis sui præscripto.] Fuere quidem olim illa decreta divina, at si iam antiquata, rursus in usum revocentur, humana sunt, & cōmentitia dogmata, ipso abusu perniciem afferentia.

87 Sic appellat Isaias, cap. 29. num. 13. iuxta LXX. imò & Christus Matth. 15. n. 9. extortas illas, & violētas legis interpretationes, quas Pharisæi pro ipsa lege rudibus obtrudebant: *docentes doctrinas, & mandata hominum.* Illustrant etiam eximiè præsentem locum verba illa ad Titum 1. num 13: *Increpà illos durè, ut sani sint in fide, & non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum.*

Numerus 23.

Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ.

88 DEst, speciē, & imaginem: ut ad Roman. 2. numero 20. *habentem formam scientiæ.* 2. Timo 3. num. 5. *Habentes speciem quidem pietatis.* Sed in his duobus locis subest *morphosis*, id est, forma; hîc verò *logos*: quæ vox nescio, ancuspiam aliàs usurpetur in hac significatione. Interpres Chrysostomi, & Erasmus propriam retinentes, reddiderunt. *Quæ verbotenus sapientiam præ se ferunt, revera ab ea absunt quàm longissimè.* Sensus eòdem recidit.

Nam

Nam qui has obſervationes tradit, videtur ille quidem pius, & moderatus, corpuſq; ſuum aſpernari: ut Hier. Chryſoſt. & Theophilactus annotarunt.

In ſuperſtitione.

89 GRæcè, *en ethelothreſKia.* Hieron. in illa epiſtola 151. q. 10. interpretatur, in falſa religione. Verè id quidem: ſed ſi vis verbi perpendatur, propriè ſonat fictitius cultus, ſponte conficta religio, ſuperſtitio voluntaria: quæ enim ſubobſcurè dixerat Apoſtolus, num. 18. *Volens in Religione*: Græcè, *thelon en threſKia*; eleganter nunc expreſsit unica voce ex illis duabus compoſita: qua ſignificat, eos pro libito, ſine ulla ratione, ſed ex ſuo cerebro, commentitium illum cultum Angelorum confinxiſſe, rituſque Iudaicos iam abolitos rurſus revocaſſe.

Et humilitate.

EAdem eſt vox, quæ num. 18. ac proin de eodem modo componenda cum verbo, *thelo*. Vt ſicut religio eſt ficticia, ſic etiam humilitas ſit falſa, & adumbrata.

Et non ad parcendum corpori.

90 GRæcè, *Ke aphidia ſomatos.* Hieron. ſuprà ingenuè fatetur, ſe non agnoſcere vocem Latinam, quæ ex æquo reſpondeat Græcæ. Auguſt. in illa epiſt. 59 quæſt. 7. explicat, *in vexatione corporis.* Interpres Chryſoſt. *In læſione.* Gagneius. *In auſtera maceratione, in immanitate miſerendi neſcia.* Ad verbum (niſi barbara eſſet vox) *in imparcentia corporis.* Quod luculenta periphraſi illuſtravit Vulgatus.

91 Attingit verò Apoſtolus tria præcipua capita, quibus impoſtores imaginem ſapientiæ præferentes, fucum imperitis faciebant. Nempe ficitio Angelorum cultu, adumbrata humilitatis ſpecie, ſeveriore quadam morum diſciplina, corporiſque afflictatione, ex Iudaica ciborũ abſtinentia profecta. Tales erant tres illæ Quadrageſimæ, quibus ſe Montaniſtæ macerabant, ut refert Hieron. epiſt. 54. & Baron. tom. 2. anno Chriſti 173. qui eruditè probat anno Chriſti 201. Tertullianum auſteritatis diſciplinæ, arctioriſq; vitæ cultu ſuperbientem ab Eccleſia ad Montanum deſciſſe; & in Catholicos, tanquã in Pſychicos procaciùs inſultaſſe.

Non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis.

92 IDeſt, non nutriendo carnem ad ſatietatem uſque, denegato ſibi, ſubtractoque ſubſidio, ad explendam famem neceſſario, tenuiſsimo victu, cultuque intra modum parciſsimè utentes: atque adeò miſerè ſe ipſos afflictantes ſine fructu. Honor enim in Scriptura eſt ſubminiſtratio earum rerũ, quæ ad victum, & cultum corporis requiruntur. Sic expoſuit Chriſtus Matth. 15. n. 3. & Marci 7. nu. 12. præceptum de parentibus honorandis. & 1. Corinth. 12. num. 23. honor accipitur pro indumento; pro alimento verò 1. Timo. 5. num. 17. Nomenclaturæ cauſam breviter hìc attigit OEcume. [Deus enim honorando hominem, ſuis formavit manibus, & cibos largitus eſt: hi verò non utuntur, tanquã munere, cibis datis ad alimẽtum carnis, ſed tanquã fugiendis, ac nocivis.]

CAPVT III.

IErent tolerabiliùs brevitatem, quam in his commentarijs tantopere affectamus, duo hæc poſteriora capita: quæ cum ad formandos mores, & ſalutem impartiendam referantur, longè ſunt faciliora prioribus. Perſpicua igitur ne attingemus quidem; cætera ſtrictim delibabimus: dabimus tamen operã, ut in ipſa brevitate, & perſpicuitatis, & plenitudinis ratio habeatur.

Nu-

Numerus 1.

Si conſurrexiſtis.

1 IDeſt, *quandoquidem*. Non enim dubitantis eſt, ſed aſſeverãtis, & inferentis. Cap. 2. numero 12. *In qua & reſurrexiſtis.*

Quæ ſurſum ſunt, quærite.

SOlet Apoſtolus poſtquàm confirmavit fidem, mores inſtruere. Probat eruditè Salmeron, tom. 13. diſput. 5. Caput autem ad rectè vitam inſtituendam in primis eſt, fluxis, & perituris bonis pro nihilo habitis, ad cæleſtia illa in omnem æternitatem duratura, totis viribus aſpirare. Hoc ſcilicet eſt, theſaurizare nobis theſauros in cælo: ut ubi theſaurus noſter eſt, ibi & cor noſtrum ſit. Matth. 6. n. 20.

Vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.

2 CHriſti aſcenſio, noſtra provectio eſt: & quò præceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporis.] Leo ſerm. 1. de Aſcenſione. *Deus enim, qui dives eſt in miſericordia, convivificavit nos in Chriſto, & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cæleſtibus*: ad Epheſ. 2. num. 5.

Vter locus fuerit apud Veteres honoratior, dextrane, an ſiniſtra, adhuc ſub iudice lis eſt. Certant enim inter ſe Auctores graviſsimi, Baron. tom. 2. anno Chriſti 213. Tiraquellus, præfatione de Primigenijs, num. 13. Nebriſſenſis in 3. Quinquagena cap. 39. Goropius Beca. lib. 3. Hieroglyphicorum, ſub finem: Turnebus, lib. 14. Adverſariorum, cap. 24. Alexand. ab Alexand. lib. 2. Genialium dierum, cap. 19.

3 Certè Chriſtus honoratiſsimum locum obtinet, & Patris throno proximiorem. Thronus ille Deitatis, verè Regius, atq; adeò Divinus, extra omnẽ comparationẽ eſt: imò ab eo redundat honos in cæteros, ut quò propiores illi fuerint, eò ſint ampliores: quare nihil eſt, cur ambigatur, an Chriſtus præſtantiorem, quàm Pater, ſedem obtineat. Ad Epheſ. 1. numero 20. *Conſtituens ad dexteram ſuam in cæleſtibus ſupra omnem Principatum, & poteſtatem*. Ad Hebræ. 1. num. 13. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: ſede à dextris meis?* Explicant hoc accuratè, atque copioſè, Maldonat. Marci 16. num. 19. Belarmin. tom. 1. lib. 3. de Incarnatione, cap. 15. Suar. tom. 2. diſput. 51. ſect. 3. Rib. ad Heb. 1. n. 18.

Numerus 2.

Quæ ſurſum ſunt, ſapite.

4 REctè obſervavit Adamus in illa verba ad Roman. 8. numero 5. *Qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt: qui verò ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus, ſentiunt*; verbũ *phroneo*, non ad intelligentiam modò referri, ſed multò etiam magis ad affectum. Itaque ſapere ea, quæ carnis ſunt, eſt curare dumtaxat ea, quæ caro appetit, indulgere genio; mente, & affectu carnis legibus obedire. Matth. 16. num. 23. *Non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominũ*. Ad Philip. 3. num. 19. *Qui terrena ſapiunt*. Vide Tolet. ad Rom. 8. notatione 15.

Numerus 3.

Mortui enim eſtis.

5 SCilicet, rebus inferioribus: (inquit Theophilactus) poſthac eas quærere non debetis. Deinde vita veſtra in ſupernis eſt: quare & ſuperna curate.] Erãt

quidem

quidem priùs mortui in delictis, cap. 2. n. 13. ſed convivificati ſunt per Baptiſmum. Rurſus in Baptiſmo Chriſto conſepulti, & cum illo reſurgentes, omnino ſunt extincti peccato, vivunt autem Deo.

Et vita veſtra abſcondita eſt, &c.

6 LAtet hęc vita mortalium oculos. Ad Epheſ. 1. num. 13. *Signati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.* Verè iuſti per gratiam ſunt filij Dei, cõſortes Divinæ naturæ: verè habẽt ius ad vitam immortalem: ſed hæc vita nunc eſt quaſi clauſa, & obſignata ſigillis: non cadit ſub aſpectum. 1. Ioan. 3. n. 2. *Nunc Filij Dei ſumus: & nondum apparuit, quid erimus.* Ad Epheſ. 4. n. 30. *Signati eſtis in diem redemptionis*, ſcilicet, Iudicij univerſalis. Lucæ 21. num. 28. *Levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.*

7 Sic ad Rom. 8. num. 23. *Nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem Filiorum Dei expectantes.* Videtur Apoſtolus quaſi pugnantia loqui. Si adoptio Filiorum Dei gratia iuſtificante cõtinetur: qui eam copioſiſsimè recepit, quomodò adhuc expectat adoptionem? Sed agit de adoptione conſummata, glorificato etiam corpore. Tunc ènim filij adoptivi quaſi edẽtur in hanc lucem: tunc incurret eorum dignitas in omnium oculos: tunc eximius ille ſplendor, vel ab invitis extorquebit eam confeſsionem Sap. 5. num. 5. *Ecce quomodò computati ſunt inter filios Dei.* Sic ſe explicat Apoſtolus, continuò ſubiungens: *Redemptionem corporis noſtri*: & in eodem capite, nu. 19. *Nam expectatio creaturæ, revelationem Filiorum Dei expectat.*

Numerus 4.

Chriſtus vita veſtra.

ET quia contulit vitam gratiæ, & quia iuſtos ſuſcitabit ad gloriam. Ioan. 11. n. 25. *Ego ſum reſurrectio, & vita.*

Numerus 5.

Mortificate ergo.

AFfirmaverat num. 3. eos eſſe planè mortuos: quid verò magis alienum præcipi mortuo poteſt, quàm ſe rurſus mortificare? Reſpõdent Chryſ. & Theophil. Prior illa mors, Baptiſmatis erat domum; quæ peccata anteà commiſſa prorſus extinguebat: hæc verò mortificatio noſtræ eſt volũtatis; quæ fibras vitiorum quotidie germinãtes, accuratè reſecat, & extirpat. Cyril. lib. 11. de Adoratione, fuſè proſequitur hanc doctrinam, explicans præceptum illud iniũctum Levitis. Num. 8. num. 7. *Radant omnes pilos carnis ſuæ.* 8

Membra veſtra.

AD Rom. 7. num. 5. *Cùm enim eſſemus in carne, paſsiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris.* Propterea etiam ad Roman. 6. num. 6. dicitur *crucifixus vetus homo noſter, ut deſtruatur corpus peccati*: omnia enim peccata, quæ hic ſigillatim enumerat Apoſtolus, ſimul conflata, quaſi quædam membra, unum veluti corpus efficiunt peccati: hæc membra ſunt aſsiduè mortificanda: hic vetus homo crucifigendus: hoc peccati corpus deſtruendum. 9

(?)

Et avaritiam, quæ eſt ſimulachrorũ ſervitus.

10 GRæcè ſubeſt vox *pleonexia*, quam Adamus in c. 4. ad Epheſ. & Prad. Ezech. 16. pag. 194. Salmer. ad Epheſ. 5. diſpu. 12. ſequuti Hieronymum, ſignificare dicũt cupiditatẽ potiundæ voluptatis. Pineda tom. 2. in Iob. c. 31. verſ. 11. refert ad adulteriũ. Videat, qui volet, quibus illi ducantur coniecturis.

11 Mihi certum eſt, egregiè à Vulgato expreſſam nominis vim. Nã verbum ipſum *pleonecteo*, 2. Cor. 7. n. 2. *Neminem circũvenimus*, propriè ſignificat, *neminem avarè fraudavimus*, ut explicavit ibi Regia: & c. 12. n. 17. *Numquid circumveni vos?* Regia, *expilavi*: quæ loca referre ad libidinem, alieniſsimum eſt. Vulgatus eamdẽ vocẽ, Sap. 10. n. 11. appoſitè expreſsit nomine fraudis: *in fraude circumvenientium illum affuit illi*: quia ut doctè advertit Perer. Tom. 4. in Geneſ. c. 28. n. 16. ex avaritia prodibant fraudes, quas Laban genero ſtruebat, cùm toties illũ debita mercede fraudabat. Habac. 2. n. 9. *Væ qui congregat avaritiam malã*. LXX. *pleonecton*: & Ezechiel. 22. n. 27. *Avarè ad ſectanda lucra*.

12 LXX. *opos pleonexia pleonectoſi*. Nomen etiã *pleonectès*, ſpectat ad fraudẽ. 1. Cor. 5. n. 10. *aut avaris, aut rapacibus*. c. 6. n. 10. *neque fures, neque avari*. Vtrobique vides avaritiam cum furto, & rapina copulari: ſicut & *pleonexia*, Marci. 7. n. 22. *furta, avaritiæ*: & Luc. 12. n. 15. *Cavete ab omni avaritia*: ubi ex contextu eſt evidens, ſermonem eſſe de habẽdi cupiditate. De eadem ergo intelligẽdus eſt hic locus, & ſignatè de illa avaritia, quæ cum fraudibus eſt coniuncta.

13 Talis nimirum avaritia eſt ſimulacrorũ ſervitus. Græcè, *idololatria*. Ad Epheſ. 5. n. 5. *Aut avarus, quod eſt idolorum ſervit⁹*. Vbi legitur Græcè, *qui eſt idololatra*. Aug. certè lib. 4. de Civit. Dei c. 21. Deam pecuniam à Veteribus cultam fuiſſe, ſcribit. Quamvis Iuvenalis Satyr. 1. neget, Romanos illi templa erexiſſe.

Etſi funeſta pecunia templo caras.
Nondũ habitas, nullas nummorũ ereximus

Vt enim Idolorũ cultor, ſimulacro argenti, vel auri tribuit honorẽ, Deo debitum; ita avarus colit pecuniã, quam vero Deo præfert: in ea omnes ſuas ſpes fixas, ac locatas habet. Quod facetè proſequut⁹ eſt Mẹnander his carminibus apud Strobæũ ſer. 89. *Epicarm⁹ quidẽ Deos eſſe dicit ventos, ſolem, terram, aquam, ignem, ſtellas. Ego autem utiles eſſe Deos arbitror argentũ noſtrum, & aurum: nam illos ſi collocaveris in domũ, pete, quidquid voles, aſſequeris omnia: ſic enim vel ipſos Deos habebis miniſtros*. Conſonat id Eccleſiaſt. 10. n. 19. *Pecuniæ obediũt omnia*. Hæc erat inanis illa, & ſtolida confidentia Ephraim, cùm temerè iactabat, Oſee 12. n. 8. *Dives effect⁹ ſum: inveni Idolum mihi: omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem*, ideſt, nullius indigeo: alij alia Idola colant, ego optimũ Deum penes me habeo: in ſplendorem divitiarum, quas meo labore acquiſivi, incurret quodvis flagitium, quod admiſero. Fortè de hoc Idolo dicebat David Pſ. 138. n. ultim. *& vide, ſi via iniquitatis in me eſt*. Hebraicè, *via Idoli*, ut notat ibi Hieron. ideſt, explora, nũ ſecter Idolum divitiarum.

15 Eſt inſignis locus Eccleſ. 31. n. 7. *Lignũ offenſionis eſt aurum ſacrificantium*. Lucem afferunt Græci codices, dum legunt, *ſacrificantibus ei*, nempe, *ipſi auro*. At enim quid ſacrificant avari? Reſpondent Chryſoſt. & Theophil. in c. 5. ad Epheſ. [Non mactant quidem vitulos, aut oves: at libant humanum ſanguinem, hoc eſt, ſudorem pauperum, quos defraudant.] Porrò lignum offenſionis, idem eſt, ac petra ſcãdali: nam ubi potuiſſent ſedere, & paululum conquieſcere feſsi de via, ibi auri ſplẽdore perſtricti, offendunt, & incurrunt. Quod ibidem explicatur num. 6. *Multi dati ſunt in auri caſus, & facta eſt in ſpecie ipſius perditio illorum*. Nam, ut ſapiẽter ait Auguſt. lib. 11. de Civitate cap. 25. [Perverſi frui volunt nummo; uti autem, Deo.]

16 In hanc sententiã verba illa Iobi, c. 31. nu. 26. *Si vidi solem, cùm fulgeret*, illustrat nova, & singulari expositione, cum tota serie contextus mirificè congruente, Pined. to. 2. pag. 641. Ego, quia fui longior, claudam notationem hanc præclaris Hieronym. verbis, tom. 8. ad illud Psalm. 83. *Non erit in te Deus recens.* [Cui Deus venter est, Deus ei recens est. Quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus est. Vidi mulierem, & concupivi, libido mihi Deus est: unusquisque enim, quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus est. Avarus aurum Deum habet.] Quem autem sensum Theologicum habeat hæc Hierony. sententia, copiosè explicat Valentia tom. 2. disput. 1. quæst. 1. puncto. 6.

Numerus 6.

Propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis.

17 AD Ephes. 5. num. 6. *Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Vtrobique *erchetæ* præsentis temporis: quod consuetudinem denotat: quam expressit Vatabl. & interpres OEcumen. cap. 9. *Ob quæ venire solet ira Dei in filios contumaces.*

Vox *apithia* redditur à Vulgato *diffidentia* ad Ephes. 2. num. 2. Vbi Regia. *Insuasibilitas*: *incredulitas*, ad Roman. 11. num. 30. ad Hebr. 4. num. 6. & 11. Interpres Theophilacti vertit hîc. *Super filios*
18 *inobedientiæ, & impersuasibilitatis.* Cadũt omnia optimè in vocis vim: quæ non minùs spectat ad significandam affectus cõtumaciam, quàm obstinationem mentis. Ad Rom. 2. num. 8. *Qui non acquiescunt veritati.* Græcè, *apithusi.* Cap. 10. n. 21. *Tota die expandi manus meas ad populũ non credentem, & cõtradicentem.* Ad Tit. 1. n. 16. *Cùm sint abominati, & incredibiles.* Græcè, *apithis.* 2. Timot. 3. num. 2. *Parentibus non obedientes*, subest eadem vox. Vt ad Roman. 1. num. 30. ubi manifestum est, referri ad inobedientiæ pervicaciam. Vide Riber. ad Hebr. 4. num. 14. Salmer. ad Ephes. 5. disput. 12. pag. 803. Tol. ad Roman. 11. annotatione 23.

Numerus 9.

Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum.

19 HAbentur Græcè participia illa præteriti temporis, de quibus multa, cap. 1. nu. 4. quare totus hic locus ita verti posset. *Quandoquidem exuistis veterem hominem cum actibus suis, & induistis novum.* Vt sic contineatur præcipuum veluti põdus huius hortationis: ne scilicet ad ea quæ iam abiecerant, turpiter relabantur: neve rursus obscurent splendorem gratiæ, quo iam fuerant divinitus illustrati.

20 Ad Ephes. 4. num. 22. hortatur item Apostolus, deponere veterem hominem, & induere novum, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Pro utriusque loci intelligentia observa: solere Paulum in unoquoque nostrũ distinguere duos homines, novum, & veterem: non quòd duæ sint substantiæ, sed ratione diversorũ statuum. Propriè siquidẽ vetus homo est Adam; novus autẽ, Christus. Tunc ergo dicimur exuere veterem hominem, cùm non cernitur amplius in nostris actionibus similitudo peccantis Adami: tũc induimus novum, cum Christum ipsum vita, & moribus effingimus. Vide, quàm expressè hoc doceat Apostolus 1. Cor. 15. nu. 47. *Primus homo de terrâ, terrenus: secundus homo de cælo, cælestis.* Infert paulò pòst. *Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.* Sic ad Rom. 13. n. 12. cùm monuisset, *abijciamus ergo opera tenebrarum, &c.* eaque sigillatim commemorasset, claudit illud caput. *Sed induimini Do-*

minum Iesum Christum. Quem planè induimur, cùm auxilio gratię ipsius roborati, heroicas, ac prorsus divinas illius virtutes imitamur, similesque ei, quamvis non æquales, effici studemus.

Numerus 11.

Vbi non est Gentilis, & Iudæus.

22 EN aliud encomium (inquit Theophil.) novi secundum Christum hominis: quòd neque Gētis, neque dignitatis, neque maiorū discrimen, adeòq; respectus habeatur: in omnibus enim, qui vita virtutibus conspicua sunt, efformati, omnia est Christus, hoc est, & genus, & dignitas.] Ad Gal. 6. n. 15. *In Christo enim Iesu neque circūcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.*

Numerus 12.

Induite vos ergo, sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ.

23 PRobat Salm. tom. 13. parte 2. disp. 2. non agere hic Apostolum de summa illa electione, qua Deus secundum beneplacitum gratiæ suæ prædestinatos elegit ad gloriam: nam neque id noverat Apostolus; neque, si maximè noviset, ita promiscuè manifestaret. Vocat ergo Dei electos, quos Deus singulari beneficio ad Evāgelij gratiam, ad Baptismi munditiā, ad Christi cognitionem elegit. 1. Thessal. 1. num. 4. *Scientes, fratres dilecti à Deo, electionem.* 2. Thessal. 2. n. 12. *Quòd elegerit vos Deus primitias in salutem.*

Viscera sunt intima vitalia, quæ affectu miserationis maximè commoveri, & concuti solent. Genes. 43. num. 30. Iosephus coercere non potuit erumpentem fletum, quia *commota fuerant viscera eius super fratre suo.* 3. Reg. 3. num. 26. cùm vera mater audisset, secandum filium, *commota sunt quippe viscera eius.*

Deo etiam attribuuntur Exod. 34. n. 6. & Deuter. 4. num. 31. & Psalm. 102. num. 8. ubi vertit Vulgatus, *misericors*, seu *miserator.* Hebraicè *rahum.* Genebr. Psalm. 102. num. 9. ad verbum, *visceratus.* Oleaster Exod. 34. commotus: cuius viscera commovētur ex visa miseria: qui visceribus est promptissimis ad concipiendam misericordiam. *Dios de unas entrañas tiernas, affectuosas, y compassivas.* Lucæ 1. num. 78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri.* Hierem. 31. num. 20. *Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus: idcirco cōturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor eius.* 24

Hæc misericordiæ viscera induenda sunt fideli: hæc ex novo homine, nempe Christo, vel maximè imitanda Observavi in Evangelio, quoties ferè dicitur Christus misericordia captus, id exprimi Græcè significantissimo quodam verbo, cuius vim nullū Latinū simplex assequi potest: illud est *splanchnizomæ*, deductū à voce, quę hîc subest *splāchna*: proprièq; significat, *intima viscera affectu tacta, conturbari, & planè cōcuti.* Quo verbo explicuit Lucas cap. 15. num. 20 paternum hunc affectum irruentē in collum filij redeuntis. 25

Agentes itaque de Christo Evangelistę, eodem utuntur verbo. Matth. 15. n. 32. cap. 20. num. 34. Marci 1. num. 41. cap. 6. num. 34. cap. 8. num. 2. Luc. 7. num. 13. Et in his locis substituit Regia, *Viscera commoveri*: & Matth. 14. n. 14. *viscera affici*: licèt Matth. 9. num. 36. relinquat verbū Vulgati; *misertus est eis.* Vatabli translatio, *intimè affectus est miseratione, aut intimè misertus est.*

Hæc viscera induerat Apostolus, cùm interposito iureiurando, testatur Philippensibus, eos sibi hęrere in visceribus Christi, cap. 1. num. 8. *Testis enim mihi* 26

est

eſt Deus, quomodò cupiam (ideſt, ardentiſſimo amore proſequar) *omnes vos in viſceribus Ieſu Chriſti*. Patebant hæc viſcera Pauli vel vilissimis mancipijs. Nam Onesimum ſervum adeò altè in ſuis viſceribus defixerat, ut *viſcera ſua* appellet ad Philemonem, num. 12. & n. 20. *Qui autem viderit fratrem ſuum neceſsitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo?* 1. Ioan. 3. n. 17.

Numerus 14.

Quod eſt vinculum perfectionis.

27 Triplex fertur expoſitio huius elogij charitatis: prima, Hieronym. & Primaſij. Caritas, ut vinculum perfectiſſimum, fidelium voluntates inter ſe arctiſſimo devincit nodo, & tanquam multa membra in unum cõglutinat corpus. Secunda Caiet. Quia in ipſa conſiſtit perfectio per modum vinculi. Itaque duo attribuuntur Charitati: & quòd ſummam cõtinet perfectionem Evangelicam; eò enim eſt quiſque perfectior, quò ardentiorè Charitate flagrat: & quòd perficit inſtar vinculi, animam cum Deo arctiſsimè copulantis, Iuxta id 1. Ioann. 4. n. 16. *Deus charitas eſt: & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

28 Tertiam ſequuntur Chryſoſt. Theod. Oecum. Theoph. Anſel. Haimo, & communiter expoſitores. Eſt vinculũ, quod ligans, & continens cæteras omnes virtutes, hominem reddit perfectum: eſt veluti ſpiritus humanus, qui ligat partes, humores, ſenſuſq; corporis, alioqui facilè dilapſuros. Sic Caritas virtutum corpꝰ quaſi connectit, atq; conſtringit, ſine illa continuò diſſolvendũ. Propterea 1. Cor. 13. n. 4. munia cæterarum virtutũ adſcribũtur Charitati. *Charitas patiens eſt, benigna eſt.*

29 In hanc ſententiã Irenęus lib. 5. c. 6. exponit illud 1. Theſſal. 5. nu. 23. *Vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpꝰ, ſine querela in adventu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſervetur.* Vbi per ſpiritum intelligit Spiritũ ſanctum inhabitantem per Charitatẽ, ſine quo ſpiritu mancus, & mutilus erit interior homo, imò verò planè mortuus: ad Eph. 4. n. 3. *Soliciti ſervare unitatẽ ſpiritus in vinculo pacis.* Vbi Chryſ. & Theop. & Spiritum ſanctum intelligunt, & eodẽ utuntur ſimili ſpiritus humani. Lege Tolet. ad Rom. 13. n. 10. ubi docet, quomodò cætera omnia *inſtaurentur*: in Charitate, hoc eſt, recapitulentur, ſeu ſummatim comprehendantur.

Numerus 15.

Et pax Chriſti exultet in cordibus veſtris.

30 NOn miror Græcos Interpretes omniũ maximè aſſequutos huius loci intelligẽtiam: pẽdet enim ex vi, & proprietate verbi Græci quod uſurpat Apoſtol⁹, nempe *Brabevo:* quod duplicẽ habet ſignificationem. Vnde duplex oritur explicatio: quæ tamẽ in unã, & eamdẽ recidit.

Primò igitur ita verti poteſt, *Pax Chriſti prior ſit, palmam ferat, ſuperet, at vincat.* Expoſuntque Theodor. Chryſoſt. Theophil. & OEcumen. Sæpenumero iniuria ſumus à quopiam affecti: hinc & geminæ apud nos cogitationes certant; altera ad vindictam nos concitans; altera ad longanimitatem: ipſa igitur pax Chriſti palmã ferat, non ira. *Quando ſe atraveſſare qualquier occaſion de diſguſto con mi proximo, quede atropellada la paſsion, y el interes: y la paz ſea en todo la preferida, la que tenga el mejor lugar, y lleve la palma.*

31 Secundò reddi poteſt. *Pax Chriſti moderetur, palmam diſtribuat:* ſit iuſtus quidã Braveuta, ideſt, iudex, certaminiſque arbiter; *Agonotheta* officio fungatur. Non dubium, quin tribuat victoriæ palmam, ſententiamq; ferat ſecundum eam cogitationem, quæ ad lenitatem, quæ ad iniuriæ cõdonationem, quæ ad rei, de qua eſt controverſia, ceſsionem inclinat.

32 Et ſuſpicor, Vulgatum nonmodò vim verbi Græci penetraſſe, eamque elegantèr expreſsiſſe. Nam exultare, etiam apud Latiniſsimos, luculentâ metaphorâ, eſt reportata iam victoria, epinicion canere; & quaſi triumphare. Iſai 9. num. 3. *Sicut exultant victores capta præda. Se ufanan con la victoria: hazen alarde, y oſtentacion de la preſſa.* Verùm etiam voluiſſe nobis explicare eximiam lætitiam, ex hac pacis victoria redundantem. *Quando la paz à ſalido con vitoria de la paſsion, o del interes, queda ſabroſa la mano, el coraçon dà ſaltos, y brincos de plazer, que apenas cabe en el pecho.* Quod propriè eſt exultare.

33 Propterea in ſacro ſermone, frequentiſsimè pax cum gaudio, internaque lætitia copulatur. Iſai. 32. num. 18. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Ad Roman. 14. num. 17. *Non eſt enim regnum Dei eſca, & potus; ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Et cap. 15. n. 13. *Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio, & pace.* Ad Galat. 5. num. 22. *Fructus autem Spiritus eſt, charitas, gaudiū, pax. La alegria ſolida, y verdadera, eſtà como en lugar proprio, en medio de la caridad, y de la paz.* Ad Philipp. 4. num 7. *Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum.* Videlicet ſummum pacis gaudium vix intimis ſenſibus percipi poteſt, nedum verbis explicari.

Et grati eſtote.

34 GRæcè, *Euchariſti*, id eſt, gratioſi, comes, & amabiles: qui enim tales ſunt, per comitatem, & benignitatem ſolent pacem conciliare. Cadit etiam hæc ſignificatio in vocem Græcam, & Latinam; & huic loco quadrat aptiſsimè. Nā paulò pòſt, num. 17. ad gratiarum actionem exhortatur. Eccleſ. 6. num. 5. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos: & lingua eucharis in bono homine abūdat*, id eſt, lingua comis, & gratioſa. Vbi notandum eſt, non feciſſe Vulgatum hîc, quod aliàs ſolet, relinquendo vocem originalem, cùm æquè bene exprimi non poteſt Latina alia: imò verò diverſam vocem Græcam, alia item Græca reddidiſſe: quod ſanè ſingulare eſt. Subeſt enim hîc *Eulalos.* Et tota ſententia ſic effertur in editione LXX. *Et lingua bene loquens multiplicabit bonas ſalutationes. Vn hombre afable, comedido, y bien hablado, tendrà tantos amigos, que por do quiera que vaya, ſalgan à ſaludalle, y hazelle corteſia.*

35 Hoc ipſum hortatur Apoſtolus ad Philippenſ. 4. num. 8. *Quæcunque amabilia ſunt, hæc cogitate.* Græcè, *proſphilè amicabilia.* Vatablus. *Ad amicitiam pertinentia: ad alendam concordiam accommoda.* Seque ipſum proponit exemplar, 1. Corinth. 10. num. 32. *Sine offenſione eſtote, ſicut & ego per omnia omnibus placeo.* Lege Pined. Iob 1. verſ. 1. num 58.

Numerus 16.

In gratia cantantes in cordibus veſtris Deo.

36 IPlex expoſitio, iuxta triplicem ſignificationem vocis *Charis.* Prima Chryſoſtom. Oecumen. & Salmer. Per gratia Spiritus Sancti, ſine qua talè munus ritè obiri non poteſt. Et hæc, & ſi veram ſententiam continet, omnium minimè mihi placet: neque enim ſolet hortari Apoſtolus, *ut nemo dicat, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto.* Sed monet ita eſſe. 1. Cor. 12. num. 3.

37 Secunda Anſelm. & Adami. *In gratiarum actione:* qui uſus huius vocis frequentiſsimus eſt. Lucæ 6. num. 33. 1. Corin. 15. num. 57. 2. Corinth. 2. num. 14. & cap. 8. num. 16. 2. Timot. 1. num. 3. Et quamvis Latinè expreſſerit Vulgatus numero multitudinis: Græcè tamen habetur in his locis nomen ſingulare *charis.* Nihil verò uſitatius, quàm pro accepto beneficio hymnis, & Canticis gratias agere. Lege Maldonat. Matth. 26. num. 30. Huc etiam

referri

referri poteſt modus ille loquendi 1. Corinth. 1. num. 4. *In gratia Dei, quæ data eſt vobis*, id eſt, pro beneficio in vos collato.

38 Tertia Theophilacti omnium maximè mihi probatur: *in gratia*, hoc eſt, cum iucunditate, & voluptate ſpirituali, ut cap. 4. num. 6. *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus.* Lucæ 4. num. 22. *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius*, hoc eſt, in verbis ſuaviſsimis, cæleſti elegantia, ac venuſtate conditis, mirè factis ad alliciendos homines, & incredibili voluptate permulcendos. Quod multò ante cecinerat Regius Vates Pſal. 44.

39 num. 3. *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis.* De primis fidelibus legimus Actuũ 2. nu. 47. *Collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.* Apoſtolus etiam talem à nobis ſermonem exigit ad Epheſ. 4. num. 29. *Vt det gratiam audientibus.* Theophilact. *Vt eos gratioſos, & amabiles reddat.* Ioannis epiſtola 3. num. 4. *Maiorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare*, id eſt, nunquam maiore voluptate perfundor, nulla ex re ſolidiore cumulor gaudio: quamvis hîc Græcè non ſubeſt vox *charis*, ſed *chara*.

In cordibus.

40 THeophilact. [Non ſimpliciter ore, ſed corde, ideſt cum attẽtione: hoc enim eſt, Deo canere; illud verò, aeri.] Lege Sixtum lib. 6. Bibliothecę notat. 304. & Valentiam 2. 2. diſp. 6. q. 9. puncto unico.

Numerus 18.

Mulieres ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet, in Domino.

HOC eſt, ut decet fœminas, quæ Chriſtianiſmum profitẽtur: quæ in viris ipſis, Chriſti Domini perſonam agnoſcunt. Hoc enim eis præcipit Apoſtolus ad Epheſ. 5. num. 22. *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino.* Græcè, *os to Kyrio.* Itaque articulus indicat, ſignatè de Chriſto Domino ſermonem eſſe; quamvis excludenda non ſit explicatio altera, virum habendum eſſe loco Domini; quoniam vir caput eſt mulieris. Quod põderat Petrus in obedientia Saræ. 1. Petr. 3. num. 5. *Subiectæ proprijs viris, ſicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans.* Geneſ. 18. num. 12. *Poſtquàm conſenui, & Dominus meus vetulus eſt*, ideſt, *vir meus.* Sic Iudic. 19. num. 26. *Vbi manebat Dominus ſuus*, ideſt, ſuus maritus. Lege Riber. in illa verba ad Hebr. 13. nu. 4. *Honorabile cõnubium in omnibus*: & Pinedam in Salom. lib. 5. cap. 4. §. 12.

41 Theodoretus exponit, ſubditas eſſe in Domino, ideſt, quatenus Dominus, & Lex Evangelica permittit: in nulla re pietati contraria viris obedire: ut ad Epheſ. 6. num. 1. *Filij, obedite parentibus veſtris in Domino.* Nimirum ubi parentes præcipiunt aliquid contrarium Chriſto, *obedire oportet Deo, magis quàm hominibus*, Act. 5. num. 29. 1. Cor. 7. num. 39. *Cui vult, nubat: tantùm in Domino*, hoc eſt; dummodò nubat, quomodò lex Chriſtiana præcipit.

Numerus 20.

Filij, obedite parentibus per omnia.

42 EXponit Sanctus Thom. 2. 2. quæſt. 104. artic. 5. ad 1. *Per omnia*, ad quę ſe extendit patria poteſtas. Vt ſi rex iuberet, milites obedire Duci per omnia, exponendum eſſet, per omnia, quæ pertinent ad militiam. Belarm. tom. 1. lib. 2. de Monachis, cap. 36. per omnia, quæ pietatem non impediunt: ut numero ſuperiore expoſuimus. Vnde colligit cum S. Thom. 2. 2. q. 88. artic. 8. ad 2. licere filijs, invitis parentibus, religionem ingredi: quod ibi eruditiſsimè probat. Modò tamen perve-

nerint

nerint ad annos pubertatis: neque parentes in tali ſint neceſsitate, ut ſine filiorum auxilio vivere non poſsint.

Numerus 21.

Patres, nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant.

43 Ræcè, *me athymoſin: ne animis concidant, ne præ triſtitia deſpondeant animum*; haſtaſque abijciant: ne ex animi conſternatione languor, & ſocordia conſequatur. Complectitur hæc omnia vis Græci verbi. Nam *athymos*, & puſillanimem ſignificat, & deſperantem. Eſt verò prudentiſsima Apoſtoli ratio: cùm enim filij in omnibus ferè, quæ agunt, acriter à parentibus obiurgantur, cùm identidem peſsimè verbis accipiuntur: cùm irritantur, cùm laceſſuntur; (quod propriè ſignificat *erethizo*) ſibi omnino perſuadent, nihil ſe boni facere poſſe, quò parentibus morem gerant, eoſque placabiles experiantur: ac proinde deſpondent animum; nec ſe ſe erigere poſſunt ad aggrediendum quidpiam boni. Et hoc eſt fieri *animo puſillo*.

Numerus 22.

Non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes.

44 Extant Latinè eadem omnino verba ad Epheſ. 6. nu. 6. & utrobique eſt Græcè unica duntaxat dictio venuſtiſsimè compoſita, *ophthalmodulia*. Quam ibi vertit Regia. *Non ſecundum ocularem ſervitutem*; hîc, *non in oculorum ſervitijs*. Caiet. Adamus, & Salmer. *Servitium oculare*, reddunt. Vt vel hinc videas, quantò Latiniùs, quantòque ſignificantiùs expreſſerit Vulgatus.

Sententia perſpicuè eſt. Servite, inquit, 45
non tantùm dum Domini præſentes adſunt, ut illorum gratiam, ſimulata animi promptitudine ineatis. Chryſoſtom. & Theophil. [Cùm hero non cernente, functus fueris fidelis ſervi officio; perſpicuũ eſt, quòd ob Dei oculum perpetuò vigilem, & omnia videntem, iſtud agas: ſi autem rectè agis, cùm herus conſpexerit, hominibus places.] Hoc eſt, quod ſubjungit ad Epheſ. 6. nu. 6. *Sed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſervientes ſicut Domino, & non hominibus.* Quod hîc etiam repetit numero 23. & concludit num. 24. *Domino Chriſto ſervite. Tened a Chriſto por amo, y por Señor: a el ſervis, quando a vueſtro amo ſervis.*

Numerus 25.

Et non eſt perſonarum acceptio apud Deum.

Ententia celebris in Scriptura. Deuteron. 10. num. 17. & 2. 46
Paralip. 19. n. 7. Iob 34. n. 19. Sapient. 6. num. 8. & Eccleſ. 35. num. 16. Actuum 10. num. 34. ad Roman. 2. n. 11. ad Galat. 2. num. 6. ad Epheſ. 6. num. 9. 1. Petri 1. num. 17.

Illud præcipuè inquirendum: cur fuerit hic ab Apoſtolo inculcata, ubi minimè omnium deſiderari videbatur: agit enim cum ſervis, id eſt, cum hominibus viliſsimæ conditionis: ea verò ſententia iactari ſolet in eos, qui nobilitate, aut opibus elati, Divinam ultionem ſe evaſuros, vaniſsimè confidunt.

Reſpondent Chryſoſt. Theophil. & OEcumen. aut quia non miſerebitur pauperis in iudicio Deus: aut quia loquitur Chriſtianis ſervis, quibus Domini erant Gentiles.

Aptiùs Anſel. Theodoret. Primaſius, 47
S. Thom. & Caieta. Conſolatur humiles ſervos, ab imperioſis, & crudelibus heris

acerbè,

acerbè, contumelioſéque vexatos. Vos quidem (inquit) à Domino accipietis retributionem hæreditatis; illi verò, qui iniuriam faciunt; & potentia, ac dominatu ſuperbientes, impunè ſe laturos eſſe confidunt, luent aliquando pœnas ſuæ crudelitatis: puniet eos ſeveriſsimus ille Iudex, apud quem non eſt ſervus, neque liber. Certè ad Epheſ. 6. tradēs eamdem doctrinam, quam in hoc capite, ſententiam hāc Dominis proponit, num. 9. *Scientes, quia & illorum, & veſter Dominus eſt in cælis: & perſonarum acceptio non eſt apud eum.* 1. Petr. 2. num. 18. 19. & 20. Apoſtolus blandiſsimè conſolatur fideles ſervos, ab heris peſsimè acceptos, & colaphizatos. Lege Pined. to. 2. in Iob cap. 31. verſ. 13. 14. & 15. ubi multa in hanc ſententiam.

CAPVT IIII.

Numerus 1.

Domini, quod iuſtum eſt, & æquum, ſervis præſtate.

1 COmplexus eſt Primaſius uno verbo Dominorum officiū erga ſervos. [Patres vos debent magis ſentire, quàm dominos: unde vulgò Patres familias appellamini.] Prætextatus apud Macrobiū, lib. 1. Saturnalium, cap. 11. [Maiores noſtri omnem dominis invidiam; omnem ſervis contumeliam detrahentes, dominum, Patrem familias; ſervos; familiares appellarunt. Non eſt ergo, quòd amicum tantùm in foro, & in curia quæras: ſi diligenter attenderis, invenies & domi.] Et multa ibi præclarè: quæ totidem verbis compilavit ex Seneca epiſt. 47. ubi etiam illa. [Servi ſunt? Imò homines. Servi ſunt? Imò contubernales; imò humiles amici.]

2 Noſter Roa lib. 2. Singularium, cap. 23. quos Matthæus cap. 9. num. 15. *Filios ſponſi vocat*; Marcus, cap. 2. nu. 19. *Filios nuptiarū*; familiares ſervos intelligit. Eccleſ. 7. num. 23. *Servus ſenſatus ſit tibi dilectus, quaſi anima tua.* Sic Apoſtolus monet Philemonem, ut Oneſimum habeat loco fratris, num. 16. *Iam non ut ſervum, ſed pro ſervo chariſsimum fratrem.* Proverb. 14. n. 15. *Servo ſapienti proſperi erūt actus.* Eccl. 10. num. 28. *Servo ſenſato liberi ſervient.* Vide Pined. tom. 2. ad illud Iob 19. num. 16. *Servum meum vocavi, & non reſpondit: ore proprio deprecabar illum.*

Numerus 3.

Vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti.

COmmunis expoſitio: ut donet mihi Deus dicendi facultatem, libertatemque ad prædicandum Evangelium. Ita Chryſoſt. Theophil. OEcum. Gagneius, Vatabl. Salmer.

3 Monui ſæpe, uſque eò hanc epiſtolam in pleriſque locis congruere cum ea, quæ ſcripta eſt ad Epheſ., ut interdum eadem ſententia totidem expreſſa verbis utrobique reperiatur: interdum altera alterius quaſi commentarius ſit. Hæc igitur verba, quæ explicamus, ita efferuntur ad Epheſ. 6. num. 19. *Et pro me, ut detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere myſterium Evangelij: pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipſo audeam, prout oportet, me loqui.* Evidens erit cuilibet tantùm legenti, & conferenti utrumque locum, eamdem utroque ſententiam contineri.

4 Notandum verò eſt in illo cap. ad Epheſ. *Fiduciam*, Græcè dici *Parreſian*. Vnde ductum verbum, quo ſtatim uſus eſt Apoſtolus, & vertit Vulgatus, *audeam: parreſia* verò propriè eſt audacia, libertaſque loquendi, contraria aſſentationi: quam vocem variè ſolet reddere Vulgatus. Frequentiſsimè *fiduciam* vertit. Actuum 4. num. 31. *Loquebantur verbum Dei cum fiducia.*

ducia. Sic cap. 28. num. 31. ad Philipp. 1. nu. 20. & 1. Timoth. 3. nu. 13. Actuum. 4. num. 13. *conſtantiam*.

In Evangelio Ioann. ſæpe effert adverbio, *palàm*: cap. 7. num. 13. & num. 26. *Ecce palàm loquitur*. Sic cap. 10. num. 24. cap. 18. num. 20. cap. 11. num. 14. *manifeſtè*. In hac epiſt. cap. 2. num. 15. adiunxit etiam aliud adverbium, *confidenter palàm*.

5 Verbum etiam *parreſiazomæ* illuſtrat variè Vulgatus. Actuum 9. num. 27. & cap. 14. num. 3. & cap. 18. num. 26. *fiducialiter agere*. Actuum. 13. num. 46. *conſtanter dicere*. Cap. 19. num. 8. *cum fiducia loqui*. Cap. 26. n. 26. *cõſtãter loqui*. 1. Theſ. 2. num. 2. *fiduciam habuimus loqui*.

Hinc iam clarè cernitur, quid ſibi velit Apoſtolus in illo cap. 6. ad Epheſ. dum ait, *cum fiducia*: eſt enim *audacter, liberè, & conſtanter loqui*. Cernitur etiam illud, quantam intelligentiæ lucem afferat vel unius Græcæ voculæ proprietas, ſi exactè perpendatur. Conſtat denique, quàm probabilis ſit illa communis expoſitio, præſertim tam illuſtri teſtimonio ex cap. 6. ad Epheſ. confirmata.

6 Sed, ut ego liberè, & ingenuè loquar, quod ſentio, fateor, me nõ acquieſcere in hac explicatione: nam modus ille dicendi, *ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis*, ut eſt frequentiſsimus in Scriptura in alio ſenſu, ita eſt prorſus inauditus ad ſignificandam audaciam, libertatemque dicendi. Apocalyp. 3. num. 7. *Qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit*. Vbi egregiè Rib. exponit de Chriſto: qui ita habet Eccleſiæ claves, ut in eam ingrediantur, quibus ipſe aperit, quorum mentes per gratiam illuminat: quibus verò propter incredulitatem fores occludit, omnino introire nõ poſsint.

7 Additur num. 8. *Ecce dedi coram te oſtium apertum, quod nemo poteſt claudere*, id eſt, ego ipſe, qui habeo Eccleſiæ clavẽ, aperui oſtium illius quàm plurimis hominibus, ut, te per prędicationem vocante, illi ingrediantur: nec valeant diabolus, eiuſque miniſtri ingreſſum impedire. Hoc eſt, quod Apoſtolus cupit fidelium precibus obtineri: ut qui habet clavem David, per afflatum Spiritus Sancti aperiat fidelium corda ad excipiendam Evangelij lucem. Actuum 16. num. 14. *Cuius Dominus aperuit cor, intendere ijs, quæ dicebantur à Paulo*.

Hoc etiam eſt, quod ipſe Apoſtolus ait 8
2. Cor. 2. num. 12. *Et oſtium mihi apertum eſſet in Domino, non habui requiem, &c.* 1. Corinth. 16. num. 9. *Permanebo autem Epheſi uſque ad Pentecoſthen, oſtium enim mihi apertum eſt magnum, & evidens*, ideſt, copioſiſsima ſeges mihi nata eſt promovendi Evangelium: multi enim avidiſsimè audiunt, illudque amplectuntur. *Evidens*, Græcè, *energes*: quæ vox redditur à Vulgato, ad Hebr. 4. num. 12. *efficax*: & ita vertunt hîc Regia, Caiet. Vatab. & interpretes Chryſoſt. Theoph. & OEcum. quia nimirùm Deus Apoſtoli doctrinam altè defigebat in animis, & aperto oſtio mirabilem efficaciam verbo tribuebat. Sic etiam loquitur Lucas Actuum 14. num. 26. *Retulerunt, quanta feciſſet Deus cum illis, & quia aperuiſſet Gentibus oſtium fidei*.

Propter quod etiam vinctus ſum.

AD Epheſ. 6. num. 19. *Pro quo legatione fungor in catena*. 2. Timoth. 2. 9
num. 9. *In quo laboro uſque ad vincula, quaſi malè operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum*, id eſt, quamvis ego ſim conſtrictus vinculis, ſed nulla vincula conſtringere poſſunt Evangelium: non deſino ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam Chriſtum prædicare.

Numerus 5.

In ſapientia ambulate ad eos, qui foris ſunt, tempus redimentes.

10 AD Epheſ. 5. num. 15. *Videte itaque fratres, quomodò cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus.* Itaque cautio iſta, prudenſque circumſpectio præcipuè adhibenda fidelibus eſt, dum converſantur cum Gentilibus, qui ſunt extra Eccleſiam, nondum in illam per baptiſmi ianuam admiſsi. Hoc facile; illud verò difficilius, quid ſit redimere tempus.

11 Redimere apud Latinos interdū idem eſt, atque emere, ut obſervavit Adamus in cap. 5 ad Epheſ & in præſenti ſic accipit Auguſtino 10 ſerm. 24. de verbis Apoſtoli, dum ait: [Das nummos, & emis tibi panem: aliquid amittis, aliquid acquiris. Hoc eſt emere. Ergo, quando aliquis tibi litem infert, perde aliquid, ut Deo vaces, non litibus: ex eo, quod perdis, pretium eſt temporis.]

12 Hieronymus tom 9. in cap. 5. ad Epheſ. cenſet, tempus malè collocatum in pravis operibus, quaſi captivum teneri; tunc verò redimi, cum ad egregia facta traducitur, atque ex miſera vitiorum ſervitute liberatur. Cohæret cum hoc mirificè ratio, quam ſubiungit Apoſtolus: *quoniam dies mali ſunt.* OEcumen. [Ob mala, quæ fiunt à nobis, dies vocavit malos] Ita Chryſoſt. Theodoret. Theoph. Anſelm. & Primaſius.

13 Eleganter hoc Seneca perſequitur epiſtola 1. [Ita fac, mi Lucili, vindica te tibi, & tempus: quod adhuc aut auferebatur, aut ſurripiebatur, aut excidebat, collige, & ſerva. Si volueris attēdere, magna vitę pars elabitur malè agentibus; maxima, nihil agentibus; tota, aliud agentibus: quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? Qui diem æſtimet?] Tantùm non dixit, *redimat.* Subeſt Græcè non *chronos*, ſed *Kæros*: & ita vertunt Vatab. & Eraſm. *opportunitatem, & occaſionem*: tempus ſcilicet non qualecumque, ſed idoneum, & opportunum ad aliquid agendum. Notarunt hoc diſcrimen inter has voces Maldonat. Ioan. 7. num 6. & Ribera, Apocalyp 1. verſ. 3 num. 14. & cùm coniunguntur Actuum 1. num 7. & 1. Theſſalon. 5. num. 1. Vulgat. reddit, *tempora, atque momenta.*

14 Magna igitur ſapientia eſt, opportunitates rectè agendi, cùm adſunt, poſthabito quovis emolumento, avidè arripere: ne paulò pòſt prætervolantes ſubitò, atq; adeò nobis nec opinantibus, iam elapſas fruſtrà queramur.

Vox ipſa Latina *tempus* ſumitur pro opportunitate. Matth. 8. num. 29. cap. 13. num. 30. cap. 21. num. 34. cap. 26. nu. 18. Marci 11. num 13. Ioann. 5. num. 4. cap. 7. num 6. 2 Corinth. 6. num. 2. & ſexcentis alijs locis. In quib⁹ Græcè eſt vox *Kæros*: licèt non perpetuò ſervetur hoc diſcrimen, ut adnotavit Salmer. in cap. 5. ad Epheſ.

Numerus 6.

Sermo veſter, &c.

IXpoſui cap. 3. num. 16.

Numerus 7.

Quæ circa me ſunt, omnia vobis nota faciet Tychicus.

15 COnſentiunt expoſitores, hūc eumdem eſſe *Tychicum*, qui detulit etiam epiſtolam ad Epheſ. de quo extant ibi eadem propè verba, cap. 6. numero 21. qui apud Paulum, fidelis Tabellarij munere fungebatur; imo verò ſimul etiam

legati

legati officio; multa enim ore tenus his legatis credebantur, quæ coram illis, ad quos mitterentur, explicaturi eſſent. Vt conſtat ex Ignatio epiſtola 11. ad Polycarpum, & ex Cypriano epiſtola 16. & 24. Colligit hinc Adamus, eodem tempore datas duas has epiſtolas, utpote per eumdem miſſas tabellarium. Vnde & pleraq; quàm ſimillima; atque adeò omnino eadem reperiuntur in utraque: quippe uni-
16 co quaſi impetu fuſa: ſed apertè lapſus eſt: potiùſque debuiſſet colligere oppoſitum, & uno anno pòſt ſcriptam hanc ad Coloſſenſes, cùm Timotheus accerſitus à Paulo advenerat Romam; cuius etiam nomine ſalutatio prænotatur: iam Tychicus Epheſo redierat: quem deſtinatum fuiſſe Epheſum, antequàm Timotheus Romam cogitaret, perſpicuum eſt ex 2. Timot. 4. num. 12. *Tychicum autem miſi Epheſum.* Lege Baron. tom. 1. anno Chriſti 60.

Numerus 9.

Cum Oneſimo cariſſimo.

17 SErvo quidem Philemonis, filio tamen dilectiſsimo Apoſtoli, quem genuit in vinculis, ad Philem. num. 10. qui in eiſdem vinculis illi fideliſsimè miniſtrabat, num. 13. Remiſit tamen unà cum Tychico ad ſuum herum, à quo libertate donatus, ac poſt Timotheum creatus Epiſcopus Epheſiorum, Martyrij palmam obtinuit ſub Trajano. Baron. tom. 1. anno Chriſti 60.

Numerus 10.

Salutat vos Ariſtarchus concaptivus meus.

ID eſt, qui ſimul mecum detinetur in his vinculis propter Chriſtum: ut ad Rom. 16. num. 7. ad Philem. num. 23.

Et Marcus conſobrinus Barnabæ.

COnvenit inter Expoſitores, hunc 18
Marcum fuiſſe illum, cuius meminit Apoſtolus 2. ad Timoth. 4. num. 11. *Marcum aſſume, & adduc tecum.* Et ad Philem. nu. 24. *Marcus, Ariſtarchus, Demas, & Lucas, adiutores mei:* ijdem ſcilicet, quos hîc commemorat. Probat etiam Baron. tom. 1. anno Chriſti 45. hunc illum fuiſſe Ioannem, cognomento Marcum, Actuum 12. num. 12. & 25. quem Barnabas à Paulo diſſentiēs, ſocium ſibi aſſumpſit. Actuum 15. num. 37. & 39. Diverſum tamen fuiſſe Evangeliſtam, Baron, ibidē, & Maldonat. initio Commentariorum in Marcum, eruditiſsimè demonſtrant.

Numerus 11.

Adiutores mei.

ORdine quidem inferiores, ſed participes laboris Evangelij promulgandi. Sic ad Ro. 16. num. 3. & num. 21. & 2. Corint. 8. num. 23.

Numerus 12.

Salutat vos Epaphras.

QVi Romę in eumdem carcerem erat conjectus: ad Philem. num. 23. *Salutat te Epadhras cōcaptivus meus.* Probat Baron. to 1. anno 60. fuiſſe Coloſſenſium Epiſcopum; Archippum verò, quem numero 17. ad obeundum miniſterium adhortatur, tantùm eſſe Diaconum. Salmeron verò tom. 13. diſput. 8. in cap. 1. ad Rom. Epiſcopum etiam facit Archippum.

(?) 19

Numerus 14.

Lucas medicus cariſsimus.

20 PIctorem etiam egregiũ fuiſſe Lucam Evangeliſtam, nõ modò medicæ artis peritiſsimum, tota fatetur antiquitas. Lege Maldon. prologo in eius Evangelium, Barradam lib. 1. cap. 20. Baron. tom. 1. anno 61. idem verò Baron. anno 51. contra Hieronymi auctoritatem, imò & Ignatij, Epiſt. ad Epheſ. negat intelligi de Luca, quod Apoſtolus ait 2. Cor. 8. n. 18, *Cuius laus eſt in Evangelio.* Tanta ineſt obſcuritas in his rebus è tenebris vetuſtatis eruendis.

Numerus 16.

Et eam, quæ Laodicenſium eſt, vos legatis.

21 HOc teſtimonium maximè fulcit epiſtolam illã ad Laodicenſes, quam ex pervetuſto codice deſcriptam, & nomine Pauli prænotatam, edidit Sixtus lib. 2. Bibliothecę: ſed ea, tanquam ſpuria, & ſuppoſititia, ab omnibus explo-ditur. Enim verò certũ in primis eſt, Paulum non ſcripſiſſe ad Laodicenſes, cùm hanc dedit ad Coloſſenſes: nam num. 15. ait: *ſalutate fratres, qui ſunt Laodiciæ.* Quòd ſi ad eos tunc ſcripſiſſet, quorſum ſalutandi officium Coloſſenſibus delegaſſet? Deinde conſtat, deceptum fuiſſe Marcionem apud Tertullian. lib. 5. contra eumdem, qui Epiſtolam ad Epheſ. nõ ad eos, ſed ad Laodicenſes aſſeruit deſtinatã. Hęreticum iugulat Ignatius, qui ſic alloquitur eoſdem Epheſios Epiſt. 14. [Eſtis, ſicut Paulus vobis ſcripſit, unum corpus, & unus ſpiritus.]

In re ergo dubia ſimilior videtur vero coniectura Chryſoſt. & Theodor. qui negant, Paulum ad Laodicenſes unquam ſcripſiſſe: præcipere verò, ut epiſtola quædam Laodicẽſium apud Coloſſenſes publicè legatur, eò quòd aliquid cõtineret, quod eos ſcire, ipſorum maximè intereſſet. Valde confirmat hanc coniecturam textus ipſe Græcus. *Kæ ten ec LaodiKias & illam, quæ ex Laodicia ſcripta eſt.* Vide Salmer. tom. 13. diſp. 3. & Baron. tom. 1. anno Chriſti 60. 22

Numerus 18.

Salutatio mea manu Pauli.

SOlebat Apoſtolus uti Amanuenſi. Ad Rom. 16. nu. 22. *Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi epiſtolam.* Vnde magni fuit amoris indicium, quod ait ad Galat. 6. n. 11. *Videte, qualibus litteris ſcripſi vobis mea manu.* Ne ergo adulterinæ Epiſtolæ obtruderentur ab impoſtoribus (quod inſinuat 2. Theſſal. 2. n. 2. *Neque per epiſtolã, tanquam per nos miſſam*) litteris aliena manu exaratis, ipſe Apoſtolus de more ſubſcribebat: perinde, ac ſi ſigillum imprimeret, quod adulterari nullo modo poſſet. 2. Theſſal. 3. numer. 17. *Salutatio mea manu Pauli: quod eſt ſignum in omni Epiſtola. Ita ſcribo. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.* 23

IN EPISTOLAM B. PAVLI APOSTOLI AD EPHESIOS COMMENTARII EXEGETICI LITTERALES.

AVCTORE

PATRE AVGVSTINO DE QVIROS

è Societate IESV.

ARGVMENTVM.

1 EXTITERUNT Apostolorum ætate hæretici quidam, qui Christi dignitatem deprimebant; Angelosque Christo ipsi præferẽtes, eisdem mediatoribus apud Deũ nobis opus esse, temerè iactabant: & prætereà abrogatas iam Iudaicas cæremonias rursus obtrudebant: de quo legendus Baronius tom. 1. anno Christi 60. Horum errores refellit Apostolus in hac epistola, & plena manu Christi redemptionem extollit: illi nostram salutem acceptam refert: illum non modò cælestium spirituum caput, sed conditorem etiam, ac Dominum esse demonstrat. Vsque cò nimirùm hęc epistola argumento convenit cum epistola ad Colossenses, ut eodem tempore scripta, eodem impetu spiritus fusa, ac per eumdem tabellarium delata, plerisque videatur. Et quanvis in hoc fallantur, certè pleraque mysteria totidem enuntiata verbis, vel paululùm immutatis, in utraque reperiuntur: ut altera alterius quasi commentarius sæpe sit. Proinde, quę in illa sunt fusiùs, & uberiùs explicata, hic, aut prętermittemus omnino, aut leviter, & strictim delibabimus: ut in enodãdis proprijs, ijsque gravissimis huius epistolæ difficultatibus, tota nostra exerceatur, & desudet industria.

Numerus 1.

Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei omnibus sanctis, qui sunt Ephesi, &c.

2 EPhesus clarissima urbs, minoris Asiæ Metropolis, superbissimo Dianæ tẽplo nobilis fuit. Quod totis ducentis viginti annis extructũ inter

ſeptem orbis miracula numeratum, centum, ac viginti ſeptem columnis ſuffultum erat, quarum ſingulæ de ſingulis Regibus cõditoribus gloriabantur. Auctor eſt Plinius lib. 36. cap. 14. Sed inde longè excellẽtiùs nobilitata Epheſus eſt, quòd in ea urbe beatiſsima Virgo Maria cum Ioanne Evangeliſta, ſedem, ac domiciliũ collocavit: ut teſtãtur Patres OEcumenici Concilij Epheſini in Epiſtola ad Clerum Conſtantinop. cap. 27. Tom. 1. Conciliorum pag. 1025.

De eadem urbe hæc Philoſtratus lib. 8. de Vita Apollonij cap. 3. [Abundat bonarum artium ſtudijs; Philoſophis, Oratoribuſq; redundat: ut verè dici poſsit, eam civitatẽ non equitum robore, ſed clarorũ hominum millibus, cæteras ſuperare, in eaque plurimùm vigere ſapientiam.] Magicæ itẽ artes in ea ſtudioſiſsimè colebantur. Ibi præcipuè Apollonius ſuas præſtigias venditabat: ibi eam ſcientiam profitebatur: tantoque in pretio habitus eſt, ut & pro Deo cultus, & publica ſtatua donatus ſit, ut Auctor eſt idẽ Philoſtratus li. 4.

3 Propterea Apoſtolus in hanc ſuperſtitionis arcem toto pectore invaſit: huc omnes nervos intendit, *ut idololatriæ arce deſtructa* (verba ſunt Hieronymi in Præfatione) *facilè minorum urbium templa caperentur*. Nec deſtitit triennio integro, Act. 20 n. 31. ab hac infidelitatis arce noctu, diuque oppugnanda. Habuit quidẽ ibi adverſarios multos, 1. Cor. 16. num. 9. eoſdemque adeò feros, & ſanguinarios, ut humanam exſuiſſe naturam, induiſſe ferinam viderentur. Sicque explico locũ illum 1. Corinth. 15. num. 32. *Ad beſtias pugnavi Epheſi.* Neque enim uſquã Apoſtol⁹ cũ feris depugnavit in theatro, quidquid lib. 2. Hiſtoriæ cõminiſcatur Nicephorus, homo ingenio facili ad incertas vulgi opiniones aucupãdas, obtrudẽdaſq; pro veris: ſed feroces, & truculẽtos adverſarios Paulus beſtias nominavit; ut locutus eſt Martyr Ignatius ſcribẽs ad Romanos: [A Syria Romam uſq; terra, mariq; cum beſtijs depugno: noctu, diuq; alligatus decem Leopardis, hoc eſt, militibus, qui me cuſtodiunt.] Imò & ipſe Apoſtolus ita loquitur 2. Timoth. 4. n. 17. *Liberatus ſum de ore Leonis*, ideſt, *Neronis*. Sed ingens ſanè fuit Epheſi, huius Apoſtolicæ operę, ac laboris pretiũ. Argumento eſſe poteſt, quòd refert Luc. Actuum 19. n. 19. multorum nummorum libros, videlicèt Magicarum ſuperſtitionũ, ab Epheſijs fuiſſe publicè combuſtos. 4

Cùm ergò Paulus ſcribat ad Epheſios, viros nimirùm doctos, & ſæcularium litterarum ſcientijs excultos, non eſt mirandũ, quod prodit hîc Hieronymus, [Apoſtolum in hac potiſsimùm epiſtola, obſcuros ſenſus, & ignota ſæculis ſacramenta congeſsiſſe.] Idemq; Sãctus Doctor *mediam* vocat hanc Epiſtolam [Non quòd primas ſequens extremis maior ſit, ſed quomodò cor animalis in medio eſt: ut ex hoc intelligatis, quantis difficultatib⁹, & quàm profundis quæſtionibus involuta ſit.] Cætera, quæ ſpectant ad hunc verſum, & ſequentem, & perſpicua ſunt, & explicui ad Coloſſenſes 1. num. 1. & 2. ubi ſunt eadem Apoſtoli verba.

Numerus 3.

Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto.

BEnedicere Deum hominib⁹, 5
eſt eos locupletare. Gen. 30. n. 27. *Experimẽto didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.* Cap. 39. num. 5. *Benedixitque Dominus domui Ægyptij propter Ioſeph.* Et hinc benedictio in ſacro ſermone idem eſt, ac rerum omnium expetendarum affluentia: Geneſ. 27. n. 39. & c. 49. n. 25. Pſal. 36. n. 26. Sumitur etiam pro liberali dono, ac munere. Geneſ. 33. n. 11. *Suſcipe benedictionẽ, quã attuli tibi*: & 2. Reg. 25. n. 27.

Homi-

6 Homines autem alijs benedicere, Maioribus præsertim, est fausta, ac felicia illis precari. Sic introductus Iacob ad Pharaonem dicitur benedixisse Regi, Genes. 47. num. 7. hoc est, bene illi precatum fuisse. Interdum etiam benedicere, idem est, ac gratias agere, eximijs laudibus, & faustis acclamationibus prosequi. Iudicū 5. num. 24. *Benedicta inter mulieres*, &c. 1. Paralipom. 29. num. 20. *& benedixit omnis Ecclesia Dño Deo.* Rectè enim observat Maldonatus Matth. 14. num. 19. & cap. 26. num. 26. *eulogin*, id est, benedicere, apud Evangelistas sæpe idem esse, atque *eucharistin*, idest, gratias agere.

7 Iam ergo perspicua est Apostoli sentẽtia. Exordium ducit à gratiarum actione, pro singularibus beneficijs, quibus Deus fideles cumulavit. Impertivit eos largissima benedictione, non illa quidem carnali, quam ferè solam Iudaicus populus, & agnoscebat, & optabat; sed spirituali: nõ in pinguedine terræ, sed in donis, charismatisque cælestibus: quæ summatim hic perstringunt OEcumenius, & Theophilactus. [Eleganter verò dixit *omni*: factus enim es immortalis, nulla peccati labe pollutus; filius, & frater Dei, cohæres Christi: primitiæ tuæ adorantur à Cherubim.] An non immortales Deo pro tam immortalibus promeritis agẽdæ gratiæ? an non tam beneficum numen eximijs laudibus, & faustis acclamationibus prosequendum?

8 Sed *in Christo*, ait, nos fuisse omni benedictione cumulatos. Christus enim est causa meritoria totius nostræ Iustificationis: ut decernit Tridentinum sess. 6. cap. 7. Hic est unigena dilectissimus, *in quo sibi Pater bene complacuit.* Matth. 3. num. 17. hoc est, ut exponit Toletus Lucæ 3. notatione 51. sic erga eũ affect⁹ est, ut omnes nos in eo sibi gratificare decreverit.

9 Extat de hoc perillustre vaticiniũ Genes. 22. num. 16. *per memetipsum iuravi, dicit Dominus.* Expendit Apostol⁹ ad Hebr. 6. num. 17. Deum iureiurando fidem suam nobis obstrinxisse, quò ostenderet pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui; *& fortissimum spei solatium* eisdem compararet: & quidem recordatus misericordiæ suæ, cumulatè præstitit ius iurandum, quod iuravit ad Abraham patrem nostrum. Luc. 1. n. 73. Sed quid tandem illud erat, quod interposita gravissima iuramenti auctoritate promisit? numero 18. *& benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ.* Hæc verba nonnulli plus nimio Hebraizantes, in eum sensum detorquent. *Erit semen tuum benedictio*, id est, quicumq; alteri bene precabitur, nullam illi maiorem fælicitatem, & benedictionem vel conceptis votis exoptabit, quàm tuam: prosperet te Deus, inquient, sicut Abrahæ semen fortunavit. Sic Genes. 12. num. 2. *Eriſque benedictus.* Hebraicè, *benedictio*. cap. 28. num. 4. *det tibi Deus benedictiones Abrahæ*: & ita loquitur Scriptura, Genes. 48. num. 20. *In te benedicetur Israel, atque dicetur: faciat tibi Deus, sicut Ephraim.*

10 Sed habem⁹ firmiorem Apostolicum, Propheticumque sermonem, hoc vaticinium de Christo, spiritualique eius benedictione interpretantem. Ad Galat. 3. n. 16. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit: & seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno: & semini tuo, qui est Christus.* In Christo enim, ex Abrahami stirpe nascituro, spiritualis benedictio, hoc est, vera animorum salus Gentibus erat impertienda: & quanvis semen in singulari passim ponatur pro multis; tamen Paulus divinitus edoctus, perspectis omnibus promissionis huius circunstantijs, pro uno, eoque Christo positum esse vidit. Psal. 71. n. 17. ubi ad litteram de Christo sermo est: *& benedicentur in ipso omnes Tribus terræ.* Isaiæ 65. num. 15. *& servos suos vocabit nomine alio* (Christianos scilicet, à Christi nomine) *in quo, qui benedict⁹ est super terrã, benedicetur in Deo. Amen.*

11 Quòd autem futura esset hæc benedictio, non in affluentia terrenarum opum, sed in copia donorum cælestium, quibus & iustificatio animæ, & æternæ vitę pignus

pignus continetur, disertè exposuit Apostolus Petrus Actuum 3. num. 26. Vbi cùm locum istum ex Genesi citavisset, benedictionem sic explicuit: *Vt convertat se unusquisque à nequitia sua.* [Magna benedictio est (ait Chrysostomus hom. 9. in Acta,) converti ab iniquitatibus: & in beneficijs divinis, hoc meritò summum conferi debet.] Quod legimus Isaiæ 27. num. 9. *Iste omnis fructus, ut auferatur peccatū,* ita expresserunt LXX. *Et hoc erit benedictio eius, cùm abstulero peccatum eius.*

Hanc autem benedictionem promeruit nobis Christus benedictus, *factus pro nobis maledictum,* ad Galat. 3. num 13. sive ut Græcè habetur, *execratio.* Tantùm abest, ut in eo benedicerent, qui alijs bene precabātur: erat quippe probrosissimum supplicij genus, in Crucem tolli: illudque meritò homines execrabantur. Christus igitur suffixus Cruci, execrationes eas subiens, & nostras culpas delevit, & ea nos maledictione liberavit, quæ in nos redundabat ex culpa: ad Galat. 3 num 14. *Vt in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu.*

Numerus 4.

Sicut elegit nos in ipso.

12 HAEc est antiquissima, & liberalissima Dei benedictio, fons, & origo cæterarum: quos enim elegit Deus, ac prædestinavit in Christo, id est, per Christi merita; *hos & vocavit, & iustificavit: hos demum glorificavit,* ad Roman. 8. nu. 30. Quid propriè sit eligere, seu prædestinare, & vulgò iam notum est, & accurata disputatione tractat Salmeron tomo 13. pag 96. Fuisse verò Christum causam meritoriam nostræ prædestinationis, quia magis spectat ad scholas Theologicas, quàm ad brevem Scripturæ commētarium, videantur è nostris Valentia tomo 4 disp 1. q. 19. punct. 4. Suarez to. 1. in tertiam partem, disputatio. 41. sect. 4. Vazquez tom. 1. in primam partem disput. 94. cap. 2.

Ante mundi constitutionem.

13 ID est, iam inde ab æternitate. Sic etiam loquitur Christus de sua Humanitate electa ab æterno, ut uniretur Verbo, Ioā. 17. num. 24. *Vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi.* 1. Petr. 1. num. 20. *Præcogniti quidem ante mundi constitutionem.* In eamdem sententiam ait Apostolus ad Titum 1. num. 2. *Ante tempora secularia.* Vbi Chrysostomus hom. 1. [Ostenditur, inquit, ex his nobilitas nostra: quòd non nuper, sed olim, atque ab ipsis initijs dilecti sumus.] Et homil. 34. in Genesim. [Vide bonitatis Dei excellentiam: quanta erga nostrum genus misericordia usus est: ut & ante iacta fundamenta mundi, nobis regni cælorum fruitionem præparare dignatus sit.]

14 Quod verò dicitur Matth. 25. nu. 34. cæleste regnum paratum esse iustis *à constitutione mundi,* in idem recidit: quia enim homines non facilè mente concipimus æternitatem antegressam molitionem mundi, attemperat se Christus ad nostrū captum; & initium temporis, sive mundi, pro ipsa æternitate ponit. Vt Matth. 13. num. 35. Apocalyp. 13. num. 8. & cap. 17. num. 8. Subest ubique vox *catabole,* à verbo *cataballo*: quod propriè est, in inferiorem partem iacio, ut fieri solet, cùm primus lapis ædificij ponitur. Vnde plerique Latinè reddiderunt: *antequàm iacerentur mundi fundamenta.* Vide Hieronymum hîc, & Toletum Ioan. 17. notatio. 17. & Franciscum Lucam, Matth. 13. nuero 35.

(::)

Vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius.

15 ARripit hinc telum validissimũ Augustinus, & amento acerrimi sui ingenij fortiter intorquet in Pelagianos, lib. 1. de Prædestinatione Sanctorum cap. 18. [Non quia futuros nos esse tales præscivit, sed ut essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ.] Iterum, ac sæpius vibrat idem telum Augustinus lib. 5. contra Iulianum, cap. 3. *Nullum elegit dignum, sed eligendo efficit dignum.* Sed de toto hoc argumento, & quomodò, quamvis electio ad gratiam non sit ex prævisis liberi arbitrij meritis: alioqui gratia iam non esset gratia: electio tamen efficax ad gloriam facta sit ex meritis ipsius gratiæ prævisis; lege perdoctam disputationem Gabrielis Vazquez, quæ est 89. tom. 1. in 1. P. Quatenus autẽ Iusti in hac vita dici, & esse possint coram Deo immaculati, Græcè, *irreprehensibiles*, sive *inculpati*, tractavi in illa verba ad Colossenses 1. nu. 22. *Exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso.* Videãtur Ribera Apocalyp. 14. num. 17. & Pererius tom. 2. in Genesim lib. 9. num. 23.

In charitate.

PLerique intelligunt de dono charitatis infuso, quod est *vinculum perfectionis*, ad Colossenses 3. num. 14. alij connectunt cum verbo *elegit*: & tunc sumẽda est vox pro *dilectione* increata: à qua videlicet fluxit Sanctorum electio. Deuteronom. 7. num. 6. 7. & 8.

Numerus 5.

Qui prædestinavit nos.

16 LEctio & habitũ delectum indicat, & secretionem ab ijs, qui reprobantur. Prædestinatio verò est efficax per aptissima media destinatio, ad finem præstitutum assequendum.

In adoptionem filiorum per Iesum Christum.

VIdete, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filij Dei nominemur, & simus.* 1. Ioan. 3. num. 1. Divina enim adoptio longè differt ab humana. Neque solùm attribuit ius ad paternam hæreditatẽ adeundam, sed verè efficit, ut simus filij Dei, hoc est, habeamus consortium, & participationem quamdam Divinæ naturæ. 2. Petr. 1. num. 4. Leo serm. 6. de Nativitate. [Omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet Patrem.] Gregorius homil. 6. in Ezechielem. [Quid hac potestate altius? Quid hac altitudine sublimius dici potest?] Vsque eò videlicet hominem extollit gratia, ut si suprema illa beatissimæ Virginis Mariæ dignitas, id est, Dei maternitas, cum hac filiatione adoptiva comparetur, & inter se præcisè conferantur, ita ut una ab alia omnino separetur, hæc dignitas filij adoptivi præferenda, & præeligenda sit; verèque dixerit Augustinus lib. de Sancta virginitate, cap. 3. *Beatior fuit Maria concipiendo mente, quàm ventre.* Atque hic est sensus illorum verborum Christi, Lucæ 11. nu. 28. *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*, Lege ibi Maldonatum, & Suarez to. 2. in 3. P. d. 2. sect. 2.

Sublimem hanc filiorum Dei dignitatem promeruit nobis suo sanguine Filius naturalis. Ad Galat. 4. num. 5. *Misit Deus Filium suum factũ ex muliere, ut adoptionẽ* 17

filiorum reciperemus. Quasi dicat: ipse, cùm esset Filius Dei, dignatus est fieri filius hominis, ut qui filij hominum eramus, per adoptionem efficeremur Filj Dei. Ioan. 1. num. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri.* Perpendit ibi Augustinus tract. 2. [Non timuit ille habere cohæredes, quia hæreditas eius non fit angusta, si multi eam possederint.]

18 Perficitur adoptio hæc in lavacro regenerationis, quo abluti filij adoptivi, vita, & moribus exprimunt Filium naturalem. Ad Galat. 3. num. 26. *Omnes enim Filij Dei estis.* Causam subdit num. 27. *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Vnde non immeritò Leo magnus ser. 6. de Nativitate, baptismatis aquam comparat utero sacratissimę Virginis. [Originem, quam sumpsit ex Virgine, posuit in fonte baptismatis: dedit aquę, quod dedit Matri: virtus enim Altissimi, & obumbratio Spiritus Sancti, quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadē fecit, ut regeneret unda credentem.]

In ipsum.

19 PAgninus, Erasmus, Caietanus, Gagneius, Vatablus, Arias Montanus, Salmeron, Catharinus, & Adamus, vocem Græcam *is auton*, existimant verti potuisse, *in se se*: & ad Deum Patrem referunt: ut sit sensus. *Prædestinavit nos per Iesum Christum, ut filios adoptaret sibi.* Ego, etsi video, etiam plerosque Veteres in hanc intelligentiam convenire, magis tamen propendeo in aliorum explicationem, qui pronomen *ipsum* referunt ad Christum: nam quidquid gratiæ, & gloriæ hominibus collatum est, id totum in Christi gloriam refertur, tanquam in causam, non modò meritoriam, sed etiam finalem nostræ prædestinationis. Probat hoc Suarez to. 1. in 3. P. d. 5. sect. 2.

Secundum propositum voluntatis suæ.

NOn subest hîc Græcè vox illa *prothesis*, quam vertere solet Interpres *propositum*, id est, ratum, & fixum Dei decretum: ad Roman. 8. num. 28. & cap. 9. num. 11. & 2. Timoth. 1. num 9. aut *præfinitionem*, ad Ephes. 3. num. 11. sed grandior quædam, ac significantior vox, nempe *eudokia*: quam vocem finxerūt LXX. (ut Auctor est hîc Hieronymus) ut rem novam novo exprimerent vocabulo, & significātiam Hebraicę vocis *Raßon* Græcè enuntiarent. De hac voce sic Erasmus in epistolam ad Roman. cap. 10. [Græcæ voci ad Hebręam effictæ nihil habet sermo Romanus, quod propriè respondeat: sonat autem propensam benevolentiam, ac favorem gratuitum.] 20

Variè illustratur à Vulgato: ut vel pluribus Latinis vocibus vis Græcæ, atque Hebraicæ penitus exhauriatur. Ecclesiast. 39. n. 23. *placor*. c. 35. nu. 20. *oblectatio*. Psal. 144. num. 16. *benedictio*. Frequentiùs vertit *placitum*. Matth. 11. num. 26. *ita Pater, quoniam sic placitū fuit ante te*, aut *beneplacitum*. Psalm. 68. num. 14. *Tempus beneplaciti Deus: in multitudine misericordiæ tuæ*: & Psalm. 105. num. 4. *Memento nostri Domine in beneplacito populi tui.* 21

Explicat etiam Vulgatus duabus illis vocibus *bona voluntas*: ad Philippen. 2. numero 13. *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Id est, pro suo beneplacito. Lucæ 2. num. 14. *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Id est, pax ex gratuita, & spontanea Dei liberalitate profecta; vel hominibus beneplaciti, id est, in quibus sibi Deus bene complacuit, liberaliter oblata. Admitto etiam alium horum verborum sensum, quem plerosque Latinos Patres secutos esse video: ut hæc pax non promiscuè omnibus hominibus, sed sinceris tantùm, & ijs, qui bonæ sunt voluntatis annuntietur. In quo dissentio à Maldo- 22

nato,

nato, qui hanc explicationem reijcit, falſa opinione nixus: exiſtimat ille ſcilicet, ſecutus Eraſmum in eumdem locum, vocem *eudoKian* in Scriptura ferè de ſolo Deo dici ſolere: quod apertè conſtat eſſe falſum, Pſalm. 140. num. 6. Eccleſiaſt. 9. num. 17. cap. 18. num. 31. cap. 29. num 30. ad Roman. 10. num. 1. ad Philippen. 1. num. 15.

23 Iam ergo conſtat mens Apoſtoli. *Prædeſtinavit nos Deus in adoptionem filiorum*, non ex noſtris meritis prævijs, ſed ex altiſſimo Divinæ providentiæ beneplacito, ex ingenua, & gratuita Dei voluntate, nullis noſtris operibus laceſſita, Lucæ 12. num. 32. *Complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.*

Vocat autem ſignificantiſsimè Vulgatus hoc beneplacitum *propoſitum*, id eſt, ratam, ac firmam Dei voluntatem. 2. Timot. 1. num. 9. *Vocavit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam.* Ad Roman. 8. num. 28. *Ijs, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* Vide Gabrielē Vazquez tom. 1. in 3. P. d. 23. num. 85. & Maldonatum Matth. 9. num. 17.

Numerus 6.

In laudem gloriæ gratiæ ſuæ.

24 QVò ſic adoptati, glorioſam eius, & illuſtrem in nos gratiam debitis laudibus celebremus, & grata memoria proſequamur. Græcè ſubeſt *doxa*, quam vocem Interpres vertere ſolet *maieſtatem, & claritatem*, id eſt, ſplendorem. Vt conſtat Matth. 19. num. 28. cap. 24. num. 30. cap. 25. num. 30. Lucæ 9. nu. 31. & 1. Corinth. 15. num. 41. Et quanvis Dei gloria operibus ſapiētiæ, atq; potentiæ maximè eluceſcat; & maieſtas, & claritas aptiùs omnipotentiæ, quàm gratiæ quadrare videātur: tamen rem ipſam intimiùs perpēdenti, longè mirabilior eſt Deus in reparando, & glorificando homine, quàm in hac rerum univerſitate creanda. De quo fuſior nobis erit ſermo infrà, num. 19. Apoſtolus certè ad Roman 9. num. 23. non ſimpliciter dixit manifeſtari in electis Dei gloriam, ſed *divitias Divinæ gloriæ.*

In qua gratificavit nos.

25 E *Charitoſen* potuiſſet vertere Vulgatus, *gratia nos implevit*: eſt enim idem verbum, quod Lucæ 1. num 28. *gratia plena*. Atque id valde commendat inæſtimabiles huius efuſiſsimæ gratiæ divitias: neque alienum eſt ab Scripturæ ſtylo: nā Lucę 1. num. 15. legimus de Baptiſta: *Spiritu Sancto replebitur*. num. 41. *repleta eſt Spiritu Sancto Eliſabeth*. num 67. Zacharias. Actuum 2. num. 4. omnes Apoſtoli. cap. 4. num. 8. Petrus. & num. 31. omnes, qui erant congregati. Cap. 6. num. 3. ſeptem illi Diaconi. Actuum 6 num 8. *Stephanus plenus gratia*. Et cap. 7. num. 55. *Plenus Spiritu Sancto*. Actuum 9 nu. 17. Paulo dixit Ananias: *ut implearis Spiritu Sancto*. Actuum 11. num. 24. Apoſtolus Barnabas. Denique Actuum 13. nu 52. Diſcipuli omnes Apoſtolorum *replebantur Spiritu Sancto.*

Rectè itaque probat ex iſto loco Bellarminus lib. 2. de Iuſtificatione, cap. 11. infuſionem Gratię habitualis contra Calvinum: neq; ſolùm imputata nobis Chriſti Iuſtitia acceptos fieri; ſed infuſo dono gratię animam renovantis, & exornantis, verè gratioſos, & interna pulchritudine formoſiſsimos reddi coram Deo.

In dilecto Filio ſuo.

26 TAm gratus fuit Chriſtus Patri, ut ſua gratia nobis meruerit omnem gratiam. In dilecto Filio ſuo nos gratia cumulavit. Ioan. 1. num. 16. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Id eſt, propter gratiam illius, data eſt nobis gratia noſtra: quia Filius naturalis fuit Deo dilectiſsimus, & acceptiſsimus: fuit

plenus

plenus gratiæ: pro hac gratia, & de plenitudine huius gratię, effuſa eſt abundè gratia in filios adoptivos. Ad Roman. 5. nu. 15. *Si unius delicto multi mortui ſunt; multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Ieſu Chriſti in plures abundavit.* Itaque *in gratia unius*, id eſt, propter gratiam unius, multi gratiam affluenter conſecuti ſunt.

Numerus 7.

In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius.

27 EXtant eadem omnino verba ad Coloſſenſes 1. num. 14. & in eamdem ſententiã ſcribit Apoſtolus ad Roman. 3. num. 24. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu: quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius:* Sic Sancti gratias agunt Chriſto Apocalyp. 5. num. 9. *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo.* Redimere enim, eſt, aliquem devolutum in alterius poteſtatem, ſoluto pretio, ad proprium poſſeſſorem ab alieno vindicare. Chriſtus verò redemit nos venundatos ſub peccato, mancipatoſque dęmoni, & aſſeruit in libertatem filiorum Dei, ſoluto pretio ſanguinis ſui. *Gratis venundati eſtis*, inquit Iſaias cap. 52 num. 3. *gratis* (inquam) hoc eſt, propter res futiles, & flocci, aut nihili ęſtimandas; pro fluxa, & fœda voluptate; pro honore citò perituro, pro exiguo lucello. Subdit Iſaias: *& ſine argento redimemini.* Sine argento quidem, ſed non ſine pretio; argento, & auro longè excellẽtiore. 1. Corinth. 6. num. 20. *Empti enim eſtis pretio magno.* 1. Petr. 1. nu. 18. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis: ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti.* Qui non modò ſuum ſanguinem effudit, ſed ſe ipſum totum etiam in pretium dedit. 1. Timothei 2. num. 6. *Qui dedit redemptionẽ ſemetipſum pro omnibus.* Greccè, *Antilytron*, id eſt, redemptionis pretium. *Remiſſionem peccatorum ſecundum divitias gratiæ eius.*

AD Titum 2. num. 14. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* Ad Hebr. 9. num. 15. *Morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, &c.* Atque hanc liberaliſsimam condonationem, divitias gratiæ nominat, phraſi Apoſtolo familiari: in hoc ipſo cap. num. 18. & cap. 2. num. 2. cap. 3. num. 8. & 16. ad Roman. 2. num. 4. cap. 9. num. 23. cap. 11. num. 33. ad Philippen. 4. num. 19. & ad Coloſſenſes 1. nu. 27. 28

Numerus 8.

Quæ ſuperabundavit in nobis.

BErnardus ſerm. 22. in Cantica. [Bene copioſa redemptio: ſiquidem non gutta, ſed unda ſanguinis, quinque per partes corporis emanavit.] Cardinalis Petrus Damiani in ſerm. de Sancta Cruce. [Sufficeret ad redemptionem orbis vel una pretioſiſsimi ſanguinis gutta: ſed data eſt copioſa, ut virtus diligentis in beneficij redundatione clareſcat.]

In omni ſapientia, & prudentia.

AD Coloſſenſes 1. num. 9. *In omni ſapientia, & intellectu.* Greccè, *ſyneſi.* Quam vocem ſæpe Vulgatus vertit *prudentiam.* Vt in hac epiſtola, cap. 3. num. 4. Lucę 2. num. 47. & 1. Corinth. 1. nu. 19. Itaque utrobique eamdem rem, diverſis licèt nominibus, Apoſtolus intelligit. Et certè ingens, & admiranda Divinæ gratiæ exuberantia eſt, non ſolùm fuiſſe homines copioſiſsimè redemptos, ſed arcanum etiam divini conſilij myſterium, in omni ſapientia, & prudentia eiſdem eſſe patefactum. Hoc videlicèt eſt, quod adiungit. 29

Numerus 9.

Vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ.

30 QVoties legimus in Vulgata editione, *Sacramentum*, Græcè habetur, *mysterium*. Ad Colossens. 1. num. 27. Tobiæ 12. num. 7. Daniel. 2. num. 30. Apocalyps. 1. num. 20. & in hac Epistola ca. 5. n. 32. Est autem propriè mysterium, sacrum secretũ, & arcanum, quod in vulgus efferre, & non initiatis enuntiare, nefas esset. Hoc autem reconditum Sacramentum, cuius altitudo, secluſa revelatione, vel ipsas cęlestes Intelligentias prętervolaret, est Incarnatio Divini Verbi, & effusa in omnes Gentes ex Christi meritis, Gratia. 1. Timoth. 3. num. 16. *Manifestè* (Græcè, *omologumenos*, omnium cõfessione, citra controversiam) *magnum est pietatis Sacramentum* (Græcè, mysterium) & verè admirandum, atque stupendum Divinę benignitatis, & pietatis mysteriũ: (ut Eucharistia vocatur mysterium fidei) *quod manifestatũ est in carne* (Græcè, Deꝰ manifestatꝰ est in carne) manifestavit autem se Deus in carne latentem, per miracula passim edita, per admirabilem doctrinam, per vitam innocẽtissimè actam) 31 *iustificatum est in spiritu* (ut omnes, velint, nolint, infinitam Dei sapientiam in hoc mysterio relucentem, virtute Spiritus demonstratam, cogantur approbare) *apparuit Angelis* (Græcè, visus, sive conspectus est Angelis, scilicet Deus) nã ubi primùm editus est in hanc lucem, innumerabiles Angelorum exercitus ad eum adorandum convolarunt) *prædicatum est Gentibus* (cùm soli Iudęi expectarent) *creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* Nam peracto redemptionis negocio, excitatus à mortuis, glorioſus, & immortalis, ancillantibus nubibus, plaudentibus Angelis, hominibusque stupentibus, *assumptus est in cælũ, & sedet à dextris Dei.* Marci 16. num. 19.

Cùm ergo Apostoli futuri essent testes, & buccinatores huius reconditi Sacramenti, iure illis est *in omni sapientia, & prudentia patefactum.* Ioann. 15. num. 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.*

Secundum beneplacitum eius.

RVrsus excludit merita: & ad gratuitam, & spontaneam Dei liberalitatẽ refert. Hoc propriè sonat *eudoKia*, suprà num. 5.

Quod proposuit in eo.

QVod, non ad mysterium, ut putavit Adamus, sed ad beneplacitum referendum est, ut perspicuè cõstat ex Græco. Et perpende, beneplacitum Dei, hoc est, voluntatem salutis hominũ, & reparationis Vniversi, positam fuisse ab ipso Deo in Christo: quia ipsum constituit reconciliatorem, ac redemptorem mundi. In hanc sententiam, auctorem laudans Athanasium, cuius elegantissima recitat verba, exponit Toletus Luc. 10. notatione 38. verba illa Christi: *omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Sacramentum enim absconditum sapientibus, & revelatum parvulis, fuit, Christum à Deo fuisse constitutum omnium reparatorem: omnia, quæ ad hominum salutem spectant, ipsi fuisse à Patre commissa. Ioann. 17. n. 2. *Dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* 32

(?)

Numerus 10.

In dispensatione plenitudinis temporum.

33 VBi venit *plenitudo temporis*, ad Galat. 4. num. 4. *Quam divini consilij inscrutabilis altitudo disposuit.* Vt loquitur S. Leo serm. 1. de Nativitate. Neque enim nostrum est *nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Actu. 1. nu. 7. aut curiosiùs inquirere, cur tamdiu dilatum sit mundi remedium. Hoc certè fixum nobis esse debet, opportunissimo tempore fuisse oblatum à multiformi Dei sapientia, *secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit* (hoc est, præstituit, seu præfixit) *in Christo*: in hac epistola cap. 3. num. 11. Atq; hanc maturitatem indicat vox, quã usurpat Apostolus: *Kæros* enim non simpliciter tempus, ut *chronos*, sed temporis ipsius opportunitatem, & commodam rei benegerendæ occasionem significat.

Rectè itaque Ribera explicat illa verba ad Hebræos 9. nu. 26. *Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum.* Iam enim à passione Christi anni plùs mille quingẽtis effluxerunt: fortasse etiam fluẽt multò plures ad finem usque mundi ut sub perfectissima lege Evangelica plus, quàm sub naturali, scriptaque vivatur: quomodò ergo finis sæculorum fuit, quod vix medium sæculorum est? Sed certè sæculorum consummatio, Græcè *syntelia*, id est, *perfectio*, nihil aliud est, quàm plenitudo temporum, & opportuna maturitas, quam Divinæ providentiæ dispensatio præfinierat.

Instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, in ipso.

GRæcè subest *AnaKephalæosasthæ*: 34
cuius verbi vim existimo, nullo unico Latino exprimi omnino posse. Augustinus, & Hieronymus legunt, *recapitulare*: & ante utrumq; Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 17. num. 162. qui quasi sibi ipsi minimè satisfaciens, rursus sic Latinè enuntiat: *ad initium redigere, aut reciprocare: ab initio recensere.* Ad Roman. 13. num. 9. *Et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur.* Vbi Græcè est idem verbum: vertitque Augustinus epistola 29. *Recapitulatur.* Propriè, *summatim comprehenditur*: est enim quasi summam subducere, & multos numeros quasi ad unum redigere. Ecclesiastici 32. num. 9. *Adolescens loquere in tua causa vix: si bis interrogatus fueris, habeat caput respõsum tuum.* Græcè, *Kephalæoson.* LXX. Vaticani cap. 35. *In summam collige sermonem.* Tigurina. *Summatim verbis paucis multa complectere.* Iansenius. *Recapitula.* Hinc apud Quintilianum lib. 7. cap. 1. *AnaKephalæosis*, hoc est, enumeratio, seu recapitulatio: cùm ea, quæ in oratione fusiùs, & uberiùs tractata sunt, summatim repetuntur, & ab initio recensentur.

Tres præcipuas invenio huius loci ex- 35
plicationes, quarum singulæ singulos melioris notæ interpretes, patronos, ac duces habent, quibus inferiores alij adstipulantur. Prima est Hieronymi: omnia mysteria diversis temporibus patrata, omnia oracula edita, recapitulata fuisse in Christo, hoc est, ad unam veluti summam revocata, una quasi abbreviata consummatione comprehensa: *cõsummationem enim, & abbreviationem fecit Deus.* Isaiæ 10. numero 23.

Vidit Hieronymus, opponi sibi posse: esto, quidquid gestum est ab antiquis Patriarchis, laude, vel memoria dignum: quidquid fuit in lege memorabile, in sa-

crificijs acceptum, in templo excellens, & Deo gratum; id totum admirabili compendio recapituletur in Christo. Sed quonam pacto instaurata sunt in illo, quæ reperiuntur in cęlis? Hanc obiectionem sic diluit Hieronymus. [Diligenter attendite, quòd non solùm omnes historiæ Scripturarum, quas in terra gestas Spiritus Sãctus enumerat; sed etiam in cęlestibus, quę nobis occultę sunt, in Christi recapitulata passione teneantur.]

36 Altera est Augustini in Enchiridio cap. 62. quem sequuntur Anselmus, & S. Thom. Inhęret enim Augustinus proprietati Latini verbi *instaurare*, quod idē est, ac reparare, & resarcire: quæ significatio etiam in Gręcum cadit, & expressit Tertullianus, *ad initium redigere*. Tunc nimirùm instauratur res, quando renovatur, & ad suum caput, & initium revocatur. Censet itaque Augustinus, omnia fuisse per Christum instaurata: & quidem quæ in terra sunt, dum homines Gratia exuti, & spe vitæ immortalis exturbati, imò æternę mortis tenebris addicti, per
64 Christi sanguinem sunt redempti. Quæ autem sunt in cælo, [Cùm id, quod inde in Angelis lapsum est, ex hominibus redditur.] Tunc videliect sunt Angelorum ruinæ in cælo reparatæ.

37 Tertia denique explicatio est Chrysostomi, in quam Theodoretus, OEcumenius, & Theophilactus, ut solent, cōcorditer eunt. Dissidebāt à nobis hostiliter Angeli: ægrè ferebant, Divinum numen patratis passim scelcribus ab hominibus violari: mittebantur illi sæpe ad terras, sed ad inferenda gravissima supplicia: cōtrà verò nulli hominum aditus patebat in cælum: sed Christi sanguine, ac merito, effractis his repagulis, hominibus ita cælesti illa civitate donatis, pacificataque discordia, cælestia, & terrena, id est, Angelos, & homines Deus instauravit in Christo, hoc est, ad unum caput reduxit, unius capitis membra effecit. Ad Colos. 1. nu. 20. *Pacificans per sanguinem crucis eius, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.*

Quælibet istarū explicationum est probabilis. An verò ex hac ultima deducatur, Christum merito suo omnia dona gratię, & gloriæ in Angelos, tanquam eorum caput, derivasse, res est apud Theologos controversa. Videantur Suarez. to. 1. in 3. P. d. 42. sect. 1. & 2. & Vazquez tom. item. 1. in 3. P. d. 49. cap. 4.

Numerus 11.

In quo etiam & nos sorte vocati sumus.

38 SOrs hîc non ea est, in qua temeritas, & casus; sed in qua ratio, & consilium dominatur. Hæc sors, & fortuitum eventum, & omne sortitò capti ineritum excludit. Grecè unicum est verbum *Eclerotheme*. Quod nescio, an uspiam aliàs extet in sacris litteris: mihi certè videre nusquam contigit. Illud tribus vocibus extulit Vulgatus: Pagninus verò, Isidorus Clarius, Erasmus, Tigurina, Gagneius, & Interpres OEcumenij reddunt, *in sortem asciti sumus*: Auctor Commentariorum, qui Ambrosij nomine circumferuntur, *sortiti sumus*. Montanus, *electi sumus*. Vatablus, *facti sumus hæredes*. Propriè etiam vertas. *In sortem, in partem, in hæreditatem, & possessionem vocati sumus.*

39 Cadunt hæc omnia mirificè in vocem *cleros*, unde verbū *cleroo* derivatur: quod enim Hebraicè, *nahala*, id est, hæreditas, hoc apud LXX. est *cleros* innumeris in locis. Indicabo pauca de multis. Genesis 48. num. 6. *Vocabuntur in possessionibus suis.* Græcè, *sortibus*. Numerorum 16. num. 14. *Dedisti nobis possessiones agrorum.* Grecè, *sortes*. Deuteronom. 9. nu. 29. *Qui sunt populus tuus, & hæreditas tua.* Græcè, *sors tua*. Iosue 24. num. 30. *In finibus possessionis suæ.* Græcè, *sortis suæ*. Ecclesiastes 7. num. 12. *Utilior est sapientia cum divitijs.* Hebraicè, *cum hæreditate.* Græcè, *cum sortis distributione.*

40 Sortem itaque appellat Apostolus cæ-
lestem illam lucem, Gratiamque Evange
lij, qua ad supernam hæreditatē per Chri-
stum vocati sumus. Vt ad Colossens. 1.
num. 12. *Qui dignos nos fecit in partem sor-
tis sanctorum in lumine.* Occasionē meta-
phoræ dedit, quia sorte distributæ sunt
partes terræ promissionis. Deut. 1. n. 38.
Psalm. 77. num. 54. Actuum 13. num. 19.
Vnde crebrò est frequentata metaphora.
Sapientię 3. num. 14. cap. 5. n. 5. Act.
8. num. 21. & cap. 26. num. 28. De sor-
te verò in electionibus adhibita etiam ad
functiones sacras, eruditè Lorinus Act.
1. vers. 26.

Prædestinati secūdum propositum eius.

NE quis sortem aliorsum traheret,
sibiq; persuaderet, temerè, ac for-
tuitò electionem factam, sapientissimè
hoc adiecit. Vide suprà num. 5.

*Qui operatur omnia secundum consi-
lium voluntatis suæ.*

41 COnsilium & ad intelligētiam spe-
ctat, & quęstionem, ac deliberatio
nem includit: interdum tamen usurpatur
pro iudicio ipso elicito per consultatio-
nem: & à Cicerone definitur lib. 1. de In-
ventione: [Est aliquid faciendi, non fa-
ciendive, excogitata ratio.] Videatur S.
Thom. 1. 2. q. 14. art. 1. Valētia tom. 2. d.
2. q. 9. punct. 2. Azor. tom. 1. lib. 1. c. 28.
Vazquez 1. 2. d. 44. cap. 1. Salas tom. 1.
tract. 6. d. 2. sect. 1.

In Deum autem deliberatio, inquisi-
tio, aut consultatio cadere non potest: ita-
que consilium, idem est, ac decretum, seu
propositum, ratum, fixumque iudicium.
Vox Græca *bule*, & si deliberandi, consul-
tandique solicitudinem affert, sæpe ta-
men redditur à Vulgato, *voluntas*: etiam
cùm de Deo sermo est: Sap. 6. num. 5.
Actuum 13. num. 36.

42 Et verò nihil frequentiùs inculcant Sa-
crę litteræ, quàm Divina consilia à nemi-
ne impediri, aut retardari posse. Isaię 46.
num. 10. *Consilium meum stabit, & omnis
voluntas mea fiet.* Vnde & ipsum Dei con
silium dicitur *immobile*, ad Heb. 6. num.
17. *definitum*, Actuum 2. num. 23. Grę-
cè, *prædestinatum*, *statutum*: & cap. 4. n.
28. *quæ manus tua*, *& consilium tuum de-
crevérunt fieri.* Græcè *proorise*, præfinivit,
prędestinavit.

Sunt etiam, qui in hoc altissimo præ-
destinationis Divinæ consilio occultum
quiddam, & arcanum recognoscant: *So-
li enim Deo cognitus est numerus electo-
rum, in superna fælicitate locādus.* Certè in
lingua sancta eadem vox *sod*, & *consilium*
significat, & *secretum*. Lege Tolet. ad Ro-
man. 8. notatione 31. Pinedam in Iob.
cap. 15. vers. 8. Lorinum Actuum 2.
num. 23.

Numerus 12.

Vt simus in laudem gloriæ eius.

IDest, ut simus materia, & 43
seges Divinæ laudis, atque
Gloriæ. 1. Petr. 2. num 12.
*Ex bonis operibus vos conside-
rantes, glorificent Deum.* Matthęi 5. num.
16. *Glorificent Patrem vestrum*, &c. Vel
ut Divinam gloriam, tum admirando,
tum apud alios prædicando, laudibus ef-
feramus. Vide suprà num. 6. *In laudem
Gloriæ Gratiæ suæ*: & infrà num. 14. *In
laudem Gloriæ ipsius.*

Nos, qui antè speravimus in Christo.

NOs scilicet filij Abrahæ, cuius pos- 44
teritati promissus est Christus; at-
que adeò illum, tanquam verè nostrum,
cōmunione sanguinis, & iure promissio-
nis, & venturū credidimus, & multis sę-
culis expectavimus. Ad Rom. 15. n. 8. *Di-
co enim, Christum Iesum ministrum fuisse cir
cumcisionis* (idest, Apostolum, sive Lega-

tum

tum ad populum Iudæorum) *propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum: Gentes autem super misericordia honorare Deum*. Itaque Christum servatorem, & doctorem fuisse illius populi, ex quadam iustitia fuit, fundata in promissione, ac veracitate Divina. Quòd verò Gentibus etiam hoc lumen affulserit, ex gratuita fuit misericordia. Hoc nimirùm est, quod ipse respondit Chananææ Matth. 15. num. 14. *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel*: quasi dicat: non sum promissus Gentibus, ut promulgato apud illas Evangelio, editisque miraculis, eas ad fidem adducam; sed solis Israelitis. Hoc posteà inculcabant Apostoli Actuum 2. num. 39. *Vobis enim est repromissio*. Ad Roman. 9. num. 4. *Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & promissa,*

Numerus 13.

In quo & vos, cùm audissetis verbum veritatis, (Evangelium salutis vestræ.)

45 IN quo servatore Christo, vos Gentes ex Dei misericordia ad eamdem vocatæ fidem, iam etiam speratis, audito nimirùm veritatis verbo, hoc est, Evangelio, vobis salutem annuntiante.

In quo & credentes.

GRæcè *pisteusantes*, postea quàm credidistis; ut simile tempus *acusantes*, in hoc ipso versu illustravit Vulgatus, *cùm audisse tis.*

Signati estis Spiritu promissionis sancto.

46 TOtus locus est difficilis: sed illud in primis est certũ: etiam si Apostoli, nedũ cęteri fideles, repleti dicantur Spiritu sancto, plenitudinem istam non in eo consistere, quòd ipsamet persona Spiritus sancti substãtialiter cõmunicetur; sed quia Gratia iustificante, cælestibusq; donis, & charismatis cumulãtur. Vide Maldonat. Luc. 1. n. 28. Belarmin. lib. 1. de Gratia c. 3. & 8. Lorin. Act. 2. vers. 4.

Illud etiam perspicuum est, Hebraico idiomate dici, *Spiritum promissionis*, idest, promissum: sæpe enim Prophetę Spiritũ sanctum promiserunt. Isaię 44. n. 3. Ezechielis 36. n. 25. Ioelis 2. num. 28. quem citat Petrus Actuum 2. num. 17. quò alludit Paulus ad Galat. 3. num. 14. *Vt pollicitationẽ Spiritus accipiamus*. Quod adeò frequens est, ut *promissi*, vel *promissionis* nomine, Spiritus sanctus denotetur. Luc. 24. num. 49. *Et ego mitto promissum Patris mei in vos*. Act. 1. num. 4. *Sed expectarent promissionem Patris.*

Tota itaque huius loci difficultas in eo 47
vertitur, quid propriè sit, Spiritu sancti signari. Græcũ verbum *sphragizo*, est sigillum imprimere, sigillo obsignare: quod verbum usque eò placuit Apostolo, ut in eamdem sententiam duobus prætereà locis, illud usurpet: in hac epistola, cap. 4. num. 30. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis*: & 2. Corint. 1. num. 22. *Qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*. Si autẽ constiterit sigilli usus, simul etiam cõstabit, quàm aptè ab Apostolo Spiritui sancto accommodetur: & quasi lux quędam oborta, non modò præsentem locum, sed innumeros etiam alios illustrabit.

Tres sigilli usus, quantùm observare 48
potui, & in Scriptura sacra, & apud prophanos auctores deprehendo: & externis quidem testimonijs recitandis supersedebo, ne in molem crescat commentarius: indicabo tamen, ubi congesta reperiantur.

Primò igitur sigillum imprimitur ad secernendas, internoscẽdasq; res proprias ab alienis. Prophana exẽpla coacervat Põtanus ad illa Georgicorum 1. *Aut pecori ignum*. pag. 294. & Georg. 2. *continuòque notas, & nomina Gentis inurunt*. pag. 475.

Ex hoc sigilli usu interpretanda sunt illa verba Christi Ioan. 6. num. 27. *Hunc enim Pater signavit Deus*, hoc est, sigillo Divinitatis, unione hypostatica, gratia capitis penè infinita, visione beata, virtute patrandi miracula, hunc Filium hominis æternus Pater obsignavit, & à cæteris mortalibus infinito intervallo discrevit. Ad Hebr. 7. num. 26. *Segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.* Vide Riberam ad Hebr. 1. num. 12. circa illud, *figura substantiæ eius.* Græcè, *character.* Id est, nota, imagoque sigilli.

49 Ad eumdem sigilli usum respexit Apostolus 2. Timoth. 2. num. 19. *Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc* (Græcè, *sphragida*) *Cognovit Dñs, qui sunt eius.* Vide sigillo obsignatos, quos Deus vult ab alijs internosci. Apocal. 7. num. 2. Angelus ille habebat *signum Dei vivi*: Græcè, *sigillum*: & signavit servos Dei in frontibus eorum, qui deinceps *signati* nominantur: & cap. 9. num. 4. signaculo illo in frontibus impresso dignoscuntur.

50 Sic etiam secernuntur Indæi à Gentilibus sigillo circumcisionis, quæ ad Roman. 4. nu. 11. *Signaculum iustitiæ fidei* vocatur ab Apostolo: & 1. Corinth. 9. nu. 2. *Signaculum Apostolatus mei vos estis.* Id est, quasi tessera. *La divisa, y señal de mi Apostolado.* Hinc etiam modus ille loquendi transfusus in nostram linguam: *Sellar moneda.* 4. Regum 22. num. 4. *Confletur pecunia.* LXX. *Obsigna argentum.* Nisi malis, duo postrema testimonia ad alterum sigilli usum pertinere.

51 Est igitur alter usus sigilli, cùm litteris, pactis, tabulis publicis, ijs demum, quæ rata, ac firma futura sunt, impresso sigillo auctoritas, & fides conciliatur. Congerit innumera externorum exempla Brissonius, lib. 6. de Formulis pag. 571. & 572. Sed sordent humana testimonia, ubi superant Divina. Et illud Ioan. 6. num. 27. Maldonatus; illud autem ad Roman. 4. num. 11. Toletus, ad hunc referunt sigilli usum. 3. Regum 21. numero 8. *Scripsit itaque litteras ex nomine Achab, & signavit eas annulo eius.* Esther 8. nu. 8. *Hæc consuetudo erat, ut epistolis, quæ ex Regis nomine mittebantur, & illius annulo signatæ erant, nemo auderet contradicere.* Ierem. 32. num. 10. *Scripsi in libro, & signavi, & adhibui testes.*

Atque hinc ortum est, ut annuli signatorij magno in pretio, & æstimatione haberentur. Plinius lib. 33. cap. 1. Tiraquel. in Alexandrum lib. 2. cap. 29. suppeditant exempla prophana: divina suppetunt Exodi 35. num. 21. iuxta LXX. Esther 3. num. 10. Danielis 6. num. 17. & 3. Regum 21. nu. 8. & 1. Machabæo. 6. num. 15. Sed nonnulla perpendamus. Ieremiæ 22. n. 24. *Vivo ego dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias annulus* (LXX congruenter Hebraicæ voci, *sphragis*) *in manu dextera mea, inde evellam eum.* Aggæi 2. num. 24. *Assumam te, & ponam te, quasi signaculum, quia te elegi.* Hebraicè *cahotam.* Quasi annulum: eadem nimirum vox est, quæ Hierem. 22. num. 24. Ecclesiastici 49. num. 13. *Quomodò amplificemus Zorobabel? Nam & ipse quasi signum in dextera manu.* Græcè, *sphragis*, sigillum, sive annulus signatorius. 52

Et verò in ipsa annuli gemma solebat effigies aliqua affabrè, artificioseque cælari. Ecclesiast. 32. num. 7. *Gemmula carbunculi in ornamento auri* (Græcè *sphragis.* Editio Vaticana LXX. cap. 35. *Sigillum carbunculi*) *& comparatio musicorum in convivio vini.* Et num. 8. *Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi.* Vaticana LXX. *Sigillum. Como el sello esculpido en una piedra preciosa adorna el anillo de oro; assi la buena musica echa el sello a un esplendido banquete.* Ecclesiastici 45. n. 13. *Gemmis pretiosis figuratis in ligatura auri.* LXX. *Lapidibus pretiosis sculpturæ sigilli.* 53

Cogor, ut lucem afferam his, & alijs sacræ Scripturæ locis, ad externorum exempla divertere. Insculpebant illi in annulis imagines Principum, aut Maiorum suorum, qui familiæ splendorem illustraverant. Cicero 54

orat.

orat. 3. in Catilinam. [Ostendi tabellas Lentulo, & quæsivi, cognosceret ne signum: est verò, inquam, signum notum, imago avi tui.]

Valerius Maximus lib. 3. c. 5. ubi agit de filio Scipionis. [E manu eius annulũ, in quo caput Africani sculptum erat, detraxerunt.] Plinius lib. 37. c. 1. [Augustus Alexandri Magni imagine signavit.]

55 Hinc interpretor locum illum Cãt. 8. num. 6. *Pone me, ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Hebraicè *cahotam*. Sicut annulum signatorium. Idest, hanc legem amoris tibi fero, ut mei utaris imagine pro sigillo, eamque cordi altè infigas, imò & brachio imprimas, me unum ut semper cogites. Rectè Ambrosius lib. de Isaac, & anima cap. 8. [Signaculum Christus in fronte est, signaculum in corde, signaculũ in brachio; in fronte, ut semper confiteamur; in corde, ut semper diligamus; in brachio, ut semper operemur.]

56 Hinc etiam illustratur locus ille Ezechielis cap. 28. num. 12. *Tu signaculum similitudinis.* Vox Hebraica, ut observat ibi Maldonatus, imaginem, picturamve significat: quasi dicat: tu sigillum, in quo absolutissima principis imago, perfectissimumque fælicitatis exemplar insculptũ erat. Hoc est, quod subiungit, *plenus sapientia, & perfectus decore.*

57 Ex hoc itaque sigilli usu, quo instrumẽta publica efficiebantur authentica, explico locum Pauli ad Roman. 15. num. 28. ubi agit de eleemosyna, & collatione facta in pauperes Sãctorum. *Hoc igitur cum consummavero* (idest, cùm expeditionem hanc confecero, sanctisque eleemosynas detulero) *& assignavero eis fructum hũc.* Græcè, *sphragisamenos, sigillo obsignavero.* Vbi pronomen *eis*, ut adverterunt Chrysostomus, & Theophilactus, non refert accipientes stipem, sed conferentes. Sensus itaque est: cùm ex Dei debitoris syngrapha, eius chirographo munita, sigilloque obsignata, uberrimum huius benignitatis fructum illis in cælesti thesauro, quasi in tuto reposuero. Nimirùm *fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.* Prov. 19. n. 17.

Illustratur hæc intelligẽtia ex verbis illis Eccles. 17. n. 18. *Eleemosyna viri, quasi signaculum cum ipso.* Fœdum in hunc locũ mendum irrepserat. Sciolus videlicet aliquis, cùm non perciperet, quorsum hîc *signaculum* spectaret, & Christum hortãtem audijsset Luc. 12. num. 33. *Date eleemosynam; facite vobis sacculos, qui non veterascunt*; pro signaculo sacculum obtrusit: *eleemosyna viri, quasi sacculus cum ipso.* Sed iam sublatus est error, & correctus Latinus codex ex Græco textu: in quo *sphragis*, idest, *sigillum*, constantissimè legitur: & sensus mirificus efficitur. *Eleemosyna viri est, quasi Dei syngrapha*, ipsius sigillo obsignata, ex qua cum ipso Deo ex iure agere, eumque, tanquam debitorem, ad solutionem creditæ pecuniæ possit obligare. Fidelis enim est, ac verax Deus, & (ut ibidem subdit Ecclesiasticus) *Gratiam hominis, quasi pupillam conservabit.*

59 Ex eodem sigilli usu facilè exponentur difficilia illa Præcursoris verba, Ioan. 3. num. 33. *Qui accepit eius testimonium, signavit, quia Deus verax est.* Græcè, *esphragisen*: & sensus est: qui Christi recipit testimonium, eo ipso testatur, & quasi suo chirographo, & sigillo profitetur, Deum esse summè veracem.

60 Tertius denique sigilli usus, isque frequentissimus, ad obsignanda; idest, claudenda, & obseranda ea, quæ diligẽter recondita, & asservata esse oporteret. Sæcularia testimonia petes è Radero in Martialem lib. 9. epigrammate 68. sacra, quia longior fui, tantùm indicabo. Deuteron. 32. num. 34. Danielis 6. num. 17. & cap. 14. num. 13. Cantic. 4 num. 12. Iob 9. n. 7. & cap. 14. num. 17. Matth. 27. num. 66. Ecclesiast. 22. num. 33. Apocalyp. 5. num. 1.

Illius fortasse loci sensus parùm attentum lectorem prætervolaret; Ecclesiast. cap. 42. numer. 8. *Super mulierem nequam bonum est signum.* Græcè, *sphragis*:

monet enim, uxorem improbam, & laſcivam, domi quaſi ſigillo obſignandam, & ſeris appoſitis cuſtodiendam.

61 Ex hoc ſigilli uſu ductus eſt creber ille modus loquendi in ſacra Scriptura, cùm liber, viſio, aut Prophetia dicitur obſignari: quia illius intelligentia non eſt tam citò aperienda. Propterea enim ſignari ſolet liber, aut epiſtola, ut à nemine legatur. Iſai. 8. num. 16. *Liga teſtimonium, ſigna legem.* Et cap. 29. num. 11. *Erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati.* Daniel. 12. num. 4. *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum uſque ad tempus ſtatutum.* Contrà verò vetat Angelus obſignari librum Apocalypſis, cap. 22. numero 10. *Ne ſignaveris verba prophetiæ libri huius.* Cauſamque ſubnectit: *tempus enim propè eſt.*

62 Sed iam eò redeamus, unde defleximus. Exiſtimo, Apoſtolum in his verbis, *ſignati eſtis Spiritu promiſſionis Sancto*, ad omnes ſuprà memoratos ſigilli uſus reſpexiſſe. Eius proinde ſententiam eſſe: tanquam proprium Dei peculium, gratia Spiritus Sancti, velut ſigillo, obſignati eſtis, quo ab hominibus alienis à fide internoſcamini: ipſaque gratia eſt authenticum chirographum, Dei ſigillo munitum, ex quo tenetur ipſe Deus obligatione iuſtitiæ, æternam vobis vitam retribuere. Eſt item ſignaculum firmum, quo in diem redemptionis clauſi, obſignatique ſervamini. Clauſi quidem, quia *vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*, ad Coloſſenſ. 3. num. 3. *Nondum apparuit, quid erimus.* 1. Ioan. 3. num. 2. ſed obſignati etiam, & muniti. 1. Petri 1. num. 5. *In virtute Dei cuſtodimini.* Græcè, *en dynami*, id eſt, in robore, ac potentia Dei. Vox autem Græca *dynamis*, & Latina *virtus*, Spiritum Sanctum attributione quadam repreſentat. Lucæ 24. num. 49. *Vos autem ſedete in civitate, quouſque induamini virtute ex alto.* Vbi *virtutem* appellat Spiritum Sanctum, ut auctor eſt Maldonatus: quia nimirùm de illo, tanquam de armis, in quibus virtus, roburque conſiſtit, loquebatur. Actuum 1. num. 8. *Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus Sancti in vos.*

Qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.

63 GRæcè *Arrhabo.* Et obſervant communiter interpretes, pignus dari in mutuo; arram verò, in contractu emptionis: eſt enim pars pretij perſolvendi. Hiſpanè, *la ſeñal.* Atq; hinc deducit S. Thomas lect. 5. magis propriè Spiritum Sanctum appellari *arram*, quàm *pignus*: nam illa datur ex ipſo pretio; & tempore præfinito non aufertur, ut pignus: ſed quod reliquum erat ſummæ, numeratur. Sic gratia, & charitas viæ *nunquam excident.* 1. Corinth. 13. num. 8. ſed ſolutionis tempore in Patria perficientur.

64 Verum quidem eſt, quod advertit idē S. Thomas 2. Corinth. 1. lect. 5. hanc arram, id eſt, gratiam Spiritus Sancti, virtute valere tantùm, quantùm ipſa valet gloria. Et propterea fortaſſe pignus Latinè effertur à Vulgato, 2. Corinth. 1. nu. 22. & cap. 5. num. 5. cùm utrobique Græcè legatur *arrhabo*: quia id, quod oppignoratur, aut æquè, aut plùs valere ſolet, ac ipſa pecunia, quæ mutuò accipitur.

Et quidem gratia, ius eſt ad gloriam, participatio quædā divinæ naturæ, adoptio filiorum Dei: eſt *ſemen gloriæ*, quæ in gratia, quaſi in radice, continetur, 1. Pet. 1. num. 23. & 1. Ioan. 3. num. 9. *Eſt fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, Ioan. 4. nu. 14. Aqua enim tam altè aſcendit, quàm altus eſt locus, unde deſcendit: & quia fons iſte gratiæ de cælo deſcendit, ideò aquæ eius ad cælum uſque pertingunt.

65 AEgrè ſoleo Scripturæ intelligentiam ex prophana eruditione venari. Sed lego apud Plinium lib. 33. cap. 1. receptam fuiſſe conſuetudinem, ut pro arra daretur annulus in emptione, quouſque pretium ſolveretur. Idque ex iure civili probat Briſſonius lib. 6. de Formulis pag. 571. Fortaſſe conſuetudo originem traxit ex Geneſis 38. n. 18. *Quid tibi vis pro arrhabone? annulū tuū.* Si ergo fideles, Spiritu Sācto,

tanquam

tanquã ſigillo, & annulo Dei ſignatorio, erant obſignati, arram profectò habebant ipſius Dei. Et valde ſimile vero eſt, Apoſtolum ad hanc conſuetudinem alluſiſſe. Certè utrumque etiam coniunxit 2. Corinth. 1. num. 22. *Qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.*

In redemptionem acquiſitionis.

66 VTraque vox explicatu difficilis eſt: ſed priùs poſteriorem exponamus. *Acquiſitio*, Græcè, *peripieſis*, propriè ſignificat actionem ipſam acquirendi. 1. Theſſalonicenſ. 5. num. 9. & ad Hebræos 10. num. 39. ſed hîc uſurpatur ab Apoſtolo pro *acquiſita poſſeſſione*. Sic interpretantur Græcam vocem Eraſmus, Tigurina, Pagninus, & interpres OEcumenij. Eſt autem hęc poſſeſsio populus peculiaris, ſingulariter à Deo electus. Pſalm. 134. num. 4. *Iacob elegit ſibi Dominus, Iſrael in poſſeſsionem ſibi.* Theodoretus ex Symmacho: *in ſelectum quiddam ſibi.* Hebraicè *cegula*: cuius vocis vim expendi Malachiæ 3. nu. 17. Eſt autem *cegula* peculiũ ſelectiſsimum, theſaurus maximè pretioſus, & unicè dilectus. Vulgatus vertit apud Malachiam. *Erunt mihi in peculium.* Reddiderãt LXX. *peripieſin.* Expreſsit Latinè editio Vaticana LXX. *Erũt mihi in acquiſitionem.* Ad quem locum Malachię iuxta LXX. omnino mihi perſuadeo, reſpexiſſe Petrum epiſtola 1. cap. 2. num. 9. (qui locus maximè præſentem illuſtrat) *laos is peripieſin.* Quis non agnoſcat ipſiſsima Malachiæ verba? Quis non videat phraſim alienam à Græca linguâ, deductam ex Hebraica, ut advertit ibi Eraſmus? Diſſolvit Vulgatus, & explicuit Hebraiſmum: non enim extulit verbum è verbo, *populus in acquiſitionem*, ſed *populus acquiſitionis.*

67 Itaque perſpicuè conſtat, idem eſſe Græcè *peripieſin*, Latinè *acquiſitionem*, quod eſt apud Hebræos *cegula*: ſed eam vocem frequentiùs ſic illuſtrant LXX. *laos periuſios.* Exodi 19. num. 5. Deuter. 7. num. 6. cap. 14. num. 2. cap. 26. num. 18. Vulgatus reddere ſolet, *peculium*, aut *populus peculiaris.* Eadem tamen verba expreſſa ab Apoſtolo ex LXX. ad Titum 2. num. 14. vertit ibi Vulgatus, *populum acceptabilem.*

Hunc igitur acceptabilem, & peculiarem populum, hanc ſelectiſsimam, & chariſsimam Dei poſſeſsionem intelligit hîc Apoſtolus: quam meritò *acquiſitionem* vocat, quia eam Chriſtus *acquiſivit ſanguine ſuo*, Actuum 20. num. 28. Græcè *peripieſen*: unde ipſa vox *peripieſis* derivatur, ut omnia mirificè conſonent.

68 Sed iam, quę futura ſit redemptio huius acquiſitionis, videamus. Facem mihi præfert ipſe Apoſtolus cap. 4. num. 30. *In quo ſignati eſtis in diem redemptionis.* Non dubium, quin de eadem redemptione utrobique ſermo ſit: in cuius diem Spiritu Sancto obſignatos eſſe fideles, aſſeverat. Ego hic redemptionis nomine intelligo reſurrectionem futuram in die Iudicij univerſalis. Et mihi videor poſſe id, & Scripturæ teſtimonijs, & ratione confirmare. Lucę. 21. num. 28. *Levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Etſi enim copioſiſsimè perſolutum eſt à Chriſto in ara Crucis pretium redemptionis noſtrę: conſummatus tamen fructus eius redemptionis, tunc omnino percipietur, cùm *noviſsima inimica deſtruetur mors.* 1. Corinth. 15. num. 26. Tũc enim anima non ſolùm à peccato, ut in hac mortali vita; ſed & corpus à morte, & corruptione; & corpus, & anima ab innumeris miſerijs, ac malis, omnibuſque peccati effectis liberabuntur. In quo perfecta redemptio conſiſtit.

69 Hinc illuſtratur locus obſcurus ad Roman. 8. num. 23. *Nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes.* Si adoptio Filiorum Dei gratia iuſtificante continetur, qui eam copioſiſsimè recepit, qui primitias habet Spiritus Sancti, quomodò adhuc expectat adoptionem? Sed agit de adoptione conſummata, glorificato etiam corpore. Sic ſe ipſum explicat

Apoſto-

Apostolus, continuò subiungens. *Redemptionem corporis nostri.*

Numerus 15. & 16.

HOs versus prętermitto, & quia perspicui sunt, & quia eadem ferè sententia est, verbis paululùm immutatis ad Colos. 1. num. 3. & 4.

Numerus 17.

Vt Deus, Domini nostri Iesu Christi Pater, gloriæ.

70 OBscurat hęc verba hyperbaton, Apostolo nō infrequēs: ita nimirùm connectenda sunt: *vt Deus gloriæ* (id est, gloriosus) *Domini nostri Iesu Christi Pater.* Est enim usitatus Hebraismus, quo gignendi casus appositi vicem gerit. Nec longè abierimus, ex hoc ipso nomine *doxes* exempla proferamus. Vulgaris est ille loquendi modus in Scriptura, *Solium gloriæ, thronus, aut sedes maiestatis.* 1. Regum 2. num. 8. Ecclesiast. 47. num. 13. Isaię 22. num. 23. Ieremię 14. num. 21. cap. 17. num. 12. Matth. 19. num. 28. & cap. 25. num. 31. quibus in locis Hebraicè subest *Cabod*; Gręcè, *doxes*: & nihil aliud significatur, nisi quod soluto Hebraismo Vulgatus expressit Ecclesiast. 40. num. 3. *Super sedem gloriosam.* Sic Ecclesiastici 45. num. 9. *Circumcinxit eum zonā gloriæ*, id est, ornatissima: & cap. 47. num. 7. *In offerendo illi coronam gloriæ.* Id est, honorificā. Et cap. 50. num. 8. *Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ*, id est, splendidas.

Itaque *Deus gloriæ*, idem est, ac omni gloria celebrandus, omni laude, & honore dignissimus: neque est insolens Hebraismus. Psalm. 28. num. 3. *Deus maiestatis intonuit.* Gręcè, *doxes.* Actuum. 7. numero 2. *Deus gloriæ.* 1. Cor. 2. num. 8. *Nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Det vobis spiritum sapientiæ, & revelationis in agnitione eius.

VT Deus, *qui dixit*, (id est, iussit) *de tenebris lucem splendescere, ipse illucescat in cordibus vestris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei*, (id est, ut tam eximio splendore vobis oborto, claram, & illustrem Dei notitiam percipiatis) *in facie Christi Iesu.* 2. Corinth. 4. nu. 6. hoc est, per Iesum Christum, qui facies est Patris: sine Christo enim Pater non cognoscitur. Matth. 11. num. 27. *Neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Ioan. 17. num. 6. *Manifestavi nomen tuum hominibus.* 71

Numerus 18.

Illuminatos oculos cordis vestri.

MIrum, cur Vulgatus vocem *dianias*, verterit *cordis*, cùm propriè significet *intellectū.* Sed in primis subest in plerisque Gręcis exemplaribus, nominatim in Regijs, *cardias*: deinde, quod ad sensum attinet, utraque vox affinis est, & utraque coniungitur Lucæ 1. num. 51. *Mente cordis*: & 1. Paralipom. 29. num. 18. *Voluntatem cordis*: & una vox identidem usurpatur pro altera: & LXX. vocem Hebraicam *leb*, id est, *cor*, sępissimè reddiderunt Gręcè, *diania.* Genes. 17. num. 17. cap. 24. num. 45. & sexcentis alijs locis. 72

Commodissimè itaque vertit Vulgatus. Nam cor apud Latinos, mentem, intelligentiamque significat: unde prudentes homines dicuntur *cordati*; fatui autem, væcordes, aut excordes. Et vir prudentissimus *corculum* vocatur à Cicerone Tusculana 1. Vnde illa loquutio in Scriptura creberrima, *apponere cor*, aut *ponere super cor*: cùm quidpiam alte defigendum est in animo, & accurata cogitatione perpendendum.

Vt sciatis, quæ sit spes vocationis eius, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis.

73 VErè opus est illuminato fidei oculo ad informanda animo cælestia illa bona, ad quæ fruenda vocati sumus: quæ reposita nobis in cælo, tandem aliquando nos adepturos speramus: superat humanum captum opulenta illa hæreditas, parata filijs. Et sicut ad intuendum clarè Deum, opus est lumine gloriæ elevante intelligentiam; sic ad concipiendum hoc sublime præmium, peculiari quadam illustratione cordis indigemus. 1. Corin. 2. num. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus ijs, qui diligunt illum. Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* Scio, sensum litteralem huius loci esse de mysterio Incarnationis, & passionis Christi, ut cōstat ex Isaiæ 64. num. 4. unde citat Apostol⁹. Omnino enim nō caderet in ullius, non modò hominis, sed ne Angeli quidem suspicionem, nisi Deus ipse revelasset, eò usque progressuram Dei benignitatem, ut humanam naturam sibi copularet, & in ea mortem probrosissimam subiret. Sed scio etiã, Leonem Castrium in eo Isaiæ loco pressum auctoritate Magni Dionysij, qui hæc verba exponit de cælesti beatitudine, cui etiam plerique Patres adstipulantur, duos sub eisdem verbis sensus litterales agnoscere, & profiteri.

74 Inclinarem in hanc sententiam, si necessitas cogeret: sed facilius mihi videor posse hunc nodum expedire. Existimo enim, Isaiæ verba eodem unico sensu litterali utrumque mysterium comprehendere. Testatur Isaias, Deum ab æterno in hominum gratiam ea facere decrevisse, quæ naturalem omnem intelligentiam longè superarent: quis dubitet, cùm in communi loquatur, & nihil sit, quod restringat, coarcti etque sententiam, eum divina in homines beneficia, inter se aptè connexa; sed in primis horum beneficiorum caput, ac fontem, Christum; deinde, quæ ab ipso derivantur, ad iustificationem usq;, & glorificationē cōprehēdere voluisse? Siquidem ipsa etiã glorificatio omnem transcendit intelligentiam. 2. Corinth 4. num. 17. *Supra modum in sublimitate æternũ gloriæ pondus, &c.* Græca vertas verbũ è verbo: *secundũ hyperbolem ad hyperbolē* Regia. *Secũdum excellentiam in excellẽtiã* Hęc conduplicatio exprimit epithasim vehementem, quam nullus sermo Latinus assequi possit. Elaborant Interpretes in ea explicanda. Pagninus, & Vatablus. *Mirè supra modum.* Erasmus, Clarius, & Caietanus, *insignitè, eminenter, & excellenter supra modum.* Itaque nihil aliud sibi vult Apostolus, quàm insigniter insignẽ, & egregiè egregiam glorię præcellentiam declarare. 75

Numerus 19. & 20.

Et quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis eius. Quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis.

76 ENumerat Apostolus excellẽs aliud, arcanum, & supereminens Divinæ potestatis opus, nempe iustificationem impij: quæ totam item naturæ vim superat, Dei omnipotentiam requirit, ac mentis aciem omnino fugit. Ad quam proinde penetrandam, illuminatis opus est oculis: elucet enim in iustificatione impij tanta vis, tanta Divinæ potestatis magnitudo, ut non sit inferior illa potente efficacitate, qua Christum à mortuis excitavit. OEcumenius. *Maximæ re vera Dei virtutis, Deique potentiæ indicium est, quòd nos adeò efferi, atque immanes in Deum crediderimus, cælestiaque philosophemur. Quam verò dicis efficaciam exercuisse in nos, ut*

crederemus? Eam sanè, quã in Christo etiam, cùm eum à mortuis suscitaret, exercuit. Hactenus O Ecumenius.

77 Sed longiùs processit Gregorius lib. 3. Dialogorum, cap. 17. *Si invisibilia pensamus, nimirùm constat, maius esse miraculum, peccatorem convertere, quàm carne mortuũ excitare.* Chrysostomus etiam exponens verba illa Matth. 9. nu. 5. *Quid est facilius, dicere: dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: surge, & ambula?* Homil. 30. ait. *Quãtò anima præstantior est corpore, tantò maius est peccata dimittere, sanatione.*

78 Prævolat Augustinus tract. 72. in Ioãnem, non quidem sine aliqua dubitatione, ut fuit vir in sustinendo iudicio miræ prudentiæ; sed ut facilè appareat, in eamdem propendere sententiam, ut asserat, maioris esse virtutis, ac potẽtiæ, iustificare impios, quàm creare iustos, & mundum universum condere. Sequuntur Augustini sententiam Maldonatus, Matthæi 9. num. 5. & Lorinus Actuum 9. num. 19. Ratio verò, quam in illo tractatu reddit Augustinus, tradita posteà est à S. Thom. 1. 2. quæst. 113. artic. 9. ad tertium. *Quia bonum gratiæ* (inquit) *maius est, quàm bonũ naturæ totius universi.* Effectus enim iustificationis, est bonum quoddam ęternum ordinis superioris, nimirùm participationis Divinæ: quod longè excellentius, atque sublimius est, quàm effectus creationis. August. verba sunt. *Prorsus maius hoc esse dixerim, quàm est cælum, & terra, & quæcumque cernuntur in cælo, & in terra.* Et lib. 2. ad Bonifacium, cap. 6. *Gratia Dei, non solùm omnia sydera, & omnes cælos, verùm etiam omnes Angelos supergreditur.*

79 Alteram rationem innuit Theophilactus in commentario huius loci. Vel simpliciſsimo Divinæ voluntatis nutu, nedum imperio, Vniversum conditum est: nihil est in natura, quod iubenti Deo refragetur: unica Christi voce suscitatus est Lazarus. At, cùm ad iustificationem liber exigatur peccatoris consensus, pro innata libertate sæpe obstinatus, præfractusque, reluctatur, & obnititur, Deumque vocãtem ludificatur. Verba Theophilacti sunt. *Tantæ est virtutis* (scilicet, ad fidem, gratiamve convertere) *quantam ne mortuorum quidem excitatio postulat: mortuos nãque uno tantùm verbo excitavit Dominus: Iudæis autem ne multis quidem concionibus, & admirabilibus signis persuasit.*

Vide, quanta potentia opus sit ad ob 80
firmatum animum flectendum. Atque hæ quidem rationes solidæ sunt. Illa verò, quam affert Toletus in cap. 5. Lucæ notatione 47. quòd in iustificatione creatio quædam interveniat, quia gratia creatur in anima, benigna interpretatione indiget. Vide infrà cap. 2. nu. 10.

Numerus 21.

Et constituens ad dexteram suam in cælestibus, supra omnem Principatum, & potestatem, & virtutem, Dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro.

EXposui hęc verba ad Colos. 3. n. 1. 81
Vbi Christus est in dextera Dei sedens. Et cap. 1. nu. 16. *Sive throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive potestates, &c.*

Et quidem assentior Hieronymo existimanti, Apostolum hos ordines cælestium spirituum ex Maiorum traditione, vel ex Scripturis subtiliùs intellectis didicisse. Sed non abnuerem asserenti, pernotuisse Paulo, cùm raptus est in tertium cælum, cùm beatissimas illas arces non cogitatione solùm, sed videns, præsensq; lustravit: *cùm audivit arcana verba.* 2. Corinth. 12. nu. 4.

Nomen verò accipit hîc pro persona quavis excellente, sive humana illa sit, sive Angelica: & sensus est. Sive quod aliud est hominum, aut cælestium spirituum dignitatis, & excellentiæ nomen, aut officium, nobis ignotum. Redolet

Hebraïs-

Hebraismum Genes. 6. nu. 4. *Gigantes viri famosi*. Hebraicè, *viri nominis*. LXX. verò frequenter *onomastùs*, id est, *nominatos*, viros vocant celebres, & illustres.

Numerus 22.

Et omnia subiecit sub pedibus eius.

82 Itat Apostolus hæc verba ex Psalm. 8. nu. 8. &, ut ego quidem arbitror, in sensu primario, & historico citat. Verba illa eiusdem Psalmi num. 3. *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem*, citantur etiam à Christo Matth. 21. num. 16. ad obstruendum os obtrectantium Sacerdotum, & Scribarum. Et pleraque sunt in illo Psalmo, quæ de homine universè dici verè non possunt, sed tantùm conveniunt Christo: & quia in illo sublimata est humana natura, quia frater noster, os nostrum, & caro nostra est, possunt in universum de homine pronuntiari. Non vacat premere singula: hæc verba duntaxat expẽdamus. Ac primò quidem non arbitror, sermonem esse de calceatione illa hostili, qua victores omnes devictis, prostratisque hostibus colla proterebant. Psalmo 109. num. 1. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Vide, quæ adnotavi Malac. 4. nu. 3.

83 Deinde, quamvis de primo homine legamus Genes. 1. num. 26. *Præsit piscibus maris, & volatilibus cæli*: sed, ut doctè advertit Ribera ad Hebræos 2. num. 12. aliud est, præesse animantibus, & aliud longè excellentius, animantes ipsas sub pedibus subijci: illud quidem præstantiam, & præeminentiam indicat naturæ; hoc autem, despoticum dominium affert: neque enim sub pedibus subiecta habemus, nisi ea, quibus arbitratu nostro utimur, quibusque ad nutum imperamus: quod mortalium omnium, nisi Christo, contigit nemini. Ne ipse quidem Adam, etiam tunc, cùm originali iustitia florebat, eam potestatem habuit, ut cùm vellet, ferociores aves liberè volitantes ad se vocaret; aut ex imo mari pisces vastissimos deduceret. Lege S. Thom. 1. P. q. 96. art. 1.

Accedit, quòd Propheta disertè asse- 84
rit: *omnia subiecisti sub pedibus eius*: & Apostolus cælesti instinctu Regium vatem exponens, signum illud universale nullatenus restringendum esse ait; sed in latissima sua significatione ita accipiendum, ut præter Deum ipsum subijcientem omnia, nihil omnino ex tota rerum universitate excluſum esse intelligatur. 1. Cor. 15. num. 27. *Cùm autem dicat: omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia*. Et ad Hebr. 2. num. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius: in eo enim, quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei*. Itaque omnes illę supremæ Intelligentiæ, etiam flagrantissimi Seraphini, ad huius hominis Christi provoluti pedes, ex eius nutu pendentes, & promptissimè obtemperantes sunt. Agere enim hic Apostolum de Christo, quatenus homo est, notius est, quàm ut probatione indigeat. Atq; ex isto loco solidè probant Theologi, habuisse Christum per se, & directe, excellens quoddam dominium, & potestatem in omnes res creatas. Vide Suarez tom. 1. in 3. P. d. 48. sect. 2.

Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.

EXplicavi hoc ad Colossens. 1. nu. 18. Hìc verò iterum, atque iterum inculcatur ab Apostolo cap. 4. num. 15. *Qui est caput Christus*: & cap. 5. num. 23. *Sicut Christus caput est Ecclesiæ*. Res est communiter à Theologis tractata cum S. Thom. 3. P. q. 8. artic. 6. Vide Suarez disp. 23. sect. 1. & Vazquez disp. 48. capite 1.

Numerus 23.

Quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.

85 NOn dubito, quin Græca illa, *Tu panda en pasi plerumenu*, Latinus Interpres aliter vertere potuisset. Est enim participium mediæ vocis, ut vocant, quod activè, vel passivè possis interpretari. Atque, ut constat ex Augustino lib. 22. de Civitate cap. 18. qui activè legit, *adimplet*, in ipsos etiam Latinos codices irrepsit nonnulla diversitas: sed quando Vulgatus passivè vertit, &, ut fatentur ipsi nostræ Editionis momi, rectè vertit; non versio aliqua nova, sed veteris versionis congrua interpretatio quærenda nobis est.

86 Cupit Apostolus vehementer, nos omnes ad Christum adducere. Ponit sæpe ob oculos cognationem nostram, vel potiùs unitatem mysticam cum Christo, eximiáque dignitatem inde redundantem, quò nostram fiduciam excitet: si enim attentè perpendamus, cuius capitis facti simus membra, magna cum spe cælestium donorum influxum postulabimus, & quasi iure nostrum requiremus. Asserit itaque, Ecclesiam corpus esse mysticum huius capitis; & insuper, esse *plenitudinem illius*, id est, integritatem, perfectionem, & quasi complementum. Quia, sicut caput membra, sic membra caput ipsum perficiunt: non enim perfectum corpus est, nisi caput, & membra, inter se unita, & arctissimo nodo colligata reperiantur: nam si solum extaret ipsum caput, & careret membris, quæ illud exornarent, in quæ influeret: si hic non esset pes; ille, manus; hic, pectus; ille, collū; esset quidem caput, quod ad se attinet, prorsus independens, augustissimū, divinissimumque; sed qua ratione caput est, corpusq; cōstituit, esset, ut ita loquar, mancū, & mutilum: *corpus enim est plenitudo capitis: & per omnia* (desideratur enim Græcè ex cōsueto Atticismo præpositio *cata*, id est, *per*) *in omnibus suis membris adimpletur*, perficitur, & integratur. Hūc arbitror germanum esse Apostoli sensum: sed nō sine cęlesti instinctu, usus est Græcè participio illo medio, ut videlicet significaret id, quod perspicuū per se erat, ita hoc sacratissimum caput compleri, ac perfici per membra, ut simul ipsa membra, nō quoad integritatem tantùm, sed quoad vitam ipsam, & influxum, ex huius capitis plenitudine in omnibus, & per omnia adimpleātur, & perficiantur. 87

Tota hęc explicatio potest illustrari ex 1. Cor. 12. n. 12. & 14. *Nā & corpus nō est unū mēbrū, sed multa.* Et n. 27. *Vos autē estis corpus Christi, & membra de membro.* Et in hac epistola c. 4. nu. 12. *In ædificationē corporis Christi.* Ad Colos. 1. nu. 24. *Pro corpore eius, quod est Ecclesia.*

CAPVT II.

Numerus 1.

HVnc versum exposui ad Colos. 2. num. 13.

Secundum sæculum mundi huius.

COnfundūtur sæpe duo hęc vocabula apud sacros Scriptores, sint licèt in se diversa, si utriusque origo, & proprietas spectetur. Mundus enim, ab ornatu dictus, cælum, terramque complectitur, & quidquid cæli ambitu coercetur: sæculum autem temporis successiones, & singulorum hominum ætates, aut etiam mundi ipsius fluxam durationem denotat. Exempla passim obvia. Vtraq; tamen vox, non solum pro mundi mole (sic enim sumitur & sæculum ad Hebr. 11. n. 3.) sed etiam in malam partem pro mundanis, sive hominibus, sive rebus usurpatur. Ad Galat. 1. num. 4. *Vt eriperet nos de præsenti*

sæculo nequam. Ad Romanos 12. num. 2. *Nolite conformari huic sæculo* (Græcè, *configurari*) *prætèrit enim figura huius mundi*, 1. Corinth. 7. num. 31. Et qui fugacia, ac citò peritura consectatur, eamdem figuram induit, sæculo ipsi labenti configuratur: nam cùm animo sit æternus, & ad immortalitatem natus, moribus tamen inconstans, & fragilis efficitur. 2. Petri 2. num. 20. *Refugientes coinquinationes mundi.* Iacobi 1. num. 27. *Immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Græcè, *cosmu*, id est, mundo: usque eò certum est, unam vocem usurpari pro altera.

Secundum Principem potestatis aeris huius.

2 COncors est Expositorum sententia, huius Principis nomine diabolum denotari: cuius videlicet instigatione mundani in scelera præcipites ruūt. Confirmat hanc expositionem vox, quæ adiungitur, *exusia*: quæ non potentiam, ut *dynamis*, sed ius, auctoritatem, potestatemque significat. Et verò dæmon, Princeps huius mundi à Christo nominatur, Ioan. 12. num. 31. non quòd legitimo iure Principatum obtinuerit, sed quia illum per tyrannidem occupavit: etiam postquàm eiectus est foras, & iniqua possessione deturbatus, homines ipsi defectionem à Christo, & deditionem dæmoni ultro moliuntur. Appellantur quidem dæmones *Potestates*, vel *Principes*: Græcè *exusiæ*, Luce 22. num. 53. ad Colossens. 1. nu. 13. & cap. 2. num. 15. ad Ephes. 5. num. 12. sed *potestates tenebrarum*: quia tenebris illis exterioribus sunt addicti, ad easdem tenebras homines pertrahunt; eisdemque interiores cæcitatis, & ignorantiæ tenebras offundunt. 2. Corinth. 4. num. 4. *In quibus Deus huius sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelij.* Vide potestates tenebrarum cimmerijs tenebris obscurantes animos mundanorum: vide, non modò Principē, sed etiam Deum huius mundi vocari dæmonem. Nō me fugit, Tertullianū lib. 5. contra Marcionem, aliter hæc verba dispūgere, & explicare. [Nos, inquit, sic distinguendum dicimus: in quibus Deus, dehinc; ævi huius excæcavit mentes infidelium.] Desumpsit hanc distinctionem, (ut observavit Pamelius nu. 183.) ex Irenæo lib. 3. cap. 7. Sed neque ipse in ea acquiescit Tertullianus; & Augustinus, lib. 2. contra Faustum, cap. 1. & 9. acutè concludit, nihil absurdi esse, diabolum vocari Deum huius sęculi, cùm dictum sit etiam ab Apostolo, ad Philipp. 3. num. 19. *Quorum Deus venter est.*

Sed cur Princeps dicitur huius aeris? 4
Crediderim, mediam istam aeris regionem, in qua venti, turbines, & impressiones ignitæ generantur, propriam sedem esse illorum dęmonum, qui sunt ad oppugnandos homines destinati. Vide infrà, cap. 6. num. 12. Nam adhuc nondum esse penitus contrusos omnes dęmones in tenebricosum illum Inferorum carcerem, videor mihi apertè colligere ex Scriptura. Lucæ 8. num. 31. *Rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent.* Significat abyssus, infinitæ profunditatis voraginē; quasi *absque fundo*: nam *byssa* Græcè, fundum est. Accipitur autem hîc pro ipso Tartaro, qui commodè abyssus appellatur, quòd in profundissimis terræ visceribus ita reprobos penitus absorbeat, ut Chaos magnum interiectum sit, neque inde possint unquam remeare. Apocalyp. 20. num. 3. *Et misit eum in abyssum, & clausit, &c.*

Spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ.

QVi scilicet Princeps mundi, spiritus 5
est, miram efficacitatem habens ad flectendum, quò velit, filios contumaces, & incredulos.

Miror, quid occulti in voce *Spiritus*, cùm Græcè sit vox communissima *pneuma*, suboluerit Caietano, ut ex ea no-

va portenta Platonica, vel potius iam antiquata, explosaque confingat: & dæmones præditos esse corpore quodam subtili, & æthereo comminiscatur. Nihil in sacræ Scripturę explicatione periculosius, quàm indulgere intemperãter ingenio. Sed benè habet. Satis erit negocij Caietano cum suo Catharino.

6 Quærit Basilius in Regulis breviorib⁹, interrogatione 268. quo sensu appellantur quidam filij contumacię? Sic effert Basilij Interpres Græcam vocem, quã Vulgatus *diffidentiam, & incredulitatem*, reddere solet. Respondet Basilius, fortasse dæmonem, cùm summè contumax sit, atque præfractus, ipsam contumaciam nominari: ut perinde sit filios contumaciæ, ac filios diaboli, dicere.

Expeditior alter est, quem etiam ibi tradit, solvendi quæstionẽ modus. *Cõtumaciæ filius efficitur, qui opera, quæ contumaciæ sunt, exercet.* Vulgaris is est Hebraismus. Illud verò est observandum, Græcã vocem *apithian*, non minùs spectare ad exprimẽdam obstinationem mẽtis, quàm rebellionem, & contumaciam voluntatis. Vide ad Colossens. 3. num. 6.

Numerus 3.

In quibus & nos omnes aliquando cõversati sumus in desiderijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum.

7 HOc videlicet est, quod operatur dæmon in filijs contumacib⁹: ut quasi excusso Rationis iugo, & spreto pudoris freno, laxissimas habenas carnis voluptatibus, appetitionibusque remittant. Sed perpende miram animi demissionem in Apostolo, qui se ipsum coniungit cum hominibus Ethnicis, & in omni flagitiorum cœno volutatis.

Basilius quærit interrogatione 269. [Nũquid voluntates aliæ carnis sunt, aliæ cogitationum?] Respondet ipse, & Hieronymus hîc, duo peccatorum genera distinguentes: quædam enim sunt obtusiora, atque crassiora, veluti voracitas, ebrietas, libido: quæ carni adscribit ipse Apostolus, ad Galat. 5. numer. 19. Alia spiritualiora sunt, veluti hęresis, sinistra, & violenta Scripturæ interpretatio: & hæc vocantur peccata mentis.

Et eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.

FIlius iræ est aliquis (inquit Basilius interrogatione 268.) quatenus se ira dignum reddidit] Idiomate illo Hebraico, 2. Reg. 12. num. 5. *Filius mortis est vir, qui fecit hoc*, ideſt, mortis sententia feriendus. Matthæi 23. num. 15. *Facitis eum filium gehennæ*: id est, dignum ęternis supplicijs. Sic Iudas à Christo Ioann. 17. num. 12. Antichristus à Paulo 2. Thessal. 2. num. 3. vocatur *filius perditionis*. 8

Cur natura dicamur filij iræ, maior quæstio est. Græcam vocem *physi*, plerique reddendam existimant, *prorsus*, aut *omninọ*. Theophilactus admonet, *natura*, positum esse pro *verè*, & *germanè*. Versionem illam priorem explodit Augustinus ex miro consensu omnium codicum Latinorum: quoniam si vox ambigua esset, ut contendebat Iulianus, aliquis vertisset, *prorsus*; aliquis, *narura*. Augustini verba hæc sunt lib. 6. in Iulianum cap. 4. [Quod autem dicis, ubi ait Apostolus, natura filij irę, posse intelligi, prorsus filij iræ. Nonne hinc admoneri debuisti, antiquam cõtra vos defendi Catholicam fidẽ: quia non ferè invenitur Latinus codex, si non à vobis nunc incipiat emendari, vel potiùs in mendum mutari, ubi non *natura*, sit scriptum?] Dicimur itaq; natura filij iræ, nõ quòd natura ipsa nõ sit cõdita à Deo perfecta, & cęlestibus donis insignita; sed quia ex ea iã vitiata peccato primi Parẽtis, reatũ trahimus culpæ Originalis: ex quo irę, atq; vindictę obnoxij sumus. 9

Cai e-

10 Caietani commẽtarius aut explicatione indiget, aut nota. *Natura* (inquit) *hoc est, naturali pronitate: fomitem enim naturalem significat.* Quòd si Caietanus asserit, ut verba ipsa sonant, nos esse filios iræ propter naturę pronitatem, sive naturalẽ fomitem; doctrina est plusquàm falsa: nã ut decernit Tridentinum sess. 5. *Manet etiam in baptizatis concupiscentia, vel fomes: sed cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus non valet: nihilque omnino est in renatis, quod verè, & propriè peccatum sit.* Si verò intelligit Caietanus, ut ipse paulò pòst insinuat, per pronitatem illam executioni mandatam, nos effici filios iræ, & vim affert verbis Apostoli longè petita explicatione, & validissimo telo apud hæreticos negantes originale peccatum, Ecclesiam exarmat.

Numerus 4.

Deus autem, qui dives est in misericordia.

11 Misericordia respicit miseriã: nulla autem magis miseranda miseria est, quàm peccatum, Proverbio. 14. num. 34. *Miseros facit populos peccatum.* Hebraica vertit Arias Montanus: *misericordia populorum peccatum*: quia scilicet nullibi magis opportunus locus est misericordiæ, quàm in tanta miseria. Ad Roman. 11. num. 32. *Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.* Itaque ingenti illi peccatorum cumulo, quæ miseros iræ filios efficiebant, inæstimabiles opponit Paulus divitias divinæ misericordiæ. Est verò phrasis Apostolo per quàm familiaris: ad Roman. 2. nu. 4. *An divitias bonitatis eius? &c.* In hac epistola ad Ephesios quinquies usus est consueta hac exaggerandi formula, cap. 1. nu. 7. & 18. cap. 2. num. 7. cap. 3. nu. 8. & 16.

12 Et quidem dives peccati debitum, di vitem postulat misericordiam. Perpende huius debiti divitias ex eo, qui Matth. 18. num. 24. debebat decem millia talenta: quæ pecunia ad nostram summam redacta, ut ibi subdueit Maldonatus, *monta seis millones*. Stupendum sanè debitum unius dũtaxat debitoris. Perpende etiam, innumerabiles esse alios, qui peccata peccatis, flagitia flagitijs cumulantes, immensos sibi thesauros debiti coacervant, ad Roman. 2. num. 5. Quòd si tam dives est peccator in debito, oportet, ut longè ditior, & locupletior Deus sit in misericordia, ne unquam exhauriatur. Bernard. serm. de Triplici misericordia. *Magnus peccator magna misericordia opus habet.* Hoc agnoscebat peccator ille, qui clamabat, Psalm. 50. num. 1. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Ex misericordia etiam fluxit remissio illius ingentis debiti Matth. 18. num. 27. *Misertus autem Dominus, &c.* Sapienter Damascenus in vita Barlaam. *Non vincunt peccata convertentium se ad Deum inæstimabilem illius bonitatem: ipsa quippe sub mensura sunt, & numero, quantacumque sint: illa verò immensa est, & innumerabilis.*

13 Quòd si hæc verba, *qui dives est in misericordia*, accipiamus eo sensu, quo apud omne genus Scriptorum accipi solent: eum enim vocamus divitem in aliqua re, qui in ea præcipuas suas divitias sitas habet. Hispanè. *Es rico en ganados, en tierras, o en juros.* Genes. 13. num. 2. *Erat dives valde in possessione auri, & argenti.* Quem loquendi modum transferunt etiam sacri Scriptores ad divitias animi. Ecclesiastici 44. num. 6. *Homines divites in virtute.* 1. Timoth. 6. num. 18. *Divites fieri in bonis operibus.* Iacobi 2. num. 5. *Divites in fide.* Iure optimo Deus appellatur dives in misericordia: nam, cùm in omnibus ditissimus sit; tamen divitijs misericordiæ maximè excellit.

14 Hinc *Dominus misericordiæ*, Sapient. 9. numero 1. *Pater misericordiarum*, 2. Corinthi. 1. numero 3. meritò vocatur

Nam *miserationes eius super omnia opera eius.* Psalm. 144. num. 9. Cùm Moysi ostentantur divitiæ Dei, Exod. 34. num. 6. has præcipuè celebrat: *Misericors, & clemens; patiens, & multæ miserationis: qui custodis misericordiam in millia*: & infrà, num. 7. *qui reddis iniquitatem in quartam progeniem*: quod ipse etiam Deus de se ipso testatus fuerat, cap. 20. n. 5. Quantùm ergo superat millenarius numerꝰ quaternarium, tãto intervallo, quod ad effectus quidem attinet, superat iustitiam misericordia. Psalm. 35. num. 6. *Domine in cælo misericordia tua*: & num. 7. *iustitia tua, sicut montes Dei.* Vide, quantò altius sit cælum vel editissimis montibus: sic attollitur misericordia præ iustitia.

15 Accedit, quòd etiam tunc, cùm distringitur iustitia, temperans ibi rigorem relucet misericordia. Psalm. 76. num. 10. *Aut cõtinebit in ira sua misericordias suas?* Habacuc 3. num. 2. *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Eleganter Ambrosius in oratione de obitu Theodosij, cùm attulisset illa verba Psalmi 114. num. 5. *Misericors Dominus, & iustus, & Deus noster miseretur. Bis* (inquit) *misericordiam posuit, semel iustitiam: in medio iustitia est, gemino septo inclusa misericordiæ.*

16 Est insignis locus ad hoc confirmandũ Sapient. 12. num. 18. *Tu autem dominator virtutis.* (Græcè *despozon ischios*, id est, *dominans fortitudini*: qui infinitam tuã potestatem, ad ulciscenda scelera erumpentem, coerces, ac moderaris) *cum tranquillitate iudicas* (Græcè *en epiÿKia.* Iansenius, *cum mansuetudine.* Complutensis, *in æquitate*, idest, non summo iure, ex æquo, bonoque: est enim *epicheia*, pia, & benigna iuris interpretatio) *& cum magna reverentia disponis nos.* Græcè *phidus.* Tigurina, *cum moderatione.* Iansenius, *cũ multa misericordia*, vel *indulgentia.* Complutensis, *cum multa parcitate.* Lorinus, *parsimonia.* Atque ita explicanda est vox illa, qua usus est Interpres, *reverentia*, ut sit, quasi paternalis quidam timor, tẽperans, ac moderans supplicium, reverensque, ne ad iracundiam provocet filios, ad Ephes. 6. num. 4. si ab illis commeritę pœnæ repetantur.

Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos.

Numerus 5.

Et cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.

17 *Mira circa nos* (exclamat Ecclesia) *tuæ pietatis dignatio: ò inæstimabilis dilectio charitatis: ut servum redimeres, Filium tradidisti.* Hic fons, hæc origo fuit tam immensi beneficij, Divinus amor. Multa quidem dona Deus in genus humanum plena manu contulerat: sed nullum eorum charitatem illam nimiam exæquabat: est enim infinitus Dei amor; at dona, quę ex ipso fluebant, sunt finita. Iam verò elargitus est tale donum, quod Divinum amorem adæquet, quod nimiam charitatem exhauriat: nam si infinitus est Dei amor, infinitus etiam est Dei Filius unigenitus. Ioannis 3. num. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Ipse nos pręvenit diligendo 1. Ioannis 4. num. 10. ipse Deꝰ immortalis, & æternus, homines ex luto fictos, & (quod est longè deterius) flagitijs inquinatos, perpetuisque Inferorum fornacibus addictos, usque eò dilexit, ut unigenam dederit Filium, qui mortuos delictis vivificaret suo sanguine. Ad Romanos 5. num. 8. *Commendat* (Græcè, *synistesi*, id est, nobilem, & illustrem facit) *charitatem suam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* An nõ tã incẽsa in immerentes Dei charitas nimia meritò appelletur? Nimiũ visum est Senecę, si ita de se homo magnificè sentiret, ut sua ipsi⁹ causa mũdus esset cõditus, cursumq; teneret

ſuum, lib. 2. de Ira cap. 27. [Nimis nos ſuſpicimus, ſi digni nobis videmur, propter quos tanta moveantur: non nos cauſa mundo ſumus hyemem, æſtatemque referēdi.] Quo ſtupore defixus hæreret hic Philoſophus, ſi certò ſciret, unigenitum Dei Filiū mortē pro nobis probroſiſſimā ſubijſſe? Non nimis nos ſuſpicim⁹, ô Seneca: ſuſpexit nos nimis Deus, cùm adeò nimis homines dilexit, ut nō illis dumtaxat mundum, ſed Filium ſuum unigenitū donaverit.

Ipſum etiam Filiū hæc eadē nimia charitas impulit, ut ſummos noſtra cauſa cruciat⁹ perferret. Altè hoc imbiberat Apoſtolus, qui in hac Epiſtola, non ſemel dixiſſe contentus, iterum, atque iterum repetit: cap. 5. num. 2. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis*: & num. 25. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea.* Verè omnino Laurentius Iuſtinianus in lib. de Ligno vitæ c. 6. ait [Nullum vinculum Filiū Dei ad columnā tenere potuiſſet, ſi charitatis vinculū deſuiſſet: nullū ferrum eum in Cruce tenuiſſet, niſi charitas affuiſſet. O charitas, quàm magnum eſt vinculum tuum, quo Deus ligari potuit!] Hic eſt dulcis ille Tyrannus (ut eum vocat Nazianz. orat. 28.) [Qui de Chriſto ſuperato triumphum egit.] Bernardus ſermo. 64. in Cantica, [Triumphat de Deo amor. O triūphum admirabilem! Quis triumphantis currus eſt? ſanè Crux: in illa enim de Deo charitas triumphavit.] Apocalypſis 1. num. 5. *Dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Non laviſſet*, (inquit ibi Ricardus) *niſi dilexiſſet.* Ad Titum 3. num. 4. *Benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris noſtri.* Græcè, *philantropia*, id eſt, *amor hominum*: qui in Chriſti paſsione ſupra modum enituit. Ad Galat. 2. num. 20. *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Vbi Chryſoſtomus: [Neque recuſaturus erat Chriſtus, vel ob unum tantā exhibere diſpēſationem: adeò ſingulū quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbē univerſum]. Non

19

20

ne hæc nimia charitas ſit, omnipotentem Deum pro uno miſero homulo ſanguinē, vitamque profundere? Theophilactus, & OEcumenius eiſdem propè verbis oſtendunt, ad Galat. 2. quàm gratis animis proſequi debeamus hāc nimiam Chriſti charitatem. *Quod erat commune, proprium efficit: declarans, quòd tantam oporteat unumquemque gratiam reddere Chriſto, quātam ſi pro ipſo ſolo mortuus eſſet.*

Cuius gratia eſtis ſalvati.

Numerus 6.

Et conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu.

21

DIfficilem quæſtionem habet, quo ſenſu dicat Apoſtolus, nos unà cum Chriſto fuiſſe à mortuis excitatos, ſimulque cum illo conſcendiſſe cælos, & in beatis illis thronis conſediſſe. Bifariā reſponderi poteſt. Primò ſimpliciſsimè, ut hîc reſpondet Hieronymus: ex infallibili Dei præſcientia, ea, quæ certò futura ſunt, in Scriptura pro præteritis enuntiari: ne videlicet fides vacillet, aut fluctuet ſpes: quia enim præterita, infecta fieri non poſſunt; futura, quaſi iam facta memorantur. Innumera ſuppetunt Prophetarum exempla: atque, ut omittam illa, in quibus Interpres Hebraicum præteritum expreſsit futuro Latino: Pſalm. 18. num. 5. *In omnem terram exivit ſonus eorū.* Quod ad Romanos 10. num. 18. Paulus interpretatur de Apoſtolis: & quidem in ſenſu litterali, ut probat ibi Toletus notatione 11. Pſal. 21. num. 17. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* num. 19. *Diviſerunt ſibi veſtimēta mea.* Pſalm. 68. num. 22. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Quæ verba multis pòſt ſeculis, quàm ſcripta ſunt, in Chriſto fuiſſe impleta, indubitatum omnibus eſt.

22 Secunda explicatio est, Deum resuscitasse nos, & consedere fecisse in cælestibus, non in proprijs personis, sed in Christo, ut ipse Apostolus ait: quia ille, caput nostrum; nos, illius membra sumus: possessionem videlicet cepit Christus nostro omnium nomine. Verè enim ait magnus Leo sermone 1. de Ascensione. *Christi ascensio, nostra provectio est: & quò præcessit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis.* Quod eleganter prosequitur Anselmus in Commentario huius loci. *Spe cum Christo iam nos resuscitavit Deus: ut quemadmodùm Christus est resuscitatus, sic nos spei certitudine expectemus resuscitãdos; & cum eo sedere nos fecit in cælestibus: quia quanvis corpus nostrum nondum ibi sit, tamẽ spes nostra iam ibi est.* Ad Roman. 8. numero 11. *Qui suscitavit Iesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra.* Stat itẽ fixa, & rata eiusdem Christi promissio Apocalypsis 3. num. 21. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.*

23 Prędixit hoc ipsum Isaias, cap. 26. numero 19. *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent.* Blanda quędam, ac benigna consolatio est. Illi, quos nunc Tyranni suplicijs excarnificatos necant, resurgent aliquando ad veram, & immortalem vitam: *vivent mortui tui.* Quid dico, tuos? Mei, mei sunt: meorum ego rationem habebo: meum ipse corpus mysticum suscitabo: *interfecti mei resurgent.* Hebraicè. *Nibla*: quę vox, ut observat Forerius, corpus exsangue, & anima vacuum significat: sed nomini singulari, ad illustriorem expressionem mysterij, plurale verbum adiungitur. Itaque non malè vertit Tigurina: *& quemadmodùm corpus meum resurgent*; si adverbium illud, quod addidit de suo, ita accipiatur. *Quemadmodum, aut perinde, ac decet corpus meum.*

24 Sed est prętер cętera insigne Osęę vaticinium cap. 6. num. 3. *Vivificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos.* Hunc locum ad litteram intelligendum esse de Christi resurrectione, concors est Hebræorum, Græcorum, Latinorumque sententia; ut probat eruditè Ribera. Imò Dorotheus in Synopsi affirmat, cùm Paulus ait 1. Corinth. 15. num. 4. *Resurrexit tertia die secundum Scripturas*, ad præsens Osęę vaticinium Apostolum respexisse: nusquam enim alibi in toto vetere Testamento expressè cõtineri, futuram Christi resurrectionem tertia die ab eius morte. Vbi illud adverte, disertis verbis Prophetam polliceri, nos in die tertia unà cum Christo conresuscitandos: tam certa enim, ac firma est spes nostręę resurrectionis, resurgente nostro capite, ut potuerit Propheta asseverare, nos fuisse cum illo simul suscitatos: quod etiam asseveravit Paulus ad Colossenses 2. num. 12. *In quo & resurrexistis.* Vnde illa eiusdem Pauli verba cap. 3. num. 1. *Igitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite*, ita accipienda sunt, ut particula illa *si*, non dubitantis sit, sed asseverantis, & inferentis; ac si diceret: quandoquidem cum vestro capite Christo simul excitati estis, nolite iam terrena, & caduca consectari: ad cælestia, & immortalia potiùs aspirate.

25 Observat Viegas in caput quartum Apocalypsis, Commentario 1. sectione 4. num. 5. nusquam in Sacris litteris Angelos sedẽtes in cœlo apparuisse, sed tantùm Deum, & homines: ut ex eo exploratum sit, quanto honore, post Verbi Incarnationem, homines Angelis antecellant: siquidem homines in thronis considentes, Angeli verò perpetuò, vel stantes, vel ministrantes apparent. Confirmat ex isto loco, *& cõsedere fecit in cælestibus*: & Matthæ. 19. num. 28. *Sedebitis & vos super sedes duodecim.* Atque hinc etiam colligit cum Divo Bernardo, intolerandam fuisse Luciferi superbiam, qui universis Angelis astãtibus, aut ministrãtibus, solus thronum, ac sedem appetierit. Isaiæ 14. nu. 13. *Sedebo in monte testamenti.*

26 Plausibilis sanè observatio: quæ vereor, ne plus habeat subtilitatis, quàm solidę, ac firmę probabilitatis. Nam in primis, etiam cùm de Christo sermo est, qui

toties

totiès in Scriptura prædicatur ad dexteram Dei ſedens, fidenter pronuntiat Suarez tom. 2. diſp. 51. ſect. 3. nullum Patrē, aut Doctorem Catholicum de corporali ſeſsione interpretari.

Imò longè eſſe probabilius, ſtare Chriſtum in cęlo, quàm ſedere: ſtantis enim habitus dignior, celſior, & promptior eſt, & ad functiones naturales obeundas accōmodatior: & ſtatus ille Glorioſus omnem defatigationem, aut quieſcendi neceſsitatem, quam ſeſsio ipſa præſefert, prorſus excludit.

27 Deinde locus ille Matth. 19. num. 28. non eſt ad rem: neque enim ibi de cæleſtibus Beatorū thronis, ſed de ſolijs Apoſtolorum iudicantium unà cum Chriſto, ſermo eſt. Denique quod additur de peccato Luciferi, extenuare illius, mihi potiùs videtur, quàm exaggerare ſuperbiam: ſi enim naturę præſtantia, & ſupernaturalium donorū copia univerſis Angelis præcellebat, ut receptū eſt in Theologia, non adeò intoleranda ſuperbia fuiſſet, ijs, quibus natura, & Gratia præibat, velle etiam ſeſsione præſtare; ſed aliud lōgè diverſum fuit Luciferi peccatum.

Numerus 7.

Vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu.

28 VT univerſæ poſteritati omnium ſæculorum notas faceret abundantes (Græcè, *ſupereminentes*) divitias gratiæ ſuę, quas pro ſua benignitate, ac per Chriſti meritum, in nos immerentes copioſiſſimè effudit. Itaque liberalem iſtam cæleſtium donorum effuſionē, ex mera Dei benignitate profectam, non ſolùm ait, eſſe gratiam, nullis noſtris operibus evocatam, ſed divitias; & quidem excellentes, ac ſupereminentes gratiæ divitias, Chriſto mediatori acceptas referendas, non Angelis, ut hæretici temerè effutiebant.

Illud hîc duntaxat occurrit adnotandum: pro *bonitate*, Græcè ſubeſt, *Chreſtoreti*: propriè vertas, benignitate, comitate, dulcedine, ſuavitate: nomē enim *Chreſtos*, unde hoc ſubſtantivum derivatur, idem eſt, ac benignum, facile, ſuave, ac dulce. Matth. 11. num. 30. *iugum meum ſuave eſt.* Pſalm. 33. num. 9. *Quoniam ſuavis eſt Dominus:* & 1. Petri 2. n. 3. *Quoniam dulcis eſt Dominus.* Lucæ 6. num. 35. *Quia ipſe benignus eſt.* 1. Machab. 6. num. 11. *iucundus eram.* 29

Sic etiam illuſtrat Vulgatus varijs vocibus Latinis nomen *Chreſtotes.* Pſalm. 20. num. 4. *In benedictionibus dulcedinis:* & Pſalm. 30. num. 20. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ.* Pſalm. 64. num. 12. *benignitatis tuæ.* Pſalm. 84. num. 13. *Dominus dabit benignitatem.* Pſalm. 144. n. 7. *Memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ.* 2. Corinth. 6. num. 6. *In longanimitate, in ſuavitate.* Ad Titum 3. num. 4. *benignitas, & humanitas apparuit.* Vide, quàm propenſam Dei ad benemerēdum de hominibus voluntatem vox originalis oſtendat. 30

Numerus 8. & 9.

Gratia enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donū eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur.

INteriecerat Apoſtol⁹ num. 5. ubi de Chriſto ſermo erat, eam parentheſim (*cuius gratia eſtis ſalvati*) uberiùs nūc eam exponit, totumq; iuſtificationis negotium, per partes, enucleatiùſque diſtinguit. Nam ex parte Dei, iuſtificatio initiū ſumit à prævenīente illius Gratia; ex parte verò noſtra liber intervenit aſſenſus fidei. Hoc primum eſt noſtræ ſalutis exordium; & ideo per fidem iuſtificari dici- 31

mur,

mur, quia fides est humanæ salutis initium, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium pervenire.

32 *Et hoc*, inquit, *non ex vobis*: liberè quidem assentimur illustrationi Divinæ, nam possumus eam abijcere, ac dissentire, si volumus: sed hic ipse volũtarius assensus, & si noster est, simul etiam est *Dei donum*; ac non ex merito operum præcedentium, sed ex gratuita, & spontanea Dei liberalitate nobis elargitum: *Dei enim donum est, non ex operibus.*

Probat Salmeron, fidem esse Dei donum, ex illis Christi verbis Ioan. 6. num. 29. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Sed longè diversus est illius loci sensus. Illa quidem eiusdem capitis verba, num. 65. hoc fidei dogma apertissimè convincunt. *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Vel quæ præcesserant num. 44. *Nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Insigne est Lydiæ exemplũ Actuum 15. num. 14. *Cuius Dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebantur à Paulo.* Iam si à Deo accipitur hoc donum, *quis gloriabitur, quasi non acceperit?* 1. Corint. 4. num. 7. Aurea sunt Augustini verba, cap. 16. Soliloquij. *Si quid boni est, parvi, vel magni, donum tuum est; & nostrum, non nisi malum est. Vnde igitur gloriabitur omnis caro? Numquid de malo? Hæc non est gloria, sed miseria. Sed numquid gloriabitur de bono? Numquid de alieno? Tuum Domine est bonum, tua est gloria. Qui enim de bono tuo gloriam sibi quærit, hic fur est, & latro: & similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam.*

(ξ)

Numerus 10.

Ipsius enim sumus factura: creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.

33 REddit causam, cur neminem oporteat gloriari: quia sicut creationem hominis nihil omnino præcesit, nisi mera, & gratuita Dei voluntas fabricandi corpus, animamque ex nihilo condendi: sic iustificationem, quæ altera quasi creatio est, nullum omnino meritum antecedit.

Factura Græcè dicitur, *piema*: & idem est, ac opus, sive figmentum; ut constat Psalm. 63. num. 10. Psalm. 142. num. 5. ad Roman. 1. num. 20. licèt alicubi eadem etiam voce reddiderit Vulgatus. Psal. 91. num. 5. *Delectasti me Domine in factura tua.*

34 Notat Tertullianus lib. 5. contra Marcionem, cap. 17. explicans hæc Apostoli verba. *Homo factura Creatoris est: idem ergo condidit in Christo, qui & fecit: quantùm enim ad substantiam, fecit; quantùm ad gratiam, condidit.* Sic vertit Tertullianus verbum *ktizin*, id est, *creare*, ut observat ibi Pamelius num. 169. Itaque propter creationem, *Dei factura* vocamur: dicimur autem *creati*, propter iustificationem.

Est verò iustificatio peccatoris, moralis quædam creatio, quia ex nullo prorsus eius merito, aut opere exordium sumit. Si enim ex minimo aliquo opere, aut initio liberi arbitrij, primum gratiæ auxilium nobis daretur, iam non ex sola misericordia, quæ solam respicit miseriam; neque ex mera liberalitate, quæ nullum præsupponit obsequium; sed ex gratitudine daretur: ac proinde, ut rectè colligit Apostolus ad Romanos 11. num. 6. *Gratia iam non esset gratia.* Ex nihilo itaque peccati

conditi

conditi sumus iusti : quia (ut graviter decernit Tridentinum Sess. 6. cap. 8.) *Nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam iustificationis gratiã promeretur.*

35 Accedit, quòd huius actionis terminus, nempe gratia iustificans, longè excellentior, ac sublimior est, quàm terminus creationis. Vide suprà, cap. 1. num. 20. Atque in hanc sententiam benignè interpretandi sunt plerique Theologi, asserentes, gratiam, cæteraque charismata supernaturalia, quæ iustificatis infunduntur, in eorum animis creari: cùm enim qualitates sint, educuntur de potentia obediẽtiali subiecti, & ab eodem etiam pendẽt, dum fiunt, conservanturque divinitus.

36 Ex hac doctrina illustrantur varia Scripturæ loca, in quibus homo iustificatus appellatur *Creatura Dei*, aut *nova creatura*. Intercedit enim in hac spirituali renovatione mirabilis quædam creatio, quæ non minùs (fortasse etiam magis) quàm hui⁹ Vniversi molitio, infinitã Dei omnipotentiam efflagitat. 2. Corinth. 5. num. 17. *Si qua ergo in Christo nova creatura, &c.* Ad Galat. 6. num. 15. *In Christo enim Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed nova creatura.* Vbi circumcisionem nominat Mosaicam legem; ut probat Lorinus, Actuum 15. versu 1. præputium, Gentilium ritus; novam autem creaturam, animum hominis gratia renovatum, & ad Christi imaginem effictum. Vide ad Colossens. 3. num. 9. & ad Ephesios 4. num. 24. *Qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate.* Propterea enim Christus, qui sua sanctissima passione hanc nobis renovationem, creationemque promeruit, vocatur Apocalyp. 3. num. 14. *Principium creaturæ Dei.* Et homines iustificati, dicuntur Iacob. 1. num. 18. *Initium creaturæ eius.* Sive, ut legitur Græcè, *Primitiæ creaturarum eius.* Id est primi, ac præstantissimi inter omnes adspectabiles creaturas.

Numerus 11.

Propter quod memores estote, quòd aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea, quæ dicitur circumcisio in carne, manufacta.

Vò huius beneficij, in vos à 37
Deo benignissimè collati, magnitudinem pluris æstimetis, quò tantorum donorum largitori maiorem gratiam, magisque ex animo habeatis, refricate, quæso, memoriam illius temporis, quo eratis Gẽtes, hoc est Ethnici, anili mutorum simulacrorum superstitione delusi, & ab eo populo, apud quem unius, summique Dei cognitio, cultusque vigebat, probrosissimo agnomine, *incircumcisi, præputiati, & carnales* dicebamini: ut perspectis tenebris, quibus circumfusi tenebàmini, agatis Deo gratias immortales, qui vos ex tam cæca, & alta caligine vocavit in admirabile lumen suum. Hic nexus est, atq; scopus huius Apostolicę sententiæ.

Scitum est in Scriptura, Gentiles, tan- 38
quam publicos peccatores, diriscque devotos, populo Iudaico execrationi, & horrori fuisse; quos proinde, quasi excommunicatos devitabant. *Sit tibi quasi Ethnicus,* ait Christus, Matth. 18. num. 17. & de eo murmurabant, Lucæ 19. num. 7. *Quòd ad hominem peccatorem* (id est, Ethnicum) *divertisset.* Vbi probat Maldonatus, Gentiles intellectos nomine peccatorum, Matth. 26. num. 4. Marci 14. num. 41. Lucæ 24. num 7. Fideles quidem ex circumcisione cum Petro disceptasse, legimus Actuum 11. num. 2. & 3. *Quod ad viros præputium habentes introisset:* Iudęos verò ira excanduisse in Paulum, eumque concitata turba ferè discerpere voluisse, quòd Gentilem hominem introduxisset in templum, Actuum 21. num. 28. Quòd putarent, quasi malo quodam auspicio, sic

Ethnico excommunicato, templi ſanctitatem pollui, ac prophanari. Denique ab ipſo Chriſto videmus, Gentiles appellatos *canes*, Matth. 15. num. 26. quo nomine, non niſi viliſsimi homines per contẽptum vocari conſueverunt. 2. Reg. 3. nu. 8. & cap. 16. num. 9. & 4. Reg. 8. nu. 13.

39 Nec minùs ſcitum eſt in Scriptura, præputium Gentilibus vitio, ac probro verti ſolere. Geneſis 34. num. 14. *Nec dare ſororem noſtram homini incircumciſo.* 1. Regum 17. num. 26. *Quis enim eſt hic Philiſthæus incircumciſus?* 1. Paralip. 10. num. 4. *Ne fortè veniant incircumciſi iſti, & illudant mihi.* Vulgari etiam, ac probroſo nomine Gentiles *præputium* dicebantur. Ad Galatas 2. num. 7. *Creditum eſt mihi Evangelium præputij*, id eſt, Gẽtium. Ad Romanos 2. num. 26. *Si igitur præputium iuſtitias legis cuſtodiat.* Id eſt, populus Gentilium.

40 Adiungit Apoſtolus, eos aliquando fuiſſe Gentes *in carne*: quod, cùm eò referatur, ut obverſetur ob eorum oculos miſerrimus ille priſtinæ vitæ ſtatus, unde Chriſti gratia ſunt extracti: non dubito, quin eodem ſenſu accipiendum ſit, quo paulò antè dixerat, num. 3. *In deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntates carnis.* Obſcurè enim ſuas illis ſordes, & obſcœnitates obiectat: ut qui ſe viderant in altiſsimo, codemque tenaciſsimo carnalium voluptatum cœno hærentes, ac defixos, memores ſe, & gratos illi oſtendant, qui demerſis dexteram porrexit, ut eos è ſordibus extraheret. Hanc vim habere illud *in carne*, ex alijs locis Apoſtoli diſcimus. Ad Romanos 7. num. 5. *Cùm eſſemus in carne.* Et cap. 8. num. 8. *Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.*

41 Populum verò Iudaicum appellari circumciſionem, vulgatiſsimum eſt: ad Romanos 15. num. 8. ad Galatas 2. num. 7. 8. & 9. Sed non ſine ſale vocat hîc Apoſtolus *circumciſionem manufactam in carne*, ut legalem illam, umbraticamque ceremoniam, ſolidæ, & expreſſæ circumciſioni cordis opponat, de qua ad Coloſ. 2. num. 11. *Circumciſi eſtis circumciſione, non manufacta, in expoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti.* Vide Toletum in ea verba ad Roman. 2. num. 29. *Circumciſio cordis in ſpiritu, non littera*: & Caſtrũ in id Hieremiæ 9. num. 26. *Omnes gentes habent præputium: omnis autem domus Iſrael incircumciſi ſunt corde.*

Numerus 12.

Quia eratis illo in tempore ſine Chriſto, alienati à converſatione Iſrael, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo.

42 Numerat ſigillatim & mala, quæ incurrerant; & bona, quibus infidelitatis tempore carebant. Erant in primis ſine Chriſto, id eſt, ſine Chriſti notitia, & fide, ſaltem expreſſa, & explicata. Erant alienati à cõverſatione Iſrael. Græcè, *politias*: quam vocem Interpres Actuum 22. num. 28. *civilitatem* vertit. Et propriè ibi ſignificat, *immunitates, privilegia, & iura civitatis.* Vt 2. Machabæor. 4. num. 11. ubi Vulgatus, *civium iura deſtituens.* Græcè, *legitimas ſolvens politias.* Et cap. 8 num. 17. *Veterum inſtituta convulſa.* Vbi ea vox referri etiam poteſt ad rationem vivendi, adminiſtrationemque Reipublicæ, quam *ſocialem inter cives converſationem* iure nominaveris. Sic explicuit Vulgatus affinem aliam vocem, *politeuma*, ad Philippenſ. 3. num. 20. *Noſtra autem converſatio in cælis eſt*, id eſt, nos autem perinde nos gerimus, ac municipes cælorum, conciveſque ſupernorum ſpirituum.

43 Itaque alienati erant Gentiles à converſatione Iſrael: hoc eſt, à civili commercio. Severè enim erat Iudæis interdictũ, Deuteron. 7. num. 2. *Non inibis cum eis fœdus.* Hoc videlicet eſt, quod Samaritana

obiecit

obiecit Christo, Ioan. 4. num. 9. *Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Id est, nullam ultrò, citròque habent consuetudinem, aut commercium. 2. Esdræ 2. num. 20. *Vobis autem* (scilicet, Gentibus) *non est pars, & iustitia, & memoria in Ierusalem.*

44 Et quia peregrini alieni solent esse à iure civium, civilitatisque prærogativis non fruuntur; addit Apostolus, eos fuisse *hospites testamentorum*, id est, expertes pactorum Dei; ad quos nimirùm pactiones, promissionesque divinæ nullatenus spectabant. Vox *diatheKe*, quam hîc usurpavit Paulus, proprièdispositionem significat. Itaque ad omne fœdus pertinet, cuius una species est testatio ultimæ voluntatis. Illa voce Græca solent exprimere LXX. Hebraicum *Berit*, sexcentis in locis: quæ commemorare, supervacaneum esset. Et frequenter noster Interpres reddidit, *testamentum*. Vnde momi illi, quibus nihil est antiquius, quàm Vulgati luminibus officere, miro consensu, pro *testamento*, *fœdus*, aut *pactum*, aut etiam *instrumentum* obtruserunt. Non vacat refellere putidas istorum Grammaticorum argutias: & sanè actum agerem, si refellerem, cùm iam viri doctissimi refutavêrint. Salmeron tom. 1. prolegom. 21. Maldonat. Matth. 26. num. 28. Ribera ad Hebr. 8. num. 18. & cap. 9. à num. 77. usque ad 90. Barradas tom. 1. lib. 1. cap. 1. Lorinus Act. 3. versu 25. Pereri. lib. 10. in Danielem.

45 Tantùm adverto, significantissimè Vulgatum, pactum, aut fœdus, *testamentum* vocavisse: non solùm, quia antiqua illa fœdera, à Deo inita cum hominibus, novissimum illud testamentum repræsentabant, quod ratum effectum est morte Testatoris: imò, ut probat Lactãtius lib. 4. cap. 20. *Diversa non sunt, quia novum, veteris adimpletio est: & in utroque idem testator est Christus, qui pro nobis morte susceptâ, nos hæredes regni æterni fecit.* Verùm etiam, quia nullum ferè fœdus ictum est, nisi morte, & sanguine interveniente. Inde formulæ illæ, *icere, percutere, aut ferire fœdus*, ex Hebraico *charat* derivatæ. Inde manavit etiam ritus in Gentilium mores, Æneid. 8.

Stabant, & cæsa feriebant fœdera porca.

Sacrum exemplũ pete ex cap. 24. Exodi à num. 5. usque ad 8. quò alludit Apostolus ad Heb. 9. nu. 18. *Vnde nec primum quidem* (testamentum) *sine sanguine dedicatum est.*

Aliquando etiam legimus, solitos eos, 46
qui aliquod inter se, quod sanctissimum, & inviolabile esse vellent, fœdus stabilirẽt, tractum ex proprijs venis sanguinem bibendum alterum alteri propinasse. Vide Sallustium in bello Catilin. Itaque Dei fœdera aut morte, aut sanguine sunt sancita, & meritò testamenta nominata, non confirmata quidem morte ipsius Testatoris, quia nulla tunc erat adeunda hæreditas, & ipse erat immortalis; eius tamen promissio firmabatur immolatione victimarum, quia & ipsæ victimæ erant umbræ, atque figurę, & muta quædam promissio futurę mortis ipsius Testatoris, iam mortalis.

Iam si Gentiles extranei erant à testa- 47
mentis, cum illo populo stabilitis, consequens necessariò fiebat, *ut promissionis Messiæ spem haberent nullam*: quam fortassene per umbram quidem inaudierant. Iudæi verò erãt *Filij testamenti*, Actuũ 3. num. 25. *Filij Regni*, Matth. 8. num. 12. hoc est, quibus testamentum quasi hæreditario iure debitum, quibus regnum etiam disertè promissum.

Denique ad miseriarum omnium cumulum, erant *sine Deo in hoc mundo*. Græcè, *Athei*: vel quia plerique eorum ex Gentilismo in atheismum miserrimè fuerant devoluti: vel quia muta colentes simulacra, tum maximè erant sine Deo, cùm plures sibi Deos asciscebant.

Numerus 13.

Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi.

48 NVnc autem Christiani effecti, vos, quorum cor longè aberat à Deo, Matthęi 15. num. 8. dicèt ipse Deus *non longè sit ab unoquoque nostrum,* Actuū 17. num. 27. accessistis tandem ad Deum per Christi sanguinem: vel potiùs ipse Deus appropinquavit vobis. Isaiæ 46. num. 12. *Audite me duro corde, qui longè estis à iustitia. Propè feci iustitiam meam, non elongabitur.*

Numerus 14.

Ipse enim est pax nostra.

49 SEntentiam latè patentem plùs nimiò mihi videntur coarctare, qui ad pacem dūtaxat restringunt conciliatam inter duos illos populos, hostiliter inter se dissidentes. Exigit ipse quidem contextus, ut de illa etiam pace intelligatur: sed mox num. 15. dicitur etiam Christus utrumque populum Deo per crucem conciliasse.

Et certè Christus auctor fuit, & mediator totius nostræ pacis. *Orta est in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Psal. 71. nu. 7. *Fuit verè Princeps pacis.* Isaiæ 9. num. 6. *Verus Melchisedech, Rex pacis,* ad Hebręos 7. num. 2. Rex pacificus Salomon, *& plus quàm Salomon.* Matth. 12. num 42. Vide Pinedam in suo Salomone, lib. 6. cap. 16. Felicissimo eius exortu pax annuntiata est ab Angelis. Lucę 2. num. 14. Pacem unicè dilexit: pacificos, Dei filios nominavit, Matth. 5. num 9. Parentem videlicet moribus exprimentes. *Non enim est Deus dissensionis, sed pacis.* 1. Cor. 14. n. 33. Ideoq; *Deus pacis* sæpe nominatur. Ad Roman. 15. nu. 33. cap. 16. nu. 20. & 2. Corint. 13. nu. 11. ad Philip. 4. nu. 9. & 1. ad Thessalonicens. 5. num. 23. 2. Thessalonicens. 3. num. 16. ad Heb. 13. num. 20.

Iussit præterea Christus, Apostolos in pace salutare, Matth. 10. num. 12. Crucem subiturus, pacem, quasi rem sibi charissimam, eisdem testamēto legavit. Ioan. 14. num. 27. Triumphator verò à mortuis existens, cùm primùm affatus est Discipulos, pace illos impertivit. *Pax vobis.* Lucę 24. nu. 36. Ioan. 20. nu. 19. ut videlicet devictis iam humani generis hostibus, passionis suæ fructum fuisse pacem, proprio effuso sanguine partam, illis denuntiaret. Sic advertit Chrysostom⁹ hom 86. in Ioan. *Hoc verbum primum post resurrectionem dixit, Crucis merita colligens, quæ sunt pax.* 50

Est verò illa pax, quam inter Deum, & homines conciliavit Christus, tam arcto necessitudinis nodo colligata, ut non magnificè magis, quàm verè dicere potuerit Theophilactus in caput 2. Lucæ. *Cùm priùs humana natura inimica fuerit Deo, nunc ita conciliata est, ut & Deo adiuncta sit, & Incarnato unita.*

Qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua.

51 ÆQuè potuisset Interpres, ut participium *Piesas* extulit verbo pręteriti temporis, *fecit*; ita etiam efferre *lysas*, id est, solvit. Tertullianus vertit, lib. 5. contra Marcionem. *Soluto medio pariete inimicitiæ*: quæ versio, ut observat Pameli⁹, num. 271. perspicuè ostendit, inimicitias ad medium parietem appositivè referendas. Sensus itaque est. Populus Gentilis, & Iudaicus implacabilibus inter se odijs dissidebant: interiectæ erant gravissimę inimicitiæ, quæ non secùs, ac maceria ex cæmentis, & impolitis structa lapi-

dibus

dibus, dirimit fundos, ita ipsos invicem alienabant. Hanc maceriam diruit Christus suo sanguine, & alteros alteris conciliavit, imò ex duobus unũ populũ effecit.

52 Explicui suprà num. 11. quanto horrore Iudæi Gentiles prosequerentur: quem uno verbo expresit Petrus Actuum 10. num. 28. *Vos scitis, quomodò abominatum est* (Græcè *athemiton, impium, execrabile, nefastum, lege, iureque prohibitum*) *viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam.* Nunc longum nimis facerem, si contrà ostenderem, quàm detestarentur Ethnici Iudæos, quàm illos, ut malum aliquod auspicium, exhorrerent. Sed indicabo solùm huius maceriæ cæmenta, id est, fomites, & causas tanti odij, quò magis resplendeat Evangelica gratia, quæ tam aversos, & hostiles animos conciliaverit.

53 In primis habiti sunt Iudæi à Gentilibus supra modum superstitiosi; dicti propterea *Sabbatarij* à Martiali lib. 4. Epigram. 4. quia adeò stolidè plerique Sabbatum observabant, ut quo quisque habitu corporis in tempus primum incidisset, in eo fixus, & immobilis usque ad vesperum permaneret, & se loco movere, religioni duceret. Lege Raderum in Martialem, pag. 265. & absurdiora alia apud Lorinum Act. 1. nu. 12.

54 Crediti sunt abstinere sue, ob eam causam, quã refert Iuvenalis, Satyra 14. *Nec distare putant humana carne suillam.* Vellicantur passim infami recutitorum nomine à Martiali, lib 7. à Persio, Satyra 5. Horatius etiam 1. serm. Satyra 5. ait. *Credat Iudæus apella.*

Sæpe edicto pulsi sunt urbe Roma, Actuum 18. num. 2. *Eò quòd præcepisset Claudius discedere omnes Iudæos à Roma.* Sed erat fœda expulsionis causa; scilicet quòd crederetur natio ad tumultuãdum proclivis, ut refert Suetonius in Claudio cap. 25. Quò spectat acris illa querimonia Actuum 16. nu. 20. *Hi homines conturbãt civitatem nostram, cùm sint Iudæi.*

55 Electi item Roma sunt à Tiberio, ut scribit Suetonius cap 35. quia per speciẽ religionis nobiles matronas auro, gemmisque expilarunt. Rem gestam pete ex Iosepho lib. 18. antiquitat. cap. 5. & Baronio tom 3. anno Christi 21.

Sic vagi, & errantes, abiectissimis, sordidissimisque ministerijs vitam ægrè tolerabant. Probant eruditè Baronius to. 1. anno Christi 94. & Maluenda, lib. 11. de Antichristo, cap. 3. ad cophinum fuisse redactos, ut egerendis ruderibus, terræque deportandæ suas operas elocarent: alios permutandis vilissimis mercimonijs, id est, minutis ramentis, utrinque sulphuratis ad flammam facilius concipiendam, victum quæritasse. Lege Raderum in Martial lib. 1. Epig. 35.

Denique Iudæi adeò erant pannis squalidi, illuvie, ac pædore obsiti, ut teterrimum è corpore fœtorem exhalarent, vulgoque ludibrij causa *fœtentes* vocarentur; & omnibus ita essent invisi, & execrabiles, ut vel fortuitum eorum occursum oculis horrerent, animo averserentur. Lege Maluendam citatum, & Baronium to. 1. anno Christi 72. cap. 21.

Numerus 15.

Legem mandatorũ decretis evacuãs.

56 GRæcè subest etiam participiũ Aoristi, *catargesas*: quod per præteritũ potuisset enũtiare Vulgatus, ut reddidit Tertullia. lib. 5 cõtra Marcionẽ. *Legẽ mãdatorum sententijs vacuam fecit.* Vide ibi Pamelium num. 273. Latè explicavi hunc locum, & contuli cum altero quàm simillimo, ad Colossen. 2. num. 14. *Delens, quod adversum nos erat, chirographum decreti.* Summa est, Mosaicam legem, quæ in decretis sita erat, Græcè *en dogmasi*, in dogmatis, & placitis, quę ex mero decernentis placito obligabant, in cruce fuisse abolitam, abrogatisque decretis antiquatam; ac proinde maceriam divisionis omnino dirutam. Adscribam hîc Ambrosij, vel potiùs Remigij verba in Commentario. [Quia legem, quæ data erat

ta erat Iudęis in circumcisione, & in neomenijs, & in escis, & in sacrificijs, & in Sabbatis evacuavit: hoc est, cessare iam iussit, quę oneri erāt, & sic fecit pacem.]

57 Appellatur verò ealex mandatorum, quia continebat sexcenta tredecim præcepta legalia de iure Divino indispensabilia, ut recensent Abulens. in cap. 1. Ruth. q. 24. Galatinus lib. 11. cap. 4. Burgensis 1. part. Scrutinij, dist. 8. cap. 9. Oleaster Genes. 3. Henriquez lib. 1. de Sacrament. cap. 7. num. 1. Lorinus Act. 15. vers. 10. Viegas Apocalyps. 2. Comm. 4. sect. 5. Vt iure optimo dicatur ea lex fuisse iugum, Actuum 15. num. 10. *Quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus.* Augustinus serm. 9. de Verbis Domini, vocat *sarcinam innumerabilium observationum.* Sed, quod magis est mirandum, Deus ipse de legalibus hisce dogmatis (ut exponit Theodoretus) ita pronuntiat Ezechiel. 20. num. 25. *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non vivent.* Vaticinio congruit Apostolus ad Hebr. 7. num. 18. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem.*

58 Quæri hîc meritò potest, quo tempore abolita, & abrogata sint ista decreta: & placet sententia Gabrielis Vazquez tom. 2. in primam secundæ, disput. 180. cap. 1. eodem ipso momento, quo Christus Dominus in Cruce sanctissimam animā efflavit, novumque Testamentum sua morte ratum fecit, revocatum, & abrogatum antiquum, ceremonialemque legem fuisse extinctam. Confirmatur hæc sententia ex cap. 7. ad Hebræ. num. 12. *Translato enim Sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat*, in ara enim Crucis Christ⁹ fūctus est summi Sacerdotis munere, & unā pro peccatis offerēs hostiam, ad Hebr. 10. num. 12. & 14. *Vna oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.*

(?)

Vt duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem.

Numerus 16.

Et reconciliet ambos in uno corpore, Deo per Crucem, interficiens inimicitias in semetipso.

59 IAcilius iam decurret tota Apostoli sententia ad finem usque huius secundi capitis: eadem enim ferè diversis iterat verbis. Medium illum parietē maceriæ funditus evertit Christus, ceremonialem illam legem antiquavit, ut faceret utraque unum, ac duos illos populos, inter se dissidentes, in semetipso in unum conflaret: non ut ex Iudæo Gentilem, aut ex Gentili Iudęum conderet; sed utrumque mirabiliter devinciens, altiùsque attollens, novum quemdam, ac planè cælestem hominem effingeret, in novitate vitæ ambulantem; & in uno Ecclesię corpore, cuius ipse Christus caput est, Deo per Crucem conciliatos ambos populos arctissimo nexu copularet; non compositis, aut sublatis, sed omnino peremptis inimicitijs, inimicitiarūq; causa penitus extincta.

Numerus 17.

Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem ijs, qui propè.

60 EVangelium lætum, & faustū esse nuntium, & evangelizare, iucundum nuntium afferre, vulgò iam notū est. Expresserunt LXX. hoc verbo, Græco Hebraicū *Bisar*: & utroq; solet Scriptura pronuntiare fæliciſsimum humano generi Christi servatoris adventū. Ps. 95. n. 2. Isa. 40. n. 9. cap. 52. n. 7. cap. 60. n. 6. & c. 61. n. 1. Hebraicum autem verbū derivatur à

Basar,

Basar, ideſt, *caro*. Proinde, auctore Forſtero, ſignificat, carnea, id eſt, mollia, ſuaviaque annuntiare. Ego verò crediderim, evangelizandi verbum Hebraicè à carne originem ducere, quòd lætiſsimum illud, fauſtiſsimumque Evangelium, ideſt, *bonum nuntium*, quod toties Prophetæ prædicebãt, per Verbum Dei caro factum, re præſentandum hominibus, atque re ipſa exhibendum, monſtraretur. Quod modò *Evangelium pacis*, ad Roman. 10. num. 15. modò *Evangelium gratiæ*, Actu. 20. num. 24. modò *Evangelium regni*, Matth. 4. num 23. modò denique *Evangelii gloriæ* nominatur 1. Timot. 1. num. 11.

61 Hoc igitur fauſtiſsimum Evangelium pacis, gratiæ, regni, & gloriæ annuntiavit Chriſtus, non modò Iudæis, qui veri numinis notitia, & Religioſo cultu appropinquabãt Deo; ſed Gẽtilibus etiam, qui infidelitate, & moribus aberant à Deo quàm longiſsimè: & alluſit Apoſtolus ad Iſaiæ vaticinium cap. 57. num. 19. *pacẽ ei, qui longè eſt, & qui propè.*

Eſt verò elegans periphraſis, qua Gentiles aptè deſcribuntur: ut in hoc capite num. 13. *Qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti.* Actu. 2. num. 39. *& omnibus, qui longè ſunt*, id eſt, Gentibus, Iſaiæ. 66. num. 19. *Ad inſulas longè, ad eos, qui non audierunt de me.* Zachar. 6. num. 15. *Qui procul ſunt, venient.*

Numerus 18.

Quoniam per Ipſum habemus acceſſum ambo in uno Spiritu ad Patrem.

62 IAm utrique populus per Chriſtum Deo cõciliati, accedere poſſumus cum fiducia, & in uno ſpiritu adoptionis Filiorum, Deum compellare Patrẽ.

Enumerat mihi, quoties iam Apoſtol⁹ in duobus his capitibus pacem, recõciliationem, gratiamque, omnem denique benedictionem Chriſto, eiuſq; ſanguini, & Cruci accepta retulerit: & ſimul videbis, quàm ille creber ſit in refutãdis hæreticis, qui hæc Angelis accepta referebãt. Eadẽ ſæpius iterat in alijs Epiſtolis. 2. Corint. 5. n. 19. *Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi.* 1. Timoth. 2. num. 5. *Vnus mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* Ad Coloſſ. 1. num. 22. *Reconciliavit in corpore carnis eius per mortem.* Atque 63
ex hac recõciliatione facta per Chriſtum, rectè infert Apoſtolus fiduciam, & acceſſum ad Patrem. Ad Roman. 5. num. 1. *Iuſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ: per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam.* Ad Hebr. 10. num. 19. *Habentes itaque fiduciam in introitu ſanctorũ in ſanguine Chriſti* (Græcè, *in introitum*; quaſi dicat: remiſsionem peccatorum per Chriſti ſanguinem conſecuti; ac proinde confidentes nos in cæleſtem beatitudinẽ ingreſſuros) *accedamus cum vero corde.* Chriſtus enim nobis viam munivit, aditum aperuit, acceſſum ad Patrem obtinuit. Et cap. 4. num. 14. *Habentes ergo Pontificem magnum* (Deo ſcilicet acceptiſsimum, qui peccatis noſtris proprio ſanguine expiatis, nihil nõ impetrabit à Deo) num. 16. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius.*

Hæc utraque, *acceſſum* ſcilicet, & 64
fiduciam, coniunxit item Apoſtolus in hac Epiſt. cap. 3. num. 12. *In quo habemus fiduciam, & acceſſum.* Atque ad hanc excitandam fiduciam ſpectat dulciſsima, atq; indulgentiſsima Patris appellatio, factа nimirum in uno ſpiritu adoptionis filiorum. Ad Romanos 8. num. 15. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Ad Galatas 4. nu. 6. *Quoniã autẽ eſtis filij, miſit Deus ſpiritũ ſui Filij in corda veſtra clamãtẽ, Abba Pater.*

Quærit Auguſtinus lib. de Spiritu, & Littera cap. 22. & Sermon. 23. de Verbis Apoſtoli: cùm *Abba* idem ſit omnino, ac Pater, cur Paulus duas ſynonimas voces copulaverit, Græcam unam, alteram Hebræam, vel potius Chaldaïcam. Et roſ- 65

pondet, non ſine myſterio factum eſſe: ut videlicet adoptionem Filiorum Dei Iudæo, & Gentili communem eſſe ſignificaret. Idem etiam obſervat lib. 3. de Cōſenſu Evangeliſt. cap. 4. in oratione Chriſti, Marci 14. num. 36. Lege Maldonatum Matth. 26. num. 39. & Toletum ad Romanos 8. notatione 13.

66 Hęc cùm ſit aperta mens Apoſtoli, tam multis eiuſdem teſtimonijs expreſſè declarata, non deſunt hodie, qui velint, in his verbis alluſionem fieri ad celebrem illam machinam, quam, ut ipſi volunt, Veteres *Acceſſum* nominarunt. Quæ admota ad muros, occulto quodam artificio, ligneiſque ſubſtructionibus, in ſublime creſceret; turriumque altitudinem æquaret, aſcenſumque facilem, & aditum planum in hoſtiles arces militibus præberet: proindè quaſi Chriſti Crux *acceſſus* quidam fuerit, quo violenti cælum ſcandere, Deum expugnare, gratiam extorquere, cæleſtem 67 denique beatitudinem rapere poſſint. Ingenioſi iſti Interpretes re quidem ipſa à nobis minimè diſſentiunt: modus tamen explicandi, ſola novitate plauſibilis, prorſus eſt ab Apoſtolo, atque adeò ab ipſa veritate alienus. Nam in primis, illa machina, Græcè *epibathra* nominatur à veteuſtis Scriptoribus. Et licet eam vocem Vitrubius lib. 10. c. 19. vertrit *acceſſum*: ſed Iuſtus Lipſius acerrimo vir ingenio, lib. 1. Poliorceticôn, Dialogo 5. de mendo coniecturam facit, & pro *acceſſu, aſcenſum* reponendum eſſe iudicat: nam paulò antè Vitrubius eamdem vocem Græcam, *aſcendentem machinam* reddiderat: ut verbum exigit *epibæno*, id eſt, *conſcendo*, ſive *invado*; unde vox illa derivatur. Hoc ipſum alij viri docti in Græco lexico ante Lipſium obſervarant.

68 Deinde, ut nullum obrepſerit mēdum in Vitrubium, quid commune voci *proſagoge*, cum *epibathra*? Nam vox Latina *acceſſus* pro machina murali, ſi mendoſum Vitrubij locum excipias, inaudita eſt apud Livium, aut Vegetium, aut Latinos Scriptores. Vide, quò præclara impellat ingenia immodicum ſtudium captandæ novitatis. Vox quidem Græca *proſagoge*, quam hîc uſurpat Paulus, & cap. 3. nu. 12. & ad Romanos 5. num. 2. propriè ſignificat introductionem, ſive aditum: ut cùm Aulicus gratia valens apud Regem, advenæ aucupanti opportunitatem illum alloquendi, aditum patefacit. Et in hāc ipſam ſententiam uſus eſt Petrus verbo, *proſago*, unde hoc nomen originem ducit. 1. Petri 3. num. 18. *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, ut nos offerret Deo.* Græcè. *Vt nos introduceret ad Deū.* Ad Heb. 7. num. 19. *Introductio verò melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum.*

Numerus 19.

Ergo iam non eſtis hoſpites, & advenæ, ſed eſtis cives Sanctorum, & domeſtici Dei.

69 Ratis quidem priùs hoſpites pactorum, peregrini in iure civilitatis, extranei à prærogativis Iſrael. Vide ſuprà numero 12. Iam verò, conciliata pace, non modò in unum populum, ſed in unam Dei familiam, in eamdem Eccleſiæ domum aſciti, iam non eſtis peregrini, & advenę, ſed concives (Græcè *ſympolitæ*) municipes Sanctorum, eodem iure, eiſdem immunitatibus fruentes: imò verò de ipſa familia, & domo Dei, eius planè familiares, atque domeſtici. Qui videre volet huius præclari beneficij collati in Gentes luculenta vaticinia Prophetarum, congeſta reperiet à noſtro Prado, Ezechiel. 16. 3 vers. 61.

Numerus 20.

Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum.

70 DIxi, vos esse iam, non modò adscriptos in civitatẽ Sanctorum, verùm etiam admissos in ipsam familiam, domumque Dei. Parum est, quod dixi: vos, vos (inquam) estis ipsa Dei civitas, ipsissima Dei domus, cuius fundamenta sunt Apostoli, atque Prophetæ: vos autem estis superædificati, tanquam lapides vivi huius ædificij.

71 Videtur hæc Apostoli sententia pugnare cum illa 1. Corinth. 3. nu. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* Quid magis contrarium, quàm asserere, nullum aliud posse poni fundamentum, & modò tot fundamenta multiplicare? Sed sciẽdum est, in ædificijs unum primarium, ac præcipuum iaci fundamentum, id est, firmissimum, solidissimumque lapidem, cui tota deinceps substructa ædificij moles, inclinata, & innixa recumbit: sed super hoc primum fundamẽtum alia deinde saxa superimponuntur, quę & ipsa, *fundamenta* meritò nominantur: innitũtur illa quidem primario illi lapidi suppositio, sed reliquam ædificij substructionem ipsa etiam fundant, atque sustentãt. Iam per se liquet similitudinis applicatio. Christus est primarium, ac præcipuũ Ecclesię fundamentum, & nullum aliud primum poni potest: sed sunt etiam Apostoli, atque Prophetæ proximè substructi in hac solidissima petra, lapides vivi, cęteram ædificij molem sua etiam firmitudine sustinentes.

72 Et Petro quidem dictum est Matth. 16. num. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificábo Ecclesiam meam.* Lege Belarminum lib. 1. de Romano Pontifice cap. 10. & 11. Barradam to. 2. lib. 10. cap. 23. De cæteris quidem Apostolis prædictum est ab Isaia cap. 54. num. 11. *Ecce ego sternã per ordinẽ lapides tuos, & fundabo te in saphiris.* Saphirum præcipuè nominat Propheta, quia cærulei coloris est, & venustissima stellula solet insigniri, ut scribit Plinius lib. 37. cap. 9. Apostoli autem, quorum tota conversatio erat in cælis, cælum ipsum vita repræsentabant. Nam alioqui ex distinctis pretiosis lapidibus vidit Ioannes hæc solidissima fundamenta constare, Apoc. 21. n. 14. *Et murus civitatis habẽs fundamẽta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorũ Agni.* Sunt verò hæc fun 73
damenta, non saxa impolita, sed lapides pretiosi: ut intelligamus, Apostolos in persecutionibus prorsus inconcussos perstitisse, & cælesti quodam doctrinæ fulgore orbem illustrasse. Atque hinc propriè ducta est fundamenti compellatio, quia prædicatione Evangelica Ecclesias ubique fundarunt. Ad Roman. 15. num 20. *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem.* & 1. Corinth. 3. num. 10. *Vt sapiens Architectus fundamentum posui.*

Ipso summo angulari lapide Christo Iesu.

GRæcè hoc effertur per genitivum absolutum: Latinè ita reddas verbum è verbo per ablativũ: *Existente summo angulari ipso Iesu Christo.* Vbi vide, quàm disertè exponat Paulus, ita esse Apostolos, & Prophetas huius ædificij fundamenta, ut tamen ipsi, præcipuo alteri, ac primario fundamento priùs innitantur.

Frequentissimum est in Scriptura, 74
Christum lapidem angularem nominari. Sed, ut ego arbitror, respexit Apostolus in hoc loco, Isaiæ vaticinium: usurpat enim

nomen ipsum, quod ibi LXX. & ex illis Petrus epist. 1. cap. 2. n. 6. *Acrogoniæos*: quam unicam vocem tribus hîc Latinis Vulgatus expressit. Aititaque Isaias cap. 28. num. 16. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* Hunc lapidem angularem esse Christum, in confesso est apud omnes. Nam verba illa Psalm. 117. num. 22. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*, Christus ipse Matth. 21. num. 42. Luc. 20. num. 17. & Apostolus Petrus Actuum 4. num. 11. & 1. Petr. 2. num. 7. & Paulus ad Roman. 9. num. 33. de Christo interpretati sunt.

75 Sed cur angularis lapis, aut caput anguli dicatur Christus, & an ad fundamentum, an ad fastigium spectet, non eadem omnium sententia est. Ego existimo, duas ob causas Christum angularem lapidem nominari. Prima est, propter soliditatem, firmitudinem, ac robur: solent enim anguli in ædificijs esse firmissimi, solidissimique lapides: ac propterea ædificiorum ossa nuncupantur. Vide Pinedam ad illa verba Iob. 1. num. 19. *concussit quatuor angulos domus.* Secunda: quia, ut angularis lapis geminum utrinque parietem complectitur; ita Christus utrumque populum Iudaicum, atque Gentilem, & inter se connectit, & in se ipso continet, atque sustentat: *faciens utraque unum*, suprà n. 14. *Vt duos condat in semetipso*, num. 15.

76 Hunc verò probatissimum lapidem, qui factus est in caput anguli, ad huius ædificij fundamentum pertinere, disertis verbis explicavit Isaias, quæ paulò antè recitavimus: & ex eo sumpsit Ecclesia, dum ait: *Angularis fundamentum lapis Christus missus est.* Pineda etiam ex illis verbis Iob. 38. num. 6. *Super quo bases illius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem eius?* tanquam certum, atque perspicuum colligit, lapidem angularem in fundamento sterni solitum. Quod ex hoc ipso Apostoli loco solidè confirmatur: agit enim de Ecclesię fundamentis, de fidelibus superædificatis, de ædificatione denique tota in hoc angulari lapide constructa. Qui plura volet de lapide angulari, legat eruditam Pinedæ digressionem in illo cap. 38. Iob vers. 6. Maldonatum, & Burgensem. Matth. 21. nu. 42. Barradam tom. 3. lib. 8. cap. 4. Toletum ad Roman. 9. notatione. 34. Lorinū, Actuum 4. vers. 11. Ioannem Fernandez in suo Thesauro, verbo, Angulus, num. 3. Iansenium in Concord. cap. 114. Salmeron hic disput. 6. & tom. 13. part. 2. disp. 19. Belarmin, Psalm. 86. vers. 1.

Numerus 21.

In quo omnis ædificatio cōstructa crescit in templum sanctum in Domino.

77 Onstructa, Græcè *synarmologumene*, participium præsentis temporis, cuius vim rectè expressit Vatablus, *quæ coagmentatur.* Caietanus, *quæ coaptatur.* Hieronymus, *compaginata.* Ambrosius, *compacta.* Erasmus, *commissa.* Regia, *coagmētata.* Hoc ipsum participium Græcum extulit Vulgatus cap. 4. num. 16. *totum corpus compactum,*

78 Iam hinc elicitur huius loci intelligentia, Apostolo digna: quò firmiùs, arctiùs, ac tenaciùs hæc spiritualis structura compacta, & coagmentata fuerit lapidi angulari Christo: eò maiora capiet incrementa, eò celeriùs, & altiùs extolletur. Hæc incrementa explicavit Augustinus serm. 22. de Verbis Apostoli. *Domus Dei credēdo fundatur, sperando erigitur, diligēdo perficitur.* Et Origenes in cap. 4. Epistol. ad Roman. *Prima salutis initia, & ipsa fundamenta, fides est: profectus verò, & augmenta ædificij, spes est: perfectio autem, & culmen totius operis, charitas.* Doctè hoc explicat Vazquez tom. 2. in 1. 2. disput. 210. cap. 7.

Hæc autē ædificatio ad fastigium usq;

chari-

charitatis perducta, augustissimum, gratissimumque templum est Divinę Maiestatis. 1. Corinth. 3. num. 16. *Nescitis, quia templum Dei estis?* Cap. 6. num. 19. *Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est.* Et 2. Corinth. 6. num. 16. *Vos enim estis templum Dei vivi.*

Numerus 22.

In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

79 QVod communiter dixerat, illis sigillatim applicat. Vos etiam per fidem iam compacti lapidi angulari Christo, virtute Spiritus Sancti in Dei Templum, ac domicilium exsurgitis: per inhabitantem enim Spiritum Sanctum huic templo fastigium imponitur. 1. Corinth. 3. num. 16: *Et Spiritus Dei habitat in vobis. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Sed est illustris commentarius huius loci alter quàm similimus, 1. Petri 2. num. 4. *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum: & ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis.*

CAPVT III.

Numerus 1.

Huius rei gratia, ego Paulus vinctus Christi Iesu.

1 EXtollit Apostolus beneficij commemorati vocationis Gētium magnitudinem: atque hoc mysterium absconditum à sæculis, sibique divinitus patefactum exaggerat: seque ad illud prædicandum à Deo fuisse delegatum ostendit.

Sunt, qui in hoc loco diem Apostolo dicant Grammaticæ violatæ: eumque in manifestū incurrisse soloecismum asseverent. Nam hic nominandi casus, *ego Paulus*, omnino suspensus in tota hac oratione fluctuat. Sunt contrà, qui Apostoli suscipiant patrocinium: atque ut à Grammaticorum ferulis subducant, verbum aliquod addunt, affinguntque de suo: ut *legatione fungor*, aut *Deo gratias ago*. Alij ad versum usq; 14. longissimū hyperbatō interponūt, & inde verbum ascīscunt, *flecto genua*. Neque id mirandum esse aiunt: Paulinum enim pectus tam multis, tam arcanis, tam sublimibus scatens, redundansque mysterijs, copia ipsa obrutum, & profluentis spiritus impetu conciratum, communem sermonis cursum tenere non potest.

Laudo equidem studium, & industriā 2
asserendi Apostolū: sed mihi Hieronymi verba in commentario huius loci mirificè placent. [Iste, qui soloecismos in verbis facit, qui non potest hyperbaton reddere, sententiamque concludere, audacter sibi vendicat sapientiam.] Vendicent alij sibi comptum, nitidum, calamistratumq; sermonem, illumque buccis concrepantibus in circulis venditent: nos pectus Apostoli cælesti sapientia repletum vindicemus, eumq; imperitum fuisse sermone, ingenuè fateamur.

Huius (inquit) *rei gratia*, scilicet, ut vos 3
Gentes, tanquam lapides vivi cum ipso summo angulari lapide Christo coaptati, quotidie magis, magisque in templum Dei ædificemini. Vsurpat verò hic Apostolus honorificentissimum, gloriosissimumque titulum. *Ego* (inquit) *Paulus vinctus Christi Iesu.* Pandit Chrysostomus homil. 8. eloquentiæ suæ vela, ut hanc sublimem dignitatem plenu manu in altra tollat. [Magna dignitas, ait, & regno quovis, & consulatu longè maior: nam nihil ita splendidū, ut vinctum esse propter Christum, ut catenæ sunt sanctis illis manibus circumdatæ: vinctum esse propter Christum, illustrius est, quàm sive

Apostо-

Apoſtolum, ſive Doctorem, ſive Evange-
4 liſtam eſſe.] Et aliquantò pòſt. [Quòd ſi quis mihi, vel univerſi cęli, vel huius catenæ copiam, & optionem largitus eſſet, catenam hanc ego planè elegiſſem. Deinde, ſi aut mihi cum Angelis ſtandum fuiſſet ſurſum, aut cum Paulo vincto, carcerem utique præoptaſſem. Ad hæc ſi quis me, aut in numerum, & ordinem collocaſſet cæleſtium Potentiarum, earum etiam, quæ ſunt prope thronum Dei, aut talem ligatum feciſſet, talis utique ligatus eſſe voluiſſem. Nihil hac catena beatius.]
5 Adijcit Chryſoſtomus pro coronide dignam Chryſoſtomo ſententiam. [Si quis Chriſtum diligit, is novit, quid ſit, quod dico.] Cui conſonat Bernardus ſerm. 79. in Cant. *Non poteſt capere ignitum eloquium, frigidum pectus: lingua amoris, ei, qui non amat, barbara erit.*

De eiſdem Apoſtoli catenis lege, quæ congerit Lorinus ad illa Actuum 26. numero 29. *Exceptis vinculis his.* Gregorius autem lib. 3. indict. 12. epiſtol. 30. mirabile quiddam prodit de Apoſtoli catena, cuius vel tenuiſsimus pulviſculus clima-tus, in ſumma veneratione habebatur. Vide eumdem Lorinum Act. 28. num. 20.

Pro vobis Gentibus.

6 CVm oratio ſuſpenſa ſit, quorſum ſpectẽt hæc verba, etiam incertum. Qui ſupplent illa, *legatione fungor*, aut *gratias ago*, congruenter cum eiſdem connectunt. Arbitror, Apoſtolum eorum benevolentiam conciliare, commemoratis vinculis, quæ ipſorum cauſa perferebat, ut eos ſibi dicto audiẽtes efficiat. Mirè enim valet ad devinciendos animos eorum, quibus cum agis, ſi illi ſibi perſuadeant, uſque eò ſuam ſalutem tibi cordi eſſe, ut eius procurandæ cauſa multa perpeſſu aſpera ſuſtineas. Plenę ſunt exemplis epiſtolæ Pauli; & nominatim de catenis illud commemorat Lucas Act. 28. num. 20. *Rogavi vos videre, & alloqui: propter ſpem enim Iſrael catena hac circumdatus ſum.*

Numerus 2.

Si tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis.

SI *tamen*, Græcè, *ige*, non 7
dubitantis eſt, ſed affirmantis. Rectè itaque vertas, *ſiquidem*: & ſenſus eſt: quandoquidem audiſtis, creditam mihi eſſe adminiſtrationem, iniunctumque à Deo munus annuntiandi Gentibus Evangelium.

Diſpenſatio, Græcè *œconomia*, propriè eſt adminiſtratio, procuratioque totius domus. Nam quem Hebręi dicunt *hal Bajt*, & Vulgatus vocat *Præpoſitum domus*, 3. Regum 4. num. 6. & 4. Regum 18. num. 18. & cap. 19. num. 2. aut *diſpenſatorem domus*, 3. Regum 18. num. 3. aut *procuratorem*, Eſther 8. num. 9. LXX. *œconomum* in his locis nominarunt: cuius munia expoſuit Chriſtus Luc. 12. num. 42. *Quis putas, eſt fidelis diſpenſator, & prudẽs, quem conſtituit Dominus ſupra familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram?* Idem œconomus appellatur *Actor*, 8
ſive, ut vertit Regia, *curator*, ad Galat. 4. num. 2. ille ſcilicet, cui eſt commiſſa adminiſtratio rei familiaris, quæ ſpectat ad pupillum. Quæſtor etiam civitatis, ſeu diſpenſator ærarij, & publicæ pecuniæ, œconomus vocatur à Paulo, ad Romanos 16. num. 23. *Arcarius*, ab Interprete.

Diſpenſatio itaque prędicandi Gentibus Evangelium, commiſſa eſt Apoſtolo divinitus. Ad Coloſſenſ. 1. num. 25. *Secundum diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi in vos.* Ad Galat. 2. num. 7. *Creditum eſt mihi Evangelium præputij.* 1. Corint. 9. num. 17. *Diſpenſatio mihi credita eſt.*

(?)

Numerus 3.

Quoniam secundum revelationem notum mihi factum est Sacramentum.

9 AD Galat. 1. num. 12. *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Iesu Christi.* Hanc revelationem ipse Apostolus commemorat Act. 26. num 17. Sic enim eum affatur Christus. *Eripiens te de populo, & Gentibus, in quas nunc ego mitto te, aperire oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, & de potestate Sathanæ ad Deum.* Hoc re vera fuit Sacramentum, Græcè *mysterium*, id est, sacrum, arcanumque secretum, quod hîc num. 5. asserit Apostolus, *alijs Generationibus non fuisse agnitum hominibus, sicut nunc revelatum est*: & ad Colos. 1. num. 26. *Mysterium, quod absconditum fuit à sæculis, & Generationibus.* Ad Rom. 16. num. 25. *Secundum revelationem mysterij temporibus æternis taciti.* Omnino enim
10 nullius hominis mentem subire potuisset, Gentiles, hoc est, cultores lapidum, ac dæmonum, cimmerijs tenebris obcecatos, in fœdissimo turpissimarum libidinum cœno defixos, meras belluas, admittendos esse ad Evangelicam lucē, & gratiam; futuros mēbra viva corporis Christi, ac de influxu capitis uberrima gratiarum fluenta percepturos; adituros denique illius regni cælestis æternam hæreditatem. Et hoc est, quod ponderat Paulus, num. 6. *Gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticeps promissionis eius in Christo Iesu per Evangelium.* Chrysostomus homil. 5. in epistolā ad Colossenses, *Homines lapidibus stupidiores ad Angelorum subitò dignitatem evehere, ita ne ratio valuit, ac mysterij huius divitiæ.*
11 ut Mysterium planè adeò absconditum, ut ipse Princeps Apostolorum Petrus, post acceptum Spiritum Sanctum, post demissum è cælo linteum, immundis animantibus refertum, vix, atque ægrè penetraverit. Hanc emphasim habet verbum illud Actuum 10. num. 34. *In veritate comperi.* Græcè, *catalambanomæ*, præsentis temporis. Nunc demum deprehendo, ipsaque experientia convincor: perinde, quasi id anteà eius aciem pervolasset. Certè fideles omnes, qui venerant cum Petro, eodem cap. 10. num. 45. *Obstupuerunt, quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est.*

Non est itaque mirandum, toties cele-12 brare Apostolum gratiam sibi datam in huius mysterij revelatione, & prædicatione Gentium. Infrà num. 8. *Mihi omnium Sanctorū minimo* (Græcè, *Elachistotero*, id est, infimo infimiori, postremissimo) *data est gratia hæc, in Gentibus evangelizare investigabiles* (id est, imperveſtigabiles) *divitias Christi.* Ad Roman. 15. num. 16. *Propter gratiam, quæ data est mihi à Deo, ut sim minister Christi Iesu in Gentibus.* Ad Galatas 2. num. 9. *Cùm cognovissent gratiā Dei, quæ data est mihi*, scilicet prædicandi Gentibus Evangelium. Atque iam inde à prima sua vocatione hanc gratiam Apostolo contulit Christus. Actuum 9. n. 14. *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen*
13 *meum coram Gentibus.* Quare iure optimo ipse Apostolus in hoc munere sibi demādato gloriatur. Ad Roman. 11. num. 13. *Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo*, Græcè, *clarifico*, seu *glorifico*. Audi Apostolum, glorioſum sibi titulum Doctoris Gentium asserentem, 1. Tim. 2. num. 7. *In quā positus sum ego prædicator, & Apostolus (veritatem dico, non mentior) Doctor Gentium in fide.*

Sicut supra à scripsi in brevi.

HOc est, sicut paulò antè paucis, summatimque perstrinxi, tum vos iam conci-

Numerus 4.

Prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi.

14 GRæci in eam sententiam explicant, ut tanquam prudens dispensator ad eorum, quibus cum agebat, captum se se attemperans, & accommodans, non ita copiosè egerit de hoc recondito mysterio, ac eius summa dignitas, & amplitudo postulabant; sed parcè potiùs, atque strictim, prout ipsi possent legentes intelligere. Græcos Interpretes sequuntur ferè Recentiores.

15 Ego, & si compertum habeo, in Apostolo cæleste hanc relucere prudẽtiam, eamque arbitror inter præcipuas œconomi dotes numerari, ut singulis pro uniuscuiusque captu, & rata mensura provideat. Vide 1. Corint. 3. nu. 2. & ad Heb. 5. num. 12. Tamen existimo, id nunc agere Paulum, ut ex notitia huius mysterij, quã Ephesijs impertierat, convincat, id, quod proposuerat, sibi à Christo fuisse revelatum. Hæc est aperta mens Hieronymi, dum ait. Verò, si quis superiora huius epistolæ contempletur, videbit ei revelata mysteria.

16 Hoc series exigit ipsa cõtexturæ. Neque verò est alienum ab Apostoli humilitate, & se agnoscere, & palàm profiteri huius mysterij intelligentiam cæ litus derivatam, quò maior illi fides habeatur. 1. Corinth. 2. num. 12. *Non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Ad Colossens. 1. num. 28. *Docentes omnem hominem in omni sapientia.* Hæc sapientia admirabilis ex omnibus Pauli verbis divinitus elucebat, teste ipso Apostolorum Principe, 2. Petri 3. num. 15. *Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis.* Congruentissimè enim Gentibus, quæ sapientia pollebant, datus est Apostolus sapientissimus. 1. Corinth. 1. nu. 22. *Græci sapientiam quærunt.*

Numerus 5. & 6.

17 VTrumque hunc versum exposui, num. 3. Duplex tamen supereſt gravis difficultas. Prima est: hoc mysterium vocationis Gentium expressè revelatum est Patriarchis, atque Prophetis. Vetustissimus Iacob, multis antè sæculis illud disertè prædixit, Genes. 49. num. 10. *Et ipse erit expectatio Gentium.* Isaias multus est in hoc mysterio prænuntiando: cap. 49. num 6. cap. 42. num. 6. Quæ vaticinia exponuntur ab Apostolis, Actuum 13. numero 47. Sicut & alia eiusdem Isaiæ, & Regij vatis citãtur, & explicantur à Paulo: ad Rom. 15. n. 9. & 12. Iam duo illa Oseæ testimonia maximè illustria sunt, quibus hoc ipsum confirmat Apostolus ad Romanos 9. num. 24. 25. & 26. Res ergo tam multis Prophetis divinitus patefacta, tã apertis, & expressis prædicta, & enũciata vaticinijs, cur vocatur ab Apostolo mysterium, *quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominum? quod absconditum fuit à sæculis*, ad Colossens. 1. num. 26. *Quod fuit temporibus æternis tacitum*, ad Roman. 16. num. 25.

18 Qui huic difficultati ex eo satisfaciũt, quòd non neget Paulus, hoc mysterium agnitum fuisse Prophetis, sed *filijs hominum* duntaxat: hoc enim vocabulo, idiomate Hebraico, vulgares, & plebeij nominantur; minimè mihi satisfaciunt: esto, probabilis sit illa observatio. Isti enim nõ animadvertunt, in hac expositione nihil præclarum, aut excellens de iam diffusa per orbem gratiæ luce Apostolum prædicare: non enim plebeios opponit plebeijs, ut istis nunc in tanto Evangelij fulgore patefactum, illis occultum quõdam in umbræ, legisque caligine, hoc mysteriũ esse dicat: sed filijs hominum opponit Apostolos, & Prophetas, quibus nunc dicit

esse

esse revelatum, & olim filijs hominum incognitum. Itaque si nunc neque promiscuè plebi, & tunc duntaxat Prophetis erat patefactum, equa videtur esse utriusque populi, statusque conditio.

19 Commodior itaque ratio est huius difficultatis expediendæ; innotuisse quidem Patriarchis, vocandas esse Gentes ad Evangelicam gratiam; sed non ita plenè, expressè, atque distinctè hoc mysterium cognovisse, ut Apostoli cognoverunt: vel quia illos plerequè latuerunt circunstantiæ, ut altissimus dignitatis gradus, ad quem Gentes erant extollēdæ, nimirùm, ut Filij Dei nominarentur, & essent: quāquam etiam hoc videtur Oseas assecutus, citatus à Paulo ad Romanos 9. num. 26. *Et erit: in loco, ubi dictum est eis: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur Filij Dei vivi.* Lege Maldonatum ad illa verba Ioan. 1. num. 12. *Quotquot autem receperunt eum,*
20 *dedit eis potestatem Filios Dei fieri.* Vel quia fugit Patriarchas, Gentiles unà cum Iudæis, cùm isti viderentur præferendi, ex æquo tamen, & communiter promissam hæreditatem, adituros: quod sæpe ponderat Apostolus: ad Romanos 10. numero 11. *Non est distinctio Iudæi, & Græci.* Vbi adverte, Gentiles, in novo præsertim Testamento, Græcos nominari, Iudæisque opponi, quanvis neque lingua, neque genere Græci sint. Sic mulierem Chananæam Marcus, cap. 7. nu. 26. *Hellenida*, id est, Græcam vocat: Vulgatus vertit ibi, ut aliàs sæpe, *Gentilem.* Ad Colossenses 3. nu. 11. *Vbi non est Gentilis* (Græcè, *hellen*) *& Iudæus, circumcisio, & præputium.* Ad Galat. 3. nu. 28. *Non est Iudæus, neque Græcus:* 1. Corinth. 12. num. 13. *Sive Iudæi, sive Gentiles.* Græcè, *Græci.*

21 Hæc itaque circunstantia tantæ æqualitatis fortasse non fuit revelata Prophetis. Nam, ut probavi cap. 1. num. 12. Christus debitus erat Iudæis ex quadam obligatione iustitiæ, fundata in promissione Divina; Gentilibus autem ex pura misericordia. Vnde Paulus, & Barnabas dixerunt Iudæis Actuum 13. num. 46. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.* Cui consonat illud ad Roman. 11. num. 11. *Illorum delicto salus est Gentibus.* Et nu. 12. *Diminutio eorum, divitiæ Gentium.*

22 Hanc explicationem huius difficultatis non obscurè indicat ipse contextus: neque enim absolutè negat Paulus, hoc mysterium quondam fuisse revelatum, sed *sicuti nunc revelatum est*, id est, non tanta claritate, plenitudineque notitiæ; non tam multis expressis circunstantijs: quas continuò sigillatim enumerat: *Gentes esse cohæredes*; videlicet unà cum filijs; cælestis hæreditatis; & *concorporales*, tanquam membra viva eiusdem corporis Ecclesiæ; & *comparticipes*, id est, ex æquo consortes promissionis, quæ ad veteres illos Patriarchas de Christo facta est.

23 Altera difficultas est: quinam hic Prophetarum nomine intelligantur, dum ait Apostolus num. 5. *Sicuti nunc revelatum est Sanctis Apostolis eius, & Prophetis.* Et quāvis extiterint in Ecclesia, qui futura prædicerent, & præterea prophetare in Scriptura sit interpretari. Exo. 7. n. 1. atq; adeò Prophetæ dicantur sacræ Scripturę enarratores, Doctoresque populi. 1. Corinth. 14. toto ferè capite: 2. Petri 1. numero 20. ad Romanos 12. num. 6. nolim tamen, hîc Propherarum nomen restringi ad certum personarum genus; sed viros omnes eximia virtute prędítos, eo nomine comprehendi. Quod vulgatissimum esse in Scriptura, non uno in loco probat Maldonatus. Lucę 7. num. 16. Ioan. 6. num. 14. & cap. 9. num. 17.

(*)

Numerus 7.

Cuius factus sum minister.

24 SIc ad Romanos 15. num. 16. & 1. Corinth. 4. num. 1. & ad Colossenses 1. num. 23. & 25.

Secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi.

TEr in hoc capite repetit, num. 2. numero 7. & num. 8. Lege, quæ observavi, n. 3. Vbi etiam exposui numerum. 8.

Numerus 9.

Et illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creavit.

25 OEcumenius, Sacramentum hoc fuisse arcanum, & sacrosanctum Incarnationis mysteriū: quod vel supremi ipsi Seraphini ne suspicione quidem attigissent. Ita loqui solet Paulus de eodem mysterio. 1. Corinth. 2. num. 7. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram.* Vbi apertè sermo est de Christo: subijcit enim nu. 8. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

26 Magis assentior Chrysostomo, qui non solùm ait, huius mysterij vocationis Gentium circunstantias Patriarchas, & Prophetas, verùm ipsos cælestes etiam spiritus latuisse: sic enim ait hom. 7. [Quòd vocatæ essent Gentes, sciebant: quòd verò ad eamdem Israelis sortem vocatę essent, & ad hoc, ut iuxta thronum Dei collocarentur, istud sanè quisnam expectasset? quisnam credidisset?] Locus autem ille ex 1. Corinth. 2. quomodò etiam spectet ad Gentium vocationē, & iustificationē, ostendi suprà cap. 1. num. 18. Nihil verò testatum magis, inculcatumque frequentiùs Patriarchis, quàm Dei Filium hominem futurum.

Est igitur hæc sententia huius loci. Mihi demandatum est, omnes docere, quæ, & qualis futura sit huius gratiæ in Gentes effusæ administratio: proferreque in lucem multas, & varias huius mysterij circunstantias, iam inde ab ipsa æternitate soli Deo cognitas.

Numerus 10.

Vt innotescat Principatibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei.

26 COncors ferè est Græcorum Patrum sententia, cælestes illos spiritus multa gratiæ mysteria ab Ecclesia, signatèque ab Apostolis didicisse. Chrysostomus non solùm est huius sententiæ homil. 7. in hanc epistolam, sed etiam prologo in Evangelium Ioannis. [Nihil, inquit, humanum loquitur Ioannes; sed ab Spiritus Sancti profundis, & abditis thesauris omnia proloquitur, quæ neque Angeli priùs, quàm Ioānes diceret, noverunt: namque & ipsi nobiscum per Ioannis vocem, & per nos didicerunt.] Chrysostomum sequuntur, ut solent, Theodoretus, Theophilactus, & OEcumenius. Atque hi duo postremi sententiam hanc cōfirmant luculentissimis Nisseni verbis, ex homil. 8. in Cantica: quę multiformem Dei sapientiam nobis repręsentant, & valde hunc Apostoli locum illustrant. [Ante tempora Incarnationis Servatoris nostri, simplicem noverunt cęlestes illæ virtutes Dei sapientiam ex sola potentia: nunc autem per dispēsationem in Ecclesiam, non iam solùm simplex,

verùm

verùm etiam vehementer multiplex innotuit sapientia, dum per contraria, contraria operatur; per mortem, vitam; per ignominiam, gloriam; per Crucem, throphæum; per omnia vilia, & abiecta, magna, Divinæque Maiestatis plenissima.]

28 Magnus ille Dionysius cap. 7. cælestis Hierarchiæ, interrogationem illam Angelorum, Isaiæ 63. num. 1. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Quare ergo rubrum est indumentum tuum?* ex antegressa ignoratione profectã fuisse, ait. [Quosdã, inquit, ad Iesu ipsius hæsitantes aspectũ, Diviniq; illi⁹ operis, & pro nobis assumptæ carnis sciẽtiã discere cupientes, quos ipse Iesus per se doceat.] Idẽ colligũt ex isto Isaiæ testimonio Origenes tract. 15. in Matthæum, Naziãzenus orat 42. & Cyrillus lib. 12. in Ioannem, cap. 58. ex Latinis adstipulantur Ambrosius lib. de Institutione Virginis, cap. 5. & lib. 4. de Fide cap. 1. & Hieronymus in magnis huius epistolæ commentarijs.

29 Suspicio pro eo, ac debeo, tam spectatam Patrum coronam; & tantorum Interpretum auctoritate impulsus, veneror illorũ sententiã: sunt tamẽ nonnulla, quę illi possim obijcere: & in primis, quod ad mysteriũ Incarnationis attinet, mitto in præsentia disceptare, an illud revelatũ fuerit Angelis, etiam tunc, cùm viatores extiterunt: partem enim affirmantẽ tenẽt gravissimi Theologi, quos refert, & sequitur Vazq. to. 2. in 1. P. d. 215. c. 1. Indubitatum certè est, Angelos beatos, ante Ascẽsionem Christi, (cùm dicitur facta esse illa interrogatio, Isaię 63. n. 1.) non solùm substantiam mysterij, verùm etiam cæteras Redemptionis nostræ circunstantias pernovisse. Quare interrogationem illam nõ ex ignorantia personæ triumphantis, sed ex admiratione quadam, & stupore insoliti spectaculi erupisse, alij Patres, & Interpretes prodiderunt.

Chrysostomũ arbitror nimio elatum
31 studio laudandi Ioannem, longiùs fuisse provectum, quàm veritas ipsa permittit: dedecet enim ordinatissimã Divinę pro-

videntiæ dispositionem, ut quæ sunt, & natura, & gratia, & gloria superiora, & præstantiora, ea illuminentur, & perficiãtur ab inferiorib⁹, & ignobilioribus. Deinde, vel illa, quæ neq; Angeli priùs, quàm Ioannes diceret, noverunt, spectant ad Divinitatẽ: & hoc fieri non potest, nã eã Angeli clarissimè intuẽtur per beatificã visionem Divinæ essentiæ, & personarũ; vel ad humanitatẽ Christi: &, ut constat ex toto Evãgelio, Angeli, tãquã nũtij, testes, & administri, sacris illis mysterijs interfuerunt.

Quòd si attentiùs, & intimiùs inspi- 32
ciatur totus Apostoli contextus, perspicuum planè est, eum agere de eximia Dei benignitate, quæ relucet in Gentium vocatione: quam imperveſtigabiles divitias, mysteriumque vocat absconditum à sæculis, sibi verò revelatum, iniunctumque munus illuminandi omnes, quæ sit huius dispensatio sacramenti. Subdit continuò, *ut innotescat Principatibus, & potestatibus*: videlicet nõ mysterium Incarnationis, de quo non erat sermo, sed *multiformis Dei sapientia per Ecclesiam*, hoc est, novã, & admirabilia Divinæ sapientię argumenta, in promulgatione Evangelij, in animarũ conversione, in incrementis, ac dilatatione Ecclesiæ, quotidie patefacta: 33
Piscatores videlicet pauperes, idiotas, & ignobiles, mundo, carni, ac dæmoni bellum apertum intulisse; & docentes mysteria, quæ omnem captum superabant, sine ullis verborũ lenocinijs, Græcæ, ac Romanę eloquẽtię, & sapiẽtię Principes captivasse, ac mutos, & elingues reddidisse; Imperatores, ac Reges nõ pugnãdo, sed mortẽ fortiter oppetẽdo, subiugasse; homines deniq, flagitiosissimos, inquinatissimos, meras belluas, Angelis puriores effecisse. 34

Quæ omnia Principatibus, & potestatibus in Verbo, cùm ad eorum statum minimè pertinerent, revelata non fuerant: cùm verò posteà Apostolorum præclara facinora ederẽtur in ipsorum conspectu, in quibus multiformis Dei sapientia mirificè relucebat, iure dicitur, magis, ac magis Angelis innotescere. Itaque illud,

per Ecclesiam, nullatenus significat causam efficientem novę notitiæ Angelorũ, sed denotat obiectum, sive materiam, circa quam mirabiliter exhibita, & declarata est multiformis Dei sapientia. Hæc videtur expressa mens Augustini, dum premens istum locum lib. 5. super Genesim, ad litterã c. 19. ait. [Non in Deo tãtùm innotescit Angelis, quod absconditũ est: verùm etiã hîc eis apparet, cũ efficitur, atq; propalatur.] Est verò tota nostra explicatio Angelici Doctoris in Cõmentario huius loci: ac nisi me ipse fallo, ex Græcis huius est sentẽtiæ Theophilactus, cuius hæc sunt ipsissima verba: [Per Ecclesiam (inquit) hoc est, per beneficia, quæ nobis sunt collata: beneficia enim, quibus divinitus perfusi sumus, Doctores fuerunt eis sapientiæ Dei.]

35

Numerus 11.

Secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.

36 IVxta tempus, quod tantæ rei gerendæ maximè opportunum, & idoneum præfinierat in Christo, cùm anteà per tot sęcula videretur neglexisse mundum, quem densissimis infidelitatis, & ignorantiæ tenebris, & acerbissimo Dęmonis iugo tamdiu passus est, oppressum detineri. Vide cap. 1. num. 10. ad ea verba, *In dispensatione plenitudinis temporum.*

Numerus. 12.

HVnc versum explicavi cap. 2. num. 18.

Numerus 13.

Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ est gloria vestra.

37 PEriculum erat, ne, cùm audirent Ephesij, Apostolum coniectum in vincula, & pessimè ubiq; acceptum propter Evangelium, ipsi consternarentur, ac desponderent animos. Ita enim comparatum est, ut percusso pastore dispergantur oves, Zachariæ 13. num. 7. quod vaticinium Christus altero cõfirmavit, Matthæi 26. num. 31. *Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte.* Apostoli enim conspicati Christum comprehẽsum, & indignè tractatum, *omnes, relicto eo, fugerunt.* Matth. 26. num. 56.

38 Duo itaque proponit Apostolus ad animandos Ephesios: primum & ardentem prodit Pauli charitatẽ, & eos mirificè sibi devincit: ostendit enim, se vincula, tribulationesque perferre, illorum causa. Ad Colossens. 1. num. 24. *Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis.* 2. Timoth. 2. num. 9. *In quo laboro usque ad vincula: sed omnia sustineo propter electos.* 2. Corinth. 1. num. 6. *Sive autem tribulamur, pro vestra exhortatione, & salute.* Indignum igitur profectò esset, cùm Apostolus salutis eorum causa tã multa, non solùm æquo, sed etiam lubenti, & gaudenti animo sustineret, eos, quorum pręcipuè res agebatur, ob Apostoli tribulationes animo deficere.

39 Alterum, quod mirè valet ad eos erigendos, est, Pauli tribulationes in summã eorum gloriã redundare: testantur enim, illorum salutem tanti ęstimari à Deo, ut eius assequendæ gratia non dubitaverit, Ecclesię columnas, id est, Apostolos, sibi carissimos, & coniunctissimos, vinculis, ignominijs, verberibus, morti denique obitæ per cruciatus acerbissimos exponere. Quod sanè summæ sibi glorię ducere possent. Consonat sibi Aposto-

lus

lus 2. Corinth. 1. ubi commemorata graviſsima illa tribulatione, in qua tædebat eum vivere, addit, num. 14. *Gloria veſtra ſumus.* Huc etiam ſpectat iusiurandum illud 1. Corinth. 15. num. 31. *Quotidie morior per veſtram gloriam*: ut expoſui ad Coloſſ. 1. n. 24.

Numerus 14.

Huius rei gratia.

40 VIde, quàm longo tandem intervallo pertexat Apoſtolus, quod exorſus fuerat initio huius capitis. Hîc enim claudit hyperbaton: & hęc extrema verba cũ primis illis, *huius rei gratia ego Paulus &c.* connectẽda ſunt. Vt minùs iam mireris, quod de Paulo ſcribit Hieronymus, epiſtola ad Algaſiam, q. 10. & in c. 1. Epiſt. ad Titũ. [Profũdos ſenſus lingua nõ explicat: & quod cogitat, in verba vix promit]

Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

41 HAbitus orãtis eſt, in genua provolvi, & ſuppliciter, ac impenſè quidpiam à Deo efflagitantis. Daniel. 6. num. 10. Matth. 17. num. 14. Marci. 1. n. 40. cap. 10. num. 17. Luc. 5. num. 8. cap. 22. num. 41. Actuum 7. num. 59. cap. 9. num. 40. cap. 20. num. 36. & cap. 21. n. 5.

Numerus 15.

Ex quo omnis Paternitas in cælis, & in terra nominatur.

42 NOn miror Latinos quoſdam Interpretes ex ignoratione proprietatis Græcæ vocis, huius loci intelligentiã minùs aſſecutos. Neque lubet ſingulorum errata traducere. Paternitas Græcè dicitur *Patria*: quæ vox, ut ex ſexcẽtis conſtat Scripturæ teſtimonijs, ſignificat familiam, cognationem, ſive progeniem: &, ut auctor eſt Hieronymus adverſus Helvidium, propriè redditur Latinè, *Parẽtela*. Cùm videlicet ex una radice multa generis turba diffunditur, ex uno capite longa familiæ ſeries propagatur.

Suſpicor, hîc Vulgatum non ſine myſ- 43
terio hanc vocem novo quodã vocabulo reddidiſſe: quod aliàs nuſquã efficit: eo nimirùm ductũ cõſilio, ut Divinã agnationẽ cũ Deo, & Angelis exprimeret, & venuſtã Græcarũ vocũ paronomaſiã, & alluſionẽ quoquomodo imitando adũbraret. Ac ſi diceret: precor ab illo cœleſti Parente, à quo omnis noſtra parẽtela derivatur.

Vocem ipſam Græcã retinuit Vulgatus, Pſalmo 95. n. 7. *Afferte Domino patriæ Gentium.* Hebraicè, *Miſpehot*, id eſt, familiæ: ſic enim exprimitur Latinè 1. Paralip. 16. num. 28. *Afferte Domino familiæ populorum.* Et ita ſolet vertere Vulgatus nomen *Patria*, Pſalm. 21. num. 28. Pſ. 106. num. 41. Lucæ. 2. n. 4. Actuum 3. n. 25.

Deinde illud animadvertendum eſt, 44
quod obſervat Maldonatus Matt. 5. n. 9. vocari, ſeu nominari, in arcano ſermone plus quiddam ſignificare, quàm eſſe: nempe ita aliquid eſſe, ut emineat, atque extet: ut in omnium oculos, in omniũ linguas incurrat: ut omnium ore celebretur. Geneſ. 21. num. 12. *In Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Expreſsit Paulus ad Romanos 9. n. 8. *Qui filij ſunt promiſsionis, æſtimantur in ſemine.* Quod dixerat Iſaias cap. 56. n. 7. *Domus mea, domus orationis vocabitur*, retulit Chriſtus per verbum ſubſtãtivum Lucæ 19. n. 46. *Domus mea, domus orationis eſt.* Huc ſpectãt illa Luc. 1. n. 32. *Filius Altiſsimi vocabitur*: & n. 35. *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei*, id eſt, erit.

Iam perſpicua eſt Apoſtoli ſententia. 45
Percurrerat brevi ſub finẽ 2. capitis, inſignia Dei beneficia, in Epheſios liberaliſsimè collata: agnationẽ cũ Chriſto capite; & cũ cœleſtibus civibus attigerat: nũc, ut ipſi queant has inæſtimabiles divitias gratiæ ponderare, flectit genua ad ſummũ illũ Parentẽ, à quo videlicet omniũ, tum

in cælo Angelorum, tum in terra hominum paterna cognatio, & affinitas derivatur: ipse enim summus Deus, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, omnium etiam Angelorum, & hominum Pater esse per adoptionem, dignatus est. Itaque non tãtùm Paternitas æterna, sed temporalis etiam, id est, cognationis principatus, in hanc Angelorum, hominumq; latissimam familiam ipsi cõvenit: ex ipso enim, tanquam ex capite, & radice, omnes cæleſtes, & mundanæ sunt dissemina-tæ, propagatæque familiæ.

Numerus 16.

Vt det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem.

46 INcipit enumerare sigillatim, quæ in genua provolutus tam enixè à Deo contendebat: ac primò illud postulabat, ut ea dona, pro quibus deprecabatur, largiretur Ephesijs Deus; nõ quidem pro ipsorum meritis, quæ tenuissima esse constabat; sed pro benignissima, & locupletissima ipsius Dei liberalitate. *Secundum divitias gloriæ suæ. Gloriam* enim hîc accipio pro *gratia*, ut accipiunt plerique Interpretes; ad Romanos 3. num. 23. *Omnes enim peccaverunt, & egẽt gloria Dei.* Illustratur enim vel maximè Divina gloria editis admirandis operibus gratiæ; ut probavi c. 1. n. 6. *In laudẽ gloriæ gratiæ suæ.*

47 Precatur deinde, ut eos Deus cœlesti robore fulciat: circumspiciens videlicet, Apostolus præsentissima pericula, quæ undique illis impendent, qui dant nomen Christianæ militiæ, celsam hanc animi fortitudinem, ut rem illis summè necessariam, deprecatur. Virtus enim Græcè non est *arete*, quæ vitio; sed *dynamis*, quæ opponitur imbecillitati: & quia hæc exaggerata fortitudo donũ est Spiritus sancti, Isaiæ 11. num. 2. obsecrat, *ut virtute corroborentur per Spiritum eius.* Imò ipse Spiritus sanctus ab hoc præcipuo dono, quo fidelium pectora adversus hostiles impetus obarmat, *virtus* sæpe in Scriptura nominatur: ut probavi suprà cap. 1. n. 14. ex Luc. 24. num. 49. *Quousque induamini virtute ex alto.* Addo etiam, propterea solere in sacris litteris Spiritum sanctum, & virtutem frequẽtissimè copulari. Luc. 4. num. 14. *Regressus est Iesus in virtute Spiritus.* Actuum 10. num. 38. *Quomodò unxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute.* Sic ad Roman. 1. num. 4. & cap. 15. num. 13. & 1. Cor. 2. n. 4. & 1. ad Thes. 1. n. 5.

Denique hęc fortitudo non est gladiatorium illud athletarum robur, qui se exercendo, corporis vires acuebant; nõ spectat ad hominem veterem, & animalem, de quo exsuendo tractat Apostolus cap. 4. num. 22. sed ad novum, & cæleſtem, ad interiorem hominem; de quo legimus 1. Petri 3. num. 4. *Qui absconditus est cordis hom.* Fugit quidem hic homo, in corde ipso abditus, oculorum aciem; sed, ut ibi subdit Petrus, *est in conspectu Dei locuples.* Quia teste Paulo 2. Corinth. 4. nu. 16. *Licèt is, qui foris est, noster homo corrũpatur: tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.* 48

Numerus 17.

Christum habitare per fidem in cordibus vestris.

49 HOc alterum est obsecrationis Apostolicæ caput, sed cum illo primo aptissimè connexum. Hoc nimirùm præstat robur, hoc virtus efficit Spiritus sancti: ut in munito, & obvallato corde sedem, ac domicilium collocet Christus: non petit, ut hospitetur, sed ut habitet: non ut aperto ostio, intret duntaxat, & cænet, ut hospites solẽt, Apocalyps. 3. num. 20. sed ut ad Ephesios per otium veniat, & per fidẽ vivam in cordibus illorum mansionem faciat. Ioan. 14. n. 23.

In charitate radicati, & fundati.

50 HIc rursus sunt, qui Grammaticæ violatæ Apostolo litem intendãt. Lege Salmeronem, hanc criminationem erudite depellentem. Hanc etiam firmitudinem in eorum animis efficiet virtus, ac robur Spiritus Sancti: ut in charitate quàm altissimas radices agant, & quàm firmissima iaciant fundamenta virtutum. Duplex est metaphora, Paulo frequentissima. 1. Corinth. 3. num 9. *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Ad Colossens. 2. num. 7. *Radicati, & superædificati in ipso.* Lege commentarium illius loci.

Numerus 18.

Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.

51 Ota huius loci difficultas inde orta est, quia Apostolus, æstu quodam Divini Spiritus abreptus, reconditos sensus lingua vix exprimit: nam, dum existimat, id scilicet omnes mente volutare, quod ipse vasto illo, ac cælestibus flammis accenso agitabat animo, tam accuratè enumeratis quatuor hisce dimẽsionibus ad rei, de qua agebat, magnitudinem, & immensitatem adumbrandam, rem ipsam non commemorat, nullumque subjecit nomen, ad quod videlicet illæ dimen-
52 siones referantur. Hinc tanta fluxit opinionum, explicationumque varietas, dum quilibet Interpres pro suo ingenio divinat, quidnam illud sit, cuius tam exactã, & quasi dimensam cognitionem fidelibus Paulus exoptat. Alij ipsam Deitatem esse dicunt: cui Iob 11. num. 8. longitudo, & latitudo, sublimitas etiam, & profunditas tribuuntur. Alij ad arcanum Incarnationis mysterium has dimensiones accommodant: alij de ipso ligno Crucis ingeniosè philosophantur: alij referũt ad charitatem; alij, ad visionem beatam: alij denique alias intelligentias pro suo quisq; captu solerter excogitant. Mihi neq; lubet, neq; vacat, singulas recensere, præsertim cùm hoc labore perfuncti sint Salmeron, disp. 8. Bolar. to. 1. lib. 2. de Imaginibus, cap. 27. Barradas, to. 2. lib. 4. c. 4.

Græcos Expositores existimo, hãc rem quasi acu tetigisse. Exaggerat Apostolus toto isto capite sublime illud, & à sęculis reconditum mysteriũ vocationis Gentiũ: explicat, palàmq; proponit glorioſas, & inæstimabiles Divinæ liberalitatis, gratiæque divitias, in hoc mysterio dispensatas. Quid ergo opus est, aliunde nomen arcessere, cuius nullam Paulus fecerit mentionẽ, cùm tota series contextus ad hoc mysterium referatur? Et verò permagni intererat eorum, ad quos scribit, hoc tã insigne Dei beneficium, omnino exploratum, perpensumq; habere, ut tam eximiam filiorũ Dei dignitatẽ permagno æstimarẽt, dignamq; tali vocatione vitam agerent. 53

Audi Græcos Interpretes, congruenter contextui hęc verba declarantes. Photius sic apud OEcumc. [Cuius nã latitudo, lõgitudo, sublimitas, & profunditas? Vel mysterij, ut sit per defectum dictum; vel etiã absq; defectu, sed per hyperbaton.] OEcumenius verò ipse, [Corporeis circumscribit figuris mysterij magnitudinẽ, pro Gẽtibus dispensati.] Theodoretus. [Edisca-
54 mus dispensationis, quæ fuit, magnitudinẽ.] Theophilactus [Vt positis cõprehẽdere cum omnibus fidelibus mysteriũ pro nobis dispensatum.] Claudat agmen Chrysostom⁹ hom. 7. [Quod statim exorsus precatus est, idem precatur & nunc. Quid autem & in principio illis optavit? Vt sciatis, quæ sit spes vocationis vestræ, & quæ sit excellens magnitudo potentiæ ipsius in nos, qui credimus.]

Iam verò non fuerit difficile, has quatuor dimensiones ad huius mysterij dispensationem accommodare. Et latitudinem quidem paucis verbis complexus est Theophilactus. [Adeò (inquit) magnum est, ut quoquò versus, & in omnes sit 55

extensum. Nullus enim est orbis terrarum angulus tam remotus, ac diſsitus, tam abditus, ac retrusus, quem huius lux clariſsima mysterij non perfuderit; nulla natio tam barbara, tam effera, quam hæc excludat liberaliſsima diſpensatio: quoquò versus, & in omnes promulgatum est Evangelium: ad Rom. 10. n. 18. *in omnem terram*, &c. ad Coloſſens. 3. n. 11. *Non est Gentilis, & Iudæus; Barbarus, & Scytha; servus, & liber.*

56 Longitudo autem tanta est, quanta de potentia Dei abſoluta potest esse maxima: protenditur infinitè hæc longitudo: nullis clauditur terminis: ab æternitate in æternitatem usque pertingit. Nã iam inde ab omni æternitate decrevit Deus vocare Gentes. Hieremiæ 31. num. 3. *In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te, miserans.* Et extabit, ac permanebit huius benignæ diſpẽsationis effectus, & fructus in omnem prorsus æternitatem. Gentes ante sæcula prædeſtinatæ, deinceps vocatæ, & iuſtificatæ in tempore, tandem glorificatæ Deo perfruentur ævo sempiterno. Perpende, quàm incircumscripta, & interminata sit huius beneficij longitudo.

57 Quis verò huius mysterij sublimitatẽ attingat, quæ vel ipſas cęleſtes Intelligentias ſua altitudine prætervolat? Cuius enim ſubiret animum, Gentiles ad tantam ſublimitatem evehendos, ut Divinæ conſortes naturæ, Filij Dei vocarentur, & essent, & ipſius Chriſti, Filij naturalis, concorporei, cohæredes, & comparticipes dicerentur? Quis unquam ſublimitatem Divinæ ſapientiæ, bonitatis, ac potentiæ, in hoc mysterio ſeſe ſupra omnia Dei opera efferentem, vel votis conciperet, vel animo, & cogitatione unquam informaret? Deum dilexiſſe ſic ſervos, ut pro illis acerbiſsimæ morti traderet Filium, nullius unquam Seraphini mens, revelatione ſecluſa, capere potuiſſet.

58 Quòd ſi ſublimitas ſic extollitur, profunditas adeò deprimitur, ut nullius ingenij vel acutiſsimi acies eò pertingere valeat: eſt ſanè profundiſsimũ hoc mysterium. *Non fuit agnitum hominibus*, cap. 2. num. 5. *Latuit temporibus æternis tacitum*, ad Romanos 16. num. 25. *Abscondit à ſæculis*, ad Coloſſenſes 1. num. 26. Nam ut illa ſublimitas prætervolat omnem aciem, ſic etiam fugit iſta profunditas. Vide, quãta ſit profunditas. Ille, ille ipſe celſiſsimus Deus, cui proprium *Altiſsimi* nomen eſt, ad hoc mysterium diſpensandum in tam infimum ſe demiſit profundum humilitatis, ut *exinaniverit ſemetipſum*; ad Philip. 2. num. 7. & probroſiſsimo, ac viliſsimo verberum, & crucis affectus ſupplicio, pro contẽptiſsimo verme, pro hominũ opprobrio, & abiectione plebis reputatus vulgò fuerit. Pſalm. 21. num 7. Atque hęc eſt huius mysterij ex una parte profunditas; ex altera verò, Gẽtiles, cultores lapidum, & ſtipitum, & ipſis lapidibus, ac truncis ſtupidiores, in cœno fœdiſsimarum libidinum demerſos, meras belluas, ex tam profunda voragine ad illam ſublimitatem extolli. Hanc ego arbitror eſſe germanam, & filum aptè ducentem in explicationem huius loci: hoc enim eſt, quod agit Apoſtolus in hac Epiſtola, præſertim in extremo capite 2. & in toto hoc capite 3. 59

Numerus 19.

Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti.

60 EO lubẽs in cõmunem huius loci intelligentiam, in quam ferè omnes Interpretes Græci, Latinique conſpirant. Precari Apoſtolum, ut Epheſij ardentiſsimam agnoſcant Chriſti charitatem, ſupereminentem omni ſcientiæ, id eſt, humanum omnem, Angelicumve captum longè ſuperantem, prorsus excellentiorẽ, & ſublimiorem, quàm ut poſsit ſcientia cõprehendi. Obijcit Theophilactus: quo pacto Chriſti charitas poteſt ſciri, ſi omni

præ-

præeminet scientię? Cui obiectioni ita respondet. Excedit quidem Christi charitas omnem humanam scientiam; at verò cœlestis, & divina, illam assequi utcumque potest.

61 Hæc ut vera esse fateor, ita nolim prorsus reijci, ut plerique reijciunt, alterum sensum, quem admittit Græcus, Latinusque contextus. Ipsa enim Scripturæ ambiguitas, vel si malis, fœcūditas, pars quodammodò Scripturę est: quare cùm verba sacra duos sensus habere possunt, non debet alterum omnino præcidere fidelis interpres, ut ingeniosè advertit Maldonatus Ioan. 4. num. 46. Græca autem sic habent. *Hiperballusan tes gnoseos, præmi-*
62 *nentem cognitioni.* Cuivis autem vel leviter Græcis litteris tincto, perspicuum est, hæc verba habere etiam per se sensum illum, quem secutus est Augustinus tract. 118. in Ioannem. Nimirùm charitatem Christi (sic enim sępe vocat Apostolus virtutem ipsam charitatis, ad Rom. 8. num. 35. & 2. Corinth. 5. num. 14.) donum esse multò eminentius, præstantiusque, quàm scientiam: & quidem Ephesijs ingenio pollentibus, litterisque, & scientijs abundantibus, par erat, Apostolum excellentiorem viam charitatis demonstrare. 1. Corinth. 12. num. 31.

Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.

63 VT videlicet ex cognitione tātarum rerum efflorescat in animis vestris, ac redundet cælestium donorum, ac virtutum omnium infusarum affluentia. Ad Colossens. 2. num. 2. *In omnes divitias plenitudinis intellectus in agnitionem mysterij.* Vtrobique Apostolus copiosam, & affluentem gratiæ, ac donorum plenitudinem deprecatur. Observavi cap. 1. numero 6. verba illa, *in qua gratificavit nos*, posse vertere Vulgatum: *Gratia nos implevit.* Vbi & ad Colossenses 1. numero 19. egi de hac donorum plenitudine.

Numerus 60.

Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter, quàm petimus, aut intelligimus.

64 Connectendum est pronomē *ei*, cum extremis huius capitis verbis: cætera sunt per hyperbaton interiecta. Similis est clausula ad Romanos 16. nu. 25. *Ei autem, qui potens est, &c.* Erigit verò Apostolus petendi fiduciā, proposita Dei omnipotentia, & liberalitate, nostras preces, & cogitationes longè superante. Potens quippe est Deus, multò uberiùs, cumulatiùsque præstare, quàm aut nos ipsi petere, aut cogitatione, votisque concipere valeamus. Congruenter huic sententiæ canit Ecclesia: *Deus, qui abundantia pietatis & mērita supplicum excedis, & vota.* Et paulò pòst. *Et adijcias, quod oratio non præsumit.* Observat hoc Augustinus in modestissima illa, plena fidei, & spei epistola sororum Lazari, Ioann. 11. nu. 3. *Ecce, quem amas, infirmatur*, tract. 49. [Non ausæ sunt dicere: veni, & sana: non ausæ sunt dicere: ibi iube, & hic fiet: amāti tantummodò nuntiandum fuit.]

Secundum virtutem, quæ operatur in nobis.

65 QVòd potens sit Deus, cumulatiùs omnia facere, quā nos ipsi petimus, aut mente concipimus, manifestū est ex illa potentia, quam nobis concessit ad ea opera patranda, ad ea miracula edēda, quæ non modò postulare, verùm ne optare quidem, in mentem nobis venerat. Vide ad Colossens. 1. nu. 29. *Secundum operationem eius, quam operatur in me in virtute.*

Numerus 21.

Ipsi gloria, &c.

IRequens Apostolo grandioris sermonis clausula. Ad Romanos 11. nu. 36. cap. 16. num. 27. ad Hebr. 13. nu. 21. & 1. Timoth. 1. num. 17.

CAPVT IIII.

Numerus 1.

1 IMersisse iam è vadis, & scopulos difficultatum, cælesti favore prosequente, videor esse prætervectus. Expeditiore porthac cursum, eadem Divini Spiritus aura leniter affiante, nobis pollicebimur. Hæc enim extrema capita, cùm ad formandos, instituendosque mores referantur, longè sunt faciliora prioribus. Perspicua igitur, & quæ sua sponte, vel nullo adhibito explicationis lumine, in omnium oculos incurrunt, ne attingemus quidem, aut certè strictim delibabimus: cætera de more discutiemus. Has censet Hieronymus esse præcipuas Interpretis partes: sic enim ait in cap. 7. Zachariæ. [Commentarios scribimus, quorum officium est, præterire manifesta, obscura disserere.] Et in præfatione libri tertij super Epistolam ad Galatas. [Officij mei est obscura disserere, manifesta perstringere, in dubijs immorari.]

Numerus 3.

Soliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.

2 OMnes nervi contendendi nobis sunt, ut unitas, cuius Spiritus Sanctus Auctor est, arctissimo pacis fœdere, & vinculo colligata conservetur. Vinculum Græcè dicitur *syndesmos*: & propriè est nexus, sive nodus, quo plura inter se arctè connectuntur. Erasmus vertit: *In colligatione, & concatenatione*. Eademque vox redditur à Vulgato, ad Colossenses 2. num. 19. *Per nexus, & coniunctiones*. Quod satis indicat, quàm arcto pacis nodo debeant inter se fidelium animi constringi. Qui locupletare volet locũ istum, legat Lorinum Act. 2. num. 44. & cap. 4. num. 32. & Barradam tom. 2. lib. 7. cap. 11. fusissimè pacis encomia persequentes.

Numerus 4.

Vnum corpus, & unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.

3 INauditũ esset, & plusquàm ferinum, eiusdem corporis membra, eodem spiritu animata, inter se hostiliter dissidere. Vos unum estis corpus mysticum, cuius caput Christus est: eumdem Spiritum vivificantem ducitis: una est spes vocationis vestræ: ad immortalem illam, & beatam vitam, omnes vocati sumus. Vel alio sensu: quandoquidem unum corpus estis, estote etiam unus Spiritus: est unitas corporis mystici, sit etiam unitas Spiritus, pacis nodo colligata. Actuum 4. num. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una*. Ioan. 17. n. 21. *Vt omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.*

Numerus 5.

Vnus Dominus, una fides, unum baptisma: unus Deus, & Pater omnium.

4 PLura iam acervatim congerit pacis, & charitatis incitamenta. Omni ope enitendum nobis est ad servandam unitatem Spiritus, quando tam multis, tam sanctis, tam arctè constrictis necessitudinis vinculis, ac nodis, sumus inter nos

strict-

ſtrictiſsimè copulati: quatenus membra quædam viva, unitate eiuſdem corporis myſtici, uniuſque Spiritus, quem haurimus, quo ſuſtentamur; quatenus ſervi, unitate Domini, qui eſt Chriſtus, Ioan. 13. num. 13. quatenus credentes, unitate fidei; quatenus renati, unitate baptiſmi; quatenus vacantes Divino cultui, & ad cæleſtem beatitudinem aſpirantes, unitate Dei, & una ſpe vocationis noſtræ. Denique quatenus filij, unitate Parentis, ut omnes inter nos fratres iure nominemur, & ſimus, & fraterna nos complecti benevolentia debeamus.

Numerus 6.

Qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.

5 Aſſentior Hieronymo, qui tria hæc Divinitatis elogia, tribus accommodat Perſonis Divinis. Eſt enim Deus Pater ſuper omnes: Græcè, *epi panton*: ubi genus eſt incertum, & vertere potuiſſet Interpres, *ſuper omnia*. Eminentia enim eſſentiæ, & maieſtatis creata omnia infinito tranſcendit intervallo. Eſt Deus Filius *per omnia*, quia *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. Ioan. 1. num 3. & infinitæ potentiæ efficacitate per omnia permeat, cuncta tranſcurrit. Denique eſt Spiritus Sanctus *in omnibus*
6 *nobis*, non ea ſolùm ratione, qua cælum, terramque numine ſuo implet, Sapient. 1. nu. 7. ſed (ut ait Hieronymus) quia templum ſumus Spiritus Sancti, qui habitat in nobis, 1. Corinth. 3. num. 16. Hic eſt ille Spiritus vivificas, qui totum hoc animat myſticum corpus. Hoc Philoſophi, atque Poetæ, quaſi per caliginem aſpexerunt. Æneidos 6.

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Et Egloga 3.

Iovis omnia plena.

Lege Lorinum Actuum 17. num. 28. ad illa verba. *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus.*

Numerus 7.

Vnicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.

HActenus Apoſtolus egit de 7
Spiritu huius myſtici corporis: iam deinceps de ipſo corpore agit. Primò quidem de membro præſtantiore, videlicet de capite, qui eſt Chriſtus: à quo omnis gratiæ influxus derivatur: deinde de cæteris huius corporis partibus: & ita prudentiſsimè occurrit tacitæ obiectioni, ne quis exiſtimaret, tam multiplicem donorum varietatem, tã diverſam variarum functionum diſtributionem, cum Eccleſiæ unitate pugnare, docet, hæc cæleſtia miniſtrationum chariſmata, tanquam vitales influxus, ab eodem capite Chriſto in diverſa eiuſdem corporis membra derivari. Ad Roma. 12. num. 4. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi unum corpus ſumus in Chriſto; ſinguli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, differentes.* Eamdem uſurpat ſimilitudinem 1. Corinth. 12. num. 11. *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens ſingulis, prout vult. Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa, &c.*

Sed quia hic influxus à Chriſto capite 8
in myſtica membra, gratuitus, ac liber eſt, non naturalis; illiuſque participatio fundatur in gratia, non in natura; propterea illum Apoſtolus adſcribit ſpontaneæ, & liberæ donationi Chriſti, ſeu (quod idem eſt, propter identitatem eſſentiæ) Spiritus Sancti largitati, qui dividit ſingulis, prout

vult.

vult. Et quia regula, ad quam exigitur, & mensuratur gratia, est etiam ipsa donatio Christi: cui enim donavit munus Apostolatus, attribuit etiam gratiam, Apostolatui congruentem. 2. Corinth. 10. nu. 13. *Secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus*: propterea etiam hîc adiungit: *Secundum mensuram donationis Christi.*

9 Ex hac videlicet regula, atque mensura, Sanctorum gratiæ omnes, & consequenter ipsorum merita, libera eorum voluntate cooperante, metienda, atque æstimanda sunt. Vnde satis solidè ex hoc ipso, quẽ explicamus, loco, Gabriel Vazquez to. 1. in 1. P. d. 47. cap. 1. refutat hæresim Ioviniani aientis, Beatorũ pręmia, atque adeò viatorum merita esse paria: cùm enim Christus in hac Ecclesia Militanti varia communicaverit merita, evidenter sequitur, varia quoque, & disparia præmia in beatitudine reservasse.

10 Illa autem verba Ioan. 3. num. 34. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*: quæ pugnare cum his videntur, *secundum mensuram donationis Christi*; interpretanda sunt, non de filijs adoptivis, sed de Vnigenito, ac Naturali. Vt graviter probat Maldonatus eo loco, & Ioan. 1. num. 14. exponens illa verba, *plenum gratiæ, & veritatis.*

Numerus 8.

Propter quod dicit: Ascendẽs in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.

11 PRobat Apostolus, ex Christo, tanquam ex capite, uberrimoque fonte, omnes omnino gratiarum rivos effluxisse: adducitque testimonium ex Psa. 67. num. 19. quanvis, ut Apostoli solent, & Evangelistæ, non numeret verba, sed appendat: citat enim eodem prorsus sensu, licèt verbis, aut personis paululùm immutatis. Et quidem Psalmi locus altiore quadam intelligentia, sive litteralis illa sit, sive mystica, nihil moror, referendus est ad Christum, devicta iam morte, peccato profligato, dæmone perculso, & cæcato, spoliatisque Inferis, quasi triumphanti curru, solemnique pompa cęlos conscendentem: & paulò pòst, vincentium Imperatorum ritu, spolia, atque manubias largè, effusèque donantẽ, hoc est, non iã invisibiliter, ut anteà, sed visibiliter, atq; copiosè Spiritꝰ Sãcti dona largientẽ. Ioã. 7. n. 39. *Nondũ enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Leo ser. 2. de Pentecoste. [Domini ascensio, dãdi Spiritus fuit ratio.]

12 Duplex hîc quæstio. Prima est, quæ sit ista captivitas, quam in cælum Christus captivam duxit. Ac primùm, quod ad phrasim spectat, abstractum sumitur pro concreto; captivitas pro captivis. Deuteronom. 21. num. 10. *Captivosque duxeris.* Hebraicè. *Captivaveris captivitatem.* 2. Paralipomen. cap. 28. num. 11. *Reducite captivos.* Hebraicè. *Reducite captivitatem.* Est igitur communis explicatio, hîc describi magnificẽtissimum victoris triumphum; alludi proinde ad triumphãtium morem, qui solebant hostium duces debellatos, manibus post terga revinctis, ante currũ ad ostentationem ducere. Dixi de hoc ritu ad Colossens. 2. num. 15. *Traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.* Sed cùm agitur de Christo triumphatore, cæli Capitolium scandente, ut olim solebant Imperatores in arcem invehi Capitolinam. Virgil. 6. Aenei.

13 *Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho*
Victor aget currum.

Et lib. 8.

Stabat pro tẽplo, & Capitolia celsa tenebat.

Quid tandem habet in hoc triumpho ista captivitas? Quid ad hanc pompam vincti post tergum hostes? Quid dæmon religatus, cum Christo cælum conscendente? Quid peccatum ab eo devictum? Quid mors in illa immortalitate?

Planè

14 Planè mihi persuadeo, non aliam esse hanc captivitatem, nisi antiquos illos Patres, qui in Limbo captivi tenebantur: quos inde ereptos secũ revexit Christus, iuxta Zachariæ vaticinium, cap. 9. nu-11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* At illi ex tenebricosa, & diutina servitute in lucem libertatis asserti sunt: cur ergo adhuc captivi nominantur? *Captivam*, inquit, *duxit captivitatem.* Captivi iure dicuntur, qui paulò antè captivi erant, & vincti: sed triumphator Christus captivos eos rursus abducit, non iam tenebrarum
15 vinculis, sed amoris, & gratitudinis, velut aureis catenis, compeditos. In quo etiam elegans fit allusio ad triumphantium ritum. Solebant quippe, qui ex misera hostium servitute redimebantur, gratitudinis ergò abraso capite, ac pileati servorum instar, assertoris sui triumphum palàm comitari. Livius lib. 30, *Secutus Scipionem triumphantem est, pileo capiti imposito, Quintus Terẽtius: omniq; deinde vita, libertatis Auctorem coluit.* Et lib. 33. *Cæterùm magis in se convertit oculos Cremonensium, Placentinorumque colonorum, turba pileatorum, currum sequentium.* Pete alia exempla ex Valerio Maximo lib. 5. cap. 2. de Gratitudine.

16 Altera quæstio expeditior est: cur in Psalmo dicatur Christus *accepisse dona in hominibus*; hîc verò, *dedisse*. Augustinus lib. 15. de Trinitate c. 19. ita conciliat: dedisse quidem Christus, quatenus Deus est; prout verò homo, & caput nostrum est, accepisse in membris suis: sicque accepisse in terra, dedisse de cælo. Quemadmodùm si Dux, ob res præclarè gestas, habitu militari D. Iacobi donaretur à Rege, eumdemque, annuente ipso Rege, donaret filio, iure diceretur, & habitum illum dare filio, & accipere in filio. Alij volunt, Hebraicum esse idioma, *accipere* pro *dare*. Exod. 25. num. 2. Hebraicè, *ut accipiant mihi primitias*. 3. Regum 17. numero 10. *Accipe mihi paululum aquæ*. Alij denique aliter concordant. Vide Suarez tomo 2. disputatio. 51. sectione 1.

Numerus 9.

Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ?

17 CElsitudinem huius triumphi adscribit profundissimę triũphãtis humilitati: propterea tam altè ascendit, quia tam imè, profundèque descendit: quia descendit ad inferiores partes terræ, idcirco supra omnes cælos conscendit: ut profunditati humilitatis responderet ascensionis sublimitas. Ad Philip. 2. num. 8. *Humiliavit semetipsum, &c. Propter quod & Deus exaltavit illum.*

18 Porrò per inferiores partes terræ communiter Patres Limbum interpretantur. Tertullia. lib. de Anima cap. 55. *Nec antè ascendit in sublimiora cælorum, quàm descendit in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas, & Propheras compotes sui faceret.* Vide Pamelium ibi, num. 604. Belarminum lib. 4. de Christi anima, cap. 12. Maldonatum Matth. 12. num. 40. & Suarez tom. 2. in 3. P. dis. 43. sect. 3. ex Beato Thadæo apud Eusebium lib. 1. Historiæ capite ultimo.

Numerus 10.

Vt impleret omnia.

HOc est, ut omne genus hominum spiritualibus donis cumularet. Secundò, ut omnia, quæ de ipso erant scripta per Prophetas, adimpleret. Tertiò, ut omnes Regni sui partes præsens visitaret. Vide Ecclesiast. 24. nu. 45. & ad Philippen. 2. num. 10.

Numerus

Numerus 12.

Ad consummationem Sanctorum.

19 Ecclesiasticas functiones, quæ numero 11. memorantur, copiosè explicat Salmeron disp. 10. nunc autem docet Apostolus, quem in finem illæ destinentur. Græcè, *Pros ton catartismon*: quam vocem restringit Caietanus ad rei colapsæ instaurationem, & refectionem: sed immeritò sanè restringit: *Artios* enim dicitur Græcè, qui perfectus est, & expletus omnibus suis partibus, omnibusque numeris absolutus, 2. Timoth. 3. num. 27. Inde *catartizin*, est quasi coagmentare, compingere, & omnib⁹ partibus explere. Psal. 39. nu. 7. *aures autem perfeciſti mihi.* Græcè, *catertiſo*. Quod idem verbū ad Hebræos 10. n. 5. illustravit Interpres. *Corpus autē aptasti mihi.* Et c. 13. n. 21. *Apret vos in omni bono.* Non diffiteor, interdum significare hoc verbum, reficere, & instaurare, Matth. 4. num. 21. & Marci 1. nu. 19 *Reficientes, & componentes retia.* Et apud Galenum, eiusq; assectas, est, luxata membra in suam sedem, ac situm restituere Quò plerique Interpretes referunt illud ad Galat. 6. num. 1. *Instruite in spiritu lenitatis*, hoc est, quasi luxatum membrum, blādè, leniterque tractate, donec in suam sedem firmiter coalescat. Sed aio, *catartizin*, non solùm esse, collapsa reficere, sed coagmentando, redintegrandoque, ad perfectionem, absolutionemque reducere; ac proinde scientissimè Vulgatum *catartismon*, *consummationem* reddidisse: nam
21 & ipsum *catartizin*, quod LXX. in Psalmis præsertim frequentarunt, Vulgatus ut plurimùm enuntiat verbo, *perficere*. Ps. 8. num. 3. Psalm. 10. numero 4. Psalm. 16. num. 5. Psalmo 17. num. 34. Psalm. 39. num. 7. Psalm. 67. num. 10. Psalm. 79. numero 16. Psalm. 88. num. 38. & in novo Testamento Lucæ 6. num. 40. & 1. Corinth. 1. num. 10. & 2. Corinth. 13. nu. 11. & 1. Petri 5. num. 10. Proprium itaq; Pastorum munus est, redintegrando, aptando, componendo, discordes etiam inter se conciliando, ea, quæ desunt, perficiendo, atque complendo; 1. Thessalo. 3. num. 10. ad perfectam, & consummatam, omnibusque suis partibus absolutam sanctitatem fideles instruere.

Numerus 13.

Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

22 Prima explicatio huius loc non adeò nova est, ut plerique existimant, nam eam recitat, nec prorsus improbat Augustinus lib. 22. de Civit. cap. 15. & 17. Illam verò sequuntur Strabus, Anselm. Lyranus, S. Thomas, Carthusianus, & Latini ferè omnes istis recentiores, & Scholastici cū Magistro in 4. dist. 44. qui omnes aiunt, docere hîc Apostolum, Ecclesiastica ista Pastorum munia non fore perpetua, sed eò usque duntaxat duratura, donec electorum numerus impleatur: agere proinde de extremo Iudicij die, cùm exibimus obviam sponso Matth. 25. num. 1. & ætate perfecta, corpore iuvenili, ac vegeto, quale, cùm ætatem Christi, hoc est, tertium, & trigesimum annum attingit, esse solet, omnes resurgentes, occurremus in virum perfectum, *simulque rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*, 1. Thessalonicens. 4. num. 16. ex unitate enim fidei, in agnitionem perspicuam, id est, in claram Dei visionem, evehemur.

23 Secunda interpretatio est Græcorum: quam plerique etiam Interpretes Latini, signatè Augustinus loco indicato, probabiliorem, & contextui aptiùs inhærētem

arbi-

arbitrantur. Sensum itaque esse, usque eò desudare debere Pastorum industriam, donec ipsa consequantur, ut omnes evadamus in viros perfectos, in mensuram ætatis plenæ, & iustæ, non illius quidem, quæ annorum prætereuntium numero complicatur, sed quæ fidei unitatem & certitudine, ac summa cognitione Christi, quotidie grandior efficitur, vegetior, atque robustior. Qui enim excessit iam ex ephebis, & in virum perfectum evasit, firmus, & constantius perstat in sententia, quam exacto, accurato que consilio, & maturo iudicio suscepit: puer autem flexibilis, & inconstans est, & quolibet momento huc illuc levi impellitur. 23 Hunc esse Apostoli sensum, convincitur ex eo, quod cõtinuò subiungit: quod, si recte expendatur, in cælestem beatitudinem minimè quadrat. *Vt iam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominũ.* Græcè, *Kybia*. Quæ vox dicta est ex ludo fetialium, in quo versuti solent aleatores subtili dexteritate alijs imponere, fucumque facere. Hieronymus vertit, *in fallacia*: Erasmus, & Vatablus, *in versutia*. Cajetanus vocat *fallacem artem vertendi taxillos*. Adamus, *aleationem*. Hispanè reddas, *fullería*. Quæ omnia, ut hæreticis, & impostoribus mirificè conveniunt, ita ab illo felicissimo statu absunt quàm longissimè. Itaque nullum ab his præstigijs beatis periculum est, sed viatoribus.

Deinde verba illa, *in unitatem fidei*, 25 Græcè *henótera*, violenter trahuntur ad Iudicij diem. Nam Apostolus apertè loquitur de occursu, in quo manet fides: at cùm Christo occurrent Sancti, Deum iam clarè intuebuntur, pulsa omnino, atque evacuata fide. Quare si de extremo iudicio loqueretur, ita dicere debuisset: *donec occurramus omnes in claram Dei visionem.*

Miror autem, quosdam interpretes 26 vim facere in illo verbo, *occurramus*, illudque componere cùm alijs locis. Matth. 25. num. 1. & 1. Thessal. 4. num. 16. Græcum enim *catantao*, significat *pervenire* et nihil est frequentius, quàm ut hoc enuntietur verbo, cùm dicitur quispiam ad aliquem locum devenire, seu metam aliquam attingere. Obvia passim sunt testimonia. Act. 16. num. 1. cap. 18. num. 19. & 24. cap. 20. num. 15. cap. 21. num. 7. cap. 25. num. 13. cap. 26. num. 7. cap. 27. num. 12. cap. 28. num. 13. & 1. Corinth. 10. num. 11. & cap. 14. num. 36.

Quod ad Scholasticos spectat, Scho- 27
lasticorum huius ævi Coryphæus, Suarez noster tom. 2. in 3. Part. disp. 47. sect. 4. ingenuè fatetur, planè ex contextu ipso constare, sensum litteralem esse eum, quem nos exposuimus. Theologos autẽ accõmodasse hæc verba ad perfectã magnitudinem, & ætatem corporum resurgentium. Vide etiam Castrum, verbo, *Resurrectio*, Hæresi 5. & Salas. to. 1. in 1. 2. tract. 2. disp. 14. sect. 13. num. 93.

Numerus 19.

Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ.

GRæcè, *Apelgecores*. Hieronymus sic legit, & in magnis 28
commentarijs vertit, *indolentes*, sensumque inde perelegantem colligit. [Hi sunt, qui postquàm peccaverunt, non dolent: qui nequaquã sentientes ruinam suam, feruntur in pronum.] Et paulò pòst de dolente quemdã ita graphicè depingit. [Qui delectetur in scelere, & non solùm non doleat, verùm etiam glorietur, & putet, se quãdam turpitudinũ palmam, & victoriam consecutum.] Tu vide, quàm laxas habenas huiusmodi homo luxuriæ remittet, qui stupore iam occalluit, planèque dedoluit, atque eò duritiæ pervenit, ut ad omnem mali sensum obsurduerit. Hi cauteriatam habent conscientiam, 1. Timoth. 4. n. 1. Vbi Oecumenius. [Quoniam conscij sibi sunt impuritatis multæ, idcirco eorũ cõscientia indelebilia habet sordidæ vitæ cauteria.]

29 Ego, etsi non inficior, eòdem penè recidere, sive *desperantes* dicas, sive *dedolentes*; suspicor tamen, vitiatos esse Græcos codices; & Interpretem nactum emendatiores, in quibus legeretur, *apelpicotes*, *desperantes* reddidisse. Nam qui alteram desperant à morte corporis vitam, avidissimè præsentes rapiunt voluptates, & omni freno remoto, in obscœnissimas libidines sese ingurgitant. Vide Pererium ad Romanos 1. disp. 2. num 12.

Quàm verò aptè spurcissimum luxuriæ cœnum, teterrimum fœtorem exhalans, appellet Apostolus *immunditiam*, colliges ex Lorino ad illud 2. Petri 1. num. 4. *concupiscentiæ corruptionem.*

Numerus 22.

Qui corrumpitur secundum desideria erroris.

30 Video mihi subodorari sub his verbis dignam Apostolo sententiã. Mitto vulgares illos sensus, externũ istum hominem, aut morbo, aut senio citò defloreſcere; ipsisque libidinibus effœtum, & exhaustum, celeriùs absumi, & planè extingui; desiderijs turpibus, & aberrantibus, in dies magis depravari, atque corrumpi. Mihi hæc Apostoli sententia cum illa Psalmographi congruere videtur, Psalm. 38. num. 12. *Tabescere fecisti, sicut araneam, animam eius.* Hebraicè. *Desiderium eius.* Animam enim solet usurpare Vulgatus pro desiderio, Psalm 40. num. 2. Sensus itaque Psalmi est. *Su mismo deseo ansioso, frustrandose le consume, como araña, que se desentraña asi misma.* 31 Et utriusque sententiæ non est absimilis celebris illa Augustini lib. 1. Confessio. cap. 12. *Iussisti Domine, & sic est: ut animus omnis inordinatus sua sibi pœna sit.* Verè enim vetus homo noster inflammatus, ac furens libidinibus, omniaque rabidè appetens, qui quò affluentiùs voluptates undique haurit, eò illas consectatur sitientiùs, verè, inquam, corrumpitur, (Græcè, *contabescit,*) & amarulenta tabe discruciatus enecatur. Carnifices autem sunt sua ipsius desideria. *Secundum desideria erroris.* Græcè subest vox *epithymia*, id est, efferatæ concupiscentiæ, inexplebiles cupiditates, importunæ appetitiones, falsa specie boni, quasi prælustrigijs illusæ, ac prorsus errantes, & ad potiũ dũ incitatæ vehemẽtiùs. Præfervidæ itaq; cõcupiscentiæ, dũ intercipiuntur, dum lu- 32
dificantur, dum ore hiante, atque imminente frustrantur eo, in quod præcipites feruntur, Deus immortalis, quàm diris cruciatibus miserum hominem distendunt? Oecumenius hîc. [Per ipsas concupiscentias corrumpitur homo, non secus, ac lana per eas, quas parit, tineas comeditur.] Ecclesiast. 23. num. 22. *Anima calida, quasi ignis ardens, non extinguetur, donec aliquid glutiat.* Græcè, *catapothe.* Iansenius, & Tigurina, *donec absumatur.* Complutensis, & Vaticana LXX. *donec deglutiatur.* Animus æstuans, & flagrans desiderijs, est velut ignis, *qui nunquam dicit: sufficit*, Proverb. 30. num. 16. nullo unquam pabulo explebitur: momento illud vorabit, nec conquiescet, quoad sua vi, suoque ardore penitus absumatur. Extant in Scriptura duo exempla memoranda hominum, 33
quos propriæ concupiscentiæ peremerunt. Primus fuit Achitophel, qui se ipsum laqueo strangulavit: & huius atrocissimi facti non aliam causam reddit sacer textus, nisi illam, 2. Reg. 17. num. 23. *Videns, quòd non fuisset factum consilium suum.* Alter fuit Antiochus 1. Machab. 6. num. 8. *Decidit in lectum, & incidit in languorem præ tristitia, quia non factum est ei, sicut cogitabat.* Sed quotidiana experientia suppeditat innumerabiles, qui à frustratis desiderijs, quasi ab immanibus tortoribus, enecantur.

(ę)

Numerus

Numerus 26.

Iraſcimini, & nolite peccare.

34 LOcus deſumptus ex Pſalm. 4. num. 5. ex quo plerique colligunt Patres, quod docuerat etiam Ariſtoteles lib. 4. Ethicor. cap. 6. non omnem iracūdiam in vitio ponendam eſſe, laudandam potiùs illam, quæ non pręvenit, ſed ſubſequitur rationis iudiciū; quę adverſus peccantes, ex zelo iuſtitiæ, ac plena deliberatione cōcipitur; ad quam, ut auctor eſt Tullius Tuſculana 4. quaſi ad cotem exacuitur fortitudo, ad ſcelera punienda. Nam, ut rectè Baſilius homil. 10. de Ira. *Ira, quando oportet, & ut oportet diſpenſata, fortitudinem, patientiamque, ac conſtantiam parit.*

35 Ambroſius autem lib. 1. Officior. cap. 21. [Iraſcimini, inquit, ubi culpa eſt, cui iraſci debeatis: non poteſt enim fieri, ut non rerum indignitate moveamur: alioquin non virtus, ſed lentitudo, & remiſsio iudicatur.] Gregor. lib. 5. Moralium cap. 33. [Alia eſt ira, quam impatientia excitat; alia, quam zelus iuſtitiæ format: illa, ex vitio; hęc ex virtute generatur.] Cōfirmat hoc Gregorius ex Eccleſiaſt. cap. 7. nu. 4. *Melior eſt ira riſu: quia per triſtitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* Et ubi nos legimus Matth. 5. num. 22. *Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio*, pleriq; codices Græci addunt, *iKe: qui iraſcitur temerè, & ſine cauſa.* Ita etiam legunt, & exponunt interpretes Græci, Chryſoſtomus, Theophilactus, & Eutymius, & Irenęus lib. 4. cap. 27. & Auguſtinus lib. 1. de Sermone Domini in monte.

36 Longiùs progreditur Lactantius, qui lib. de Ira Dei cap. 17. non dubitat, hoc affirmare. [Ira, quæ ad correctionem vitiorum pertinet, nec homini adimi debet, nec Deo poteſt: quia & utilis eſt rebus humanis, & neceſſaria.] Contendit itaque in eo libro per multa capita, iram in Deū propriè cadere: ſed eam ipſe definit in illo capite 17. *Ira eſt motus animi, ad coercenda peccata inſurgentis.* Lactantij opinionem refutat Gabriel Vazquez tom. 1. in 1. part. diſputatione 84. cap. 4. Ira certè ex zelo imperata, proprie cadebat in Chriſtum, ut probat Sanct. Thomas 3. part. quæſt. 15. art. 9. & diſertis verbis id teſtatur Evangeliſta, Marci 3. numer. 5. *Circumſpiciens eos cum ira.* Vide Ianſenium cap. 38. Cōcordiæ, & Maldonatum Matth. 5. num. 22.

Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.

37 NOn arbitror, litteralē eſſe explicationem illam, quam video antiquioribus interpretibus maximè placuiſſe: Auguſtino, enarratione prima in Pſal. 25. Caſsiano, lib. 8. cap. 9. Hieronymo, in magnis commentarijs, Primaſio, Haimoni, Strabo, S. Thomę, utrique Anſelmo; & ex recentioribus Catharino, & Salmeroni. Qui omnes in eo conſentiunt, ut ſolem metaphoricè accipiant; licèt alij rationis lumen; alij, Chriſtum; alij denique Deum ipſum, ſolem eſſe interpretentur. Anſelmus mihi videtur omnium optimè hanc ſententiam expoſuiſſe. [Noſter Sol, inquit, Chriſtus eſt, cuius luce anima humana illuſtratur: ſed hanc lucem deſinit mens videre, cùm perturbatione iracundiæ fuerit, tanquam nubilo, ſuperata: & tunc quaſi occidit ſuper iracundiam hominis Sol, quia, cùm menti iracundia confuſionis tenebras incutit, huic Deus radium ſuę cognitionis abſcondit.]

38 Confirmari, & illuſtrari poſſet hæc explicatio, quia, ut acutè definit Horatius libr. 1. Epiſtolæ 2. *Ira furor brevis eſt.* Et Cicero Tuſculana 4. *An eſt quidquā ſimilius inſaniæ, quàm ira?* Et Baſilius hom. 10. de Ira: *Ira eſt momentanea inſania.* Excæcat enim iracundia oculos mentis, & omne animi lumen extinguit. Propterea iratus, in arcano ſermone appellatur

Evil, id est, stultus, temerarius, insania, & furore percitus. Vide Lorinum circa illud Ecclesiastes 7. num. 10. *Ira in sinu stulti requiescet*: & Pinedam Iob 5. versu 2. *Stultum interficit iracundia*. Et ut ille, qui in tenebris quidpiam agit, temerè, ac præposterè agit, & passim offendit, & incurrit; sic *impatiens operabitur stultitiam*, Proverb. 14. num. 17. *Qui non moderabitur iræ, infectum volet esse, dolor, quod suaserit*: ut prudenter ait Horatius Epistola citata.

39 Neque est infrequens in Scriptura, trãslatè *Solem* usurpari: nam quemadmodũ promittitur Iustis, Malachiæ 4. num. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ*; sic iactãtur improbis illæ minę, Amos 8. n. 9. *Occidet Sol in meridie*. Et ipsi impij inter supplicia, seu flagitia sua memorant, Sap. 5. num. 6. *Sol intelligentiæ non est ortus nobis*.

40 Accedit, quòd hac explicatione facilè vitatur absurditas, quam, ut his auctoribus videtur, Apostolica hæc sententia præsefert: quam ita ponit ob oculos Cassianus in illo libro 8. cap. 9. [Cęterùm si usque ad occasum Solis licitum sit irasci, antè perturbationes noxiæ poterunt furoris satietatem, & ultricis irę commotionem explere, quàm iste sol ad locum sui vergat occasus.] Adingit etiam Catharinus. [Si noctu quis irasceretur, ferro hũc, & illũ percutiens, aut fuste, an licitum esset, quia sol non occidit super eius iracundiã?] Sed miror, tantorũ Interpretum mentem vel primam huiusce absurditatis cogitationem subire potuisse: quis enim est tam stupidus, ut ignoret, lethalem excandescentiam puncto temporis concipi, momento etiam aut verbis effari, aut factis posse effundi?

41 Mihi simplicissimus sensus Græcorũ interpretum, Chrysostomi, Theodoreti, Theophilacti, & Oecumenij, maximè probatur: quos sequuntur ex Latinis Ambrosius, Lyranus, Claudius, Erasmus, Caietanus, Vatablus, Adamus, & Gagneius. Et primò observãdũ est, quod in ãnotationibus advertit Erasmus, iracundiã Latinis auribus sonare, non tam iram, quàm naturæ vitium, & habitum, ad irascendum procliyem: vox autẽ Græca, quæ hîc subest, propriè est commotio, sive ira. Addo insuper, esse nomen verbale deductum à *Parorgizo*: quod solet vertere Vulgatus, *exasperare*, *irritare*, *ad iram provocare*: itaque proprissimè *parorgismos*, est irritatio, exasperatio, & ad iram provocatio. Nullum proinde nomen significantius potest excogitari, ad exprimendã cõcitationem illam, & commotionem animi, à iudicio rationis imperatã, & ex matura, & antegressa deliberatione conceptam, qua quis rei indignitate permotus, & iustitiæ zelo exstimulatus, se ipsum exasperavit, & irritavit iracundia, ad vindicanda scelera, ad homines in officio continendos.

Sensus itaque is erit. Excandescite quidem ira iusta ad punienda flagitia; sedulò tamen cavete, ne calore illius plùs nimio exardescentes, præscriptos à ratione, à charitate, à iustitia limites transiliatis. *Irascimini, & nolite peccare*. Addo etiam: cùm necessitas coget, irati personam sustinere, vosque ipsos contra scelera ad iracundiã provocare, brevissima, quæso, sit illa cõmotio: simul cũ obiurgatione, vèl supplicio delinquentis, omnino defervescat ira: nihil stomachi resideat in animis vestris: deponite, & abijcite ante solis occasum severitatis personã, quam communis utilitatis causa inviti suscepistis. *Sol non occidat super iracundiam vestram*: tãdiu enim duntaxat illa retinenda est, quamdiu necessitas ipsa præcisè efflagitabit. 42

Numerus 29.

Vt det gratiam audientibus.

43 GRATIA hîc significat iucunditatem, ut ad Colossens. 4 num. 6. *Sermo vester semper in gratia sit sale conditus*.

Lucæ

Lucæ 4. num. 22. *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius*, id est, in verbis suavissimis, amabilissimis, quibus ita eloquenter, & efficaciter, ita placidè, & comiter de rebus divinis disserebat, ut non posset non auditorum voluntates rapere, quò vellet, & ad suum amorem allicere. Vide Psalm. 44. num. 3. & ad Colossenses 3. num. 16. & ibi nostrum Commentarium.

Numerus 30.

Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei.

44 Efficacissima sanè ratio, qua nos permoveri æquum est, ad quamlibet vel levissimā culpam, velis, remisque fugiendam: ne indulgentissimo Parenti, ab illius voluntate deflectentes, dolorem, ac tristitiam inuramus. Afficitur nostris sceleribus gravissimè Deus. Genes. 6. num. 5. *Videns, quòd multa malitia hominum esset in terra: & tactus dolore cordis intrinsecùs.* Hebraicè. *Indoluit in corde suo.* Oseæ 14. num. 1. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum.* Atque hęc est illa exacerbatio, toties in Psalmis repetita. Psalm. 10 num. 4. *Exacerbavit Dominum peccator.* Psalm. 77. num. 40. *Quoties exacerbaverunt eum in deserto?* Et ibidem num. 41. & 56. & Psalm. 105. num. 43. Isaiæ 63. numero 10. *Afflixerunt Spiritum Sancti eius.* Hebraicè, *hisebu: dolore affecerunt.* Ezechielis 16. num. 43. *Probasti me in omnibus his.* LXX. *Elypisi contristabas me.* Eodem videlicet verbo, quo hîc usus est Paulus. In hanc sententiam explicant Iansenius, & Lorinus illud Sapientiæ. nu. 5. *Et corripietur* (scilicet, Spiritus Sanctus) *à superveniente iniquitate*, id est, contristabitur, ac veluti victus, & improperio affectus, cum mærore decedet.

45 Certum est, si presse, ac Theologicè ista discutiantur, in beatissimum illud, ac immutabile Numen nullam tristitiam cadere posse: sed ita exaggeratur peccati, peccatorisque malitia, qui, quantum in se quidem est, Divinum honorem per summum scelus violando, illique vel obscœnissimam voluptatem, vel tenuissimum lucellum præferendo, gravissimam iniuriam facit, & acerbissimum dolorem inurit. Nam si aliqua re impassibilis Deus lædi posset, peccato solo læderetur. Lege accuratam super hac re disputationem nostri Pinedæ Iob 35. versu. 6. à num. 4. usque ad 10. Porrò quid sit, signatos esse iustos Spiritu Sancto in diem Redemptionis, explicui suprà cap. 1. num. 13. cætera usque ad finem capitis perspicua sunt.

CAPVT V.

Numerus 4.

Aut scurrilitas.

1 Græcè, *Eutrapelia*: quæ vox nescio, an uspiam alias reperiatur, aut in novo Testamẽto, aut in vetere apud LXX. Erasmus vertit, *lepos*: Isidorus Clarius, *urbanitas*: Tigurina, atque Pagninus, *facetia*. Et quidem *Eutrapelia* apud Philosophos in bonam accipitur partem, ut nomen ipsum præsefert: sic enim est appellata, quòd bene, id est, salsè, acutè, atque facetè sermonem seriium vertat in iocum tempestivum, ac moderatum. Numeratur itaque inter virtutes Eutrapelia à S. Thom. 2.2. q. 168. art. 2. & ab Aristotele lib. 4. Ethicorum cap. 8. tanquam constituens modum convenientem in honestis ludis, & iocis, quos ad animi relaxationẽ interdùm usurpare non dedecet. Ad hãc 2
virtutem spectabat honesta illa oblectatio, atque remissio, qua Ioannes Evangelista animum reficiebat, similesque illud ab ipso allatum de arcu non semper adducto, intentoque, sed laxato subinde, ne assidua contentione frangatur. Refert Cassianus collatio. 24. cap. 21. *Eutrapelia* quidem in verbis laudi tribuitur

à Ciceronè lib. 7. Epist. 32. *Eutrapelia litterarum fecit, ut intelligerem tuas esse.* Vbi Manutius. *Eutrapelia*, ideſt, feſtivitas, lepor, urbanitas. Gregorius Valentia. 2. 2. diſp. 5. q. 16. p. 1. & q. 18. p. 2. aſſerit, dicteria illa iocoſa, & urbana, quæ ad honeſtam recreationem referuntur, etiam ſi alterum leviter pungere videantur, vacare omni culpa, aut deriſionis, aut convicij, modò parcè, moderatèque uſurpẽtur, & ad virtutem Eutrapeliæ pertinere.

3 Nihilominùs ſcientiſsimè vertit Vulgatus, rem ipſam, Apoſtoliq́ue mentem potiùs ſpectãs, quàm Græcæ vocis proprietatem: à qua tamẽ non receſsit: ipſe enim Ariſtoteles in eo lib 4. Ethicorum cap. 8. cùm Eutrapeliam inter ſcurrilitatem, & ruſticitatem, quaſi medium virtutis inter extrema vitioſa, conſtituiſſet, continuò ſubiecit. [Quamquam apud eos, qui plùs æquo iocis, ſalibuſq́; gaudent, Eutrapelia ipſa dicatur ſcurrilitas.] Hieronymus in Commẽtario, cùm *Eutrapeliam*, Latinè *iocularitatem* nominaſſet, quæ id videlicet ſpectat, vt riſum moveat audiẽtibus, ſapientiſsimè ſubiungit. [Verùm hæc à Sanctis viris penitus propellenda: quibus magis convenit flere, atque lugere.] Citat in hanc ſententiam verba quædam Salvatoris, quæ nuſquam in toto Evãgelio reperiuntur. *Nunquam læti ſitis, niſi cum fratrem veſtrum videritis in charitate.* De huiuſmodi Chriſti verbis, quaſi per manus, & traditione acceptis, eruditè Lorin. Actuum 20. num. 35.

Numerus 8.

Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.

4 ABſtracta ponit pro cõcretis. Altiſsimis infidelitatis, ignorantiæ, ac peccatorum tenebris circumfuſi tenebamini: iam verò, (quæ Dei benignitas eſt) clariſsima veritatis, ac miſericordiæ lux vobis affulſit. Verſabamini in ſumma rerum cæleſtium ignoratione: nunc autem edocti eſtis Divinam voluntatem: prorſus ut idem ſit, quod cap. 4. num. 17. *Vt iam non ambuletis, ſicut & Gentes, tenebris obſcuratum habentes intellectum.*

5 Antitheſis iſta lucis, & tenebrarum, ad ſplendorem fidei, & caliginem infidelitatis, ac vitiorum exprimendam, frequens eſt in Scriptura. 1. Petri 2. num. 9. *Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum.* Act. 26. num. 18. *Vt convertantur à tenebris ad lucem.* Ad Coloſſenſ. 1. num. 13. *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum.* Sic Iſaiæ 9. num. 2. Matth. 4. num. 16. Luc. 1. num. 79. Ioann. 1. num. 5. cap. 8. num. 12. cap. 12. num. 35.

Vt filij lucis ambulate.

6 LAtiùs explicavit Apoſtol. huius argumenti vim ad Romanos 13. nu. 12. *Nox præceſsit, dies autem appropinquavit: abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: ſicut in die honeſtè ambulemus.* Et. 1. Theſſal. 5. num. 5. *Omnes enim vos filij lucis eſtis, & filij diei; non ſumus noctis, neque tenebrarum: igitur non dormiamus, ſicut & cæteri, ſed vigilemus, & ſobrij ſimus.* Hinc etiam à contrario retorſit argumentum Ioannes Epiſtola 1. cap. 1. nu. 5. *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ: ſi dixerimus, quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur.*

Numerus 9.

Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate.

7 CArdinalis Toletus in ea verba Lucæ 8. n. 12. *Semen eſt verbum Dei*, rectè obſervat, metaphoram ibi ſumptã eſſe ex ſemine materiali: quod exceptum terra ſuo occultat gremio, deinde ex eo

fructum

fructum copiosissimum effundit: non secùs doctrina Evangelica auribus primùm excipitur, & altè recõditur in corde, non ut hoc fœcundissimum semen inclusum in animis teneamus, sed ut exteriùs in opera, quasi in fructus efferamus. *Fructus enim lucis*, id est, doctrinæ Evangelicæ, *est in omni bonitate.* Confunditur enim hîc utraque metaphora.

8 Maldonatus etiam advertit ad illud Ioan. 3. nu. 21. *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem*; aptissimè in sacro sermone veritatem cum luce copulari, ut hîc etiam conitungit Apostolus. Quia lux patefacit veritatem: quid enim verum, quid falsum sit, luce cognoscimus. Psalmo 42. num. 3. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.*

Numerus 10.

Probantes, quid sit beneplacitum Deo.

9 INtrà numero 17. *Intelligentes, quæ sit voluntas Dei.* Græcè, *do Kimazontes*: quod verbum subest etiam ad Romanos 12. numero 2. *Ut probetis, quæ sit voluntas Dei.* Propriè autem *do Kimazin*, est explorare, exquirere, diiudicare. Sapiẽt. 3. num. 6. cap. 11. nu. 11. Ecclesiast. 2. nu. 5. cap. 27. num. 6. cap. 31. num. 10. Hinc illa ad Romanos 2. num. 10. *Probas utiliora.* 1. Thessalon. 5. num. 21. *Omnia probate: quod bonum est, tenete.* Ad Philippens. 1. num. 10. *Ut probetis potiora.* Iubentur itaque, studiosissimè exquirere, & solertissimè explorare Divinam voluntatem, ut eam videlicet plenè cognitam, cumulatissimè exequantur. Nam verè fungitur officio lucis, qui in rebus occurrentibus examinat, ac discernit, quid sit beneplacitum Domino.

Numerus 11.

Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.

RVrsus inculcat, quod iam monuerat, numero 7. *Nolite ergo effici participes eorum.* Vocat autè opera tenebrarum, opera *infructuosa*, hoc est, maximè noxia, exitialia, atque pestifera. Est enim figura illa *liptotes*, ut appellant Rhetores, id est, *diminutio*, cùm videlicet res grandes verbis in speciem humilibus exponuntur: quæ nihilominus earum granditatem re ipsa adæquant. Observant hoc Aulus Gelius, lib. 2. c. 6. & ex eo mutuatus Macrobius lib. 6. cap. 7. in eo Virgilij versu 3. Georgicorum.

Aut illaudati nescit Busiridis aras.

Parùm enim idoneum appositum *illaudati* videbatur, ad faciendam scelerati hominis detestationem, qui hospites crudelissimè mactabat. *Sed qui omni re,* (inquit Gelius) *atque omni tempore, laude vacat, is illaudatus est, isque omnium pessimus, deterrimusque est.* Ita idem dixit Aeneid. 6.

Tristique palus inamabilis unda.

Hoc est, odiosissima, & execrabilis: quæ nihil unquam habuit, quod amari meretur. Sic in arcano sermone dicitur infructuosum, vanum, & inutile, quod est vehementer noxium, exitiosum, ac pestilens: cuius nihil prorsus est, quod vel minimam utilitatem afferat. 1. Regum 12. num. 21. *Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis.* 1. Machabæ. 2. nu. 21. *Non est nobis utile relinquere legem.* Iam verò, quàm sint omnino infructuosa opera tenebrarum, vel ipsorum testimonio, qui ea sectati sunt, convincit Apostolus,

ad

ad Romanos 6. num. 21. *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est.*

Magis autem redarguite.

12 TErtullianus legit lib. de Pudicitia cap. 18. *Imò & revincite ea.* Græcè enim est particula adversativa *mallŏ*, idest, *sed potius, quinimò*, Matth. 10. num. 28. & cap. 25. num. 9. Actuum 4. num. 19.

Redarguite, Græcè *elenchete*: quod verbum propriè significat, *convincere, prodere, traducere. Elenchos* enim, Latinè enuntiatur ab Interprete ad Hebræ. 11. nu. 1. *argumentum.* Et, ut ibi expendunt Chrysostomus, & Theophilactus, est demonstratio, convictio, & manifestatio quædam, qua ea, quæ non videntur, maiore certitudine attinguntur, quàm si oculis, ac manu tenerentur. *Argumentum non apparentium.* 1. Corinth. 14. num. 24. *Convincitur ab omnibus.* Græcè, *elenchetæ.* Ioan. 3. num. 20. *Qui malè agit, odit lucem; & non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius,* idest, prodantur, manifestentur. Sic Latini loqui solēt, Virg. 4. A Enei. *Degeneres animos timor arguit.* Sap. 4. n. 20. *Traducēt illos ex adverso iniquitates ipsorū.* Græcè *elēxi*, id est, coarguent, palàm, & in omnium oculis convincent.

13 Iam ergo perspicua erit sententia, exactè cognita verbi proprietate. Iam, inquit, estis lux in Domino: sedulò cavete, ne ullam cum tenebris, aut operibus tenebrosis societatem incatis. *Quæ enim societas luci ad tenebras?* 2. Corint. 6. nu. 14. quin potiùs vita conspicui, & moribus collucentes, opera tenebrarum vestro splendore patefacite, & omnium oculis despicienda, aversandaque proponite: quandoquidem ipsa lux honestæ vitæ tacitè redarguit, & prodit turpia facta tenebrarum.

Numerus 12.

Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere.

14 *Quid turpius impudicitijs?* inquit Tertullianus loco citato. Has præsertim obscœnitates perstringit Apostolus. Hæc sunt opera tenebrarū: omnis enim libido latebras quærit, tenebras amat. Eleganter idem Tertullianus in Apologetico cap. 1. [Omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit. Malefici gestiunt latêre, devitant apparere.] Noxitaque, cùm pudore vacet, & spe celandi crimen animum audacia confirmet, administra est flagitiosis suarum libidinum. Iob 24. nu. 15. *Oculus adulteri observat caliginem, dicens: non me videbit oculus.* Ecclesiastici 23. num. 25. *Omnis homo, qui transgreditur lectum suum, contemnens in animā suam, & dicens: quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me.* Isai. 29. num. 15. *Quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: quis videt nos?*

15 Horum obscœnissima facta *turpe est & dicere*, suprà num. 3. *Fornicatio, & omnis immunditiæ nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos.* Ita instituti sumus à natura, ut vetet ingenuus pudor, flagitiosas libidines, etiam detestationis gratia, & cum obiurgatione nominare: imò verò, ut Auctor est Cicero in libro de Legibus, *erubescunt pudici de ipsa pudicitia loqui.* Memoriæ proditum est ab Aulo Gelio, lib. 19. cap. 9. Antonium quemdam Iulianum (Hispanus is erat Ludimagister) versus quosdam, lepidos illos quidem, sed parùm pudicos in convivio recitaturum, faciem priùs præ pudore, caputque totum obnubisse; eaque excusatione usum esse, quòd Socrates etiam verba quædam non admodùm casta usurpaturus, pallio item caput obvelasset.

(?)

Numerus 13.

Omnia autem, quæ arguuntur, à lumine manifestantur.

16 DVo monuerat Apostolus, quò fideles, ut filij lucis ambularent: primum, ne quid haberent commune cum tenebris, ex quibus iam emersērāt; alterum, ut eas potiùs vitæ suæ luce redarguerent. Ad primum suadendum, illam rationem attulit, tenebrarum opera non factu modò, sed etiam dictu esse turpissima: ad hoc secundum comprobandum, ex natura ipsa lucis ducit argumentum.

17 Est autem observandum, *arguere*, Græcè, *elenchin*, non esse solùm corripere, ac reprehendere; aut etiam prodere, & patefacere; sed, quod ex hoc ipso necessariò sequitur, ita crimen ob oculos ponere, & in aperto constituere, ut ille, qui admisit, nullâ possit tergiversatione celare; sed cogatur, velit, nolit, palàm confiteri. Psa. 49. nu. 21. *Arguam te* (Græcè, *elenxo*) *& statuam contra faciem tuam.* Iob 15. num. 6. *Condemnabit te os tuum.* Pagninus. *Impium faciet te.* LXX. *Elenxæ: os tuum convincet te.* Hanc vim habet idem verbum, Ioan. 8. num. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nam, ut ibi animadvertit Maldonatus, & si Iudęi sæpe Christum accusabant, & modò blasphemiæ, modò Sabbati violati, modò etiam aliorum criminum arguebant; sed nullus unquam vel minimum in eo peccatum potuit coarguere, aut convincere.

Omne enim, quod manifestatur, lumen est.

18 SI participium *Phanerumenon* præcisè spectetur, non est dubium, quin Vulgatus, cùm illud sit mediæ vocis, activè potuisset interpretari: atque id sententia ipsa videbatur exigere: *id, quod omnia manifestat, lux est.* Quidquid enim noctis caligine celatur, diei luce proditur, ac detegitur. Sed acutè vidit Interpres, quod advertit etiam Erasmus, perpetuus alioqui nostræ versionis momus, articulū *to*, non nomini *pan*, sed ipsi esse appositum participio, atque adeò longè esse congruentius, ut passivè interpretemur, ut Græci ipsi Chrysostomus, & Theophilactus interpretati sunt. Sed utro tandem modo vertas, nullum est sententiæ discrimen. Quemadmodùm enim lux est, quæ omnia prodit: ita quidquid proditur, necesse est, ut perfundatur luce: *omne enim, quod manifestatur, lumen est*, id est, lumine collustratum.

Numerus 14.

Propter quod dicit: Surge, qui dormis, &c.

19 MAgna est, ac vetus in hoc loco difficultas, quia Apostolus recitat hæc verba illo ipso tenore, quem ubique terè servare solet, cùm laudat veteris alicuius Scripturæ testimonium. Hieronymus autem affirmat, se non solùm Hebraicos codices solerter excussisse, sed Græcas etiam editiones omnes attentè pervolutasse, & nusquam hoc testimonium reperire potuisse.

20 Epiphanius hæresi 46. in eam sententiam videtur propendere, quam Hieronymus refert in Commentarijs, Christum in Cruce pendentem, his verbis affatum fuisse Adamum, eo loci sepultum: cuius sparsi cineres pretiosissimo illo sanguine perfusi, & divinæ huius vocis imperio, atque efficacitate compacti, ubi primùm Christus excitatus est à mortuis, revixerūt ad vitam gloriosam, & immortalem. Perfricat hîc frontem Erasmus, & hanc explicationem, ut merum commentum sapiens Iudaicas fabulas, explodit. Ineruditè profectò, &, ut levissimè dicam, parùm piè. Atqui Hieronymus refert, populo

pulo pro concione propoſitam, miro omnium plauſu, & acclamatione fuiſſe exceptam.

21 Et verò duo illa fundamenta, quibus tota hæc explicatio nititur, firmiſsima ſunt, nec ea facilè convellet Eraſmus. Primum eſt, Adamum in eo Calvariæ monte fuiſſe ſepultum, atque adeò ipſius eſſe Adami cranium illud, quod iuxta imam Crucē iam inde ab omni antiquitate depingitur: unde etiam mōti inditū nomen. Conſtans hæc eſt traditio Patrum. Ex Græcis, præter Epiphanium, eam prodiderunt Origenes tract. 35. in Matthęum, Baſilius in caput 5. Iſaiæ, Athanaſius in ſermone illo breviſsimo de Paſsione Chriſti, Chryſoſtomus homil. 84. in Ioannem, Anaſtaſius Sinaita lib. 7. Contemplationum in Exameron, Germanus Conſtantinopolitanus in Theoria rerum Eccleſiaſticarum (habetur uterque tom. 1. Bibliothecæ) Eutymius, & Theophilactus in Matthæi cap. 27. Georgius Cedrenus in Compendio Hiſtoriarum, fol. 353. Ex Latinis autē, Tertullianus lib. 2. Carminum contra Marcionem, Cyprianus ſermone de Reſurrectione Chriſti, Ambroſius libro 5. epiſtol. 19. ad Horontianum, & in cap. 23. Lucæ, Auguſtinus ſermone 71. de Tempore. Quin & ipſe Hieronymus huius eſt ſententiæ, licèt hîc oppoſitam tueatur, epiſtola 17. ſub nomine Paulæ, & Euſtochij ad Marcellam.

22 Denique hoc ipſum doctiſsimi quique affirmant Recentiores. Maldonatus Matthæ 27. num. 33. Toletus Ioan. 19. annotatio. 12. Baronius to. 1. anno Chriſti 34. c. 93. Belarminus to. 4. lib. 3. de Amiſsione gratiæ, cap. 12. Pererius to. 1. in Geneſim, lib. 7. pag. 562. & tom. 3. cap. 13. diſp. 5. num. 74. Viegas Apocalyp. 11. ſect. 5. & cap. 12. ſect. 25. Suarez to. 2. in 3. P. q. 46. art. 10.

Serarius autem, Ioſue 14. q. 5. eruditè probat, nihil obſtare, quod in eo capite numero 15. legimus: *Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt.* Vide Villalpandum in Hieroſolymę urbis apparatu, to. 3. lib. 1. cap. 9. Delrium in Florid. Maria. panegyrico 7. & Maſsium, Ioſue ultimo, num. 32. qui referunt ex pervetuſta traditione, Adami oſſa fuiſſe à Noe in arca religioſè aſſervata, & poſt diluvium inter ſuos liberos unà cum ipſo orbe diſtributa; & Sem, quem anteferebat cæteris, ſimul cum Iudææ regione, Adami calvariam obtigiſſe. Confirmat eruditiſsimè hanc traditionem illuſtriſsimus Epiſcopus Giēnenſis lib. 1. de Reliquiarum cultu cap. 7. num. 3.

Nec minùs ſolidum eſt alterum fundamentum illius explicationis: videlicet, Adam cum Chriſto reſurgente, etiam ad vitam immortalem extitiſſe à mortuis. Sed quia iam Commentarij limites egredior, videantur è noſtris Pineda Iob 19. verſu 25. num. 22. Lorinus Sapient. 10. verſu 2. & Suarez tom. 2. in 3. P. q. 53. art. 3. 23

His ego ductus argumentis non negaverim, Chriſtum in Crucē ſublatum hiſce verbis Adamum affari potuiſſe: quæ non quidem ſtatim, ac prolata ſunt, ſed ubi primùm ipſe Chriſtus primitiæ dormientium reſurrexit, ſuum & ipſa effectum ſortirentur: illa verò vulgari traditione quaſi per manus ad Apoſtolum permanaſſe: ut de alijs ſimilibus Chriſti verbis adnotavi ſuprà num. 4. Sed quominùs prorſus inclinem in hanc ſententiam, illa me ratio movet, quia non video, quomodò ex his verbis colligatur, quod in hoc loco agit Apoſtolus. Contendit ille probare hoc teſtimonio, Iuſtos vitæ ſplendore coruſcantes, illuſtrare, prodere, atque adeò coarguere opera tenebrarum. At ſi verba ſumantur in eo ſenſu, quem expoſuimus, nihil minùs efficiunt, quàm id ipſum, quod Paulus maximè agit: & omnino, niſi fallor, ab re citātur. Quid enim, ſi Adami cineres à ſomno mortis excitati reviviſcant? Quid, ſi corpus factum immortale, dote etiam claritatis ſplendeſcat? Quî tandem hinc concludes, quod intendit Apoſtolus? An lux illa emicans ex Adami corpore glorioſo, occulta im- 24

piorum facinora coarguit, atque convincit? Vidit hoc acutè Hieronymus, & cùm plausibilem hanc, & popularem explicationem recitasset, his eam verbis refellit. [Vnum, quod scio, loquor: cum loci istius interpretatione, atque contextu, sensus iste non convenit.] Sed si quis est, cui plùs nimio arriserit hæc intelligentia, dicat, per me licet, Apostolum in mystico sensu hæc Christi verba citavisse.

26 Magis assentior alijs asserẽtibus, sumptum esse hoc testimonium ex Canonico aliquo libro, qui iniuria temporum interciderit: multa enim veteres scripsisse Prophetas, quæ non extant, ex libris Regum, & Paralipomenon apparet. Vide Maldonatum Matth. 27. num. 9. & Pinedam in Salomone lib. 1. cap. 1. num. 13. Vnde verba illa, quæ ab Evangelista Matth. 27. num. 9. citantur ex Ieremia, cùm tamen apud Hieremiam nusquam reperiantur, verè affirmant Turrianus noster lib. 2. pro epistolis Pontificijs, cap. 13. & Serarius 2. Machabæor. quęstiũcula 20 sumpta esse ex aliquo, qui perierit, Hieremiæ libro: nominatim enim Hieremiam alios pręter eos, quos habemus, scripsisse libros, expressè legimus 2. Machabæorum 2. num. 1.

27 Alicui fortasse placebit sententia Sancti Thomæ, Anselmi, & Caietani, Apostolum sumpsisse hoc testimoniũ ex Isaia, cap. 60. nu. 1. *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum*: illudq; explicationis gratia, paucis additis, aut detractis verbis, illustrasse. Vndecumque hæc verba citaverit Apostolus, illud valde probo, quod ingeniosè observat Gabriel Vazq. tom. 1. in 1. P. disp. 88. cap. 9. num. 39. verbum illud, *illuminabit te Christus*, nõ simpliciter accipiendum esse, ut sit, quomodocumque luce perfundere; sed ita illustrare, ac luce complere, ut accepto illo splendore, perinde ac si nativus esset, ut videmus in Luna, possit alia illuminare, patefacere, coarguere. Iam, quæ ad somnum vitiorum attinent, mortemque peccati, ut & ea, quæ dicuntur sequentibus versibus, clariora sunt, quàm ut egeant Commentario.

Numerus 18.

Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria.

28 IVnc locum, ut facilem, ac planũ, silentio prætervehe-
rer, nisi bene lõgam in eum notationẽ Erasmus edidisset: in qua suo illo intolerando supercilio, reijcit, tanquã opinionẽ vulgi, communẽ intelligentiam, quæ per *luxuriam*, impudiciriam interpretatur: mox per eam occasionem, procaciter, & impudenter, ut solet, exagitat S. Thomam: suam denique nobis explicationem venditat, quam primò suffulcit ex proprietate vocis *asotia*, id est, *luxus, & intemperantia*: addit deinde, relativum illud *in quo*, non simpliciter referre vinum, sed totam orationem, quæ præcesit, ut sensus sit: *nolite enebriari vino, in quo*, id est, in qua re, & in qua vini temulentia est luxus. Quis non hîc ignem exclamet, ut torpidum huius intelligentiæ frigus depellat? Mihi non solùm perire vis, energiáq; Apostolicæ sententiæ, sed, si hunc admittamus sensum, brumali frigore videtur conglaciare. An quisquam est tam plumbeus, ut non videat, in temulentia inesse luxum, & intemperantiam? Quid dico, inesse? Imò verò ipsam temulentiam extremum malum esse, quò se proripere potest effusa intemperantia. Et à turpissimo, & flagitiosissimo extremo luxus nos dehortaretur Apostolus, eo scilicet validissimo argumẽto, quia inibi inesset luxus? Apage frivolã, & futilem explicationem.

29

30 Illa verò, quam Erasmus vulgi opinionẽ existimat, Patronos habet haud paulò Erasmo ipso doctiores: mitto huius ęvi Interpretes ferè omnes, & antiquiores illos Latinos, Hieronymũ, Primasiũ, Ambrosium, Haimonem, Anselmum, S. Thomam, & Lyranum: Græcissanti Erasmo

Græcos duos Auctores oppono, Theophilactum, & OEcumenium, qui libidinem intelligunt per *asotian*, & Græcæ linguæ scientissimum Tertullianum, hûc locum ita exponentem, lib. de Pudicitia cap. 17. [Non antuens etiam fundamenta mœchiæ ab Apostolo effosa, cùm ebrietates, & comessationes compescit, sicut & hîc, nolite inebriari vino, in quo est luxuria.]

31 Ego quidem ingenuè fateor, *asotian* significare lasciviam, intemperantiam, & luxum: nam quod legimus Proverbi. 28. num. 7. *Qui autem comessatores pascit*, expresserunt LXX. *qui pascit luxuriam*: Græcè, *asotian*, abstractum sumentes pro concreto. Videantur Aristoteles 4. Ethicorum, cap. 1. Cicero 2. de Finibus, Gelius lib. 7. cap. 11. & Budæus in Commentarijs linguæ Græcæ. Sed illud item contendo, *asotian* complecti etiam impudicitiã, atque in hoc Apostoli loco necessariò libidinem significare. Nolo mihi fides habeatur, nisi utrumque probavero.

32 2. Machabæor. 6. num. 4. *Templum luxuria*, (Græcè, *asotias*) *& comessationibus Gentiũ erat plenum*. Ibi autem prẹter omnem lasciviam, & luxum, admissa etiam fuisse obscœnissima flagitia cum scortis, ex eodem capite manifestum est. Quod scribit Evangelista Luc. 15. nu. 13. *Dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè*, Græcè *asotos*, repetitur in eodem capite num. 30. *Devoravit substantiam suam cum meretricibus*. Eodem adverbio *asotos* ludit facetè Martialis lib. 4. Epigra. 9. in mulierculã quamdã, quæ, cùm *Sota*, id est, parca, temperans, & pudica vocaretur, ipsa erat *asota*, id est, prodiga, & libidinosa, adultero magis, quàm marito delectata.

Deserto sequeris Clitum marito,
Et donas, & amas, ecbis asotus.

33 Sed est præter cæteros insignis locus 1. Petri 4. nu. 4. *In quo admirantur, non cõcurrentibus vobis in eãdem luxuriæ confusionem*: Græcè, *asotias*. Demirabantur enim Gentiles, obstupescebantque Christianorum castitatem: & cùm se ipsos animadverterẽt, impotenter, ac miserè defixos in cœno libidinum, hos, tanquam humana exutos natura, ut prodigia quædam hominũ stupebant. Atq; hinc iam constat primũ, *asotian*, libidinem, impudicitiamq; complecti.

Alterum, quod recepi probandum, 34
erat, *asotian*, si usquam alias, maximè in hoc Apostoli loco, significare impudicitiam: quod ita conficio. Nam libido, ut ignis in silice, ut effectus in causâ, latet, & continetur in vino: & ad Apostoli institutum maximè pertinebat, ab hoc periculo Ephesios liberare. Multus sim, si conferam omnia, quæ hîc afferri possunt: attingam pauca de multis.

Celebratur ab omni antiquitate Ro- 35
manum illud priscum statutum, quo usus vini fœminis erat severissimè interdictus. Referunt ex nostris Tertullianus in Apologet. cap. 6. Arnobius lib. 5. adversus Gẽtes, Lactantius lib. 1. Divinarum institutionum, cap. 22. Isidorus lib. 20. Etymolog. cap. 3. Ex prophanis autem Dionysius Halicarnasseus lib. 2. Valerius Max. lib. 2. cap. 1. Plinius lib. 14. cap. 13. Aulus Gelius lib. 10. cap. 23. Polyb. lib. 6. Athenæus, lib. 10. c. 13. & Plutarchus in Problemat. Roman. cap. 6. Edidit verò Egnatius Mẹcẽnius (sic eum vocant Plinius, & Tertullianus; seu Metellus, ut appellat Valerius Maxim. lib. 6. cap. 3.) notabile severitatis documentum in uxorem, quam, quòd vinum bibisset, fustibus interemit. *Idque factum* (inquit Valerius) *nõ accusatore tantùm, sed etiam reprehensore caruit; unoquoque existimante, optimo illam exemplo violatæ sobrietatis pœnas pependisse*. Gelius 36
etiam in illo lib. 10. cap. 23. recitat ex Marco Catone, mulctatas quoque à Iudice mulieres, non minùs, si vinum bibissent, quàm si probrum, & adulterium admisissent. Huius interdicti causam sapientissimè prodit Valerius lib. 2. cap. 1. [Vini usus olim Romanis fẹminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur:

rentur: quia proximus à Libero Patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit.] Vides, etiam apud Gentiles, ipso naturæ instinctu, insculptum esse in animis, in vino inesse luxuriã?

37 Qui hoc argumentum exornare volet uberiùs, legat Iansenium ad illa verba Proverb. 20. num. 1. *Luxuriosa res est vinum*: Pererium to. 3. in Genesim, cap. 19. disp. 10 de ebrietate, & incestu Loth, Serarium Iudith 15. quæstiunc. 2. & 3. Magallian. in illud ad Titum 1. numero 7. *Non vinolentum*: Tiraquellum Lege 9. cõnubiali num. 205. Sanctium, & Minoem in Emblemma 24. Alciati, *virgo fugit bromium*: & Adagia: *vinum lac Veneris; & sine Cerere, & Baccho friget Venus*. Ego

38 Hieronymi verbis contentus ero, in Epistola ad Eustochiũ de Custodia virginitatis. [Si experto creditur, hoc primum moneo, hoc obtestor, ut Sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. Vinum, & adolescentia, duplex incẽdium voluptatis est. Quid oleum flammæ adijcimus? Quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus?] Lege cætera, quæ eleganter attexuit: ubi etiam exponit præsentem Apostoli locum, ut nos explicamus. Illa autem verba ad Titum 1. num. 7. *Non vinolentum*, audacter pronuntiat. [Nunquam ego ebrium, castum putabo.] Stet itaque inconcussa hæc veritas, & omnium Scriptorum firmata consensu, ventrem mero æstuantem, facilè in libidinem despumare.

39 Quàm aptè verò Apostoli instituto cõveniat hæc intelligentia, ex eo constat, quia scopus illius est, Simonis familiam, & scholam profligare, totam obscœnam, totam impudicam: non ferunt castæ aures, horrenda eorum libidinum portenta memorari: *quæ enim in occulto fiũt ab ipsis, turpe est & dicere*, suprà n. 12. Extãt prodita litteris apud Clementem Alexandrinũ lib. 7. Stromatum, Irenæum lib. 1 cap. 20. Epiphanium hæresi 21. & Baronium tomo 1. anno Christi 35. capite 19.

Numerus 27.

Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata.

40 DRobabilis est multorũ Veterum, & Recentiorum interpretatio, hæc verba non de Ecclesia Militante adhuc in terris, & quotidiano cum hostibus congressu aliquid certè pulveris, & labis contrahente, sed de illa iam in cælo triumphante, atque adeò gloriosa, ut eam hîc vocat Apostolus, esse intelligenda. Hanc expositionem usque eò certam esse, sibi persuasit Augustinus, ut oppositam, quam priùs probaverat, tandem retexendam esse existimaverit, lib. 1. Retract. c. 19. Ratio autem videtur esse convincens: nam quia diu hîc militat Ecclesia, multos continet maculosos, ac non levibus tantùm adspersos labeculis, sed deformissimis, turpissimisque sordibus conspurcatos, id est, lethalibus criminibus, per quæ ab Ecclesia non excidunt, insigniter fœdatos: illos etiam, quos raros habet, viros perfectos, & omnibus numeris absolutos, maculæ nihilominùs veniales frequenter inficiũt, & veteris Adami rugæ subinde detũrpãt.

41 Probabilius tamen est, hæc verba interpretanda esse de Ecclesia huius temporis, cui toti attribuit Apostolus per synecdochem, quod uni duntaxat convenit parti, quæ cõplectitur Iustos. Verè enim nunc Iusti sunt glorioſi, id est, gloriosis gratiæ (quæ gloria quædam inchoata est) cælestiumque charismatum ornamentis insigniti. Lege Pinedam in Salomone, lib. 5. cap. 4. dum explicat verba illa Psalmi 44. num. 11. *In vestitu deaurato, &c.* Sunt præterea sine ruga, (quæ signum est vetustatis, & senectutis) quia per lavacrum regenerationis renovati, deposito vetere homine, novum, id est, Christũ

42 induerunt. Sunt denique sine macula, quia carent mortalibus peccatis, quæ omnino maculant animæ pulchritudinem; & venialia ipsa, quatenus per humanam fragilitatem licet, sedulò devitant, & si quæ committunt, mox delere student. Id enim est, *esse immaculatum*, quomodò fert præsentis vitæ status, ut expressè asseruit ipse Augustinus lib. de Perfectione Iustitiæ, cõtra Cælestium: fatetur enim in responsione ad 12. testimonium, nullum immaculatum existere, *Si immaculati intelligendi sunt, qui omnino sine peccato sunt: si autẽ immaculati sunt, qui sunt sine crimine, etiam in hac vita fuisse, atque esse, negare non possumus.*

43 Et per hæc facilè diluũtur ea, quę pro prima explicatione afferebãtur. Magis enim propendeo in hanc secundã, & quia Concilium VI. Toletanũ cap. 1. dum fidei cõfessionem exponit, loco illius, *Sanctam Ecclesiam*, ait, *Ecclesiam sine macula, aut ruga*, sine dubio militantem intelligens; & quia frequentissimum est in Scriptura, Iustos, etiam dum degunt in hac vita, immaculatos, & perfectos appellari. Multa cõgessi testimonia, dum explicarẽ illud ad Colossens. 1. num. 22. *Exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso.* Videantur Ribera Apocalyp. 14. num. 17. & lib. 4. de Templo, cap. 2. Bellarminus lib. 3. de Ecclesia militante cap. 8. Lorinus 2. Petri 3. num. 14. Sotomayor in id Canticorum 7. num. 4. *macula non est in te*: Barradas to. 1. lib. 2. cap. 15. Pererius to. 2. in Genesim, lib. 9. num. 23. Pradus in illa verba Ezechiel. 16. versu 10. *Vestivit te discoloribus.*

(2)

Numerus 32.

Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.

44 ON miror Erasmum asseverantem, non colligi ex his verbis, Matrimonium esse Sacramentum. Mirarer potiùs, si homo parùm pius, novarum rerum per quàm studiosus, fuoque præfidens ingenio, Ecclesiæ Catholicæ faveret Caietanum valde miror, cuius talis extat huius loci Commentarius.

Non habes ex hoc loco, prudens Lector, à Paulo, coniugium esse Sacramentum: non enim dicit Sacramentum, sed mysterium hoc magnum est. Verùm si, ut definit Tridentinum sess. 24. Sancti Patres, Concilia, & 45
universalis Ecclesiæ traditio, semper docuerunt, matrimonium inter novæ legis Sacramenta annumerandum: atque hic, ubi disertè de illo agitur, Sacramentum à Paulo nominatur, cur hîc Sacramentum non sit, si alicubi est? aut ubi, quæso, est, si hîc Sacramentum non est? At enim non vocatur (inquit Caietanus) à Paulo Sacramẽtum, sed mysterium. A pago futilem ratiunculam, vix dignam puero Græcę linguæ prorsus ignaro; vocem scilicet Latinam Paulus Græcè scribens usurparet. Latina vox Sacramentum, ea 46
etiam significatione, qua ab Ecclesia frequentatur pro signo rei sacræ, maximè propriè enuntiatur à Græcis *mysterium*. Constat hoc ex libris Græcorum Patrum: & quoties in editione Vulgata *Sacramentum* legimus, *mysterium* Græcè subest. Est verò mysterium, etiam apud prophanos Scriptores, non solùm idem, ac secretum, sed sacrum quoddam arcanum, quod in vulgus efferre, & non initiatis indicare, nefas esset. Vide Cælium Rodiginium, lib. 9. cap. 9. Bellarminum to. 2. lib. 1. de Sacram. c. 7. & 8. & Sacroboscum in defensione Vulgatæ P. 4. c. 3.

Sensus

47 Sensus porrò huius loci facilis est: modò supponamus id, quod gravissimi Scriptores prodiderunt, Adamum, antequàm in peccatum laberetur, mysterium Incarnationis divinitus in illa extasi cognovisse: Sic asserunt expressè Tertullianus lib. de Anima cap. 11. & cap. 21. & lib. 3. contra Marcionem cap. 5. Epiphanius Hæresi 48. Hieronymus in commentario huius loci, Augustinus lib. 9. de Genesi ad literam cap. 19. Leo magnus Epistola 23. Prosper lib. 1. de Prædictionibus cap. 1. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, Bernardus Sermone 2. de Septuagesima, S. Thomas 3. part. quæst. 1. art. 3. ad 5. & 2. 2. quæst. 2. art. 7. corpore. Videantur è nostris Vazquez tom. 1. in 3. part. disput. 12. cap. 1. & tom. 2. in 1. part. dis. 215. cap. 1. Suarez tom. 1. in 3. part. in cõmentario art. 3. Barradas to. 2. lib. 5. cap. 10.

48 Appellat itaq; Apostolus magnum Sacramentũ, matrimoniũ: quia re vera matrimoniũ illud initum inter Adamũ, & Evam, ex intentione Spiritus Sancti, sensu quodã mystico, aq; adeò longè excellentiore significatione, maximũ fuit, & prorsus sacratissimum: ipsa enim coniugalis coniunctio, ille ipse sermo, *hoc nunc os ex ossibus meis, &c.* ardentissimi amoris, arctissimæq; necessitudinis index, admirabilẽ illam coniunctionẽ mysticè significat, quæ inter naturã humanam, Verbumq; Divinũ extat, extabitque in sempiternũ; coniunctionẽ præterea alteram, ex ista priore consecutam, itemq; perpetuã, quæ inter Christũ sponsum amãtissimũ, & Ecclesiã sponsã pulcherrimã intercedit.

CAPVT VI.

Numerus 2.

Quod est mandatum primum in promissione.

1 HOC videlicet mandatum de parentibus honorandis, primũ fuit, cui in promulgatione legis adiuncta est cõtinuò tẽporaria illa promissio, quę tribus prioribus primę tabulæ nõ est addita. Exod. 20. n. 12. *Honora Patrẽ tuũ, & matrẽ tuã, ut sis lõgævus super terrã.* Deuteronomij 5. n. 16. *Vt longo vivas tẽpore, & bene sit tibi in terra.* Vtrumq; cõplectitur Apostolus hîc n. 3. *Vt bene sit tibi, & sis lõgævus super terrã:* quasi alterũ sine altero parum sit. Nã & diuturna vita, si bono careat, malisq; prematur, diuturna calamitas est; prospera autem vita, bonisq; referta, si celeriter absumatur, momẽtanea felicitas. Vtrumq; etiã pollicetur Ecclesiasticus c. 3. n. 7. *Qui honorat Patrem suum, vita vivet longiore.* 2
Et n. 10. *Honora Patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo.* Benedictionis enim nomine, rerum omnium affluentia continetur: quã fausta, felixq; parentũ precatio, filijs obtinet à Deo. Sic subiungitur ibi, n. 11. *Benedictio Patris firmat domos filiorum.* Est verò cõgruentissima ratio, cur huic præcipuè mandato adiuncta fuerit hæc promissio: æquum enim est, ut qui gratus est benefactori, accepto beneficio quã diutissimè fruatur; & qui pius est in eos, à quibus vitã accepit, illi Divino munere, huius lucis usura quã longissimè, & felicissimè propagetur. Vide S. Thomã 1. 2. q. 100. art. 7. ad 3. & exemplũ notabile apud Biscioiam T. 1. l. 17. cap. 9. & Lorin. Ecclesiast. 7. num. 18.

Numerus 11.

Induite vos armaturam Dei.

3 GRæcè, *Panoplian*: quæ vox non est dubium, quin semel significet, quidquid ad armandum militẽ in pugnam pertinet: itaque complectitur non arma solùm ad tegendum corpus, sed ad hostem etiam lacessendũ. Tertullianus lib. 5. contra Marcionem c. 18. n. 289. sic vertit, ut noster Interpres. Cyprianus Epist. 56. *Tota arma Dei.* Ambros. hîc, *universitatẽ armorũ.* Tigurina, *totam*; Isidor. Clar. *universam armaturã Dei.* Vulgatus ipse eamdẽ vocẽ

ita reddidit Luc. 11. n. 12. *universa arma.*

4 Est sanè acerrima pugna, periculosissimusq; congressus, tota vita Christiana: ad quam superandam armis munitissimis opus est. Lege Pinedam ad illa verba Iob 7. n. 1. *militia est vita hominis super terram.* Eleganter verò Tertullianus lib. ad Martyras c. 3. [Vocati sumus ad militiã Dei vivi, iam tum, cùm in Sacramenti verba respondimus. Nemo miles ad bellũ cum deliciis venit. Agonothetes Deus vivus est, corona æternitatis, braviũ. Nec min' ornatè Cyprianus Epistola 56. [Pręliantes nos, & fidei congressione pugnantes spectat Deus, spectat Angeli eius, spectat & Christus. Quanta est gloriæ dignitas, quanta fælicitas, præsente Deo cõgredi, & Christo iudice coronari? Armemur, fratres dilectissimi, viribus totis, & paremur ad agonem.

5 Hoc certamen designabat illud oleũ, quo baptizati, velut athletæ inungebantur. Athletæ enim inter se cõgrediebãtur olco delibuti. Lege de hoc ritu Pamelium in lib. Tertull. de Baptismo, n. 48. Hoc itẽ illud Chrisma, quo confirmamur in altero Sacramento, in quo Christianæ militiæ nomẽ damus, Cyprianus sermone de Vnctione Chrismatis. *Hoc oleo uncti, cum spiritalibus nequitijs colluctamur.* Vide eũdẽ Pamelium in Epist. 70. ad Ianuarium.

6 Ad hanc pugnam sæpe alludit Apostolus. Ad Romanos 13. n. 12. *induamur arma lucis.* 2. Corinth. 6. n. 7. *per arma iustitiæ, &c.* 1. Timoth. 1. n. 18. *ut milites bonã militiam.* & 2. Timot. 2. n. 4. *nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus: ut ei placeat, qui se probavit.* Græcè, *stratologesanti.* Ei, qui delectum exercitus habuit, qui eum militem conscripsit. Ad Hebræ. 12. n. 4. *Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes.* Græcè, *anagonizomeni*, verbo significãtissimo; id est, summa contentione, totisq; viribus in agone decertantes.

7 Ad hoc itaque prælium ineundum sumenda est armatura, non quæcumque, sed *Dei.* Hoc denotabat aureus ille gladius, cùm alioqui magis opportunus Chalybeus videretur, 1. Machab. 15. num. 16. *Accipe sanctum gladium, munus à Deo.* 2. Corinth. 10. numer. 4. *Arma militiæ nostræ, non carnalia sunt, sed potentia Deo.* Neque etiam à re, si armaturæ illius, aut officinam, aut partem, orationem interpretemur: cuius videlicet igne arma potentissima conflantur? vixdum enim recensitis armis, quibus est Christianus miles muniendus, continuò subiungit Apostolus, num. 18. *per omnem orationem, & obsecrationem.* Chrysostomus homil. 5. de incomprehensibili Dei Natura. *Aptissima arma; oratio est: thesaurus perpetuus, divitiæ inexhaustæ.* Ambro. Serm. 86. *Oratio longius vulnerat, quàm sagitta; sagitta enim non nisi proximè conspectum percutit adversarium: oratio autem etiam longius posítum vulnerat inimicum.*

8 Quid quòd vel ipsum Deum hæc orationis cælestia arma vincunt, ac penitus expugnant? Excandescens ira Deus, cœperat stomachum erumpere in populum rebellem, Num. 16. num. 44. penitusque impios illos deleviset, nisi Aaron precibus suis Deum expugnasset. Sap. 18. num. 21. *Properans enim homo sine querella deprecari.* Græcè, *proemachese: pugnavit, ac vicit Deum.* At quibus armis instructus, tam gloriosam victoriam reportavit? Deprecari Deum, est Deum ipsum propugnare, ac vincere. Propterea subditur: *proferens servitutis suæ scutum, orationem.* Græcè, *oplon*, id est, *proprij ministerij arma.* & num. 22. *nec armaturæ potentia, sed verbo,* (id est, oratione, ut exponit ibi Lorinus,) *illum, qui se vexabat, subiecit.* Angelum videlicet exterminatorem, Dei personam sustinentem, & scelera illius populi atrocissimè vindicantem, manus sibi dare coegit.

9 Similis locus est Psalm. 105. num. 23. *& dixit, ut disperderet eos.* Exod. 32. n. 10. *Dimitte mè, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Sed Moyses, tanquam strenuus, & pro portis stationarius miles, iræ Dei iam in populum, quasi vallo

diſsipato, acriter irruenti, ipſe in ipſo aditu, muroq; perrupto fortiter oppoſuit, divinam iracundiam ab ingreſſu continuit, illius tela, gladioſque retudit, iuſtamque Dei ultionem irrumpentem precibus avertit. *Si non Moyſes electus eius ſteriſſet in confractione in conſpectu eius, ut averteret iram eius.* Confractio, Hebraicè dicitur *peretz*; Græcè, *thrauſi*: & proprièeſt diſruptio, ſive fractura muri: quẽ videlicet ipſe populus ſuo ſcelere dirueˊrat, & irrumpenti Dei ſupplicio aditum patefecerat, niſi illud Moyſes oratione armatus repuliſſet.

Sed quia iam mihi videor egredi commentarij terminos, videat, qui pluribus volet hunc locũ locupletare, Delriũ, Gilleriũ, & Sotomayor in id Cantic. 4. n. 4. *Omnis armatura fortiũ*: Lorin. 1. Petri 4. n. 1. *& vos eadẽ cogitatione armamini*: Seariũ Iudith 4. n. 13. *non ferro propugnando, ſed precibus ſactis orando deiecit*: Pereriũ, & Iſtellã, Geneſis 48. n. 22. *in gladio, & arcumeo*. Vbi Chaldæus. *In oratione, & deprecatione mea*: & Interpretes, Oſeæ 12. num. 3. & Geneſ. 32. num. 24.

Vt poſsitis ſtare adverſus inſidias diaboli.

11 GRæcè *methodia* propriè eſt ſolers, & excogitata rei aggrediendæ ratio. Vulgatus ſuprà c. 4. n. 14. *circumvẽtionem* reddidit, Tertullianus lib. 5. contra Marcionẽ c. 18. *machinationẽ*. Hieronymꝰ, *perſutias*. Tigurina, *aſſultus*. Vatablus, *inſidioſos congreſſus*. Cadunt omnia in rem, & in vocẽ, quã aptiſsimè: & tam callidi, vaſriq; hoſtis aſtutia ſimul, ac robur, quævis arma perrumpet, niſi fuerint divinitus cõmunita. Infirmi ſumus ad hos impetꝰ ſuſtinendos, niſi omnipotentis Dei ope fulciamur: & planè cęci ad aſtus explorãdos, niſi eiuſdẽ luce colluſtremur. Inſinuat ſe furtim, ac ſenſim fraudulẽtus hoſtis in hominũ animos, ut citiùs te in laqueos eius induas, quàm inſidias deprehendas. Leo Serm. 7. de Nativitate: Novit, cui adhibeat æſtus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat; cui apponat incitamẽta luxuriæ, cui infũdat virꝰ invidiæ: omnẽ diſcutit cõſuetudinẽ, ventilat curas, ſcrutatur affectus.] Apocal. 2. n. 24. *Qui non cognoverunt altitudines Sathanæ*. Græcè, *bathe*: quę vox nõ eſt indifferens, quemad modũ Latina, ut ſignificet etiã *ſublimitatẽ, & ſuperbiã*. Sunt ergo Sathanæ altitudines, id eſt, *profunditates*, aſtutię ipſius, callidaq; conſilia, ſubtiles, ac multiplices doli, occultę artes, inſidioſęq; rationes ſupplantandi, & in fraudẽ inducendi homines. Vide Gregoriũ hom. 12. in Ezechielẽ, Caſsianum collat. 7. cap. 21. Lorinum 1. Ioan. 2. n. 13. *Quoniam viciſtis malignũ*: & Barradam to. 2. lib. 2. cap. 10.

Numerus 12.

Quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem.

12 DVplex in paucis verbis Hebraiſmus. Primus, quo caro, & ſanguis, mortalẽ, & fragilem conditionem ſolent declarare. Matthęi 16. n. 17. *Caro, & ſanguis non revelavit tibi*. Vbi Chriſtus homines carne, & ſanguine cõſtãtes, opponit Deo. Ad Galatas 1. n. 16. *Continuò non acquievi carni, & ſanguini*. Vide ibi Legionenſem, & Maldonatum Ioan. 1. num. 13.

13 Alteri ſolent Hebręi, cùm unum alteri pręferunt, non illud magis, hoc minùs affirmare, ſed illud affirmare omnino, hoc omnino negare. Hunc canonem multis confirmat exemplis Maldonatus Matth. 9. num. 13. Non itaque negat Apoſtolus, ſibi rem eſſe cum carne, & ſanguine: cum his etiam hoſtibus acerrimè cõfligebat: ſed quãvis ea pugna per ſe cõſiderata, gravis eſſet, diuturna, ac periculoſa; tamen ludus erat, atque iocus, collata cum ea, qua contra dęmones dimicamus. Illuſtrat hunc locum eleganti paraphraſi noſter Roa lib. 6. Singular. cap. 18.

Adverſus mundi Rectores tenebrarũ harum.

14 COncors eſt Expoſitorum ſententia, Rectores mundi vocari dæmones, eo ſenſu, quo Ioannis 12. num. 31. *Princeps huius mundi*: & 2. Corinth. 4. num. 4. *Deus huius ſæculi*, dæmon appellatur: ut exponit Auguſtinus tom. 6. lib. 21. contra Fauſtum, cap. 1. & explicavi ſuprà cap. 2. num. 2.

15 Subeſt in hoc loco unica vox Græca, nuſquam aliàs in Scriptura reperta, *coſmocratoras*. Tertullianus in eo lib. 5. contra Marcionem cap. 18. vertit, *munditenentes*: Regia, *mundipotentes*: ut cum dictione compoſita aptiùs cohæreat ille genitivus, *tenebrarum harum*. Græcè, *caliginis huius ſæculi*. Quæ eſt commodiſsima periphraſis impiorum, in quibus hic mundi Rector potiſsimùm dominatur; quos, velut arcem per tyrannidem occupatam, hic fortis armatus acerrimè cuſtodit; qui proprio vocabulo *tenebræ* dicũtur. Lege, quæ adnotavi cap. 5. num. 8. in illa verba, *eratis enim aliquando tenebræ*.

In cæleſtibus.

16 DVplex eſt explicatio huius loci, & neutra aut auctoritate caret, aut etiam probabilitate. Prima accipit præpoſitionem *in*, loco *pro*, ut ſenſus ſit: non pro aris, aut focis dimicamus; non de capite agitur, de honore, ac fortunis omnibus: hæc enim omnia terreſtria ſunt, fluxa, atque caduca: de cæleſtibus bonis; hoc eſt, immortalibus, beatiſsimis, glorioſiſsimis, in omnem æternitatem duraturis, contẽtio eſt. Victor in hoc certamine, immarceſcibili corona decorabitur in cælo: victus, & ſuperatus, horribilibus cruciatibus addicetur apud Inferos.

17 Non dubium, quin grandis ſit hęc ſententia, & valde digna Apoſtolo, quæque ad arma alacriter capeſſenda fideles exſuſcitet: obſtare duntaxat videtur phraſis inuſitata: & ego quidem ingenuè fateor, nuſquam me invenire potuiſſe, *peri pſyches macheſthæ*, id eſt, pugnare pro vita, efferri etiam Græcè, *en pſyche*. Sed meam ipſe inſcientiam coarguo, & Græcis Patribus habeo fidem, qui nativæ ſuæ linguæ peritiſſimi, huius explicationis Auctores extiterunt. Chryſoſtomus homil. 21. Athanaſius quæſtione 145. ad Antiochum, Theodoretus, OEcumenius, & Theophilactus in huius loci Commentario: noſter etiam Maldonatus Lucæ 1. num. 78. obſervat, *en*, id eſt, *in*, accipi pro *dia*, id eſt, propter.

18 Altera explicatio eſt, adhuc exaggerare Apoſtolum his etiam verbis, anceps, & periculoſum huius certaminis diſcrimen. Erit itaque hæc antitheſis. Nobis cum longè ſuperioribꝰ adverſarijs res eſt; ac proinde arma ſunt, & auxilia cælitus comparãda. Primò excellunt illi naturâ: nos carne conſtamus fragili; illi ſunt ſpiritus: nos pavidi, & imbecilles; illi robuſtiſsimi *Principatus, & Poteſtates*. Secundò aſtutiâ: nos improvidi, nos ignari, ſæpe etiam falſa, & fucata ſpecie boni decepti; illi vaferrimi, in collocandis inſidijs, laqueiſque tendendis verſutiſsimi. Tertiò vincunt 19 exercitatione bellica: nos imbelles, inexercitati, inexperti; illi iam inde ab orbe condito in oppugnandis, ſupplantãdiſque hominibus exercitatiſsimi. Quartò denique ſunt loco ſuperiores: degunt illi *in cæleſtibus*, in loco edito, in aere iſto caliginoſo (ut probavi ſuprà cap. 2. num. 2.) unde tela vibrant impunè; nos iacemus in loco inferiore, humi reptamus, eorum iaculis toti patemus.

20 Sic explicant Latini illi vetuſtiores: Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 18. Lege Pamelium num. 291. apud quem Syrus Interpres vertit, *qui ſub cælo ſunt*. Ambroſius perſpicuitatis gratia, & invertit Apoſtoli verba, & addit nonnulla de ſuo, lib. de Paradiſo cap. 12. *Adverſus nequitiam ſpiritalium, quæ ſunt in cæleſtibus*. Hieronymus mira confidentia aſſeverat in Commentario huius loci: *Omnium Doctorum opinio eſt, quòd aer iſte, qui*

cælum, & terram medius dividens, inane appellatur, plenus sit contrarijs fortitudinibus. Expunditq; etiam Haimo infinitam hostiũ multitudinem. *Ita plenus est aer dæmonibus, & malignis spiritibus, sicuti radius solis minutissimis atomis.* Eamdem tuentur explicationem Anselmus, Primasius, Strabus, Lyranus, & S. Thomas, ut omittam plerosque Interpretes recentiores.

Numerus 13.

Vt possitis resistere in die malo.

21 NOn probo explicationem illã, probatos licèt ipsa patronos habeat, quæ extremum Iudicij diem interpretatur. Series ipsa exigit, ut de instante cõflictu, ac prælio loquatur Apostolus, & iterum nunc inculcet, quod paulò antè monuerat, num. 11. *Vt possitis stare adversus insidias Diaboli.* Multò minus probo alteram explicationem, quæ totum vitæ præsentis tempus comprehendit, iuxta illud cap. 5. 22 num. 16. *Quoniam dies mali sunt.* Frequens idioma Scripturæ cogit nos, *diem malum*, adversum, & calamitosum tempus explicare. Ecclesiastes 7. num. 15. *In die bona fruere bonis tuis, & malam diem præcave.* Hebraicè, *& in die mala, vide, seu contemplare.* Tigurina, *& in tẽpore aspero circũspice*: hoc est, etiã, atq; etiã tunc cogita, quis immittat erumnosam illã diem, ut à quo bona suscepisti mala etiam æquo animo feras. Amos 6. num. 3. *Qui separati estis in diem malum*, id est, reservati in laboriosissimum captivitatis tempus. Sed nullibi frequentius, quàm in Psalmis. Psalm. 36. num. 19. *Non confundẽtur in tempore malo.* Psalm. 40. num. 2. *In die mala liberabit eum Dominus.* Psalm. 93. num. 13. *Vt mitiges ei à diebus malis.*

23 Itaque *diem malum*, diem hostilis assultus, diem sanguinariæ irruptionis interpretor: cùm dæmon collectis viribus, effuso impetu Iustum invadit. Tunc armis Divinitus conflatis ab imis unguibus ad summum usque verticem obtectus, (hoc denotat *panoplia*) non modò resistere crudelissimo adversario, sed universas Inferorum phalanges, armatas in suum exitium, & in ipsum solum hostiliter irruentes, eludere, profligare, planeque triumphare facili negocio poterit. Spectaculũ sanè Deo iucundissimum. Sapienter enim Seneca in libro, cui titulus est: quare bonis mala accidant. [Nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi, irruentem feram venabulo excipit, si leonis incursum interritus pertulit. Puerilia sunt hæc, & humanæ oblectamenta levitatis. Ecce spectaculũ, ad quod respiciat intentus operi suo Deus: ecce par Deo dignum: vir fortis cum malâ fortunâ compositus: utiq; si & provocavit.] At ego potiùs dicã: Ecce spectaculum Deo dignum: vir iustus cum infernis cohortibus compositus; unus cum innumerabilibus hostibus confligens; omnes illos aperto Marte lacessens; atque ex hac acerrima pugna, omnium ditissimis spoliis, & gloriosissimè victor evadens. 24

Numerus 14.

State ergo succincti lumbos vestros in veritate.

SErvius ad illũ Virgilij locũ, lib. 8. Æneid. 25

Discinctos Mulciber Afros.

[Discinctos, inquit, hoc est, militiæ inhabiles. Omnes enim, qui militant, cincti sunt; alioquin inefficaces: ut contrà *præcinctos*, strenuos dicimus: unde Græcè *euzonos* appellatur, non qui habet bonam zonam, sed qui strenuus est, & expeditus.] In sacro etiam sermone accinctus idem est, ac militans: quia, cùm Orientales oblongis vestibus uterentur, ne illę defluentes ad talos usque, decertantibus essent impedimento, collectas ad lumbos balteo milites stringebant.

26 3. Regum 20. num. 11. *Me glorietur accinctus æquè, ut discinctus*, id est, cùm scias, incertos exitus esse belli, Martemque communem, noli opinion cane re ante partam victoriam: noli adhuc militans perinde gloriari, ac triumphans. Balteus verò insigne erat, & ornamentum militare. 3. Regum 2. num. 5. & 4. Reg. 3. num. 21. Vide Pinedam Iob 12. versu 18.

27 Lego apud prophanos Scriptores eam ignominiæ notam ignavis militibus inustam, ut incederent discincti. Suetonius in Augusto cap. 24. [Varijs ignominijs affecit, ut stare per totum diem juberet discinctos.] Plutarchus in Lucullo. [Quosdam notavit, ut discincti fossam foderent, reliquo exercitu spectãte.] Livius lib. 27. [Centuriones Manipulorum, quorum signa amissa fuerant, districtis gladijs (id est, solutis balteis) discinctos destituit.] Vide Lambinum Ode 1. Epodi, Alexandrũ Neapolitanum lib. 1. Dierum genialium cap. 20. & ibi Tiraquellum pag. 80. Lipsiũ lib. 5. de Militia Romana, dialogo 18. pag. 351. Beroaldum in locum indicatum Suetonij, Põtanum lib. 13. Symbol. in Virgilium, columna 1820.

28 Ex hoc itaque militari ritu petenda est intelligentia huius loci. Armat enim Apostolus cælesti panoplia militem Christianum: quare, cùm ait, *state succincti lumbos, &c.* perinde est, ac si dicat. Milites lumbos balteo præcingunt: vos spiritales mentis lumbos accingere volo veritate. Sunt quidem lumbi, fortitudinis, & roboris sedes. Vnde imbecilles, ac debiles, *elumbes* à Latinis nominantur. Iob 40. n. 11. *Fortitudo eius in lumbis eius.* Nahũ 2. num. 1. *Confortа lumbos, robora virtutem valde.* Proverbior. 31. num 17. *Accinxit fortitudine lumbos suos.* Iob 38. num. 3.

29 *Accinge, sicut vir, lumbos tuos.* Itaque cùm monet Apostolus, *state succincti lumbos*, ad acuendum robur, ad excitandas vires, ad generosos quosdam spiritus concipiẽdos adhortatur. Psalm. 17. num. 33. *Deus, qui præcinxit me virtute.* & num. 40. *Præcinxisti me virtute ad bellum.* Attende, quo balteo David, nimirùm roboro, ac fortitudine, cingebatur: quin & ipso Deo eodem balteo dicitur accingi Psalm. 92. num. 1. *Indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.*

Atque hinc est, ut non solùm apud externos Scriptores, ut notavit Servius, sed etiam apud Sacros, *accincti*, sive *ezõni* dicantur, qui sunt armis instructi, pugnaces, & fortitudine prædit. Iudicum 18. n. 17. *Sexcentis viris fortissimis.* Hebraicè, *accinctis*. Iosue 1. num. 14. *Vos autem transite armati.* Hebraicè, *præcincti*. LXX. *Ezoni*. Vertit editio Vaticana verbum è verbo, *bene accincti*. Et cap. 4. num. 13. quos Latinus Interpres vocat *pugnatores*, Hebraicè appellantur *accincti*: & à LXX. *ezoni*. Imò ipsum cingulum, sive balteus militaris, aliquando sumitur pro robore, ac fortitudine. Isaiæ 23. num. 10. *Non est cingulum ultrà tibi.* Hebraicè, *mezah*. Quæ vox ab Hebraizantibus redditur, *fortitudo*. Locum illustrarunt LXX. *Manus autem tua non valet ultrà*: manu enim robur denotatur.

Concludo itaque, robur in tuenda veritate, in propugnanda fidei doctrina, spiritalem esse balteum: à veritate est inchoãda nostra pugna: veritate sunt lumbi muniendi, mentis, inquam, lumbi. 1. Petri 1. num. 13. *Succincti lumbos mẽtis vestræ.* Veritas animum firmat, pectus obarmat, alacres impetus ingenerat, hostiles machinationes, doloque perrumpit, ipsas Inferorum portas potenter expugnat. Sed de fortitudine, ac robore veritatis luculentum extat elogium lib. 3. Esdræ, cap. 4. à numero 34.

Et induti loricam iustitiæ.

32 Lorica, tunica quædam est ferreis annulis contexta, quæ pectus, humeros, dorsum, ac proinde cor, & membra maximè vitalia tegit. Varro, lib. 4. de Lingua Latina. [Lorica à loris dicta, quòd de corio crudo pectoralia faciebant: posteà succuderunt è ferro, sub id vocabulum, ex

annulis

annulis ferream tunicam. Subest Græcè in hoc loco *thorax*: quæ vox nonnũquam retinetur à Vulgato, & frequens est apud Latinos Scriptores.

33 Non dubito, quin Paulus, ut erat in sacris litteris versatissimus, ad duo maxime insignia alludat veteris Testamenti loca, in quibus Deus inducitur eâdem iustitiæ lorica septus, ac munitus, sapient. 5. num. 19. *Induet pro thorace iustitiam*: & Isaiæ 59. num. 17. *Induus est iustitia, ut lorica*. Eamdem sonant loricam iustitiæ, verba illa Iob cap. 29. num. 14. *Iustitia indutus sum, & vestivit me sicut vestimento*. Nam ex militaribus armis metaphoricum ibi sermonem sumi, eruditè convincit noster Pineda.

34 Iustitia porrò generali nomine omne complectitur virtutum genus. Non iuber in probanda re notissima hærere: videantur Maldonatus Matth. 3. num. 15. Genebrardus Psalm. 64. numero 6. Brugensis, Matth. 6. num. 10. Lorinus Psal. 5. vers. 9. & Psalm. 14. versu 2. Ipse etiam Apostolus, dum iterum Christianum militem induit hac lorica, sigillatim nonnullas virtutes explicat, quas hîc iustitiæ nomine cõprehendit. 1. Thessalonicens. 5. num. 8. *Induti loricam fidei, & charitatis*.

35 Dixi, loricam ferreis annulis contexi: & præter Varronem citatum, Auctores producam locupletissimos. Virgilius 3. Æneid.

Loricam consertam hamis, auroque trilicem.

Id est, cõstantem catenulis ter geminatis, ternis per eam licijs decurrentibus. Vide Lipsium lib. 3. de Militia Romana, dialogo 6. pag. 132. Turnebũ lib. 29. Adversariorum cap. 35. Pontanum lib. 10. Symbolarum, columna 1279. Statius lib. 12.

Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ.

Et Silvius lib. 4.

Spacioſaque pectora ſervat
Nexilis innumero Chalybũ ſub tegmine thorax.

Idem lib. 5.

Loricam induitur, tortos hùc nexilis hamos
Ferro ſquama rudi, permiſtóque aſperat auro.

Virgilius lib. 12.

Rutilum thoraca induitus aheneis
Horrebat ſquamis.

Atq; hinc illustratur locus ille 1. Reg. 17. 36
num. 1. *Lorica ſquamata induebatur*. Sic restituit hũc locum editio Vaticana, cùm antea *hamata* legeretur. LXX. *thoraca alyſidoton*: quam vocem expendens affirmat Lipsius, in illo Dialogo 6. pag. 129. ad verbum ita verti: *loricam clavatam*. Sed *hamatam*, inquit, Latini dixerunt, quia circuli, & catenę nexæ, hamuli speciem dimidiati referebant.

Hæc cum ita sint, quod symbolum aptius, significantiusque fingi, aut excogitari potest ad iustitiam exprimẽdam, quàm catenata, triplicataque lorica, hamis inter se se arctissime consertis? Hic murus non aheneus, sed plane adamantinus est: nil conscire sibi, omnes iustitiæ partes exactissimè tueri. Sunt verò virtutes omnes, quæ hamatam istam loricam contexunt, & *iustitiæ* unico vocabulo continẽtur, inter se se strictissimo nodo connexæ, & colligatæ; quasi hamis consertæ, aut compactę *ſquamis ſe premẽtibus*: ut loquitur Scriptura in re licèt dissimili, Iob 41. num. 6. 37

Numerus 15.

Et calceati pedes in præparatione Evangelij pacis.

COntextus ipse necessariò efflagitat, ut ad militaria calceamenta in his etiam verbis alludatur: quibus milites, aut totas suras, aut certè talos, medio crure tenus contegebant. Primò, quia id etiam tegmen, ac munimentum, inter arma cataphracti militis numeratur. Sic ubi Latinus Poeta accuratè recenset arma, 38

à Vul-

à Vulcano fabrefacta, quibus AEneas erat induendus, ne hoc quidem genus prætermittit, lib. 8. AEneid.

Terribilem criſtis galeam, flammaſque vomentem,
Fatiferumque enſem, loricam ex ære rigentem:
Tum lævis ocreas, electro, auroq; recocto,
Haſtamque, & clypei non enarrabile textum.

39 Quibus luculentiſsimis verſibus eadem ferè complectitur arma, quæ hîc ab Apoſtolo enumerantur. In illo etiam loco 1. Regũ 17. ubi vaſtiſsimus ille Philiſthęus totus armatus graphicè depingitur, ita legimus n. 6. *Et ocreas æreas habebat in cruribus.* Atque hoc eſt frequentius vocabulum, quo tegumentum iſtud appellatur. Lege Lipſium lib. 3. de Militia Romana dialogo 7.

40 Reperio etiã, militares iſtas ocreas, *caligas* nominatas, ut eruditè probat ex iure civili Tiraquellus in Alexandr. lib. 1. cap. 20. & ex Hiſtoricis Lorinus Act. 12. num. 8. Illud etiam obſervo, in ſacro ſermone calceamenta cum balteo, id eſt, militares ocreas cum militari cingulo, copulari. 3. Reg. 2. num. 5. & Iſaiæ 5. nu. 27. Quò fortaſſe alluditur Deuteronomij 33. num. 25. *Ferrum, & æs calceamentum eius.*

41 Neq; obſtat, quòd nõ dixerit Apoſtolus, *ocreat*, aut *caligati*, ſed *calceati*: neque enim illi curę fuit, voces adeò preſsè, ſubtiliterque diſtinguere: &, ut ego quidem exiſtimo, inter ſe iſtæ voces ſæpe confunduntur: ut ex citatis locis colligi poteſt. Græcè ſubeſt, *hypodeſamenoi*, id eſt, ſubligati: quia ſive calcei, ſive ocreæ ſolebant loris, aut alijs vinculis ſupernè aptari, atque conſtringi. Vide Brugenſem Mat. 10. n. 10. Inde *hypodemata*: quæ ex Evãgeliſtis probat eodem loci Maldonatus, idem prorſus eſſe, atque *ſandalia*. Sed inſuper adverto, quæ à LXX. Græcè dicuntur *hypodemata*, Geneſis 14. num. 23. & à Luca, *ſandalia*, Actuum 12. num. 8. *caligas* à noſtro Interprete vocari. Hoc autem vocabulum ſæpe militare eſt.

Atque hæc de metaphora, & de voce. 42
Quod ad reconditiorem ſenſum attinet, ſunt, quib° arrideat, pedes, id eſt, affectus, calceamentis validè conſtringi, & à luto, à ſaxis, & ſpinis, quæ viarum impedimẽta ſunt, defendi, ac prohiberi: à luto quidem turpiſsimarum libidinum, à ſaxis, id eſt, ab ſcandalis, in quæ ſolent imbeciliores impingere; ab ſpinis moleſtiarum, & tribulationum.

Mihi vehementer placet explicatio 43
Piadi ſuper illa verba Ezechielis 16. numero 10. *Calceavite ianthino. Calceus*, inquit, *militaris conſtantiam, confidentiamq; ſignificat: nam qui nudis ingrediuntur pedibus, timidè, ac pedetentim incedit; contrà verò calceatus, intrepidè, & audacter.* Ad hanc audaciam, atque fiduciam retulit Cyprianus epiſtola 56. *Calceati ſint Evangelico magiſterio, & armati pedes, ut cùm ſerpens calcari à nobis, & obteri cœperit, mordere, & ſupplantare non poſsit.* Et Tertullianus lib. de Corona militis cap. 1. *Spe calceatus de Evangelij paratura.* Denique alluſit Apoſtolus ad Iſaiæ 52. n. 7. & Nahum 1. num. 15. quæ loca citavit ipſe diſertis verbis ad Romanos 10. num. 15. *Quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem.* Lege ibi eruditam Toleti annotationẽ, quæ eſt 8. in illud cap. 10.

Numerus 16.

In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſsitis omnia tela nequiſsimi ignea extinguere.

SCutum totum ferè corpus 44
contegebat, erat enim oblõgius multò, quàm clypeus: adeò, ut in eo, tanquam in feretro, qui in acie cecidiſsẽt, ad ſepulturã efferrẽtur. Græci vocant ſcutum, *thyreon*, quia forium ſimilitudinem repręſentat. Lege Pontanum lib. 8. Symbolarum in Virgilium col. 1092. & lib. 15. col. 2027. Alexandrum ab Alexandro lib. 6. cap. 22. & ibi Tiraquellum; Lipſium lib. 3. de Militia Romana dialogo 2.

Eſt

45 Est verò fides munitissimum scutum, quod dæmoni oppositum, & obiectum, omnes illius petitiones eludat, omnia tela eminus contorta depellat. Suppeditat enim fides, prævalida in hoc certamine firmamenta: detegit in primis hostis callidissimi technas, insidias aperit: deinde obvallat pectus presenti, & efficaci rerum Divinarum consideratione: quæ, dici non potest, quantam vim habeat ad huius hostis iacula retundenda: postremò proponit ob oculos imbecilles, & exarmatas hostis vires, roburque nobis Divinitus oblatum, si illi duntaxat fortiter obsistamus. 46 Vnde eleganter Isidorus, lib. 3. Sentent. cap. 5. [In electorum oculis terror diabolivilis est: ab incredulis, ut Leo, timetur: à fortibus in fide, ut vermis, contemnitur.] Consentanea Gregorius lib. 5. Moralium cap. 17. ubi dæmoni accommodat illud nomen, quod Iob 5. num. 21. usurparunt LXX. *Mirmecoleon.* Verbum exprimas è verbo, *Formica leo*: Dæmon enim formicis, hoc est, pavidis, & imbellibus, humique reptantibus, Leo terribilis, ac formidabilis est; Leonibus autem, id est, fortibus, & intrepidis, scutoque fidei validissimo munitis, despicatissima formica.

47 Et verò glorioſam victoriam de acerrimis nostris hostibus reportatam, aliàs etiam sæpe sacræ litteræ acceptam referunt Fidei. 1. Petri 5. num. 9. *Cui resistite fortes in fide.* 1. Ioan. 5. num. 4. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Ad Hebræ. 11. num. 33. *Sancti per fidem vicerũt regna. Omnis enim, qui natus est ex Deo, non peccat, & malignus non tangit eum,* 1. Ioan. 5. num. 18. hoc est, ne leviſsima quidem noxa fidelem Iustum diabolus attinget. Sunt, qui huc etiam referãt illud Psalmi 90. nu. 8. *Scuto circumdabit te veritas eius.* Vide Lorinum 1. Petr. 5. vers. 9.

Nequissimi.

48 GRæcè, *tuponeru.* Vnde illi, quos sæpe nutu appello, Editionis nostræ Momi, quibus nihil est antiquius, quàm Vulgati luminibus obstruere, pro *nequissimo, malũ*, aut *nequam* obtruserunt. Id scilicet ignorabat Vulgatus, qui prudentissimè sæpe solet, ubi Latinum positivum non penitus exhaurit Græcæ vocis vim, eam exprimere superlativo. Marci 9. numero 7. *Hic est Filius meus charissimus*, Græcè, *agaperos*: cùm aliàs idem nomen nomine etiam positivo exprimatur ab Interprete. Matth. 3. num. 17. Marci 1. numero 11. Lucæ 3. num. 22. Sic ad Hebr. 6. nu. 18. *Fortissimum solatium*: Græcè, *ischyran*. Et capite 12. num. 11. *Fructum pacatissimum*: Græcè, *irenicon*.

Hanc verò vocem *Poneros*, etiam cùm 49
de diabolo sermo est, sæpe explicat Vulgatus alio nomine positivo. Vt Matth. 13. num. 19. *Venit malus.* 1. Ioan. 2. num. 13. & 14. *Vicistis malignum.* Lege Maldonatum, Matth. 5. num. 37. & capite 6. numero 13. & Lorinum 1. Ioan. 3. nu. 12.

Numerus 17.

Et galeam salutis assumite.

MIror sanè, nullum, quem viderim, Interpretem obser- 50
vasse, Paulum in hoc loco, non modò ad Isaiam allusisse, sed ipsissima etiam Prophetæ verba ex Editione LXX. recitasse. Legimus enim, Deum sic armatum, Isaiæ 59. nu. 17. *Et galea salutis in capite eius.* Vbi ingeniosè Forerius. *Salutem in capite gestabat, quia nihil antiquius hominũ salute ducebat.* LXX. verò non salutem, sed *salutare* reddiderũt, *Peri Kephalæan soterion.* Quorum hîc verba Paulus usurpavit. Et Tertullianus lib. 3. contra Marcionem cap. 14. Latinè reddidit, *galeam salutaris.* Scitum verò est in sacra Scriptura, humani generis vindicem, ac servatorem Christum Dominum, Salutare, sive Græcè *Soterion* nuncupari: quod cũ Hebraico nomine *Iesuha* mirificè congruit. Vide Delrium ad illa

verba

verba Genesis 49.num.18. *Salutare tuum expectabo Domine*: & Maldonatum Lucæ 2.num.30. *Viderunt oculi mei salutare tuum*: & Toletum Lucæ 3.num.6. *Videbit omnis caro salutare Dei*: Agelium in illa verba Psalmi 13.num.8. *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* Belarminum Psal.84. num.7. *Salutare tuum da nobis.* Isaiæ 12. num.3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* LXX. *Soteriu.* Et cap.26. nu.1. *Salvator ponetur in ea murus.* LXX. *Soterion.* Sic etiam cap.51.num.5. *Propè est Iustus meus, egressus est Salvator meus.* Et cap.62.num.1. *Donec egrediatur, ut splendor, Iustus eius; & Salvator eius, ut lampas, accendatur.* Vtrobique LXX. *Soterion.*

52 Itaque potuisset Vulgatus vertere in hoc loco. *Et galeam Salutaris*, aut *Salvatoris assumite*. Quid ergo est, Christo servatore, tanquam galea, caput munire, atque protegere? Nihil aliud, ut opinor, nisi omnem spem obtinendæ salutis in hoc periculosissimo certamine, omnem fiduciam potiundæ victoriæ, in Christo, unico Salvatore nostro figere, ac locare; caput, vitamque nostram illi protegendam committere; partam salutem, reportatam victoriam huic protectori acceptam referre. Facem mihi præfert ad hanc explicationem ipse Paulus 1.Thessalonicen.5. num.8. *Induti loricam fidei, & charitatis, & galeam, spem salutis.* Redditq; continuò causam, cur galeā requirat, quæ sit salutis spes, num.9. *Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum.* Et 1.Corinth.15.num.57. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrũ Iesum Christum.*

53 Præivit nobis exemplo suo ad hanc humilem gratiarum actionem, strenuissimus ille bellator David, Psalm.17. num.36. *Dedisti mihi protectionem salutis tuæ.* Vbi sexta Editio relata in Scholijs Sixtianis. *Dedisti mihi protectorem Salvatorem tuum.* Eademque Hebraica verba ita reddidit Vulgatus, 2.Regum 22.num.35. *Dedisti mihi clypeum salutis tuæ.* Est enim Salvator noster galea, clypeusque salutis. Et Psalm.19. num.5. *Lætabitur in salutari tuo*: Græcè, *soterio.* Ac subest Hebraicè radix *ranan*: quam vertit Regia, *ovabimus.* Sensusque est: cùm victoriam, salutemque nobis pepereris, ovantes, atque triumphantes, non nosmetipsos magnificè iactabimꝰ, sed tibi Servatori nostro laudes, & gratias referemus. *Et in nomine Dei nostri magnificabimur.* Hebraicè, *nidgol*: *vexillum elevabimus*, id est, elatis in lætitiæ significationem vexillis, tuum Salvatoris nomen magnificis laudibus prosequemur.

Et gladium spiritus (quod est verbum Dei.)

PRobo communem Interpretum ob- 53
servationem, hactenus Apostolum armis ad se protegendum Christianum militem induisse; nunc verò etiam gladium illi porrigere, quo invisibilem hostem lacessere, oppugnare, atque adeò ferire possit. In eo tamen à plerisque dissentio, quòd ad hoc pugnæ genus illustrandum, & huius gladij usum edocendum, exemplum afferunt ex certamine illo singulari, à Christo cum dæmone inito, quẽ tribus sentẽtijs ex sacro sermone desumptis, quasi tribus huius gladij petitionibus, vulneravit, atque deiecit. Nam mea quidem sententia, obsistere hosti istud est, non plagam imponere; ad scutum pertinet, nõ ad gladium: neque enim multum refert, si irruenti hosti fidem opponas, mente duntaxat conceptam, aut etiam sacræ Scripturæ verbis explicatam.

Itaque magis assentior aliorum expli- 55
cationi, tunc demum isto gladio dæmonis iugulum peti, tunc illi luculentam, & gravissimam plagam infligi, cùm Evangelici verbi prædicatione, fortis iste armatus, spolijs devictus exuitur; cùm infidelium, aut certè peccatorum præda, invito illi, ac omni ope reluctanti, huius gladij vi tandem è manibus extorquetur. Illud verò est in animo altè defigendum,

quod

quod hîc obſervat S. Thom. lect. 4. [Prædicatio dicitur gladius Spiritus, quia non penetrat uſque ad ſpiritum, niſi ducatur ab Spiritu Sancto.]

56 Hoc ipſo gladio accinctus eſt Chriſtus Pſalm. 44. num. 4. ut duobus in locis, eiſdem propè verbis, ex verſu proximo, *ſpecioſus forma præ filijs hominum*, eleganter concludit Tertullianus lib. adverſus Iudęos num. 108. & lib. 3. contra Marcionẽ cap. 14. *Tempeſtivus* (inquit) *decore præter filios hominum, effuſa eſt gratia in labijs tuis. Rideo, ſi quem ad bellum enſe cingebat, & de tẽpeſtivitate decoris, & labiorũ gratia blandiebatur.* Et paulò pòſt. *Apoſtolus Ioannes in Apocalypſi* (cap. 1. num. 16.) *enſem deſcribit, ex ore Dei prodeuntẽ, bis acutum, præacutum: quem intelligi oportet ſermonem Divinum, bis acutum duobus teſtamentis, legis, & Evangelij, acutum ſapientia, infeſtum Diabolo, armãtem nos adverſus hoſtes ſpiritales nequitiæ.* Quibus ex-
57 tremis verbis alludit ſine ulla dubitatione Tertullianus ad hunc Apoſtoli locum; & utrumque gladium, unum, atq; eumdem eſſe contendit. Huc etiam referunt Auguſtinus lib. 20. de Civit. c. 21. & Ambroſius lib. 3. de Virginibus, illud ad Hebr. 4. num. 12. *Vivus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Theodoretus etiam, & Philo Carpatius interpretantur in hanc ſententiam verba illa Canticorum 3. num. 8. *Omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi.* Idem Auguſtinus in illo lib. 20. de Civit. cap. 21. & Hilarius in Matthæum, & Auctor Imperfecti homil. 26. Chriſti verba Matthæi 10. num. 34. *Non veni pacem mittere, ſed gladium*, de hoc ipſo gladio ſpiritus exponũt: & Maldonato noſtro certum videtur, Evangelium ſignificari. Verùm hæc teſtimonia non uſquequaque conſtat, quem habeant ſenſum litteralem, & multis ſunt involuta difficultatibus, quas ſigillatim examinare, uberioris otij eſt.

(?)

Numerus 24.

Qui diligunt Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in incorruptione.

58 VPlex eſt huiꝰ loci ſenſus, & iuxta proprietatẽ Græcę vocis uterq; probabilis. *Aphtharſia* enim ſignificat immortalitatẽ: & ita exprimitur illa vox ab Interprete Latino, 1. Cor. 15. n. 54. *Cũ autẽ mortale hoc induerit immortalitatẽ.* Græcè, *aphtharſiã*: & eodẽ prorſꝰ ſenſu redditur *incorruptio*, aut *incorruptela*. Ne lõgè abeamus, in illo ipſo cap. 15. utriuſq; etiam verſionis ſuppetũt exempla. n. 42. *Surget in incorruptione.* & n. 50. *neque corruptio incorruptelam poſsidebit.*

59 Sic etiã *Aphtartos*, idẽ eſt, atq; immortalis, 1. Timoth. 1. n. 17. *Regi ſæculorũ immortali.* Græcè, *Aphthárto*: & eodem ſenſu Latinè redditur *incorruptus*, aut *incorruptibilis*: ad Roman. 1. n. 23. *& mutaverũt gloriã incorruptibilis Dei.* Græcè, *Aphthartu.* 1. Corinth. 9. n. 25. *Nos autẽ incorrũptã.* & c. 15. n. 52. *mortui reſurgent incorrupti*, id eſt, immortales. Atq; ex hac ſignificatione vocis, primus elicitur ſenſus. *Qui diligunt Dominũ noſtrũ Ieſũ Chriſtũ in incorruptione*, hoc eſt, in immortalitate, & incorruptibilitate iã exiſtentẽ, in cælo iã regnantẽ in omnẽ æternitatẽ. Ea phraſi dicitur Sap 2. n. 23. *Deus creavit hominẽ inexterminabilẽ.* Græcè, *en aphtharſia, in incorruptione*, id eſt, incorruptibilem, & immortalem.

60 Significat etiã *Aphtharſia* integritatẽ, ac ſyncéritatẽ animi vacantis omni vitiorũ corruptela. Ad Tit. 2. n. 7. *in doctrina, in integritate, in gravitate.* Sap. 6. n. 19. *Cuſtodia autẽ legũ, conſũmatio incorruptionis eſt.* Græcè, *Bebæoſis aphtharſias*, id eſt, *cõfirmatio, aut conſtitutio integritatis.* Integritas enim vitæ, exacta, & accurata legũ obſervatione continetur, & cõſummatur. Atq; hinc efficitur alter ſenſus: *qui diligunt Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ in incorruptione*, hoc eſt, incorruptè, integrè, purè, atq; ſyncerè: quod utinam, præſtante ipſius gratia, aſſequi valeamus.

IN EPISTOLAM CATHOLICAM BEATI IACOBI APOSTOLI COMMENTARII EXEGETICI LITTERALES.

AVCTORE

PATRE AVGVSTINO DE QVIROS
è Societate IESV.

ARGVMENTVM.

1 EXtitit Apostolorum ætate Simō ille Magus, cuius meminit Lucas Act. 8. n. 9. qui nefariū Ecclesiæ nascēti bellum indixit. Spargebat hic virus pestilentissimæ doctrinæ, quā his verbis perstringit Irenæus lib. 1. cap. 20. [Qui in eum,& in Selenen eius, spem habeant,ut liberos agere,quæ velint:secundum enim ipsius gratiam salvari homines, sed non secundum operas iustas.] Cùm ergo in sola fide, falsa illa quidem, & commentitia,salutem reponeret, & habenas laxissimas effrænatæ cupiditati remitteret, hominibus avidis vitæ licentioris passim venenum aspirabat.

2 Haud dissimilem errorem, latiùs quotidie manātē,& in sola sincera fide, seclusis operibus,spem salutis reponentem, Iacobus hac Epistola repressit. Invaserunt quidem in arcem huius causæ Petrus, Ioānes,& Thadæus:sed in hoc certamine cæteris palmam præripit Iacobus, & iuxta nominis sui etymon, phalāges hostium mirabili dexteritate supplantat; totumq; se effundit in bonis operibus extollendis. Hoc itaque consilio illum appulisse animum ab scribendum, Auctor est Augustinº lib. de Fide, & Operibus c. 14. [Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ Epistolæ, Petri, Ioannis, Iacobi, & Iudæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant, fidē sine operibus nihil prodesse.]

3 Hanc venenatam hæresim, per tot annos retrusam in illas tenebras, unde emerserat, rursus ab ipsis Inferorum faucibus revocavit Lutherus in lucem. Cùm verò perspicuè videret homo impurus, hydrā istam suam renascentem vel unico huius Epistolæ ictu iugulari: dum vim argumētorum suis cavillis desperat eludere, aut apertissima verba vel obtorta gula in aliā

sententiam detorquere, multò proclivius existimavit, ore illo ferreo eius auctoritatem infringere, quàm iacula inde petita, & in suam hæresim contorta, propulsare.

4 Manet tamen inconcussa, & irrefragabilis huius Canonicæ Epistolæ auctoritas, inde usque ab Ecclesiæ primordijs, gravissimorum Conciliorum, Summorum Pontificum, & Sanctorum Patrum testimonio stabilita. Agnoscit eam Synodus Laodicensis, & pro Canonica veneratur, cap. 59. Concilium Arausicanū II. cap. 25. Cabilonense II. cap. 33. Milevitanum, Canone 7. Carthaginense III. c. 47. Florentinum demum, & Tridentinum: Clemens Romanus epistola 2. Anacletus epistola 1. Innocentius I. epistola 3. ad Exuperium, Magnus Dionysius de Divinis Nominib⁹, cap. 4. Tertullianus adversus Iudæos, cap. 2. Origenes homil. 7. in Iosue, Nazianzenus in carmine Heroico de Libris Canonicis, Cyprian⁹ in libro ad Novatianum, Ephrem sermone de Pœnitentia, Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, Leo Magnus sermone 11. de Quadragesima, Aug. lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 8. & in Psalm 31. concione 1. imò lib. 2. Retractationum, cap. 32. ait, se in hanc epistolam edidisse commentarios: Isidorus lib. 6. Etymologiarum, cap. 1. Damascenus lib. 4. de Fide orthodoxa, cap. 18. Hieronymus, non solùm in Catha logo Scriptorum Ecclesiasticorum, sed etiam epistola 103. ad Paulinum, & lib. 2. adversus Pelagianos: Epiphani⁹ hæresi 76. Athanasius in Synopsi, Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 5. Eusebius Cæsariensis lib. 2. Historiæ cap. 23. Gregorius lib. 4. epistola 114. Ruffin⁹ in expositione Symboli: &, qui posterioribus sæculis hos Patres consecuti sunt, omnes.

Ex Recentioribus verò Theologis Baronius to. 1. anno Christi 63. Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei, cap. 18. Valētia lib 8. Analysis Fidei, cap. 5. Salmeron to. ultim. disp. 1. in hanc epistolam: qui propterea eam asserit Catholicam appellatam, quia cùm eo sæculo plurimæ circumferrentur

5 epistolæ, Apostolorum nomine conscriptæ, non erant tamen illę in tātam auctoritatis celsitudinem evectæ, ut quemadmodùm hæc, pro Canonicis apud omnes haberentur. Denique Lorinus in Acta, c. 1. versu 13. & Serarius hîc prolegomeno 3.

Obtinet verò primum locum inter 6
septem Catholicas, ut plerique Patres notaverunt, & expressè Nazianzenus citatus, dum ait.

Deinde bis septem Pauli numerato libellos:
Catholicas septem, inter quas est prima Iacobi.

Atque ea huius rei videtur esse causa, Sacros libros non tenere locum ex dignitate Scriptoris, sed ex ordine temporis, quo sunt scripti: priùs autem, quàm Petrus, scripsit epistolam Iacobus. Sic inter Evangelistas, non modò Matthæus, qui fuit Apostolus, sed & Marcus etiam, & Lucas, qui inter Discipulos numerantur, Ioānem antecedunt.

Numerus 1.

Iacobus.

7 Ilius Alphæi ex Maria Cleophæ Matth. 27. num. 56. & Marci 15. nu. 40. quę soror fuit Beatissimæ Virginis, Ioānis 19. num. 25. Cùm ergo Christum cognatione proximè attingeret, imò effingeret etiam oris lineamentis, & simul cum eo eductus esset, ut refert Epiphanius in Anchorato, & hæresi 78. *Frater Domini* dictus est, ad Galatas 1. num. 19. Vulgare enim est in Scriptura, ut consobrini, fratres appellentur, ut probat eruditè Toletus Ioannis 2. annotatione 18. Baronius in apparatu ad Annales, pag. 31. Maldonatus Matthæi 12. num. 46. Lorinus in Acta cap. 1. versu 14.

Dei,

Dei, & Domini nostri Iesu Christi servus.

8 EGregia est Didymi sententia super hunc locum (habentur eius Commentarij to. 6. Bibliothecæ.) [Sicut mortalem gloriam homines appetentes, dignitates, quas putantur habere, præponũt; ita Sancti in epistolis, quas scribunt, principaliter proferunt, se servos esse Dei, æstimantes, hanc appellationem supra regna totius mundi consistere.]

9 Quanta autem in veneratione fuerit Iacobus propter incredibilẽ opinionem sanctitatis, etiam apud Iudæos, infensissimos hostes Christiani nominis, illud argumento est, quod refert Epiphanius hæresi 29. permissum illi fuisse obspectatam, omnibusque numeris absolutam virtutem, ingredi in Sancta Sanctorum semel in anno. Hieronymus verò in cap. 1. Epistolæ ad Galatas sic scribit. [Vir fuit tantæ sanctitatis, & rumoris in populo, ut fimbriam vestimenti eius certatim cuperent attingere.] Addit Chrysostomus hom. 5. in Matthæum, non tantùm eius genua, sed frontem etiam ob iugem in pavimento prostrationem, callum obduxisse. Iosephus verò testatur lib. 20. Antiquitatum cap. 8. tanta illum apud populum existimatione claruisse, ut plerique in animum induxerint, ad ulciscendam illius necem, totam Hierosolymorum urbem funesto illo excidio fuisse mulctatam.

Duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione.

10 IVdaicum populũ dispersum fuisse per innumerabiles provincias, testatur Philo, qui legationem illam suam ad Caium Augustum ita concludit. [Itaq; si exoratmea patria, tuam clemẽtiã, præter ipsam, alias civitates demereberis plurimas, sitas in diversis orbis tractibus, Asia, Europa, Africa, insulares, maritimas, mediterraneas.] Lucas Actuum 2. nu. 5. scribit, cõfluxisse in urbem Hierusalem viros religiosos, *ex omni natione, quæ sub cælo est.* Illud verò pènè excedit fidẽ, quod affirmat Baronius, to. 1. anno Christi 64. extremo, auctorem laudans eũdem Philonẽ in eo libro, quẽ inscripsit in Flaccũ, non minus, quàm decies centena millia Iudæorum A Egyptum habitasse.

11 Christus ergo, qui sanguinem suũ fudit, *ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*, Ioannis 11. nu. 52. *Ædificans Ierusalẽ Dominus, dispersiones Israelis congregabit*, Psal. 146. nu. 2. per suos Apostolos quàm plurimos Iudæos, è varijs nationibus oriundos, traduxit ad fidẽ. Huc spectat ardentissima illa oratio Nehemiæ 2. Machab. 1. nu. 26. *Custodi partem tuam, & sanctifica: congrega dispersionem nostram.* Sed qui adducti erãt ad unum pastorem, & unum ovile, rursus dispersi sunt, frendentibus lupis, Act. 8. nu. 1. *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt.*

Cùm ergo Iacobus creatus esset Hierosolymorum Episcopus, eo ritu, quem ex Anacleto, Clemente Alexandrino, & Hieronymo refert Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice, cap. 13. ad pastoralem curam pertinere meritò iudicavit, quas oves præsens verbo salutari reficere non poterat, easdem huius Epistolæ pabulo recreare.

Salutem.

12 AVdax nimis est (ut levissimè dicã) Caietani Commentarius in hunc locum. [Salutatio, inquit, hîc posita, tam pura est, ut nulli salutationi cuiuscumq; alterius Epistolæ Apostolicæ conformis. Nam nihil Dei, nihil Iesu Christi, nihil gratiæ, nihilve pacis sonat; sed profano more, salutem.] Miror, tam cirò vixdum lecta prima verba è memoria effluxisse Caietano. An non in illis Deus, & Iesus Christus nominantur, cuius se servum profitetur? Quam verò salutem impetrat, nisi quam Iesus suo nomine prænuntiat, quam suo cruore attulit

mundo? [Non igitur (ait Catharinus) erat profanum, eo pacto salutare; sed hoc erat profanum, veram scilicet salutem non intelligere.]

13 Neque verò abhorret talis salutatio ab spiritu Apostolico: ut constat Actuũ 15. num. 23. *Apostoli, & seniores fratres, his, qui sunt Antiochiæ, salutem.* Sed sciendum est, utrobique subesse Græcè, *chærin*, id est, *avere*, seu *gaudere*: quo eodem verbo usus est Lucas, cùm Gabriel beatissimam Virginem salutavit, Lucæ 1. nu. 29. *chære.* Vulgatus vertit, *ave*. Suspicaturque ibi Maldonatus, Hebraicè loquentem Angelum consueta salutandi formula usum fuisse, *pax tibi*; sed eam eleganter expressisse Evangelistam. Atque ut magis traducatur Caietani cùm audacia, tum Græci sermonis imperitia; Matthæi 28. num. 9. cùm Christus mulieres salutavit, Græcè subest idem verbum, *chærete*: *avete*, seu *gaudete*. Eat nunc Caietanus, & temerè iactet, profanam & ab Apostolico spiritu alienam, eam esse salutationem, quam Apostoli, Angelus, & ipse Christus usurparunt.

Numerus 2.

Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.

14 QVale tandem gaudium fidelibus optet Iacobus, cùm in salutatione iubet eos gaudere, apertiùs iam explicat. Græce, *charan*: nomine scilicet ab eodem verbo *chærin* derivato. Hominibus enim Christi causa ex patrijs finibus ejectis, avitis bonis exturbatis, ad necem crudelissimam quæsitis, quid accommodatius proponi potuisset, quàm calamitatem illam, perpessu quidem asperam esse; sed materiam redundantis lætitiæ, & immarcescibilis coronę segetem continere? 1. Petr. 4. num. 13. *Communicantes Christi passionibus, gaudete: ut & in revelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.* Matthæi 5. n. 12. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Propterea videlicet *ibant gaudentes Apostoli à conspectu concilij, &c.* Actuum 5. num 41. Et quidem 15
tentatio in hoc loco idem est, ac tribulatio. Neque id alienum est à sacro sermone: nam in lingua sancta utraque res exprimitur eadem voce, ut observat Pagninus in radice *nasà*, & Pineda Iob 9. versu 23. num. 6. Tobiæ 2. num. 12. *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patiẽtiæ eius.* Iudith 8. num. 23. *Omnes, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles: illi autem, qui tentationes non susceperunt, &c.* Vbi apertè vides, pro eadem re utrumque nomen usurpari. Sapientiæ 18. num. 20. *Tetigit autem tunc & iustos tentatio mortis.* Vtrumque etiam coniungitur Eccles. 27. num. 6. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.*

Atque hinc deducitur hæc translatio. 16
Nam tentare proprie est, periculum facere, experimentum sumere. Et verò nihil æque periclitatur virtutem, ac laborum tolerantia: prodit patientia, tanquam certissimus index, latentem animi firmitudinem. Ovid. 4. Trist. elegia 3.

Quæ latet, inque bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguiturque malis.

Tentabant patientiam Iusti, qui dicebant Sapient. 2. num. 19. *Contumelia, & tormento interrogemus eum, ut sciamus reverẽtiam eius,* (Græcè, mansuetudinem eius) *& probemus patientiam illius.*

Neque verò Apostolus, dolorem inus- 17
tum iactura rei familiaris, exilio, cruciatibus, dolorem esse negat: neque exigit à fidelibus stupidam illam, & penè brutam, seu lapideam Stoicorum indolentiam: quam eruditè exagitat Pineda Iob 1. versu 20. num. 1. non enim è silice nati sumus: sed est naturale in animis tenerum quiddam, atque molle, quod ægritudine,

quasi

quasi tempestate, quatiatur: cū enim Iusti fortunarum spoliatione divexantur, cū plagis, varijsque dolorum stimulis pervelluntur, an non sentiant? Tolerantissimus ille Tobias, memorandum posteris in sua tentatione, patientiæ documentum prębiturus, aiebat tamen, cap. 5. nu. 11. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Et hoc aiebat ille, de quo scribitur cap. 2. num. 13. *Non est contristatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis evenerit ei.*

18 Sed aliud est, ut perpendit ibi Serarius, obrui fluctibus tentationum, de gradu constantię deijci, impias in Deum voces temerè iactare: quod improborum proprium est: aliud verò, pungi sanè, stimularique dolore, eum tamen opprimere fortitudine, spe cælestis coronæ mitigare, benignissimi Parentis fiducia lenire, & his doloris allevamentis, dolorem ipsum, gaudiū existimare: quod Iustis peculiare est.

19 Illud demum hîc observo, *omne gaudium*, idem esse, ac solidissimum, effusissimumque gaudium. Scitè expressit Tigurina: *pro summo gaudio existimate*. Sic 1. Corint. 13. num. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes trāsferam*, id est, maximam, excelentissimamque fidem. & 1. Timoth. 1. num. 16. *Ut in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam*, id est, summam, absolutissimamque patientiam: ponitur enim nomen collectivum universale pro toto quanto, ut advertit ibi Cornelius.

Numerus 3.

Scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur.

20 HAEC nimirùm est iustissima causa gaudendi vel in acerbissimis malis: laborū perpessio, tanquam lapis lydius, virtutis aurum indubitanter explorat, virtutem ipsam patientiæ meritis accumulat. Hoc clamant omnes Scripturę. Tobiæ 12. num. 13. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* 1. Petri 1. num. 6. [In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in varijs tentationibus: ut probatio vestræ fidei multò pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur.] Sed extat luculentum præ ceteris testimonium, cap. 4. n. 12. *Charissimi, nolite peregrinari in fervore.* Vertit Græca Tertullianus in Scorpiaco cap. 12. *Ne expaveścatis ustionem.* Cyprian. verò Epistola 56. *Nolite mirari ardorem. No estrañeis, no se os haga nuevo, ser como oro acrisolados en el fuego de la tribulaciō.* Græcè, *en pyrosi*, à verbo *piroo*, id est, conflo, excoquo, & exploro per ignem. Psalm. 16. num. 3. *Igne me examinasti.* Græcè, *epyrosas.* Proverb. 10. num. 20. *Argentum electum, lingua iusti.* Græcè, *pepyromenos*, id est, excoctum, scorijs defæcatum. Vt Psalm. 11. num. 7. *Argentum igne examinatum, probatum, &c.* Causam verò subiungit Petrus. *Qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat.* Id est, 22 ardetis in hoc igne, non ut tanquam paleæ combūramini, sed ut conflemini, tāquam aurum, & edatis specimen bonitatis. Eleganter Viegas Apocalypsis 6. sect. 10. num. 2. & cap. 12. sect. 5. num. 2. cōparat Iustos cum vasis fictilibus, Scripturam ducem sequens, Eccles. 27. num. 6. ad Romanos 9. num. 21. & 2. Corinth. 4. num. 7. Ea enim vasa durantur, & dealbantur igne: tantùm abest, ut exurantur: eademque fictilia, cùm de illorum integritate dubitamus, ictu quodam inflicto, solemus ex tinnitu reddito explorare, fracta ne sint, an integra.

Huc spectāt verba illa ad Romanos 5. 23 num. 3. *Tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem.* Vbi tamen observandum est, Paulum asserere, quòd patientia operatur probationem: Iacobus verò contrarium hîc affirmat, nempe, quòd probatio operatur patientiam. Hūc nodum variè solvunt Expositores: quorum sententias recitant Toletus, & Iustinianus

nianus in cap. 5. ad Roman. & Serarius in commentario huius loci. Aptissimus expediẽdi modus est, si duplicem probationem distinguamus: altera est in eo, qui probatur, scilicet exploratio ipsa, examinatioque virtutis: & hęc probatio operatur patientiam, id est, præbet materiã, & occasionem tolerantiæ: altera probatio est, non apud eum, qui laboribus exercetur, hoc est, non actio quidem ipsa explorandi patientiam, sed huius actionis effectus, scilicet approbatio, apud alios spectantes consecuta sumpto experimento: qui enim patiẽter tribulationem sustinet, probatus redditur, & spectatus omnibus: & hanc probationem operatur sine dubio patientia.

Numerus 4.

Patientia autem opus perfectum habet: ut sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes.

24 BEda hîc. [Cuius patiẽtia vinci non potest, ille perfectus esse probatur.] Basilius in Admonitione ad filium spiritualem folio 633. [Patientiam arripe, quia maxima virtus animæ, ut velociter ad sublimitatem perfectionis possis ascẽdere.] Cyrillus Alexandrinus in homilia, quæ refertur tomo 1. Conciliorum pag. 1205. postquàm mirificè laudibus extulit patiẽtiam, tandem concludit: *Omne itaque bonum patientia nobis suppeditat.* Observat Strabus ad illud Iob 4. n. 6. *Patientia tua, & perfectio viarum tuarum*, virtutes has congruo ordine collocari: *de patientia*, inquit, *perfectio nascitur.*

25 Hoc nimirùm est, perfectos esse, & integros, & nulla virtute destitutos. Nam perfectum opponitur imperfecto, integrum, mutilo: utrumque præstat patientia, & perfectionem vitę, & integritatem virtutũ. Quã de re accuratè disputat Sãctus Thomas 2. 2. q. 136. ar. 2. ad 1. & Abulensis in cap. 19. Matth. quæst. 141. ubi in hanc sentẽtiam explicat uterque hæc Iacobi verba.

26 Nec videtur omnino reijcienda Gagneij expositio, qui cõsentaneè textui Græco, *echeto*, id est, *habeat*, de perfectione ipsius patientiæ interpretatur: aitque, ab Apostolo requiri altissimum huius virtutis gradum, scilicet gaudium, & alacritatem in perferendo: iuxta id ad Romanos 5. num. 3. *Sed & gloriamur in tribulationibus*, Matth. 5. num. 12. *gaudete, & exultate, &c.* Sed iam tunc non tam est virtus patientiæ, quàm fructus Spiritus Sancti: de quo ad Galatas 5. num. 22. Nam ex S. Thoma 2. 2. quæst. 136. art. 1. ad 3. [Fructus in sui ratione importat quamdam delectationem: & ideo patientia, quantum ad habitũ, ponitur virtus; quantũ autẽ ad delectationem, quam habet in actu, ponitur fructus.]

Numerus 5.

Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo.

27 *Omnis* quippe *sapientia à Domino Deo est*, Ecclesiast. 1. n. 1. *Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia, & scientia*, Proverbiorum 2. num. 6. ut constat in Salomone 3. Regum 3. num. 9. & 2. Paralipomenon 1. num. 10. *da mihi sapientiam, & intelligentiam.* & Sapientiæ 9. n. 4. *da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam.*

28 Colligitur ex isto loco orationis necessitas contra Pelagianorum, & Lutheranorum absurdissimam inscitiam: quam ut vel unico coarguamus exemplo: quid faciet homo egentissimus, qui nihil prorsus habeat, unde vitam tolleret, & imbecillo corpore nequeat labore manuũ victum comparare? Videlicet, ab ijs, qui abũdant, nisi perire velit, eum stipem corrogare; necesse est. Sapientissime orabat Iosaphat 2. Paralipomenon 20. num. 12

Cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.

29 Attexitur verò mirificè hæc ſententia cum ſuperiore, licèt in ſpeciẽ diſcrepare videatur. Et quidẽ Græcè utrobiq; repetitur idẽ verbũ, ſcilicet, *in nullo deſtituti*, aut *diminuti*: & rurſus: *ſi quis autem veſtrũ deſtituitur*, vel *diminuitur ſapientia*. Non ergo temerè, ſed conſultò tranſit à patientia ad orationem: dixerat, res adverſas, nõ æquo ſolũ, ſed lubente etiã animo perferendas; abſolutã integritatem virtutum omnium per laborum tolerantiam comparandam: rem ſuadebat creditu difficilem, & à communi ſenſu prorſus abhorrentem. Egregiè itaque Beda. [Si quis veſtrum non poteſt intelligere utilitatem tentationũ, quæ fidelibus probandi cauſa eveniunt, poſtulet à Deo, tribui ſibi ſẽſum, quo dignoſcere valeat, quanta pietate Pater caſtigat filios, quos æterna hæreditate dignos efficere curat.

Qui dat omnibus affluenter.

30 Græcè *aplos*, id eſt, *ſimpliciter*, candido ſcilicet animo, ſine remunerationis ſpe, ſine reſpectu perſonarum. Id, quod à fidelibus exigit Paulus ad Roman. 12. n. 8. *Qui tribuit, in ſimplicitate.* Græcè, *ſine perſonarum acceptatione.* Excitat verò petendi fiduciam propoſita Dei liberalitate, qui abundantia pietatis, & merita ſupplicũ excedit, & vota: *dives in omnes, qui invocant illum*, ad Roman. 10. n. 12. *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos*, Matth. 5. n. 45. qui peccatores ſibi ſupplices nõ abſterret: qui promiſcuè in omnes omnem bonorum affluentiã effundit: *qui potens eſt, omnia facere ſuperabundãter, quã petimus, aut intelligimus*, ad Epheſ. 3. n. 20. Pulchra eſt Nazianzeni ſententia de Divina liberalitate, oratione 40. in Sanctum Baptiſma, dũ exponit illud Iſaiæ 55. n. 1. *Venite, emite abſq; argento.* [O miram beneficentiæ celeritatem! ô facilem contrahendi rationem! Hoc bonũ ſola voluntate venale tibi proponitur: cupiditatem ipſam Deus ingentis pretij loco habet: ſitit ſitiri; bibere cupientibus potum tribuit: cùm ab eo beneficium petitur, beneficio afficitur: promptus eſt, liberalis, ac munificus: iucundiùs dat, quàm alij recipiunt.] Hactenus Nazianzenus.

Et non improperat.

32 Ad liberalitatem etiam ſpectat, oblivi ſci collata in alios beneficia. Sordidi certè, & abiecti animi eſt, ea identidem exprobrare. Præclarè Seneca lib. 6. de Beneficijs cap. 25. [Non eſt iſta admonitio, non convicium eſt. Hoc eſt, in odiũ beneficia perducere.] Cicero in Lælio. [Odioſum ſanè genus hominũ eſt, beneficia exprobrantium: quæ meminiſſe debet is, in quem collata ſunt; non commemorare, qui contulit.] Vide Eccleſiaſ. 20. .num. 15.

Et nihilominus ſolet ſæpe Deus ſua nobis commemorare beneficia: quo facto, ut obſervat Prado Ezechielis 16. num. 22. pagin. 199. nomini ſuo parcit, & rigidi exactoris notam contemnit incurrere, ut noſtræ conſulat utilitati, quorum magni refert, Dei beneficentiam perpetuò recordari.

Et dabitur ei.

33 Videlicet, ſi expediens illi fuerit, & ſi adſint debitæ petendi conditiones: de quibus iam dicemus ſigillatim n. 6. & c. 4. n. 3. & cap. 5. n. 16. Tantùm adverto, & ſi nulla conditio deſideretur, extetque promiſsio divina de orationibus exaudiendis: impetrationem tamen non eſſe debitã ex iuſtitia: nã ad meritũ ſtrictè ſumptũ requiritur, ut ſit promiſsio conferendi aliquid in cõpenſationẽ operis: oratio verò, licèt ut eſt actus meritorius, cõpenſetur; at, præciſè ut oratio eſt, non compenſatur, ſed auditur. Quia, ut acutè

dixit

dixit Sanctus Thomas 2.2.quæst.83. art. 16 ad 2. *Meritum innititur iustitiæ, sed impetratio innititur gratiæ.*

Numerus 6.

Postulet autem in fide nihil hæsitans

34 HAEC est prima, eaque sacris monumentis testatissima, orationis conditio: scilicet impetrādi fiducia. 1. Ioannis 5.num 13. *Hæc est fiducia, quam habemus ad eum: quia quodcumque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos.* Lege Cassianum Collatione 9. capit. 32. & Sanctum Thomam 2.2. quæst. 83.art 15. asserentes, orationem habere quidem meritum à charitate, & gratia, sed impetrandi vim à fiducia.

Hanc fiduciam exigit David Psal 36.
35 num. 5. *Revela Domino viam tuam*, (Hebraicè, *devolve super Dominum*: quasi pondus videlicet, quod nos utique premit, sed in illius humeris placidè recumbet) *& spera in eo, & ipse faciet.* Imò ibidem numer. 6. quod vertit Vulgatus, *subditus esto Domino, & ora eum*, Hebraicè legitur, *expecta Dominum, & confide ei*: usque adeò idem sunt, confidere, & orare. Oratio certè præcipuus est effectus confidentiæ, ut ibi advertit Genebrardus. Sed illustriora habemus in Evangelio testi-
36 timonia. Marci 11. num. 24. *Dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis.* Qui paralyticum ad Christum deportabāt, cùm præ turba ingredi non possent, in tectum ascenderunt, eóque aperto, paralyticum ante Christum demiserunt. Subiungunt Evangelistæ, permotum fuisse Christum tanta illorū fide, ad miraculū edendum. Matthæi 9. num. 2. Marci 2. num. 5. Lucæ 5. nu. 20. Hinc verba illa, Christo frequentissima, quibus sanatos dimittebat. Marci 5. num. 34. *Fides tua te salvam fecit.* Matthæi 9. num. 22. Lucę 8. nu. 48. & cæco dixit, Lucæ 18. nu. 42. *Respice: fides tua te salvum fecit.*

Eamdem fidem exigebat Christus ab ijs, quos erat sanaturus. Matthęi 9. n. 28. 37
Creditis, quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: utique Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: secundum fidem vestram fiat vobis. Et Patri puellę mortuæ Lucæ 8. num. 50. *Noli timere: crede tantùm, & salva erit.*

Quantum itaque fuerit huius fiduciæ 38
vas, tantum in oratione hauriemus ex perenni illo fonte divinæ misericordiæ. Eleganter enim Cyprianus lib. 2. Epistola 2. ad Donatum. [Profluens largiter spiritus nullis finibus premitur: manat iugiter, exuberat affluenter: nostrum tantùm sitiat pectus, & pateat. Quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum inde gratiæ inundantis haurimus.]

Excitare verò debet hanc fiduciam 39
plusquàm paternus Dei erga nos amor. Quid non impetret ab indulgentissimo Patre filius? Expendit hoc Caietanus in ea verba Matthęi 6. num. 9. *Pater noster, qui es in cælis.* [Magna dignitas cuiuslibet orantis, habere Patrem in cęlo. Recurrere enim iuberis ad Deum, non ut servus ad Dominum, sed ut filius ad Patrem; filiali affectu, filiali reverentia, filiali fiducia, imò securitate.] Et in eamdem sententiā 40
elegantissimè Chrysologus Sermone 2. pōderat illa verba Prodigi, Lucæ 15. n. 18. *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* [Qua spe? qua fiducia? Illa, qua Pater est. Ego perdidi, quod erat filij; ille, quod patris est, non amisit: apud patrem non intercedit extraneus: intus est in Patris pectore ipse, qui intervenit, & exorat, affectus: urgentur Patris viscera, iterum filium genitura per veniam.] Hactenus Chrysologus.

Itaque hac paterna Dei benevolentia, 41
infinitaque liberalitate, & eximijs Christi promeritis, inniti debet hęc fiducia: qua suffulti, obversantes cogitationes, nostraque nobis scelera obijcientes, atque adeò fusas ad Deum preces deijcientes, & exanimātes, debemus animosè repellere.

Quod signatè monet Apostolus, dum ait, *nihil hæsitans*. Græcè, *meden diacrinomenos*. Regia, *nihil disceptans*. Caietanus, Gagneius, & Vatablus, *nihil diiudicans*. Variè enim hoc verbum solet reddere ipse Vulgatus. Ad Romanos 14. num. 23. *discernere*. Matth. 16. num. 3. *diiudicare*. Actuum 11. num. 2. *disceptare*. Iudæ numero 9. *disputare*. Actuum 10. num. 20. *dubitare*: denique ad Romanos 4. nu. 20. *hæsitare diffidētia*. Quo modo vertit Vulgatus idem verbum apud Evangelistas, in eādem sententiam usurpatum à Christo, Matt. 21. n. 21. & Marci 11. n. 23. *Et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcūq; dixerit, fiat, fiet ei*. Germana itaque in hoc loco verbi significatio est, varijs rationum momentis, huc illuc leviter impelli, & quasi alternantibus undis, variè, ac dubitanter fluctuare. Quod appositissimo exēplo statim illustrat Iacobus.

Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur, & circumfertur.

42 DVm *in dubio est animus*, (inquit Comicus) *paulo momento huc illuc impellitur*. Est verò fluctus significantissimum symbolum levitatis, & inconstantiæ. Ecclesiast. 29. num. 24. *Commovit illos, quasi fluctus maris*. Iudæ num. 12. & 13. non solùm vocantur hæretici, *nubes sine aquâ, quæ à ventis circumferūtur*; sed etiam *fluctus feri maris*. Hinc luculenta illa translatio ad Ephes. 4. num. 14. *Vt iam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*. Isaiæ 29. num. 9. *Fluctuate, & vacillate: movemini, & non ab ebrietate*. Quam metaphoram sæpe usurpant Latini, Græciq́ue Scriptores. Exempla congerit Pontanus 8. AEneid. versu 19. columna 1699.

Magno curarum fluctuat æstu,
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias.

Et lib. 10. columna 2050.

Animo nunc huc, nunc fluctuat illuc.

Numerus 7.

Non ergo æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino.

43 VEriſsima est illa regula, quam ad exactam Scripturæ intelligentiam cōmendat Maldonatus, Matth. 6. n. 12. Hoc differt inter negātes, & affirmātes promissiones: quòd negantes absolutè; affirmantes verò, non nisi cum exceptione, nisi quid aliud impediat, intelliguntur. Vnus, & idem locus Marci 16. nu. 16. illustre utriusque regulæ præbet exemplum. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur*. Sic in 44
hoc loco absolutè pronūtiatur, hominem fluctuantem diffidentia, nihil impetraturum: irrogat enim gravissimam iniuriam divinæ; sive omnipotentiæ, sive misericordiæ, atque adeò clementiæ fontem meritò sibi obstruit. Vnde pręclarè Aug. serm. 36. de Verbis Domini: *Si fides deficit, oratio perit*. Illa verò Apostoli affirmatio, quæ habetur nu. 5. *& dabitur ei*, non absolutè, sed cum exceptione est intelligenda, ut ibidem observavi.

Numerus 8.

Vir duplex animo incōstans est in omnibus vijs suis.

45 VOx Græca unica est, *dipsycos*, id est, *bianimus*. Cùm autem *psyche*, ut & vox Latina *animus*, modò mentem, & consilium, modò significet cupiditatem: plerique Interpretes bianimum, dubium, & inter diversas sententias, voluntatesque fluctuantem, exponunt. Accedit auctoritas Constitutionis Apostolicæ apud Cle-

mentem

mentem Romanū lib. 7. cap. 12. [Ne sis in precatione tua duplici animo, ambigenti, utrùm sit futurum, an non.] Sensus hic probabilis est, & contextui aptè cohærēs.

46 Existimo tamen, virum duplicem animo esse hypocritam fictum, & fucatum: illum videlicet, quem appellat Scriptura *duplici corde*. 1. Paralipomenon 12. nu. 33. *Venerunt in auxilium, non in corde duplici.* Psal. 11. n. 3. *Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt*; id est, duplici corde; altero blādo, verbis ementito; perverso altero, in pectore latente. Contrarium omnino postulabat Regius vates, Psalm. 85. num. 11. nam verba illa Vulgati, *lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum*, vertit Hieronymus ex Hebræo: *unicum fac cor meum.*

47 Hæc expositio aptissimè connectit hunc versum cum superiore. Digitum enim intendit Apostolus ad fontem, unde fluctus illi diffidentiæ, & inconstantiæ redundare solent. Nihil æquè impedit precandi fiduciam, ac mala conscientia: dejcit videlicet animum inflicto surdo illo verbere, Proverb. 28. num. 9. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.*

48 Contrà verò cordis munditia, atque simplicitas (idem enim sunt, ut probat Maldonatus Matthæi 5. nu. 8.) animum firmat, & fiduciam excitat. 1. Ioann. 3. numero 21. *Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deū, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus.* Egregia est Augustini sententia, præfatione in Psal mum 31. [Quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe.] Imò ibidem observat idem Aug. usque eò fiduciam gigni ex bona conscientia, ut Paulus, cùm ait 1. Timoth. 1. num. 5. *Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*, pro spe conscientiam posuerit. [Ille enim sperat, (inquit August.) qui bonam conscientiam gerit.] Facem præcipuè mihi præfert ad hanc explicationem Ecclesiasticus, cap. 1. num. 36. *Ne sis incredibilis timori Domini.* Græcè, *me apitheses*, id est, *non diffidas.* Perinde ac si dicat: cùm inciderís in aliquod discrimen, ne despondeas animum: confide potiùs, te per timorem Domini protegendū. Addunt Græca, ut etiam adverterunt Vatablus, & Iansenius, *endees on, indigus existens*, id est, si indiges sapientia, serva timorem Domini, & cōfide, te illam impetraturum. Subiungit deinde: *& ne accesseris ad illum duplici corde.* Quod statim copiosiùs explicat, num. 37. *Ne fueris hypocrita in conspectu hominum.* Et num. 40. *Quoniam accessisti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum est dolo, & fallacia.* Græcè, *quoniā non accessisti in veritate*: quod sanè est accedere duplici animo.

Idem Auctor cap. 2. nu. 13. postquàm 50
dixit: *protector est omnibus exquirentibus se in veritate*, continuò addit: *væ duplici corde.* Editio LXX. *væ cordibus timidis.* Illa nimirùm corda timida sunt, & diffidentia, quæ sunt duplicia: quorum pars erit in stagno ardenti, Apocal. 21. num. 8. *Timidis autem, & incredulis, & execratis, &c.* Tantùm abest, ut exquirant Deum in veritate, eiusque protectione muniantur. De his subdit rursus Ecclesiasticus cap. 2. num. 15. *Qui non credunt Deo, & ideo non protegentur ab eo.*

Quod autem hîc commemorat Iaco- 51
bus de inconstantia in omnibus vijs suis, ibidem etiam coniungit Ecclesiasticus cum duplici corde, num. 14. *Væ peccatori terram ingredienti duabus vijs.* Atque hæc duplicitas opponitur simplicitati. Proverbiorum 28. num. 6. *Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quàm dives in pravis itineribus.* Et cap. 8. num. 13. *Viam pravam, & os bilingue detestor.* Et cap. 10. numero 9. *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter:* (vide fiduciam ortam ex simplicitate) *qui autem depravat vias suas, manifestus erit.* Et cap. 28. num. 18. *Qui ambulat simpliciter, salvus erit: qui perversis graditur vijs, concidet semel.* *El se despeñará de una vez: dará tal caida, que nunca se levante.*

49

52 Deniq; Iacobus se ipsum illustrat, dum ait, cap. 4. nu. 8. *Emundate manus, peccatores; & purificate corda, duplices animo.* Græcè est eadem etiam vox *dipsychi.* At qui ibi vehementer insectatur, non tam vacillantes, & huc illuc varijs sententiarum, aut cupiditatum fluctibus iactatos, quàm peccatores in sordibus defixos; specie quidem pietatem ementientes, corde verò flagitiosam vitam adamātes. Atque hæc satis sint pro nostrā explicatione: qui præterea volet eruditum simplicitatis elogium, legat Pinedam Iob 1. versu 1. à numero 51.

Numerus 9.

Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua.

53 REgreditur eò, unde paululū deflexerat: novamque gaudij materiam proponit; scilicet persecutionem, abiectionemque ipsam, qua deprimuntur, veram esse, solidamque gloriam. Pro *exaltatione* Græcè legimus *hypsos*: quæ vox, non tam significat actionē ipsam extollendi, quàm cacumen, fastigium, celsitudinem, sublimitatemque. Constat apertè ex ijs locis, in quibꝰ subest in Scriptura: & propriſsimè effertur à Vulgato, *excelsum, sublimitas, altitudo*, sive *altū*. Psal. 7. nu. 8. Psal. 11. nu. 9. Psalmo 67. num. 19. Psalmo 72. num. 8. Ecclesiast. 43. num 1. Lucæ 1. num. 78. cap. 24. num. 49. ad Ephesios 3. num. 18. & cap. 4. num. 8. & Apocalyp. 21. nu. 16.

54 Sed quoquo modo vertas, ad sententiam parùm refert: quæ sanè efficitur Apostolo valde digna. Neque enim modò exaltabuntur Iusti, cùm exuti mortali corpore ad beatas illas sedes evehētur: hoc ipsum affligi nunc, ac divexari pro Christo, hoc ipsum deijci, ac pedibus insectantium cōculcari, re vera est cumulatissimæ gloriæ seges: tum vel maximè exaltantur, cùm calcantium vestigijs substernuntur. Nam, ut eleganter dixit Aug. lib. 1. de Sermone Domini in monte, cap. 6. [Calcari non potest, nisi inferior: sed inferior non est, qui quanvis corpore multa in terra sustineat, corde tamen fixus in cælo est.] Nec minùs luculentè Nazianzenus, Oratione 1. contra Iulianum circa mediū. [Quorum abijci, ac proteri, & quorum thronis insidere: quorum nuditas, & quorum incorruptibilitatis indumentum: quorum voluptates compressæ, atque constrictæ, & quorum perpetua, atque inexplicabilis animorum oblectatio.] 55

Hoc sentiens aiebat Apostolus ad Romanos 5. num. 3. *Sed & gloriamur in tribulationibus.* 2. Corinth. 11. num. 30. *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor.* Ad Galatas 6. num. 14. *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.*

Appellat autem fratrem humilem, nō eum, qui virtute humilitatis præditus est; sed qui vilis, & abiectæ conditionis. Græcè, *tapinos.* 2. Corinth. 10. num. 1. *In facie quidem humilis sum inter vos.* Ad Rom. 12. num 16. *Humilibus consentientes.* Vertit Vatablus. *Humilis conditionis hominibus vos accommodantes.* Gagneius: *Conversationem habentes cum abiectis.* Verùm in eo loco observatione dignissimum est, Græcum verbum propriè significare, *simul abripi. Synapagomeni.* Tam impensè enim debemus nos adiungere ex affectu humilitatis hominibus infimæ sortis, ut illi nos, tāquam magnes ferrum, impetu quodam abripere, & ad se trahere videantur. Lege Toletum ibi notatione 25. 56

Numerus 10.

Dives autem in humilitate sua.

VOx originalis *tapinosis*, Latinaque, non virtutem humilitatis hîc, sed vilitatem, abiectionemque significat: ut constat ex Geneſis 29. num. 32. Deuteronomij 26. num. 7. Iudith 6. num. 14. Psalm. 9. nu. 14. Psalm. 23. nu. 18. Psal. 89. num. 3. Psalm. 135. nu. 23. Eccles. 2 n. 4 & 5. c. 11. nu. 13. c. 20. nu. 11. & 1. Machabeo- 57

rum 3. nu. 51. Act. 8. nu. 33. ad Philipp. 3. num. 21. & sæpe aliàs.

Prima ergo explicatio est O Ecumenij, *glorietur* idem esse, ac pudefiat; Apostolumque de industria hanc veluti antiphrasim affectasse, ne nimis durus videretur.

58 Secunda, quæ parùm differt à superiore, est Hieronymi lib. 3. in Threnos, Bedę, Gagneij, Salmeronis, ac ferè communis Expositorum: ironicè dictum esse *glorietur* pro *erubescat*, tropo videlicet non infrequente in Scriptura, ut Ecclesiast. 11. num. 9. *Lætare ergo iuvenis in adolescentia tua*: & Threnor. 4. num. 21. *Gaude, & lætare filia Edom: ad te quoque perveniet calix*. Probarem hanc expositionem, si viderem, quorsum nunc Apostolus, nulla oblata occasione, in divites invehatur. Durum etiam videtur, valdeque coactum, è versu superiore trahere ipsissimum verbum in germana significatione positum,

59 ad ironicam exprimendam. Magis itaque propendeo in explicationem Caietani: ex fidelibus divexatis alteros esse tenues, obscuros, & inglorios; divites, & illustres alteros: illos quidem gloriari debere, cùm vexantur, quia tunc vel maximè extòlluntur; hos verò, cùm fortunis evertuntur, cùm ignominia notantur, cùm ab homunculis abiectissimis proterũtur, licèt in speciem quidem de gradu, quem tenebant, contumelioſè dejciantur; debere nihilominùs etiam gloriari in hac sua deptessione, & humiliatione: nam & ea non solùm est occasio augendæ patientiæ, promerẽdęque coronę, sed re vera summus est honor, solidaque gloria: & bona illa, quę eripiuntur, tanti esse non debent, quanti ab hominibus æstimantur, cùm instar flosculi celerrimè marcescant. Hoc est, quod statim adiungit.

Quoniam sicut flos fœni transibit.

60 HOc nimirùm sæpe proponit ob oculos Scriptura, ad divitias cõtemnendas. Psalmo 38. num. 7. Psalm. 48. numero 17. Psalm. 51. num. 9. Eccleſiast. 5. num. 12. & 13. Hieremiæ 17. num. 11. Ecclesiast. 10. nu. 10. Sapienter itaque Apostolus ait, 1. Timoth. 6. num. 17. *Divitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum.* Vis, oculis ipsis cernere, quàm incertum, & fragile sit hoc bonum? quàm momẽtaneè decidat hic flosculus? Dives ille, cuius uberes fructus ager tulerat, qui de amplificandis horreis cogitabat, qui habere se multa bona, reposita in annos plurimos, effusè gloriabatur, eadem ipsa nocte, qua ista temerè volvebat animo, letho miserabili raptus est, Lucæ 12. à num. 15. usque ad 20.

Numerus 11.

Exortus est enim Sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt.

61 REctè Plinius lib. 21. c. 1. [Flores, inquit, Natura in diem gignit magna hominum admonitione, quæ spectatissimè floreant, celerrimè marcescere.]

Philo lib. de Providentia. [Humana felicitas adeò brevi extinguitur tempore, ut antequã floreſcat, defloruisse videatur.] Sed Poetę primas ferunt in contendenda cum deciduo flosculo momentanea huius vitæ felicitate. Exempla congerunt ex Græcis, Latinisq; Poetis Tiraquellus Lege 2. Connubiali à nu. 19. Delrius in Senecæ Hippolytũ, parte 2. n. 758. pag. 103. Pontanus, & Cerda ad Eglogam secundã 62 Virgilij. Sed sordent prophana testimonia, ubi suppetunt divina. Iob 14. num. 2. *Homo natus de muliere, &c. Quasi flos egreditur, & conteritur.* Isaiæ 40. nu. 6. & 1. Petri 1. num. 24. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos decidit.* Ecclesiastici 14. numero 18. *Omnis caro, sicut fœnum.* Psalmo 102. numero 15. *Homo sicut fœnum*

dies

dies eius: tanquam flos agri, sic efflorebit. Vide etiam Psal. 36. num. 2. Psal. 128. num. 6. & Isaiæ 37. nu. 27.

63 Et verò illud est altè in corde defigendum, quod observat Augustin. in Psalm. 53. accuratè enim expendit illud Psalmi 91. num. 8. *Cùm exorti fuerint peccatores, sicut fœnum.* Vbi momentaneo fœni decidentis exortui opponit Propheta æternam durationem supplicij: subijcit enim, *ut intereant in sæculum sæculi.* [Non quomodò florent (inquit Augustin.) sic pereunt: florent enim ad tempus, pereunt in æternum: florent falsis bonis, pereunt veris tormentis: florent felicitate sæculi, pereũt in virtute Dei.]

Ita & dives in itineribus suis marcescet.

64 OEcumeni⁹. [Itinera divitis dicit decursus in prospero successu.] Tunc scilicet repentè succiduntur, cùm lætiore proventu florere videbantur. Lege Lorinum in ea verba Psalmi 36. num. 35. *Vidi impium superexaltatum, & elevatum, sicut cedros Libani, & transivi, & ecce non erat.* Nec displicet, ut fiat allusio ad itinera difficillima, quæ conquirendæ pecuniæ causa, à pecuniosis hominibus suscipiuntur. Horatius epist. 1.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Numerus 12.

Beatus vir, qui suffert tentationem.

65 QVi non cedit ingruenti calamitati, non succumbit rebus adversis; neque sustinet modò tribulationem, sed fortiter etiam vincit. Lege, quæ adnotavi in ea verba numeri secundi. *Cùm in tentationes varias incideritis.* Altè retinebant Apostoli, quod hausérant propinante Christo, Matth. 5. num. 10. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* 1. Petri 3. nu. 14. *Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati.* Et cap. 4. num. 14. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis.* Et noster Iacobus, cap. 5. num. 11. *Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt.* Quòd si Seneca dixit lib. de Providentia, c. 4. *Miserum te iudico, quòd nunquam fuisti miser: calamitas, virtutis occasio est:* quomodò non iure beati, qui calamitatibus premuntur propter Christum?

Quoniam cùm probatus fuerit.

EXposui suprà nu. 3. quomodò tentatio operetur probationem.

Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

66 IN hanc coronam difixerũt oculos, qui strenuè in hoc certamine dimicarunt. Matth. 5. nu. 12. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* 2. Timoth. 4. num. 8. *Bonum certamen certavi, &c. in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* 2. Corint. 4. num. 11. *Semper nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Iesum: ergo mors in nobis operatur.* Id est, mortificatio assidua, laborum invicta tolerãtia. Sed quid obsecro, operatur? nu. 17. *Id enim, quod in præsenti est, momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

67 Probatio itaque alit spem, spes verò excitat alacritatem. Ad Roman. 5. nu. 3. [Scientes, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.] Et cap. 12. num. 12. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Enim verò tam iucundè præcerpit hæc spes futuram illam coronam gloriæ, tam tenaciter defigitur hęc anchora in illo fæliciſsimo portu, ut ingruentibus procellis, secura Iusti

mens non modò non obruatur fluctibus, verùm etiam cumulata gaudio, perinde atque in illa beatissima patria placidè acquiescat. Quare Iustorum spes, nõ solùm est spes gloriæ, ad Romanos 5. num. 2. *Gloriamur in spe gloriæ*: sed est etiam gloria spei, ut loquitur ipse Paulus ad Hebræos 3. nu. 6. *Si fiduciam, & gloriam spei, usque ad finem firmam retineamus.*

68 Cur æterna beatitudo corona nominetur, elegãter prosequitur Aug. lib. unico de Agone Christiano, & Ambrosius in Psalm. 38. qui ea verba numeri sexti: *ecce mensurabiles posuisti dies meos*, legit ipse, *palæstras*, id est, *luctas, & agones.* Datur enim hæc corona decertantibus, parta victoria: iuxta id 2. Timot. 2. nu. 4. *Qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certaverit.* Quò alludit Cyprianus epistol. 9. [Congressi estis in acie, donec acies succumberet victa: nec cessistis supplicijs, sed vobis potiùs supplicia cesserunt. Finẽ dolorum, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt.]

69 Noster Viegas in cap. 2. Apocalypsis, comment. 2. sect. 5. accuratè expẽdit, hoc glorioſum diadema duodecim gẽmis esse distinctũ: quas ille sigillatim recenset, earumque varietatem deducit ex Psalm. 20. num. 4. *Posuisti in capite eius coronã de lapide pretioso.*

70 Cur verò dicatur beatitudo, *corona vitæ*, hîc, & Apocalypsis 2. nu. 10. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*, eãdẽ existimo esse causam, cur *fons vitæ* sæpe in sacra Scriptura appellatur fons iugis, atq; perennis. Psal. 35. nu. 10. Prover. 13 nu. 14. c. 14. nu 27. c. 16. n. 22. Eccl. 21. nu. 16. Vide Riberam Apocaly. 7. vers. 17. *vitæ fontes*: & Toletum Ioan. 4. notatio 9. Itaque Iacobus hanc coronam perpetuò virentem, florentemque, opponit deciduis corollis, consertis ex hedera, gramine, vel lauro, quas tanti æstimabat antiquitas: quæ tamen brevi marcescebant. Sic Apostoli loqui solent. 1. Corinth. 9.

71 num. 25. [Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam.] 1. Petri 5. nu. 4. *Percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Græcè, *ex amaranto*: qui flos purpureus cùm sit, profusum sanguinem aptissimè coronat; & unus inter flores non marcescit, unde etiam nomen traxit. Vide Plinium lib. 21. cap. 8. & Dioscorid. lib. 4. cap. 52. Plura apposita coacervat idem Petrus epistol. 1. cap. 1. num. 4. *In hæreditatem incorruptibilem* (Augustinus legit, immortalem) *& incontaminatam, & immarcescibilẽ* (Græcè, amarantinã) *cõservatam in cælis.* Sapienter itaque fecit fortissimus 72
ille miles, occasione cuius librum de Corona militis scripsit Tertullianus. Castrensem enim lauream, quam victor reportaverat, non in capite, ut cæteri, sed in manu gestavit in pompa, quòd Christianum se esse diceret; Christianos autem in cælo coronandos, non ut illi cogitantes apud se non rectè, Sapientiæ 2. num. 8. *Coronemus nos rosis.*

Numerus 13.

Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur.

IO genere tentationis, quod 73
hactenus cõmemoravit Apostolus, non est dubium, quin Deus soleat tentare homines. Genesis 22. num. 1. *Tentavit Deus Abraham*, Deuteronomij 13. num. 3. *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat, utrùm diligatis eum, an non.* Atque hoc impensè contendebat David Psalm. 25. num. 2. *Proba me Domine, & tenta me.* Sapienter verò advertit Augustin. serm. 72. de Tempore, qui est secundus de immolatione Isaac. [Noverit charitas vestra, tentationem Dei non id agere, ut ipse aliquid cognoscat, quod anteà nesciebat; sed ut illo tentante, quod est occultũ, prodatur.] Sic Magister tentat sibi exploratũ

discipuli

discipuli ingenium, perplexas obijciendo quæstiones, ut argutè, & scitè respondendo, quantos in litteris processus habeat, astantibus innotescat. Egregiè Ambrosius
74 lib. 1. de Abraham cap. 8. *Aliter Deus tentat, aliter diabolus: diabolus tentat, ut subruat; Deus tentat, ut coronet.* Augustin. lib. 2. de Consensu Evangelistarum c. 30. *Illa tentatio seductionis est; hæc, probationis.* Et lib. 16. de Civitate cap. 32. *Neque enim omnis est culpanda tentatio: quia & gratulanda est, qua fit probatio.* Cõstat hoc in illa tentatione Abraham, Iudith 8. n. 22. *Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est.* Imò & ipse Christus expertus est hoc genus tentationis, ut non ignarus mali, miseris succurrere disceret: ad Hebr. 4. nu. 15. *Tentatum autem per omnia.*

75 Transit itaque sine dubio Apostolus à tentatione probationis ad tentationem suggestionis, & seductionis, qua dæmon fideles oppugnat. Qui propterea insigniter appellatur *Tentator*, Matthæi 4. nu. 3. & 1. Thessalonic. 3. num. 5. *Ne forte tentaverit vos is, qui tentat.* Græcè, *ho peirazon*: eadẽ scilicet est vox, quæ apud Matthæum. Atque hanc periculosam tentationis diabolicæ pugnam, nostræ infirmitatis memores, à Christo edocti detrectamus: petimusque in oratione Dominica, non solùm ut victoriam reportemus; sed etiam, ne in certamen descendamus, ne fortè superemur. Matthæi 6. num. 13. *Et ne nos inducas in tentationem.* Et cap 26. num. 41. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Solet verò aliquando iratus Deus, hominem noxijs tentationibus expugnandum derelinquere: quia scilicet ruinam eius, auxilio uberiore non impedit. Sic dicitur de Ezechia 2. Paralip. 32. nu. 31. *Dereliquit eum Dñs, ut tentaretur.*

76 Quare Iacobi sentẽtia est. Nemo, cùm tentationi succumbit, censeat, aut dicat, se ad succumbendum à Deo impelli: periculosissimè enim erraret: ut mox subiungit num. 16. *Nolite errare.* Et Eccles. 15. num. 12. *Non dicas, ille me implanavit.* Subtrahit quidem ab homine aliquando Deus, iustissimis de causis, uberius auxilium, quo re vera tentationi resisteret: sed semper relinquit sufficiens, quo resistere posset, si velit: unde per hominem ipsum stat, quominùs resistat: nunquam verò illum Deus ad cedendum tentationi, aut succumbendum impellit.

Cur verò transeat Apostolus, quasi subitò, ab uno ad alterum tentationis genus, non disputant hîc Expositores. Subit animum, Iacobam indicare voluisse, in hoc domestico, occultoque certamine, purpureas quoque, & immarcescibiles parari coronas, quæ cum illis, quas profuso sanguine Martyres consequuntur, si minùs plagarum cruciatu, certè ictuum crebra repetitione, & diuturnitate certaminis æquentur. Scitè enim Bernardus ser- 78
mone 30. in Cantica. [Atque hoc martyrij genus, cùm spiritu facta carnis mortificantur, horrore quidem mitius est, sed diuturnitate molestius.] Propterea idem Sanctus ait, Sermo. 51. de Quadragesima. [Tu solummodò ne consenseris; & quoties restiteris; toties coronaberis.] Hieronymus verò epist. 27. in Epitaphio Paulæ. [Nõ solùm effusio sanguinis in martyrio reputatur; sed devotę quoque mentis servitus immaculata quotidianum martyriũ est: illa corona de rosis, ac violis texitur; ista; de lilijs.] Ambros. in Psal. 118. Octonario 20. vers. 5. [Tẽtatus es spiritu fornicationis; sed veritus Christi Iudiciũ venturũ, temerandã mentis, & corporis castitatẽ non putasti: martyr es Christi.] Gregor. item lib. 3. Dial. c. 26. [Cunctis carnalibus desiderijs resistentes, per hoc, quòd se omnipotenti Deo in corde mactaverunt, etiam pacis tempore martyres fuerunt.] 79

Hinc illustratur Pauli locus ad Heb. 11. n. 37. *Secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt.* Erasm⁹, addita ab aliquo putat verba illa, *tẽtati sunt*; dilutiora enim ea esse, quã illa, quib⁹ interijciũtur. Sed ea sũt de sacro Textu: & in gravissimis tẽtationib⁹, quib⁹ Iustorũ animi identidem à diabolo impetuntur, acerbitas doloris, quæ

ineſt martyrio, diuturni temporis mora compenſatur.

Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat.

80 GRæcè, *apiraſtos*: quam vocem variè vertunt Vulgati deſertores. Quidã, *tentationi non obnoxius*; alij, *malorum inexpertus*. Caietanus, *malis intentabilis*. Tigurina Editio de more multa addit, affingitque de ſuo: *nam Deus ut à malis tẽtari non poteſt, ita neque ipſe quemquam tentat*. Conveniunt plerique Interpretes, inter quos recentiſsimi etiam, Paez, & Serarius, vocem accipiendam eſſe ſignificatione paſsiva: quod, ut Græcæ voci demus poſſe convenire, tamen nullatenùs quadrat Latinę, ut *intentator* idem ſit, ac *intentatus*, ſive *intentabilis*: & vox huic gemina *apiratos*, non ſolùm ſignificat eum, cuius periculum factum non eſt; ſed activa quoque ſignificatione eum, qui non fecit periculum, qui experientiam non cepit, ut obſervat Auctor Theſauri Græcæ Linguæ tom. 3. col. 156.

81 Itaque omnium optimè Iacobi mentem aſſequutus eſt Vulgatus, eamque verbum è verbo, hoc eſt, fideliſsimè, ut ſolet, expreſsit: reddit enim cauſam, cur nemo conqueri poſsit, ſe à Deo tentari: *Deus enim intentator malorum eſt*, id eſt, ad mala: ſic enim ſæpe uſurpant ſacri Scriptores genitivum illum *cacon*, non pro perſonis, ſed pro rebus malis. Sapient. 15. num. 6. *Malorum amatores*. Ad Roman. 1. num. 30. *Inventores malorum*. 1. Corin. 10. nu. 6. *Vt non ſimus concupiſcentes malorum*.

82 Inculcat verò Iacobus continenter eamdem ſententiam, diverſis enuntiatam verbis, ipſo etiam ſenſu nonnihil diſcrepantem; perinde ac ſi dicat: longè abeſt à Divina Natura, ad malum poſſe hominem impellere: atque adeò longiùs, re ipſa quemquam pravis ſuggeſtionibus ad peccandum inſtigare. Atque hac repetitione, quæ magnam emphaſim habet, & ſententiam memoria dignam, altiùs in animis defigit, & quaſi repetito ictu, iam tunc monſtroſam, & horribilem Hæreticorum blaſphemiã iugulat, qui ore plus quàm ſacrilego, Deo totius bonitatis fonti, execrabilem Iudæ proditionem impingunt: quos copioſiſsimè refellũt è noſtris Theologis Bellarminus tom. 4. Controverſia 1. lib. 2. cap. 8. Molina in Concordia diſp. 31. Vazquez 1. 2. diſp. 129. c. 1.

83 Noviſsimè Vvitaquerus apud Sacroboſcum P. 2. cap. 8. ridet Vulgatam Editionem, tanquam barbaram, ſoloeciſmiſque reſperſam. Obijcit hanc vocem *intẽtator*, Latinis auribus inauditam, ut & illa Matth. 22. num. 30. *Neque nubent, neque nubentur*: & Lucæ 21. num. 38. *Omnis populus manicabat ad eum*.

84 Sed in primis tenenda eſt præclara illa Gregorij ſententia in præfatione ad Leãdrum, cap. 5. [Indignum vehemẽter exiſtimo, ut verba cæleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati.] Deinde obſervandum eſt, uſque adeò Interpretem addictum fuiſſe ipſis ſacris Scriptoribus, tã ſolicitè, ac fideliter verbum verbo reddidiſſe, ut interdum præ religione, Latina Grammatica reclamante, caſus, & genera retinuerit linguæ originalis. Pſalm. 34. num. 10. *Eripiens inopem de manu fortiorum eius*, id eſt, eo. Sapient. 10. num. 12. *Omnium potentior eſt ſapientia*, id eſt, omnibus. Matth. 20. num. 25. *Principes Gentium dominantur eorum*, pro *eis*: quia comparativa, & verba dominandi, gignendi caſum exigunt apud Græcos. Apocalypſis 11. num. 4. *Duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes*, pro *ſtantia*. Et c. 14. num. 1. *Centum quadraginta quatuor millia habentes*, pro *habẽtia*: quia Græcè *lychniæ*, & *chiliades*, fæminini generis ſunt. Sic quia *pneuma* eſt neutrius generis, Sapiẽt. 1. num. 7. *Et hoc, quod continet omnia*, pro *& hic, qui*. Matth. 12. nu. 12. *Quantò magis melior*. 2. Petri 3. num. 1. *Secundam ſcribo epiſtolã, in quibus*, pro *in qua*: quia Græcè habentur, *en hæs*.

Sic

85 Sic in præsenti licèt vox *intentator* minùs Latina sit, Græcam tamen *apirastos* adeò bene exprimit, ut unica alia voce meliùs exprimi vix possit, vel potiùs planè non possit. Hac scilicet licentia pervenustè sæpe utitur Tertullianus, vetus, atque elegans Scriptor: apud quem passim illa, *investis*, pro *sine vestibus*, *& nudus*; *illiberis*, pro *sine liberis*; *inuxora virginitas*, id est, innupta: *dies innubis*, pro claro; *ineloquax*, *inalienus*, *inbonus*, *inclarus*, *inverus*, ubique negante particula *in*. Licuit etiam Gelio dicere lib. 9. cap. 4. *res incredulas*, pro incredibilibus: quid ni liceat Interpreti nostro dicere, *intentator*? Apage delicatissimum aurium fastidium.

Numerus 14.

Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.

86 Græcè, *inescatus*. Voluptas enim est quasi esca, & illecebra turpitudinis, qua videlicet homo abstrahatur à bono, & ad malum pelliciatur.

Ex hoc loco sumpsit Gregorius homilia 16. in Evangelia, celebrem illam distinctionem, quam posteriores Theologi frequentarũt. Quatuor enim hîc perspicuè, & affirmatè distinguit Apostolus: concupiscentiam, id est, potentiam ipsam appetendi, ad malum proclivem; tres deinde concupiscentiæ motus, suggestionem, delectationem, atque consensum.

87 Et quidem suggestio est motus ille involuntarius, & (ut Theologi dicunt) primò primus, qui quasi trahit, & illicit animam, proposita illecebra voluptatis; sed nullum, ne indeliberatum quidem voluntatis consensum extorquet. Atque hæc concupiscentia tantùm abest à culpa, ut sit potiùs agonis, victoriæ, atque triumphi seges, cùm homo strenuè tentationi resistit. Et quidem in Tridentino Sessione 5. Decreto de Peccato originali, Canone ultimo, anathemate damnatur, quicumque dixerit, non tolli per baptismum in renatis totum id, quod verè habet rationem peccati; cùm tamen concupiscentia maneat ad agonẽ. Appellatur autem peccatum ab Apostolo ad Romanos 7. nu. 17. *Quod habitat in me, peccatum*: quia à peccato est, & ad peccatum inclinat. De hac concupiscentia sic Aug. lib. 1. de Civitate, cap. 25. [Quòd si illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem, quasi lege sua movetur; quantò magis est absque culpa in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?]

Numerus 15.

Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum.

88 Hic est alter concupiscentiæ motus, qui vocatur à Theologis *delectatio*: cùm videlicet suggestio illa ad aliquẽ imperfectum, & non omnino deliberatũ voluntatis consensum trahit, qui perveniat quidem ad culpam venialem, mortalem certè non attingat. Hunc locum versans August. tom. 7. lib. 6. contra Julianum, cap. 5. ait. [Profectò in his verbis partus à pariente discernitur: pariẽs enim est concupiscentia; partus, peccatum: sed concupiscentia non parit, nisi conceperit; non concipit, nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum.]

Esse verò hunc motum culpabilem quidem, sed imperfectè voluntarium, ex eo apertè constat, quia ab Apostolo peccatum appellatur: & verò non esse peccatum mortale, colligitur ex eo, quòd illud à peccato consummato, & mortem generãte distinguit. Similem metaphorã conceptus, & partus invenies, Iob 15. nu. 35.

Isaiæ 33. num. 11. cap. 59. num. 4. & Psalmo 7. num. 15.

Peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem.

89 HIc tertius est concupiscentiæ motus, partus omnino perfectus, consensus plenè deliberatus, etiam si opere non consummetur: stat enim inconcussa Catholica veritas, Christi ore pronuntiata Matthęi 5. num. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.*

90 Hic consensus animam extinguit. Ecclesiast. 21. num. 2. *Quasi à facie colubri fuge peccata: dentes leonis dentes illius, interficientes animas hominum.* Sapient. 1. n. 11. *Os, quod mentitur, occidit animam.* Danielis 13. nu. 22. *Angustiæ sunt mihi undique: si enim hoc egero, mors mihi est.*

91 Quomodò verò anima immortalis cùm sit, peccato tamen mori possit, eleganter explicuit Augustin. lib. 13. de Civitate Dei, cap. 1. [Mors animæ fit, cùm eam deserit Deus; sicut corporis, cùm id deserit anima. Ergo utriusque rei, id est, totius hominis mors est, cùm anima à Deo deserta deserit corpus: ita enim neque ex Deo vivit ipsa, neque corpus ex ipsa.] Consentaneè Cyrillus Alexandrinus Oratione de Exitu animæ. [Mors propriè, non quæ animam dirimit à corpore, sed quæ animã à Deo separat. Deus vita est, à quo, qui disiungitur, perit.]

92 Quin potiùs hæc animę mors, absolutè in arcano sermone appellatur mors: nã mors illa corporis, quam tantopere horremus, umbra duntaxat est, & imago huius veræ mortis; cum illa ne conferenda quidem. Gregorius lib. 4. Moralium cap. 17. [In Scriptura mors carnis dicitur umbra mortis: quia sicut vera mors est, qua anima separatur à Deo; ita umbra mortis est, qua caro separatur ab anima.] Denique peccatum generat formidabilem illam æternæ damnationis mortem, de qua Augustin lib. 6. de Civitate, cap. ultimo. [Si anima in pœnis vivit æternis, mors illa potiùs æterna dicenda est, quàm vita: nulla quippe maior, & peior est mors, quàm ubi non moritur mors.]

Numerus 16.

Nolite itaque errare, fratres mei dilectissimi.

93 CAvete itaque, ne tam absurda, & impia persuasio subeat vestros animos, ut à Deo vos tentari existimetis. Eccle. 15. num. 11. *Non dixeris, per Deum abest: quæ enim odit, ne feceris*: id est, ne causeris, per Deum stare, quominùs tibi sapientiam impertiat: si enim non feceris, quæ ille odit, facilè ab eo sapientiam impetrabis. *Non dicas, ille me implanavit, &c.*

Numerus 17.

Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est.

94 ATque tantùm abest, ut Deus quempiam tentet, ad malũque solicitet, ut supernaturalia omnia dona, cælestiaque charismata, quibus ad omnem virtutem, perfectionemque instituimur, & inflammamur, ab illo nobis cælitus donentur. Prudentissimè itaque respondit Baptista, Ioannis 3. num. 27. *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo.* Perinde ac si diceret: Christus quidem sua, ego tamen illius, id est, accepta de cælo auctoritate baptizo.

95 Capiunt scilicet hinc Sancti utilissimũ documentum, quod de Cypriano refert Augustin. lib. 1. de Prædestinatione Sanctorum, cap. 3. [Pius, atque humilis Doctor ille Cyprianus beatissimus dixit, in nullo esse gloriandum, quando nostrum

nihil

nihil ſit.] Capiebat optimè Auguſtinus ipſe tam ſalutare documẽtum, to.9. c.15: Soliloquij. [Si quid boni eſt, parvi, vel magni, donum tuum eſt: & noſtrum, non niſi malum eſt. Vnde igitur gloriabitur omnis caro? Numquid de malo? Hæc non eſt gloria, ſed miſeria. Sed numquid gloriabitur de bono? numquid de alieno? Tuum Domine eſt bonum, tua eſt gloria: qui enim de bono tuo gloriam ſibi quærit, & non tibi quærit, ille fur eſt, & latro, & ſimilis eſt diabolo, qui voluit furari gloriam tuam.] Hauſerunt Sancti videlicet ex Apoſtolo, 1. Corinth.4.num.7. *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis.*

Deſcendens à Patre luminum.

96 ÆTernus Pater, qui eſt immenſa lux, *& tenebræ in eo non ſunt ullæ*, 1.Ioannis 1. num. 5. æternum producit ſplendorem: Filius enim *candor eſt lucis æternæ*, Sapientiæ 7. num.26. lumen de lumine, *ſplendor gloriæ*, ad Hebræos 1.numero 3. *lux mundi*, Ioannis 8. num.12. *lumen ad revelationem Gentium*, Lucæ 2. num.32. *lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, Ioannis 1.num.9. Ex Patre, & Filio procedit Spiritus ille Divinus, qui verè eſt *dator munerum, & lumen cordium.*

97 Hoc inacceſsibile Deitatis lumen radios fulgoris quoquoverſus effundit. Creavit Angelos lucis, 2.Corinth.11. numero 14. Prĕclarè enim Naziãzenus oratione 2. in Paſcha, non longè à principio. [Lumen unum, & inacceſſum, ſucceſsioniq́ue minimè obnoxium, Deus eſt, perpetuo fulgore rutilans, trino ſplendore micans. Secunda autem lumina, primiq́; luminis velut radij, copiæ illæ ipſum circunſtantes, atque àminiſtri ſpiritus.] Eadem repetit oratione in ſanctum Baptiſma, prope initium.

98 Hoc ipſum ineffabile lumen accendit in mortalium animis Rationis facem. Pſalmo 4.num.7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine:* & longè ſplẽdidiorem, Fidei. 2.Petri 1. num.19. *Cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* Denique beatorum mentes gloriæ lumine colluſtrat. Pſalmo 35. nu.10. *In lumine tuo videbimus lumen.*

An non iure optimo Pater luminum 99
vocetur, à quo tam multa lumina coruſcarunt? Iſta etiam lumina, quę cęlis affixa, corporeis oculis affulgent, de lumine eius acceperunt lumen. Dixit enim Deus Geneſis 1.num.14. *Fiant luminaria in firmamento cæli, ut luceant, & illuminent terram.* Quare ſicut vocatur *pluviæ Pater*, Iob 38. num.28. ſic etiam meritò dicitur Pater horum luminum.

Apud quem non eſt tranſmutatio.

NE quis obijceret: Deus quidem Pa 100
ter eſt luminum; ſed mutari ita poteſt, ut aliquando luceat, aliquando tentationum tenebras offundat; Solem illum immutabilem ab iſto ſole volubili ſecernit. Dupliciter verò mutatur ſol, & minus nobis lucis impertit. Primò, cùm per receſſum hyemalem à Tropico Cancri in Tropicum Capricorni, nubibus, ac nebulis obſcuratur: & hæc eſt propriè tranſmutatio, quam negat hîc Iacobus cadere in Deitatis Solem: vox enim Græca *parallage*, apud Proclum, in ſphæra ſolis reciprocationem ſignificat.

Nec viciſſitudinis obumbratio.

SEcundò offunditur Sol converſione 101
illa diurna, qua ex uno in alterum Hemiſphærium contorquetur: tunc ipſa terræ umbra Soli officiens noctem efficit, & viciſsim hanc, viciſsim illam regionem obumbrat. Et hæc propriſsimè eſt *viciſſitudinis obumbratio.* Græcè, *tropes*, id eſt, *converſionis.* At in Patrem luminum nulla vel tenuiſsima umbra poteſt incurrere, nullæ eò accedunt nubes; nullo, ut orbem illuminet, indiget motu; ſtabilis, & quietus ſpargit radios ſuæ lucis. Explicat eleganter Auguſtin. hanc immutabilitatem

Dei lib. 1. Confessionum cap. 4. [Misericordissime, & iustissime; secretissime, & præsentissime; immutabilis, mutans omnia; nunquam novus, nunquam vetus; semper agēs, semper quietus: pœnitet te, & non doles; irasceris, & tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium; reddis debita, nulli debens; donas debita, nihil perdens.]

Numerus 18.

Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis.

102 PRætereà Sol illuminat naturæ necessitate: at Pater luminum nō necessitate coactus, sed amore, & benignitate impulsus. Græcè, *bulethis*, volens, ac lubens, gratuita benevolentia. Tigurina, *destinata voluntate*. Apocalyp. 4. n. 11. *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant*, id est, omnia nihil erant, sed quòd sunt, quòd conservantur, liberalitatis tuæ est. Psalm. 109. nu. 3. *Tecum principium in die virtutis tuæ*. Hebraicè, *nedabot, tecum liberalitates*. Idem enim, qui est principium rerum omnium, est liberalissimus, magnificentissimusque.

103 Genuit autem nos verbo veritatis, quod sanè lumen est. Proverbiorum 6. num. 23. *Mandatum lucerna est; & lex, lux*. Psalmo 118. num. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumē semitis meis*. Sed præcipuè vocatur lux doctrina Evangelica. 1. Petri 2. num. 19. *Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*. Ad Colossenses 1. num. 12. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine*. Pater ergo luminum, verbo veritatis, id est, purissimo lumine, quos filios gignat, nisi filios lucis? 1. Thessalonicens. 5. num. 5. *Omnes vos filij lucis estis*. Et filij adeò Patrem moribus exprimētes, ut ipsius etiam lucis cognomen mereantur. Ad Ephesios 5. num. 8. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*.

Vt simus initium aliquod creaturæ eius.

GRæci omnes legunt, *aparche: ut simus primitiæ quædam creaturarum eius*. Sic etiam vertit Hieronymus lib. 1. in Iovinianum. Quia verò primitiæ sunt primi fructus, præcipuoque honore commendati, sensus est, ut tanquam filij lucis, tanto Parente digni, principatum obtineamus inter omnes creaturas. OEcumeni⁹, *ut simus primi, & honoratissimi*. Quod valde confirmat sententiam Sancti Thomæ 1. 2, q. 113. artic. 9. ad 3. asserentis, bonum gratiæ esse maius, quàm bonum naturæ totius universi: id, quod priùs asseruerat August. lib. 2 ad Bonifacium c. 6. [Gratia Dei, non solùm omnia sidera, & omnes cælos, verùm etiam omnes Angelos supergreditur.] Tam longè abest à tentandis hominibus, qui suis donis illos efficit perfectissimos. 104

Et quidem vox ipsa *aparche* interdum reddi solet à Vulgato *principium*. Ad Colossens. 1. num. 18. *Qui est principium, primogenitus ex mortuis*. Qui tamen eamdem vocem, & in eamdem sententiā usurpatā, 1. Corinthio. 15. nu. 20. ita transtulit: *primitiæ dormientium*. Et num. 23. *Vnusquisque in suo ordine, primitiæ Christus*. Sed ad Romanos 16. num. 5. vertit: *qui est primitivus*. Quod Ambrosi⁹ refert ad dignitatem; Chrysostomus, Theodoretus, & Anselmus ad Fidei primitias: quia scilicet primus Fidei nomen dedit: ut 1. Corinth. 16. num. 15. *Quoniam sunt primitiæ Achaiæ*. 105

Vtcunque legamus, sive initium, sive primitias, sensus còdem recidit. Proverbiorum 1. num. 7. *Timor Domini principium sapientiæ*. Cùm tamē in eo loco apud LXX. sit, non *phobos*, servilis metus; sed *theosebia*, id est, cultus reverentialis Dei: sensus est. Timor filialis, primitiæ sunt sapientiæ, hoc est, præcipua sapientiæ pars. Iob 28. num. 28. *Ecce timor Domini ipsa est sapientia*. Et apertiùs Ecclesiast. 1. numero 20. *Plenitudo sapientiæ est timere* 106

Deum. Et numer. 22. *Corona ſapientiæ, timor Domini*. Imò cap. 25. num. 13. præfertur ipſi ſapientiæ. *Quàm magnus eſt, qui invenit ſapientiam, & ſcientiam! ſed non eſt ſuper timentem Dñm: timor Dei ſuper omnia ſe ſuperpoſuit*. Atque hæc eſt germana intelligentia illius ſententiæ, toties repetitæ, Eccleſiaſt. 1 num. 16. Pſal. 110. num. 10. *Initium ſapientiæ, timor Domini*, hoc eſt, præcipuum quiddam, & in ſapiẽtia præſtantiſsimum: *la nata, la flor, lo mas apurado de la ſabiduria*.

107 Eadem phraſi dicitur Eccleſ. 11. num. 2. *Brevis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus illius*, ideſt, obtinet primas partes in dulcedine, inter omnia dulcia dulciſsimus eſt. Lege Ianſenium in id Eccleſ. 29. num. 28. *Initium vitæ hominis, aqua, & panis*: & cap. 39. num. 31. Congruenter etiam verba illa ex editione LXX. Numer. 16. num. 2. *Accipe principium totius Sinagogæ Filiorum Iſrael*, explicat Auguſt. in Scholijs Sixti V. *Delige robur ætatis in populo*, id eſt, milites fortiſsimos, & exercitatiſsimos. Vide etiam Pined. in ea verba Iob 40. num. 14. *Principium viarum Dei*.

108 Concludo, hoc elogium, quo Iacobus exornat filios lucis, commune illis eſſe cum Filio Naturali. Apocalypſis 3. num. 14. *Qui eſt principium creaturæ Dei*: hîc verò: *ut ſimus initiũ aliquod creaturæ eius*. Fateor, Græca nonnihil inter ſe differre: ſed diſcrepantia penè ex filo pendet: & certè unus locus mirificè alterũ illuſtrat. Probat Ribera in eum locum Apocalypſis num. 41. creaturam Dei, ſeu novam creaturã, in ſacro ſermone ſignificare hominem renovatum per gratiam, & ad Chriſti imaginem expreſſum: Chriſtus ergo eſt principium creaturæ Dei, hoc eſt, non ſolùm longè præſtantiſsimus, & donis gratię penè ad miraculum cumulatiſsimus, ſed fons etiam, & origo totius ſanctitatis. Eſt ille quidem Sol iuſtitiæ eximiè collucens, omniaque illuſtrans; Iuſti, velut ſtellæ; ſed ita perfuſæ huius Solis lumine, ut inter omnia lucida longè excellant; & ſplendore, participato illo quidẽ, ſed mirificè coruſcante, Solẽ ipſum quodammodò referant.

Numerus 19.

Scitis fratres mei dilectiſsimi.

COmmendatio eſt doctrinæ traditæ. Exigit ab auditoribꝰ, ut eã bene percipiãt: tacitè enim ſimul illud inſinuatur, ut altè in animis defigãt. Sic Mat. 13. num. 51. *Intellexiſtis hæc omnia?* & Ioan. 13. num. 12. *Scitis, quid fecerim vobis?*

Sit autem omnis homo velox ad audiendum.

SEnſim iam invadit in arcem cauſæ, 109
aggrediturq; adhortari ad bona opera, ad quæ obeunda primus quaſi gradꝰ eſt, linguam cohibere, & diſciplinæ præcepta libenter audire. Quæ duæ res, ut utiliſsimæ, ita omnium difficillimę ſunt, ſi Gelio credimus lib. 1. cap. 9. Vnde Ambroſius lib. 1. Officiorum cap. 2. [Complures vidi, loquendo in peccatum incidiſſe; vix quemquam, tacendo: ideoque tacere noſſe, quàm loqui, difficilius eſt.]

Philo in lib. Quis rerum divinarum hæres, ſtatim in principio, exponens illa verba Deuteron. 27. num. 9. *Attende, & audi Iſrael*: ubi LXX. *Tace, & audi*. [Sũt, inquit, qui audire debent, potiùs, quàm loqui: ad quos dicitur, *tace, & audi*: præceptum equidem pulcherrimum: nã inſcitia res eſt mala, temerariaque, cuius primum remedium eſt auditoris ſilentium; ſecundum, attẽtio ad ea, quę auditu digna ſunt.] Sic Philo.

Nihil frequentiùs inculcatũ in Sapien- 110
tialibus. Proverb. 1. num. 5. *Audiens ſapiens, ſapientior erit*. Eccleſ. 6. num. 34. *Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam: & ſi dilexeris audire, ſapiens eris. &*

cap.

cap.32.num.10. *Adolescens loquere in tua causa vix: si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.* Græcè, *Kephaleoson*, id est, *recapitula: cifra, y resuma en breve la respuesta*. Vertit Editio Vaticana LXX.cap.35. *In summâ collige sermonem: in paucis multa.* Adiungit statim Ecclesiasticus. *In multis esto, quasi inscius, & audi tacens simul, & quærens.* Propterea nimirùm aiebat Zeno, ut refert Plutarchus in libro de Auditione, Naturam unicuique nostrũ duas dedisse aures, unam linguam: quòd pauciora loqui debeamus, quàm audire.

Tardus autem ad loquendum.

111 HOc videlicet monet celebris illa sententia, quam refert Bernardus in Speculo Monachorum: *Verba bis ad limam, semel ad linguam.* Ecclesiast.4.nu.34. *Noli citatus esse in lingua tua.* Proverb.13. num.3. *Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Hebraicè, *contritio*, vel *fractio erit ei.* LXX. *Terrebit se ipsum. El andarà a sombra de tejados, temiendo, no se vengue el que agravió.* Sapienter enim Philosophus quidam ait. *Sæpe vox temerè emissa per fauces, redit per iugulum.* Quò alludit à Plinio lib.14.cap.22. *Mortifera loquuntur, redituraque per iugulum voces non continent.* Proverbiorum 29.numero 20. *Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quàm illius correptio.* Tigurina. *Si videas hominem sermone suo præcipitem; iam de stulto melius, quàm de illo speres.* LXX. *Cognosce, quia spem habet magis insipiens eo.*

112 Illa etiam, quæ tantopere placet plerisque Concionatoribus, incitata, & nusquam insistens in loquendo volubilitas, non dicam, sanctis Patribus, quorum gravis, sedata, & solida fuit eloquentia, sed ne ipsis quidem dicendi magistris unquam probata fuit. Nolo ex profanis alium, quàm Senecam laudare testem, qui Epistola 40. carpit Serapionem, qui cùm cõciones haberet ad Populum, provolvebat verba, nusquam interrupto impetu, non illud laborãs, ut qui audiebant, meliores fierent, sed ut ipse promptus in dicendo, neque usquam hæsitans, aut insistens videretur. Ergo inter alia Seneca. [Vis ista dicendi rapida, atque abundans 113
aptior est circulanti, quàm agenti rem magnam, ac seriam, documentique. Movere vult turbam, & inconsultas aures impetu rapere. Quomodò autem regere potest oratio, quæ regi non potest? Quis medicus ægros in transitu curat? Remedia non prosunt, nisi immorentur. Habeat vires magnas oratio, moderatas tamen: perennis sit unda, non torrens.] Senecæ consonat Ambrosius lib.1. Officiorum cap.3. legens enim cum textu Græco Ecclesiast.28.num.29. *Alliga sermonem tuum*, subdit: *Ne luxuriet, ne lasciviat: sit restrictior, & ripis suis coerceatur. Citò lutum colligit amnis exundans.*

Proverbiorum 17. num. 27. *Pretiosi spiritus vir eruditus.* Pretiosus sæpe in 114
Scriptura idem est, ac ratus: omne scilicet rarum, pretiosum est. 1.Regum 3.numero 1. *Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis*, id est, nulla, aut certè rara Deus tunc oracula edebat. Psalm.115.num.5. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*, id est, difficillimè, ac perrarò evenit, ut servos suos Deus hostium immanitate necari permittat. Vt Psalm.71. num.14. *Honorabile nomen eorum coram illo.* Vbi Hieronymus vertit ex Hebræo: *pretiosus sanguis illorum coram oculis eius*, id est, non facilè illorum sanguinem profundi patietur.

Spiritus item in arcanis litteris, idem 115
est, ac sermo: quia videlicet sermo spiritu isto formatur, quem crebrò respirando ducimus. Sic 1.Corint.14.num 14. *Spiritus meus orat: mens autem mea sine fructu est.* Et num.15. *Orabo spiritu* (id est, lingua, vel sermone,) *orabo & mente.* Intelligentia ergo huius loci est. Vir eruditus parcissimus est in verbis. Contrà verò dicitur de stulto, Proverbiorum 25.

num.

num. 28. *Sicut urbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.*

116 Mora itaque, & tarditate pensanda sunt, excutienda, atque ad Rationis obrussam examinanda verba. Clave scilicet Rationis duntaxat aperiendum est os. Sapienter enim Chrysostomus in Psalmum 50. *Os nostrum perpetuò custodiamus, Rationem ei, tanquam clavem, adhibentes.* Graviter etiam Chilon apud Laertium lib. 1. cap. 4. dicebat, *non committendum, ut lingua præcurreret animum.* Euripides verò apud Stobæum sermone 34. *Aut dic aliquid silentio melius, aut sile.* Pithagoras ibidem: *Oportet silere, aut afferre meliora silentio.*

117 Tritum est illud Xenocratis apud Valerium Maximum lib. 7. cap. 2. §. 6. *Dixisse me aliquando pœnituit; tacuisse, nunquam.* Laudat Plutarchus hanc sententiam in lib. de educandis Liberis: causamque prudentissimè reddit. *Quod silentio retentum est, efferetur perfacilè: quod autem ediderit, nullo modo revocari potest.* Iuxta illud Horatij in Arte Poetica: *nescit vox missa reverti.* & li. 1. Ep. 18. ad Lolliũ. *Et semel emissum volat irrevocabile verbũ.* Vbi erudite probat Lambinus, verba sepe ab Homero alata, sive pennigera vocari. Est insignis locus Proverbiorum 15. numer. 7. nam illa verba Vulgati: *labia sapientium disseminabunt scientiam*, LXX. legunt: *labia sapientum alligata sunt intellectu.* In quem locum eleganter Ambrosius in Ps. 38. [Quando ergo vides, sapientem tacere, dic: ligavit iste intellectu labia sua, prudenter tacet; servat thesaurum cordis sui, & argentum eloquij sui, ut examinatum, & purgatum, quando oportet, proferat.]

118

Et tardus ad iram.

119 EAmdem causam cohibendæ iracundiæ affert Seneca lib. 2. de Ira cap. 23. *Potest pœna dilata exigi, non potest exacta revocari.* Nec minùs idoneam Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 6. *Qui citò movetur iniuria, facit se dignum videri contumelia, dum vult ea indignus probari.* Stultitiæ videlicet notam incurrit. Eccles. 7. num. 10. *Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu Stulti requiescit.*

Itaque sic intelligo Apostolum: *& tardus ad iram*, scilicet effundendam, puniẽdumque dolorem inustum, & ulciscendum eum, qui læsisse visus est. Nam iræ ardorem ocyùs, tardiùsve concipere, sæpe non est in nostra manu. Athenodorus id consilij dedit Augusto (auctore Plutarcho) ut iratus nihil diceret, faceretve, quin priùs Græcum alphabetum integrum recitando percurreret. Extat in hãc rem prudentissima Theodosij lex cap. *Cùm apud Thessalonicam* 11. q. 3. & Lege, *Si vindicari*, Codice de pœnis. Ea lege cavebatur, ut dies abirent triginta priùs, quàm sententia capitalis executioni mandaretur. Auctor item est Plutarchus problemate 28. virgas, securesque circumligatas loris, solitas Romanis Prætoribus præferri, ut tantisper dum dissolverentur secures, tarditate illa, moraque interiecta, excandescens ira defervesceret. Propterea Valerius Maximus lib. 4. cap. 1. & Cicero Tusculana 4. miris laudib⁹ extollunt celebre illud Archytæ dictum, cùm meritò excanduisset in servum: *Sumpsissẽ à te suppliciũ, nisi tibi iratus essem.* Id, quod Ambrosius meritò celebrat in Imperatore Theodosio, Oratione de obitu illius. *Tunc propior erat veniæ, cùm fuisset commotio maior iracundiæ! prærogativa ignoscendi erat, indignatum fuisse: & optabatur in eo, quod in alys timebatur, ut irasceretur.*

120

121

Hanc effundendæ iracundiæ tarditatẽ sæpe cõmendat sacra Scriptura. Prov. 12. n. 16. *Fatuus statim indicat iracundiã suam; qui autẽ dissimulat iniuriam, callidus est.* LXX. *Impatiens eadẽ die enuntiat iram suam.* Videlicet nescit dare locum irę, ad Romanos 12. numer. 19. Proverb. 13. num. 17. *Impatiens operabitur stultitiã.*

122

LXX. *impartiens agit cum temeritate.* Ira nimirum *furor brevis est: quare qui non moderatur iræ, infectum volet esse, dolor quod suaserit.* Horatius lib. 1. Epist. 2.

123 Prover. 29, nu. 11. *Totum spiritum suum profert stultus; sapiens differt, & reservat in posterum.* Quem locum illustrāt LXX. *Totam iram suam profert insipiens: sapiens autem dispensat per partes.* Explicat Cassianus Collat. 16. cap. 27. quid sit, per partes iram dispensare. *Sapiens autem paulatim eam maturitate consilij, ac moderationis, extenuat, & expellit.* Nec minus congruè Seneca lib. 2. de Ira cap. 28. [Maximum remedium est iræ, mora: desinet, si expectat: nec universam illam tentaveris tollere; graves habet impetus primos. Tota vincetur, dum partibus carpitur.] Hæreant verò in animo ad hoc præstandum luculēti illi versus Ovidij 3. Tristium Eleg. 3.

Quò quisque est maior, magis est placabilis iræ:
Et faciles motus mens generosa capit.

Numerus 20.

Ira enim viri iustitiam Dei non operatur.

124 Aietanus sic exponit. Quoniam ira appetitus est vindictæ, quæ act? est iustitię punitivæ: ne quisquam putaret, licere sibi, eā excqui, clarè dicit, quòd ira viri, ad differentiam iræ divinæ, non operatur, hoc est, non exequitur iustitiā Dei: Deus enim non ordinavit iram hominis ad exequēdam divinam iustitiam, sed ad hoc ordinavit Iudices. Subtilis sanè interpretatio.

Mihi simpliciſsimus quisq; sensus maximè probatur: eum paucis complexus est Vatablus. *Vir iratus non paret Dei mandatis.* Cohibendam itaque præcipit Iacobus iracundiam, quia magnum irritamētum est ad divinam legem violandam. Moveor primò, quia sic disertè explicat Gregorius lib. 5. Moralium cap. 30. [Per iram iustitia relinquitur, sicut scriptum est: ira viri iustitiam Dei non operatur: quia dum perturbata mens iudicium suę rationis exasperat, omne, quod furor suggerit, rectum putat.]

Moveor secundò, quia iustitia in arcano sermone omne virtutis officium comprehendit. Matthęi 3. num. 15. *Sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* & cap. 6. num. 33. *Quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius.* Et operari iustitiā, frequentissimum est in Scriptura. Psalm. 14. num. 2. Actuum 10. num. 35. ad Hebræ. 11. num. 33. Eccles. 14. num. 17. & cap. 20. num. 30. Quibus in locis idem est, ac divinam legem sartam, tectam, & integram conservare. Vide Riberam ad Hebr. 11. n. 91.

Alicui fortasse placebit, ut placuit Serario, explicatio Bedæ: ira præceps in puniendo, nō se conformat ad imitationem Dei, *qui cum tranquillitate iudicat,* Sapiēt. 12. num. 18. Mihi certè hæc expositio minùs, quàm superior, placet.

Numerus 21.

Propter quod abijcientes omnem immunditiam, & abundātiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbū, quod potest salvare animas vestras.

126 Ota huius loci difficultas cōsistit in unico illo insito verbo. Prima explicatio est Grę corum, quos sequitur Isidorus Clarius: intelliguntque per *insitū verbum,* Græcè *logon,* rationem nobis insitam, lumen naturale omnibus ingenitū, quo bona à malis, meliora à deterioribus internoscimus: iuxta illud ad Roman. 2. num. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* Idest, habent insculptum in corde suo dictamen rationis naturale, indicans mala,

& bona; illa detestanda, hæc amplectenda. Hæc expositio, mea quidem sententia, est minimè probabilis: subdit enim Apostolus, *quod potest salvare animas vestras.* Certum autem est, non naturale rationis lumen, sed gratuitum Fidei donum efficacem nobis largiri cognitionem ad salutem consequendam: *sine Fide enim impossibile est placere Deo*, ad Hebr. 11. num. 5.

127 Secunda explicatio, in quam Sanctus Thomas, Sylmeron, Paez, & Sa magis inclinant, insitum verbum esse Christum: quia humanitas quasi insita est in Divinum suppositum supra omnem naturam; indeque trahit abundantissimos cælestium charismatum fructus, quos Angelis, & hominibus impertit. Quemadmodùm sterilis ramus in feracem arborem insitus, succum nativum ex ea trahit, fructusque suavissimos edit. Præclarè enim Bernardus Sermone 3. in vigilia Nativitatis. [Nihil Deo sublimius, nihil vilius limo! & tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus feciſſe credatur; quidquid limus pertulit, Deus in illo pertuliſſe dicatur.]

128 Sunt, qui hoc velint enucleatiùs exhodare, & Christũ cruci suffixum propriè dicunt *insitum verbum.* Arbor enim Crucis erat sylvestre lignum, & sterile: quia scriptum est: *maledictus omnis, qui pendet in ligno*, ad Galatas 3. num. 13. Christus autem generosum fuit virgultum, Isaiæ 53. nu. 2. *Germẽ Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis*, Isaiæ 4. num. 2. *Adducam servum meum orientem*: Hebraicè, *surculum*, Zachariæ 3. num. 8. *Germinare faciam David germen iustitiæ*, Hiere. 33. num. 15. Hoc igitur virgultum insitum fuit in Crucem *con las puas de los clavos*: uberrimosque fructus attulit mundo. Pia expositio, & quæ concionatoribus usui esse possit.

129 Tertia, quam existimo verisimam, & contextui aptè cohærentem, est ferè communis Bedæ, Strabi, Gagneij, Claudij, Catharini, Caietani: qui nihil aliud intelligunt per verbum insitum, nisi illud ipsum, de quo paulò antè num. 18. *Genuit nos verbo veritatis*: de quo itẽ statim n. 22. *estote autem factores verbi.* & nu. 23. *Si quis auditor est verbi.* Hoc itaque verbum, doctrina est Evangelica, *quæ virtus Dei est in salutem omni credenti*, ad Roma. 1. nu. 16. *semen est*, Lucæ 18. num. 12. de quo 1. Petri 1. nu. 25. *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi.* Hoc semen in nostris animis inserit cæ- 130
lestis ille agricola, Ioannis 15. nu. 1. Itaque congruè vertit hîc Serarius, *verbum implãtatum*: videlicet per prædicationem. Sed quanvis illud spargant Cõcionatores Evãgelij: clamat tamen Apostolus 1. Corin. 3. n. 7. *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.*

Appellatur verò propriſsimè *verbũ insitum*, ut distinguatur à congenito, nempe à lumine Rationis, nobis à natura ingenerato: est enim lumen Fidei adventitium omnino, & supernaturale; quo illustrata intelligentia attingit reconditas illas veritates, quæ omnẽ aciem prætervolant ingenij, & fructus edit æternitate dignos.

Quamquãsi vim expendamus Latinę, 131
& multò magis Græcę vocis, non est, cur redigamur in has angustias, & insitionem istam ad vivũ resecemus. Quare Vatabli Cõmentarius, qui in versione nova *insitũ sermonem* legit, explicat, *verum*, & *nativũ*: verbum scilicet veritatis non fictum, nõ fucatum. Eamdemq; vocem Græcam Latinus Interpres, Sapien. 12. num. 10. vertit *naturalis*: eo nimirum sensu, quia illorum malitia, consuetudine firmata, se se in alteram quasi naturam induerat.

Sed ad cęlestes verbi satus recipiendos, 132
repurgandũ est priùs solum, noxiæ herbæ radicitus evellendę; abijciendа prorsus est omnis immunditia, abundãtiaq; malitię; pręparandum deindè solũ mansuetudine. Nihil æquè disponit animum ad Evangelicam doctrinam. Scriptum enim est Isaiæ 61. n. 1. *Ad annunciandum mansuetis misit me.* Quæ verba Christus explicuit

de se ipso, Lucæ 4. num. 18. Sic Psalmo 24. num. 9. *Docebit mites vias suas.* Eccles. 5. num. 13. *Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas.*

Numerus 22.

Estote autem factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vos metipsos.

133 QVis non videat, Iacobū agere de eodem verbo, ad quod susciendum fuerat adhortatus? Sed nunc ostendit, qua ratione illud ipsum verbum salutem afferat. Neque enim potest salvare animas nostras fide creditum duntaxat, quod Heretici iactabant; sed nimirùm vita ipsa, & moribus expressum: quod, nisi plane cæcus, qui in media ipsa luce offendat, & incurrat, non videre potest nemo. Luc. 6. num. 46. *Quid autem vocatis me, Domine, Domine; & non facitis, quæ dico?* & num. 49. *Qui audit, & non facit, similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento,* &c. Ad Roman. 2. num. 13. *Nō enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.*

Numerus 23.

Quia si quis auditor est verbi, & non factor: hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo (id est, faciem suam nativam.)

Numerus 24.

Consideravit enim se, & abiit: & statim oblitus est, qualis fuerit.

134 REm illustrat eleganti cōparatione, adeòq; perspicua, ut explanatione non egeat. Tantū adverto id, quod nemo non advertit: non comparasse Apostolum auditorem verbi fœminæ se in speculo intuenti, quod magis erat ad consuetudinem; sed viro: quia fœmina diu, curioseque immoratur in contemplanda facie, abluendis maculis, mentitoque colore illinendo: vir autem si quando casu in speculum incurrit, usque adeò cursim, & strictim, & celeriter se ipsum aspicit, vix ut per speciem illam reflexam, quæ minùs etiam efficax est, ut observant Philosophi, imaginem sui in animo imprimat, nedum de pingenda facie, quod virum maximè deceret, sit solicitus.

Numerus 25.

Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis.

135 RECè *para Kupsas*, qui prono corpore, vultu demisso, oculis præ intruendi studio defixis, penitus introspexerit: est enim verbum significantissimum, ut Salmerō, Serarius, & Gagneius adnotarunt. Vulgatus sic illud vertit, Lucæ 24. n. 12. *Procumbens vidit linteamina.* Et Ioannis 20. num. 5. *Cùm se inclinasset, vidit,* &c. Et nu. 11. *Inclinavit se, & prospexit.* Vbi unicum verbum Græcū duobus Latinis illustravit Interpres.

136 Colligitur ex hoc loco, verissimam esse Gregorij sententiam, qui homilia 17. in Evangelia, dum explicat labrum illud æneum, factum de speculis mulierum, Exodi 38. num. 8. in quo se abluebant Sacerdotes ingressuri tabernaculum testimonij Exodi 30. num. 20. sic ait: [Specula mulierum sunt præcepta Dei, in quibus se se sanctæ animæ semper aspiciunt; &, si quæ in eis sunt fœditatis maculæ, deprehēdunt; cogitationum vitia corrigūt, & quasi ex reddita imagine suos vultus componunt.] Consentaneè Sanctus Leo, 137 serm. 11. de Quadragesima. [Artifex misericordia Dei splendidissimū in mādatis suis condidit speculum, in quo homo faciem suæ mentis inspiceret; & quàm conformis imagini Dei, aut quàm dissimilis esset, agnosceret.] Et Bernard. sermone 1. de septem Pānibus: [Evan-

gelium

gelium ſpeculum veritatis nemini blanditur, nullum ſeducit: talem in eo ſe quiſque reperiet, qualis fuerit.]

Vocatur autem lex Evangelica, lex libertatis, & amoris; lex verò Moſaica, lex timoris, & ſervitutis. Ad Roman. 8. nu. 15. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore: ſed accepiſtis ſpiritũ adoptionis filiorum.* Ad Galat. 4. num. 31. *Nõ ſumus ancillæ filij* (quæ ſcilicet eſt in ſervitutẽm generans num. 24.) *ſed liberæ: qua libertate Chriſtus nos liberavit.*

138 Hæc libertas eſt in primis à peccato. Ad Romanos 6. num. 20. *Cùm enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ: nunc verò liberati à peccato, ſervi autẽ facti Deo.* Ioannis 8. num. 34. cùm dixiſſet Chriſtus: *omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*; addit num. 36. *Si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.*

Deinde eſt hæc libertas ab intolerandis oneribus illius legis ceremonialis. Vide Actuum 15. num. 10. ad Galatas 2. num. 3. & cap. 4. num. 9. ad Hebræos 7. n. 18. & 19.

139 Poſtremò, à timore ſervili: ut iam lex moralis nobis non dominetur, tanquam ſervis, imminens flagello, & terrorẽ ſemper incutiẽs; ſed imperet, ut liberis, liberaliter obtẽperare volentibus: non adimẽdo quidem legi vim obligandi, ſed addendo filijs charitatem, gratiam, voluntatemq; parendi. Auguſtinus egregiè, ut cætera, hoc explicavit Tractatu 91. in Ioannem. [Noli libertate abuti ad liberè peccandũ, ſed uti ere ad non peccandum: erit enim voluntas tua libera, ſi fuerit pia: eris liber, ſi fueris ſervus; liber peccati, ſervus iuſtitiæ.]

140 Hoc nimirùm eſt, quod ait Apoſtolus ad Roman. 6. num. 14. *Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* Idem Auguſtinus lib. de Continentia cap. 3. [Non ſumus ſub lege, bonum quidem iubente, non tamen dante: ſed ſumus ſub gratia, quæ id, quod lex iubet, faciens nos amare, poteſt liberis imperare.] 1. Timoth. 1. numer. 9. *Lex iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis, & non ſubditis.* Nam, & de ætate illa aurea cecinit Ovidius lib. 1. Metamorphoſ.

quæ vindice nullo,
Sponte ſua, ſine lege fidem, rectumque colebat.

Ad Galatas 5. num. 18. *Quòd ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Auguſtinus 141
lib. de Natura & Gratia cap. 57. [Sub lege utique, quæ timorem incutit, non tribuit charitatem.] 2. Corinth. 3. num. 17. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Quã veritatem, miror vel ipſos Philoſophos aſſecutos. Probat Cicero in Paradoxis, [Niſi ſapientem, liberum eſſe neminem. Quid eſt enim libertas? poteſtas vivendi, ut velis. Quis igitur vivit, ut vult, niſi qui recta ſequitur, qui gaudet officio?] Seneca lib. de Vita beata cap. 15. *In regno nati ſumus: Deo parere, libertas eſt.* Hoc ſenſu fidenter dixit Auguſt. tom. 9. tractatu 7. in Epiſtolam Ioannis: [Dilige, & fac, quod vis: ſive taceas, dilectione taceas: ſive clames, dilectione clames. Radix ſit intus dilectionis: non poteſt de iſta radice, niſi bonum exiſtere.]

Atque hęc eſt perfectior, & excellen- 142
tior illa via Charitatis, quam commonſtrat Apoſtolus 1. Corinth. 12. num. 31. Lex enim vetus elementa duntaxat ceremonialia, quaſi prima tradebat rudimenta, ad Galat. 4. numer. 3. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex*, ad Hebr. 7. num. 19. At lex Evangelica eſt lex Charitatis: omnis autem perfectio continetur Charitate, quæ eſt *vinculum perfectionis*, ad Coloſſenſ. 3. n. 14. atque adeò lex Charitatis, lex perfectiſsima eſt. Verùm de prærogativis legis Gratiæ egi accuratiſsimè Barradas tom. 1. à cap. 2. lib. primi, uſque ad cap. 16. Vide etiam Toletum in cap. 7. epiſtolæ ad Roman. annotat. 1. & Bellarminum tom. 4. lib. 4. de Iuſtificatione. cap. 5. & 6.

Et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit.

143 QVi non cursim, sed per otium, suos mores efformaverit ad hoc speculum, non ut ille, qui statim abijt, & oblitus est, qualis fuerit; hic planè erit terque, quaterque beatus. Apoc. 1. nu. 3. *Beatus, qui legit, & audit verba prophetiæ huius, & servat ea.* Lucæ 11. num. 28. *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Ioan. 13. num. 17. *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.*

Numerus 26.

Si quis autem putat, se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.

144 NOn probo sententiam Salmeronis, & Catharini, qui restringunt hæc verba ad certum fidelium genus, qui perfectionis studio incensi, arctiorem consiliorum viam sectabantur. Nec video, quorsum talis adhortatio intempestivè inferretur, quæ valde abhorreret à proposito: est enim præ oculis habendus huius epistolæ scopus, quò semper collineat Apostolus, scilicet inanem esse Fidem, si à bonis operibus deseratur.

145 Nèque quidpiam est, quod in has angustias nos compellat. Non vox Latina *Religio*, quæ latissimè patet, gravitérque explicatur à Lactantio lib. 4. de Divina Sapientia, cap. 28. [Hac conditione gignimur, ut generanti nos Deo iusta, & debita obsequia præbeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo; & religati sumus: unde ipsa religio nomen accepit, non, ut Cicero interpretatus est, à relegendo.]

Minùs cogit nos vox Græca *threskia*, 146
quæ propriè est *cultus*: ad Colossenses 2. num. 18. *Religione Angelorum*, id est, cultu Angelis exhibito, sive cultura, ut vertit Vulgatus eamdem vocem Sapien. 14. num. 27. *Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est*: & num. 18. *Provexit autem ad horum culturam artificis eximia diligentia*. Verbum item *threskevo* idem est, ac *colo*. Sapient. 11. num. 16. *Colebant mutos serpentes*. Vnde hunc Iacobi locum vertit Editio Syriaca. *Si quis existimat, se servire Deo.*

Ergo qui priùs monuerat Fideles, numero 19. ut tardi essent ad loquendum, modò asseverat, illum vanè colere Deum, deque sua Fide, & religione inaniter gloriari, qui & habenas laxissimas daret cordi cogitandi, quidquid colliberet; & linguæ, quidquid in buccam veniret, effutiendi: etiam si sermo, aut cogitatio Divinam maiestatem violaret.

Intendit præterea digitum ad fontem, 147
unde fluit petulantia linguæ, nempe ad cor seductum. *Qui enim aberrare sinit cor suum*, ut vertit hîc Tigurina, huius linguæ nunquam rationis frænum injicietur: *ex abundantia enim cordis os loquitur*, Matthæi 12. num. 34. Quare, si verba non expendantur, aberrante corde, ruent cæco impetu sine fræno. Sapienter enim scribit Gelius lib. 1. cap. 15. Garrulorum orationem in ore nasci, non in pectore. Contrà Homerus Vlissem, virum sapienti facundia præditum, vocem mittere ait, non ex ore, sed ex pectore. Quæ Gelij sententia valde illustrat illud Ecclesiast. 21. numero 28. *Labia imprudentium stulta narrabunt: verba autem prudentium statera ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientium os illorum.* Prudentes 148
nimirùm de corde suo proferent eloquia, Iob 7. num. 10. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum*; Lucæ 6. nu. 45. Stulti cõtrà impręmeditata effundũt verba. Psalm. 51. num. 2. *Tota die iniustitiam*

cogita-

cogitavit lingua tua. Rectè Origenes apud Agellium ibi. [Cor fatuorum in superficie situm est, non in profundo: ad labia exilit.] *Vsurpa la lengua su officio al coraçõ: ella piensa las palabras, porque el pensarlas, y el dezirlas, todo es uno.* num. 4. *Dilexisti omnia verba præcipitationis.* At, qui præcipitanter loquitur, inconsultò, ac temerè loquitur. Verba illa Ecclesiast. 5. num. 1. *Ne temerè quid loquaris*, optimè LXX. reddiderunt, *ne festines in ore tuo.*

149 Vtitur verò Apostolus refrenandi verbo, quia, ut ait Augustinus sermone 28. de Verbis Apostoli. [Lingua facilitatem habet motus, in udo posita est, facilè labitur in lubrico. Quantò illa citiùs, & faciliùs movetur, tantò tu adversus illam fixus esto.] Adducendæ itaque habenæ equuleo indomito, & impotenti. Vide cap. 3. num. 3. *Si autem equis frena in ora mittimus.*

Numerus 27.

Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem, hæc est: visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum.

150 POtiùs opponendum videbatur, germanam religionem esse, omni custodia servare cor, Proverb. 4. num. 23. linguam à malo coercere, Psalm. 33. nu. 14. & 1. Petri 3. num. 10. ut constaret antithesis inter utrumque versum. Sed non id agit Apostolus, ut sigillatim unum, aut alterum opus bonum, sed ut generatim universa commendet. Nunc verò duo summatim comprehendit, quibus solidus Dei cultus continetur: charitatem scilicet in proximos, & vitæ innocentiam. Et quidem opera charitatis non solùm hostiæ nominantur, ad Hebræ. 13. num. 16. sed etiam ipsi sacrificio, quod est vel præcipuum religionis opus, expressè anteponuntur Matth. 9. num. 13. & Osee 6. nu-

mero 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium.*

Complectitur autem Iacobus universa misericordiæ opera memorato uno, eoque subinde in tota Scriptura commendato: nam & ipse Deus gaudet vocari Psalm. 67. num. 6. *Pater orphanorum, & iudex viduarum.* Et inter gloriosa facinora, quæ extolluntur Psalm. 145. non dedignatus est, illud quoque celebrari, numero 9. *pupillum, & viduam suscipiet.* 151

Præcipit Scriptura beneficentiam signatè erga pupillos, & viduas, tanquam magis humana ope destitutos; illataque proinde illis iniurias, acerbissimè criminatur. Indicabo tantùm loca, ne longior sim. Exod. 22. num. 22. Deuteronom. 16. num. 14. cap. 24. num. 17. & nu. 19. c. 26. num. 12. cap. 27. num. 19. Iob 24. num 3. & cap. 31. num. 16. Ecclesiast. 4. num. 10. Isaiæ 1. num. 23. Hieremiæ 5. num. 28. & cap. 22. num. 3. Zachariæ 7. num. 10. Malachiæ 3. num. 5. Matth. 23. nu. 14. 1. Timoth. 5. num. 3. & num. 16.

Et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

GRæcè *apo tu cosmu*, à mundo: sic enim reddere solet Vulgatus eamdem vocem, non solùm cùm de mundi mole, sed etiam cùm de mundanis, sive hominibus, sive rebus sermo est: Ioan. 1. num. 10. cap. 12. num. 31. cap. 15. nu. 19. & 1. Corinth. 1. num. 20. & cap. 11. num. 32. & 1. Ioann. 5. num. 19. Imò & in hac epistola cap. 4. num. 4. *Amicitia huius mundi*; Græcè, *he philia tu cosmu.* Sed in eodem numero eamdem vocem sæculum vertit, *amicus esse sæculi huius.* Græcè, *tu cosmu*: ut & 2. Corinth. 7. num. 10. *Sæculi autem tristitia mortem operatur.* Sed frequentiùs subest Græca vox *æon.* Ad Romanos 12. num. 2. & 1. Corinth. 2. num. 6. ad Galatas 1. num. 4. & 1. Timoth. 6. num. 17. Vtraque coniungitur ad Ephesios 2. numero 2. *In quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi huius.* 152

153 Hæc itaque est altera iustitiæ pars, qua germana religio continetur: se purum, & integrum ab omni labe mundi conservare. Est enim mundus, quasi cœnosa colluvies, tetrum fœtorem exhalans, & amatores suos fœdissimis maculis aspergens. Citat in Commentario huius loci non inelegans distichon Sanctus Thomas.

Mundus non mundus, quia mundos polluit:
ergo
Qui manet in mundo, quomodò mundus erit?

154 Rectè itaque monet Apostolorum Princeps 2. Petri 2. num. 20. *Refugientes coinquinationes mundi.* Et cap. 1. num. 4. *Fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.* 1. Ioannis 2. num. 15. *Nolite diligere mundum.* Et num. 16. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est.* Ad Romanos 12. nu. 2. *Nolite conformari huic sæculo.*

Refellitur ex hoc loco perabsurdus Hæreticorum error, qui negant, in hac vita quemquam verè Iustum esse posse. Quem errorem refutavi ad illa verba ad Colossens. 1. num. 22. *Exhibere vos Sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso*: & refutarunt copiosissimè Maldonatus Matth. 9. num. 13. & Luc. 1. num. 73. Bellarmi. tom. 4. lib. 2. de Iustificatione, cap. 7. & lib. 1. de Amissione gratiæ, cap. 6. Peronius tom. 2. in Genesim lib. 9. num. 23. Ribera Apocalypsis 14. num. 17.

(1)

CAPVT II.

Numerus 1.

Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ.

PErgit Apostolus suadere, ne syncerum Fidei candorem indignis moribus, quasi maculis, infuscent. Est enim acceptio personarum severè prohibita in Scriptura. Levit. 19. num. 15. Deutero. 1. num. 17. & 1. Regum. 16. num. 7. Proverbior. 18. num. 5. cap. 24. num. 23. & cap. 28. num. 21. Malachiæ 2. num. 9. & periculosa gravissimè peccandi occasio, si aliquid uni tribuat, quod ex debito iustitiæ erat alteri tribuēdum. De quo Theologi cum Sancto Thoma 2. 2. q. 63. 1

Obsecrat itaque Fideles, blandè eos cōpellans nomine fratrum, ne Fidem Christi glorioſi cum personarum acceptione coniungāt. Sic explico genitivum illum, *gloriæ*. Græcè, *tes doxes*. Est enim vulgaris Hebraismus, quo gignendi casus appositi vicem gerit. Atque, ut ex hoc ipso nomine petamus exempla: ad Colossenses 1. nu. 11. *Secundum potentiam claritatis eius.* Græcè, *cata to cratos tes doxes*, id est, secūdum potentiam eius claram, & illustrem. Ad Hebræos 9. num. 5. *Cherubim gloriæ*, id est, glorioſi: ut ex Chrysostomo, & Theophilacto exponit ibi Ribera, nu. 30. Actuum 7. num. 2. *Deus gloriæ*, id est, gloriosissimus. 1. Corinth. 4. num. 6. *Ad illuminationem scientiæ claritatis Dei.* Gagnelus. Ut claram, & gloriosam Dei cognitionē alijs impertiremus. Sed huic loco quam similimum exemplum est, ad Ephesios 1. num. 17. *Ut Deus, Domini nostri Iesu Christi Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ.* Vbi etiam genitivus ille *gloriæ*, adiungendus est Deo. Exponitq; Vatablus; *Deus gloria, & laude dignissimus.* 2

Nume-

Numerus 2.

Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida.

3 TOta sententia perspicua erit, si verba quædam dilucidè explicentur. Initio hascentis Ecclesiæ conventus celebrabãtur ad fundẽdas preces, accipiẽdam Eucharistiam, verbumque salutis audiendum. Extat Apostolica Cõstitutio in Clementis Diataxi lib. 2. cap. 59. [Convenite in Ecclesiam singulis diebus mane, & vespere, ad canendos Psalmos, &c.] Ignatius epistola 6. ad Magnesianos. [Omnes ad orandum in idem loci convenite: sit una communis precatio.] Et epistola 11. ad Polycarpum. [Crebriùs celebrentur conventus, Synodique: nominatim omnes inquire.]

4 Hanc consuetudinem acceperunt Fideles ab ipsis Apostolis. Actuum 2. numero 42. [Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.] Et num. 46. *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo.* Cap. 20. num. 7. *Cùm convenissemus ad frangendum panem.* 1. Corinth. 11. num. 20. *Convenientibus ergo vobis in unum.* Et cap. 14. num. 23. *Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum.*

5 Maior est disceptatio de annulo aureo. Nam Baronius Cardinalis tom. 1. anno Christi 34. errasse existimat omnes, qui putarunt, describi nobilissimum virum, qui annulum aureum gestaret in digito; explicatque de fibula aurea, quæ vestem fluentem stringebat. Affert illud Iosephi lib. 13. Antiquitatum, cap. 8. *Misit ei virutis ergo fibulam auream: quod gestamen solis cognatis Regis concedebatur.*

Fibulam verò vocari annulum, probat ex cap. 28. Exodi num. 28. *Stringatur rationale annulis suis.* Hanc ipsam explicationem priùs invenerat Salmeron; sed timidè, & dubitanter eam proposuit in Commentario huius epistolæ, non tam affirmatè, ut Baronius. Baronium tamen sequitur novissimè Paez.

6 Ego, qui nõ, nisi gravissimo rationum momento impulsus, velim à communi intelligentia discedere, fateor, me nihil invenire, quod me cogat ad assentiẽdum huic explicationi. Nam in primis fuisse annulum aureum nobilitatis insigne, notum est ex omni antiquitate: certè annulus aureus apud Romanos, equestrem ordinem à plebe distinguebat. Lege Plinii lib. 33. cap. 1. Tiraquellum in Alexãdrum lib. 2. cap. 29. Sigonium lib. 2. de Iure civium Romanorum cap. 3.

7 In Scriptura crebra de annulo mentio, præsertim signatorio. 3. Regũ 21. numero 8. Esther 3. num. 10. & cap. 8. nu. 2. Hieremiæ 22. num. 24. Danielis 6. nu. 17. cap. 14. num. 10. & 1. Machabæorum 6. num. 15. Sed est insignis locus Lucæ 15. num 22. *Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius.* Nimirùm tanquam ornamentum debitum cultui nitidiori, insigneque nobilitatis; latiùs multò patens, quàm aurea illa fibula, quæ ad solos cognatos Regis pertinebat. Sed *in manum*, inquit, inserendũ, videlicet in digitum, ne quis etiam fibulam exponeret.

8 Neque favet locus Exodi. Nam in eo cap. 28. sæpius mentio fit de annulis; sed illi erant verè annuli, id est, qui in alios inserti, ut inseri solent annuli catenarum, rationale sustinerent: ut probat Ribera lib. 3. de Templo, cap. 11. non erãt fibulæ, quæ vestem laxiorem adstringerent.

Minùs verò favet vox Græca *dactylios*, quæ à digito originem traxit: (*dactylos* enim digitus est) neque hęc vox, aut apud Iosephum, aut in libris Machabæorum unquam usurpatur pro fibula. Multò verò minùs ea significatio cadere potest in compositum nomen, quod hîc subest, *chrysodactylios*: quod non, nisi tribus

vocibus Latinè exprimas, *aureum gestans annulum.*

9 Habet quidem fibula duo Græca nomina, quorum alterum *porpe* extat apud Iosephum, & in lib. Machabæorum: ubiter de hoc ornamento Regio sermo fit. 1. Machab. 10. num. 89. *Et misit ei fibulam auream, sicut consuetudo est dari cognatis Regum.* Et cap. 11. num. 58. *Dedit ei potestatem bibendi in auro, & esse in purpura, & habere fibulam auream.* Et cap. 14. nu. 44. *Vestiri purpura, & uti fibula aurea.* Quæ loca miror, pro sua sententia non citasse Baronium. Ast fibula vestem stringens, de qua Virgilius lib. 4.

Aurea purpuream subnectit fibula vestem:

ubi Græcè *dactylios* nominetur, reperies

10 nusquam.

Expeditior ratio erit explicãdi vestem candidam. Græcè dicitur *lampra*: propriè illustris, & splendida. Sic reddit Vulgatus eamdem vocem, Apocalypsis 22. num. 1. *Splendidum, tanquam chrystallum.* Et n. 16. *Stella splendida.* Et cap. 19. num. 8. *Byssino splendenti.*

Atque hinc rectè colligit Iansenius, cap. 141. Concordiæ, vestem illam albam, qua per opprobrium indutus est Christus ab Herode, Lucæ 23. num. 11. quæ Græcè dicitur *esthes lampra*: (sunt enim ibi eædem Græcæ voces, quæ hîc apud Iacobum) pretiosum fuisse indumentum, eximioque nitore collucens; illustrum tamen eo fuisse Christum: perinde ac si homo despicatissimus, per contemptum regijs insignibus ornaretur: ut paulò pòst fecerunt milites Matth. 27. num. 28.

11 Subest quoque eadẽ vox Actuum 10. num. 30. *Ecce vir* (Angelus scilicet, ut constat num. 3.) *stetit ante me in veste candida.* Græcè, *lampra*, id est, nitida, & splendente: ut explicat ibi eruditè, & congruenter nostrę expositioni Lorinus. Rectè itaque hîc nu. 3. Vulgatus exposuit easdem voces, scilicet,

esthera lampran, vestem præclaram.

Introierit autem et pauper in sordido habitu.

Numerus 3.

Et intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: tu sede hîc bene: pauperi autem dicatis: tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum.

12 Otus hic locus dilucidus est: nihilque occurrit adnotandum. Solùm adverto, verbũ illud *intendatis*, quod hîc videtur derundare, significantissimum esse, & rem exprimere ab ipsa natura ductam, & quotidiana experiẽtia comprobatam. Fit enim, nescio quo modo, ut homo cultu elegantiore nitidus, & auro, gemmisque collucens, ad se oculos rapiat, defixosque teneat. Vix est in nostra manu, aspectum identidem eò non reflectere, & *oculo irretorto*, ut ille ait, auro fulgentem virum conspicari.

13 Græcum verbum *epiblepsete*, propriè est, cum affectu quodam benignè, gratanterque respicere. Qualem affectum in Orpheo notavit Poeta Latinus 4. Georgicorum.

Restitit, Euridicemque suam iam luce sub ipsa
Immemor, heu, victusque animi respexit.

Et in Catilina eloquentiæ Parens, oratione 2. *Retorquet sæpe oculos ad hanc urbem: quam è suis faucibus ereptam esse luget.* Sed longè sublimiùs Deo attribuitur in Scriptura benignus iste affectus erga Iustos, & respiciẽdi verbo significanter effertur. Genes. 4. n. 4. *Respexit Dñs ad Abel, & ad munera eius.* Eccles. 11. num. 13. *Oculus Dei respexit illum in bono.* Lucæ 1. num. 48. *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Græcè, *epeblepsen*: eodem scilicet verbo Græco, quod hîc subest.

14 Vnde & ipsa acceptio personarum, quia plùs nimio in personam intendit, *respiciendi* verbo significantissimè exprimitur: 1. Regum 16. num. 7. *Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius.* Matthæi 22. num. 16. *Non enim respicis personam hominum.* Quò alludit Eccles. cap. 35. num. 15. *Non est apud illum gloria personæ.* Græcè, *doxa*, id est, *claritas, maiestas, splendor.* Hæc videlicet, quæ solent mortalium oculos allicere, allectosque detinere, Deus ne intuetur quidem.

Numerus 4.

Nonne iudicatis apud vosmetipsos?

15 NOnne iudicare præsumitis, quod vetat Christus Matthæi 7. num. 1. *Nolite iudicare:* & iure optimo vetat: non enim iuxta intuitum hominis Deus iudicat: *homo enim videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor*, 1. Regum 16. num. 7. & sæpe *quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum*, Lucæ 16. num. 15. Perperam itaque facitis, dum vestra auctoritate iudicium, quod Deo competit, usurpatis; atque apud vosmetipsos tribunal constituitis; & externa duntaxat specie merita hominum metientes, pauperi divitem præfertis. Ioannis 7. num. 24. *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.*

Et facti estis iudices cogitationum iniquarum?

16 GRæcè, *dialogismon*, id est, ratiocinationum: propriè enim *dialogismos* est cogitatio cum disceptatione. Lucæ 9. num. 46. *Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset.* Græcè, *dialogismos*, id est, disceptatio, sive disputatio: nam ita etiam reddit Vulgatus Græcum verbum, unde hoc nomen originem trahit, Marci 9. num. 33. *inter se disputaverant.* Imò & ipsum nomen ita solet efferre Vulgatus, 1. Timoth. 2. nu. 8. *Sine ira, & disceptatione.* Græcè, *dialogismu.* Tamen ad Philippen. 2. num. 8. *hæsitationem* vertit Latinus Interpres. Quod in idem recidit: cùm scilicet animus varijs rationum mometis hinc inde inclinatus, hæsitat & fluctuat: quæ fluctuatio significatur ad Roma. 14. nu. 1. *Non in disceptationibus cogitationum.*

17 Sensus itaque est: profectò facti estis iudices perversarum ratiocinationum, perperam, & iniquè disceptantes. Cùm enim suopte nutu pauperum, proborum merita lancem inclinent; & honorem virtuti deferri, suo iure postulent: perstringit vestros oculos auri, gemmarumque fulgor, quo collucent divites; perverteque concluditis, huic assurgendum, quia dives; illum aspernandum, quia pauper: ducti nimirùm illo axiomate, de vulgi opinione recitato, Ecclesiast. 10. num. 19. *Pecuniæ obediunt omnia.* Vbi vertas Hebraica verbum è verbo: *argento humiliabitur omnis.* Id, quod vel ipsi Gentiles reprehendunt: cùm enim in Romanis spectaculis honoratior esset locus ditioribus, quàm tenuioribus, etiam si forte melioribus, severè id perstringit Iuvenalis Satyra 3.

Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quàm quòd ridiculos homines facit. Exeat, inquit,
Si pudor est, & de pulvino surgat equestri.

18 Hoc est summum illud malum, quod Salomon sub sole vidit, Eccles. 10. num. 6. *Positum stultum in dignitate sublimi*, (videlicet, quia fluxis divitijs circumfluit) & *divites* (veris divitijs sapientiæ, & probitatis abundantes) *sedere deorsum.* Concludo luculentis Senecæ verbis epistola 76. [Nemo istorum, quos divitiæ, honoresque in altiore fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur? Cum basi illum sua metiris. Parvus pumilio, licèt in monte constiterit. Colossus magnitudinẽ

suam

ſuam ſervabit, etiam ſi ſteterit in puteo. Hoc laboramus errore: ſic nobis imponitur: quòd neminem æſtimamus eo, quo eſt, ſed adijcimus illi & ea, quibus adornatus eſt.]

Numerus 5.

Audite fratres mei dilectiſsimi: nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe? vos autem exhonoraſtis pauperem.

19 VIdete, quàm abſurdè à perfectiſsima iudicij regula deflectatis pauperes deſpicatui ducitis, quos ſummus ille arbiter Deus, qui ad rem quamque verè æſtimandam, momentoque ponderandam ſuo, ſapientia pollet infinita, in oculis fert. Pauperes certè elegit Chriſtus Apoſtolos, Evangeliſtas, & Diſcipulos: ut terrenis facultatibus repudiatis, agiles, & expediti ad promulgandum Evangelium quoquò verſus advolarent. Verè enim dixit Chryſologus ſermone 29. [Aurum natura grave plùs habentem deprimit, quàm ferentem: & vehementiùs aggravat corda, quàm corpora: naſcitur in terra profundâ, & dum ſuam ſemper repetit naturam, cæleſtes animos ad inferna deponit, alta mentium ſemper in terrena demergit.]

20 Deus item pauperes eximijs honoribus afficit. Pſalmo 71. num. 13. *Animas pauperum ſalvas faciet: & honorabile nomen eorum coràm illo.* Hebraicè, *pretioſum.* LXX. *entimon.* Quod utrumque completur: vox enim Græca *time*, & pretium ſignificat, & honorem. Deus etiam populum ſuum peculiarem appellat pauperes, Exodi 22. num. 25. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi.* Pſalm. 13. num. 4. *Qui devorant plebem meam.*

21 Nec dedignatur Deus, ſe propinquum pauperum nominare, Proverbiorum 23. num. 10. *Ne attingas parvulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas: propinquus enim illorum fortis eſt, & ipſe iudicabit contra te cauſam illorum. Tienen no ſolo parientes en la Corte, ſino el padre Alcalde.* Vox enim Hebraica *goel*, quam Vulgatus reddit *propinquus*, idem eſt, ac conſanguineus: ut cõſtat Levitici 25. n. 25. Deut. 19. num. 6. Ruth 3. num. 9. & num. 12. Sed 22
eamdem vocem, non minùs certum eſt, ſignificare *Redemptorem*. Hieremiæ 50. num. 34. *Redemptor eorum fortis.* Pſal. 18. num. 15. *Domine adiutor meus, & Redemptor meus.* Pſalmo 77. num. 35. *Deus excelſus Redemptor eorum eſt.* Subeſt ubique *Goel.* Imò in illo ipſo loco Proverb. 23. ſic extulerunt hanc vocem LXX. *ho lyterumenos: Redemptor eorum Dominus, validus eſt.* Itaque Redemptor noſter Chriſtus, qui, ut ait Apoſtolus 2. Corinth. 8. nu. 9. *propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet dives*; pauperum conſanguineus eſt. Quis non magno æſtimet pauperes?

Et quidem Chriſtus de ſe ipſo Luc. 4. 23
num. 18. ſic explicat, iuxtà fontẽ Hebraicum, illud Iſaiæ 61. num. 1. *Evangelizare pauperibus miſit me.* Atque hoc numerat inter eximia miracula, à ſe patrata, Matthæ. 11. num. 5. *Pauperes evangelizantur.* Vbi Græcum verbum *evangelizontæ* interpretandum eſt ſignificatione paſsiva, ut ad Hebræos 4. num. 2. *Etenim & nobis nuntiatum eſt:* & num. 6. *Quibus prioribus annunciatum eſt.* Nam, ut expendit Maldonatus in Matthæi caput 11. non erat miraculum, pauperes annuntiare Evangelium: ſolent enim homines abiectiſsimi magnarũ ſæpe rerum eſſe nuntij. At, 24
pauperibus Evangelium prædicari, hoc eſt, regnũ cæleſte promitti, iuxta id Matthæi 3. num. 2. *Appropinquavit enim regnum cælorum:* & cap. 9. num. 35. *Prædicans Evangelium regni:* & Lucæ 10. num. 9. *Appropinquavit in vos regnum Dei:* id ſcilicet valde mirum erat. Quid enim admirabilius, quàm pauperem ſubitò regem fieri? Sed nimirùm ipſe Rex Regum, & Dominus dominantium Chriſtus, ſimul

etiam

etiam fuit Rex, & Pauper. Zachariæ 9. num. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Salvator: ipse pauper.* Vnde sapienter Bernardus Epistol. 103. [Volo, te esse amicum pauperum, magis autem imitatorem: ille gradus proficientium est; hic, perfectorum. Amicitia paupertū Regū amicos constituit; amor paupertatis, Reges.]

25 Et huc alludit Iacobus, cùm ait, *divites in fide, & hæredes regni.* Perinde ac si dicat: cōtemptissimi quidē, ac despicatissimi habētur pauperes in hoc mūdo; sed fide cognoscim⁹, eos esse quàm ditissimos, qui fide ipsa viva insigniti, & adoptionē filiorum Dei adepti, iure hæreditario cæleste summi Parentis regnum adibunt. Tobias cap. 4. numer. 23. hac se consolatione sustentabat. *Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum.* Matthæi 5. num. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Rectè itaque Ambrosius epist. 101. *Cùm regnum Dei pauperum sit, quid esse locupletius potest?*

Numerus 6.

Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad iudicia?

DEbuissetis potiùs vel vestras experti calumnias, rapinasque bonorū, insolentiam divitum detestari, nedum illos pauperibus præferre.

26 Tota clamat Scriptura, divites impios sævissimam in pauperes tyrānidem exercere, eos per vim, per fraudem expilare, rapere per summam iniuriam ad iudicia, sanguinemque oppressorum sitienter exorbere. Ecclesiast. 13. num. 23. *Venatio leonis onager in eremo, sic & pascua divitum sunt pauperes.* Amos 4. num. 1. *Calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes.* Vbi subest Hebraicè verbum *rasas*, quod significat, *conterere, cōminuere.* Perinde ac si dicat: pauperes ita conteritis, ut penè in pulverem redigatis: iuxta illud eiusdem Prophetæ c. 2. n. 7. *Qui conterunt super pulverē terræ capita pauperū.* Iob 20. num. 19. *Quoniam confringens nudavit pauperes.* Oseæ 5. num. 11. *Calumniam patiens est Ephraim; fractus iudicio.* Isai. 58. num. 6. *Dissolve colligationes impietatis,* (idest, iniquas obligationes, quas per vim ab egētibus extorsisti) *solve fasciculos deprimentes* (idest, contractus usurarios, quibus pauperes tenes constrictos, & oppressos) *dimitte eos, qui confracti sunt, liberos.*

De divitibus etiam ait Michæas cap. 7. 27 num. 4. *Qui optimus in eis est, quasi paliurus.* Vbi Hieronymus. *Paliurus pungens, & retinens; pungens appropinquantem sibi, & adunco dente comprehendens.* Perpende, quàm crudeliter Achab expoliaverit Naboth vinea sua, 3. Regum 21. Ardenter item in divites iniurioſos invehitur Ezechiel, cap. 22. num. 27. *Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædam.* & num. 29. *Rapiebant violenter egenum, & pauperem affligebant.* Accedit ad miseriæ cumulum, os etiam obstrui pauperibus expilatis, ut ne hiscere quidem audeant. Eccles. 13. n. 4. *Dives iniustè egit, & fremet: pauper autem læsus tacebit.*

Numerus 7.

Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos?

NOn probo sententiam eorū, 28 qui hæc verba de divitibus infidelibus interpretantur. Series ipsa exigit, ut eos intelligat divites, qui conventus in Ecclesiam frequentabant, quibus ipsi, cōtemptis pauperibus, assurgebant. *Blasphemādi* autem verbum sic expono, iuxta Hebraismum frequētissimum in Scriptura: non quòd illi divites, qui fidem susceperāt, impias in Christianum nomen voces procaciter iactarent, sed quòd illud morib⁹ in-

dignissimis polluerent. Quid enim indignius, quàm eum, qui Christo nomen dedit, pauperes fratres per potentiam opprimere, ad subsellia trahere, eorum sanguinem bibere? 1. Corinth. 6. num. 8. *Vos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.* Tales nimirùm *confitentur, se nosse Deum, factis autem negant,* ad Titum 1. num. 16.

29 His intonat Evangelica tuba, ad Romanos 2. num. 23. *Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras: nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes*: ex Isaiæ 52. num. 5. Gentes videlicet, quę ignorant Deum, dum vidēt, illius cultores prævaricari divinam legē, omnia iuris, ac pudoris repagula effringere, eam animis imbibunt opinionem, ut quales cultores sunt, talem existiment esse Deum. Tales igitur factis Deum blasphemant. Ezechielis 36. num. 20. *Et polluerunt nomen sanctum meum, cùm dicerentur de eis: populus Domini iste est.* & cap. 22. num. 26. *Coinquinabar in medio eorũ.* Ierem. 7. num. 30. *Posuerunt offendicula sua in domo, in qua invocatum est nomen meum, ut polluerent eam.* Vide etiam Ezechielis 20. num. 39. & cap. 39. num. 7.
30 & cap. 43. num. 8. Bonum autem nomẽ, quod invocatum est super nos, explico nomen Christianorum, quo fideles compellantur, Actuum 11. n. 26. *Ita ut cognominarentur primùm Antiochiæ discipuli, Christiani.* Aut nomen ipsum Christi, unde tam honorificum ducimus cognomen: non enim solùm, ut voluit Augustinus lib. 20. de Civitat. cap. 10. *Omnes Christianos dicimus, propter mysticum chrisma, quo ungimur.* Melius omnino Ambrosius in Psalm. 118. Octonario 12. [Christianum cùm dico, perfectum dico: in Christo enim plenitudo Divinitatis est: cuius nomen usurpas, cuius vocabulum geris, interpretationem vocabuli, perfectionemque cur refugis?]

31 Est verò phrasis Hebraica frequentissima in sacra Scriptura, invocari nomen alicuius super aliquem, idest, ab eo nomen accipere. Genesis cap. 48. numero 16. *Et invocetur super eos nomen meum,* hoc est, appellentur filij Israel. Deuter. 28. numer. 10. *Quòd nomen Domini invocatum sit super te,* idest, quòd dicaris populus Domini. Isaiæ cap. 4. numer. 1. *Tantummodò invocetur nomen tuum super nos*: hoc est, ea lege duntaxat, ut uxores dicamur tuæ. Sic 2. Regum cap. 6. num. 2. Ieremiæ 7. num. 11. & cap. 34. num. 15. Daniel. 9. num. 18.

Numerus 8.

Si tamen legem perficitis regalem, secundum scripturas: diliges proximum tuum, sicut te ipsum: bene facitis.

32 NE videatur debitum honorem divitibus denegare, affirmat, illis impendendum quidem honorem esse, ex præscripto tamen: eum scilicet, quem imperat lex regalis, honorem meritis æstimans. Sic legem Evangelicam vocat, quam cap. 1. numer. 25. legem vocaverat libertatis. Testimonia, quibus præscribitur, honorem Primoribus exhiberi, extant Matthæi 22. num. 21. *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Ad Romanos cap. 13. num. 7. *Reddite ergo omnibus debita; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* 1. Petri 2. num. 13. *Sive Regi, quasi præcellenti; sive ducibus, tanquam ab eo missis.* num. 17. *Regem honorificate.*

33 Vocatur verò lex Evangelica, lex Regalis. Primò, quia lata est à Rege Regum, & Domino dominantium Deo. Ita expressè vertit Syriacus: quemadmodùm dicuntur leges Regiæ, quæ sancitæ sunt, & promulgatæ à Rege. Deinde, quia verè lex Evangelica reges efficit cultores suos. Dixi multa de spirituali Iustorum regno, in ea verba ad Coloss. 1. n. 13. *& trāstulit*

in

in regnum filij dilectionis suæ : & notum est, Iustos in sacra Scriptura subinde appellari Reges. Regalis itē est, quia eius Sacerdotes Reges sunt. 1. Petri 2. nu. 9. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium.*

34 Vnde notabile est illud, quod de Iacobo nostro prodit Epiphanius hæresi 29. eum scilicet gestare solitum in capite coronam ex aurea lamina confectam, velut huius dignitatis Regiæ, & Sacerdotalis insigne. Simile etiam diadema gestasse Ioannem Evangelistam, Auctor est Polycrates apud Eusebium lib. 5. Historiæ cap. 23. & Baronius tom. 1. anno Christi 34.

35 Denique speciatim lex regalis aptè vocatur charitatis lex, quam hîc citat Apostolus ex Levitici 19. num 18. & Mat. 22. num. 39. *Diliges proximū tuum, sicut te ipsum.* Est enim charitas veluti regia corona virtutum, atque adeò omnium illarum Princeps, & Regina: est maximum, & primum mandatum, Matthæi 22. num. 38. imò omnium mandatorum apex, & summa: *qui enim diligit proximum, legem implevit*, ad Romanos 13. num. 8. *Vniversa enim lex in hoc verbo instauratur*: (id est, recapitulatur) *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Plenitudo ergo legis est dilectio*: ut ibidem docet Paulus num. 10.

Numerus 9.

Si autem personas accipitis, peccatum operamini.

36 HAbet charitas ordinem suū: qui postulat, ut præstantiores, & digniores, præsertim magistratu fungentes, si utrisque exhibendus est honos, privatis hominibus præferantur. Non itaque iubemur, nullum inter personas habere discrimen: Regalis enim lex ordinem præscriptum ipsius naturæ ductu, perficere vult, non evertere.

37 Sensus itaque est. Si ex legis præscripto cumulatiorem illi honorem impenditis, quem re vera præstantiorem esse ducitis; bene facitis. Sin autem merita penditis ex holoserico duntaxat ornatu; & comptum, ac nitidum, minùs dignum, præfertis squalido, & pannoso digniori; peccatum operamini. In hanc sententiam explicat hunc locum Augustinus tom. 2. Epistola 29. ad Hieronymum. [Si de quotidianis confessibus loquitur, quis non hîc peccat? Si tamen peccat, nisi cùm apud se ipsum intus ita iudicat, ut ei tantò melior, quantò ditior esse videatur.]

Redarguti à lege, quasi transgressores.

38 IPsa lex, quæ toties vetat ea respicere, cùm deferendus est honor, quæ attendenda non sunt; quæ iubet, reverentiam, & cultum non ex censu, sed ex virtute, dignitateque pensari: ipsa, inquam, lex vos coarguet, legis esse violatores. Ioan. 5. nu. 45. *Nolite putare, quòd ego accusaturus sim vos apud Patrem: est, qui accusat vos, Moyses.* Ad Romanos 2. num. 12. *Quicunque in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur.*

Numerus 10.

Quicunque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omniū reus.

39 SCribit Augustinus lib. 2. Retractationum, c. 45. se de huius difficultate loci consuluisse Hieronymum: sed cùm is causatus occupationes suas, locum non explicasset, Augustinus ipse, eiusdem Hieronymi rogatu, illum accuratissimè exposuit: cuius expositio valde probata fuit eidem Hieronymo.

Atque in primis colligitur ex his verbis, Apostolum quasi gradum facere, agereq; de ea personarū acceptione, quę ad culpā lethalem pertingit. Quare Augustinus in illa epist. 29. ad Hieronym. de eo

exponit, qui in conferenda Ecclesiastica dignitate indignum anteponit. [Quis enim ferat, eligi divitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore, atque sanctiore?] Lege Bellarmin. li. 1. de Amissione gratię c. 12. & 13.

40 Ne igitur fideles ab aliquo in fraudem inducti causarentur, quid nos tam acerbè criminaris, tanquam legis transgressores? quid tam severè pronuntias, ipsa nos lege convictos, constrictosque teneri? ecquod decalogi præceptum violavim⁹? an pauperi quidpiam subripuimus, eò quòd divitẽ illi prę ferremus? Apertè declarat Iacobus, hanc acceptionem personarum, quæ charitatẽ, & iustitiam evertit, maximo illo, ac primo dilectionis mãdato prohiberi; ac proinde, qui hoc se scelere obstrinxerit, perinde ac si totam perfringeret legem, Inferorum cruciatibus addicendum. Nam per hoc vel unicum lethale peccatum prosopolepsiæ, etiam si nullo alio crimine cumuletur, amittitur, & eliditur charitas, quæ omnibus omnino peccatis adversatur, cuiusq; præcepto prę cepta omnia summatim cõtinẽtur, & quasi unicũ duntaxat præceptũ reputantur: quare illius violator meritò æternam damnationem incurrit. Sic explicãt Augustinus, Beda, OEcumenius, Claudius, Caietanus, & Serarius.

41 Ratio itaque breviter est: quia vniversa lex instauratur, seu recapitulatur in hoc uno mandato dilectionis, ad Romanos 13. num. 10. qui charitatem violat, totam legem quodammodò violat; efficiturque ita simpliciter transgressor legis, & æternæ mortis reus, ac si nullum unquam præceptum servavisset. Vt qui unam solùm corporis partem inermem reliquisset, qua lethale ab hostib⁹ vulnus acciperet, & si reliqua mẽbra armis obtecta haberet, perinde interiret, ac si omnino inermis in prælium descendisset: ut pulchrè ait Imperf. homil. 35. in Matth. Consonat huic loco similis alius Eccles. 9 num. 18. *Melior est sapientia, quàm arma bellica: & qui in uno peccaverit, multa bona perdet.* Lege nostrum Suarez tom. 4. de Pœnitentia disp. 3. sect. 8.

Numerus 11.

Qui enim dixit, non mœchaberis, dixit & , non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es trangressor legis.

42 CVm sit idem legislator, qui universa mandata promulgavit; eadem legislatoris auctoritas, quæ una nos ad servandas illius leges impellere debet; æquè sunt observanda præcepta omnia, si illius amore, ac reverentia ducamur. Qui verò incensus libidine, aut iracundia, unum præceptum violat, quod ad contemptum legislatoris attinet, totam legem violat: æquè enim cætera præcepta violaret, si ad illa violanda simili cupiditate raperetur. Vide sanctum Thomam 1. 2. q. 73. art. 1. ad. 1.

Numerus 12.

Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudicari.

43 GRęcè, *mellõtes crinesthæ*, idest, *iudicandi*. Græcismus est, quem ita solet vertere Vulgatus. Marci 13. num. 4. *Quando hæc omnia incipient cõsummari?* id est, quando consummabuntur? Regia: *futurum est consummari?* Vatablus: *quando sunt consummanda?* Ioan. 4. n. 47. *Incipiebat enim mori.* Regia, *futurus erat mori.* Vatab. *erat enim morituru*s. Nã sæpe ita quoque Græcismũ illustrat Interpres. Marc. 10. n. 32. *Quæ essent ei eventura.* Ioan. 7. n. 35. *Iturus est, & docturus Gentes.* & c. 14. n. 22. *Quia manifestaturus es nobis te ipsum.* Vide Riber. Apocal. 3. n. 58. Atq; hæc de Hellenismo, nunc de loci sententia.

44 Tales, inquit, vos gerite in verbo, & in facto; sic verba singula expendite, sic opera vestra universa componite, tanquam

per

per exactiſsimam legem libertatis (ideſt, Evangelicam, ut expoſui ſuprà, cap. 1. n. 25.) iudicandi : ne redarguti à tali lege, quaſi eius tranſgreſſores, acerbiſsima ſupplicia perferatis. Hanc emphaſim habet legis Evangelicæ cum antiqua collatio. Ad Hebræos 2. num. 2. *Si enim, qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis prævaricatio, & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem: quomodò nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?* & cap. 10. num. 28. *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus, vel tribus teſtibus moritur: quantò magis putatis, deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit?* &c.

45 Nimirùm, *cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo*, Lucæ 12. numer. 48. Rectè enim Beda hîc: [Graviùs iudicatur, qui legem Moyſi, quàm qui legem Naturalem contemnit: graviùs item, qui cognitam Evangelij gratiam, quàm qui Moſaycæ legis edicta deſpicit.]

46 Exaggerat etiam eorum culpam, qui iniuria afficiunt pauperes, lex Evangelica: quæ tam benigna eſt in pauperes, totieſque miſericordiam commendat. Matthæi 9. num. 13. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Vſque adeò, ut ex ſolis operibus miſericordiæ, perinde quaſi aliorum nulla duceretur ratio, in extremo Iudicio, ſingulorum cauſas diſcutiendas eſſe, prænuntiet. Matthæi 25. à num. 35. uſq; ad 45. Quod egregiè ponderat Sanctus Leo Sermone 5. de Collectis: [Quaſi nec alias virtutes dextri, nec alias offenſiones habeant ſiniſtri: ſed illo magno, ſummoque Iudicio tanti æſtimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, ut pro plenitudine omnium virtutum, & pro ſumma omnium commiſſorum; & per unum bonum iſti introducãtur in regnum, & per unum malum illi mittantur in ignem æternum.]

47 Lex autem ipſa in illo tremendo die ferret ſententiam in tranſgreſſores. Ioannis 12. num. 48. *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea: habet, qui iudicet eum. Sermo, quem locutus ſum, ille iudicabit eum in noviſsimo die.* Quæ verba ſic graviter explanat Rupertus lib. 10. Commentariorum in Ioannem: [Ille ſermo arguet, ille convincet eũ. Vbi nam iſte talis iudex ſedebit? quali de ſolio ſuo voces, aut ſententias iudicij ſui dabit? Propè aderit, intus ſedebit; in conſcientia cuiuſque iuſtas ſententias terribiliter perſonabit.]

Numerus 13.

Iudicium enim ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam.

48 Sententia planè formidanda: cuius rigorem ut temperent, advertunt Expoſitores, explicandam eſſe *ſine miſericordia ſalvante*, hoc eſt, ab æternis flammis eripiente: nam in illo etiam Inferorum atrociſsimo ſupplicio, ubi vel maximè elucet iuſtitia, ſuum etiam locum habet divina miſericordia, dum punit citra condignum: ut probabilior fert opinio Theologorum, in quam etiam propendet Auguſtinus lib. 21. de Civitate cap. 24. luculentèque explicat, dum ait: [Facit, eos non tanta, quanta digni ſunt, pœnarum atrocitate cruciari; non ut eas pœnas vel nunquam ſubeant, vel aliquando finiãt; ſed ut eas mitiores, quàm merita ſunt eorum, levioreſque patiantur.] Citat ad hoc confirmandum verba illa Pſalm. 76. num. 10. *Aut obliviſcetur miſereri Deus? aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?* Auguſtino conſonat Sanctus Thomas 1. part. q. 21. art. 4. ad 1. [In damnatione reproborum apparet miſericordia, non quidem totaliter relaxans, ſed aliqualiter allevians, dum punit citra condignum.]

49 Ergo, ex altera parte tota teſtatur Scriptura, nullã eſſe magis cõpendiariam viã ad miſericordiã obtinendã in ſtrictiſsimo Dei Iudicio, quàm eamdem in proximos

exercere misericordiam. Matthæi 5. numero 7. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Psalmo 40. numero 1. *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Chrysologus sermone 14. [In die mala illi Deus liberator assistet, qui à malis pauperē liberarit. Sine causa accusant peccata, quem pauper excusat. Beatus, qui fœnerando pauperi, ipsum sibi iudicem præstitit debitorem.] Psalmo 111. num. 5. *Iucundus homo* (Græcè, *chrestos*, benignus, commodus, affabilis: quia videlicet, qui benignè commodat egentibus, perpetua animi lætitia redundabit, ut hîc docet Belarminus,) *qui miseretur, & commodat: disponet sermones suos in iudicio.* Græcè, *logus*. Eutymius, *rationes, defensionesque suas*, quibus severum Iudicem sibi conciliet, quibus in acerrima illa Iudicij discussione suas partes egregiè tueatur: iuxta illud Sapientiæ 6. num. 11. *Qui didicerint ista, invenient, quid respondeant.* Pręclara sanè res, habere quid respōdeas Deo iudicanti, cùm *omnis iniquitas oppilabit os suum*, Psalm. 106. num. 42. cùm severissimo Iudici non poterit homo respondere unum pro mille, Iob 9. num. 3. Sed tunc, *qui miseretur pauperis, beatus erit*, Proverbiorum 14. nu. 21. Vnde eleganter idem Chrysologus sermone 43. [Qui orat, misereatur: audiat petentem, qui petens optat audiri: auditum Dei aperit sibi, qui suū supplicanti non claudit auditum.]

Ex altera verò parte rectè ibi subdit Chrysologus. [Improbus petitor est, qui, quod alijs negat, sibi postulat.] Eccles. 28. num. 4. *In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur?* Matth. 7. num. 2. *In quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini.* Sic homo ille Rex acriter intonuit in servum immitem Matth. 18. num. 33. *Nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?*

(?)

Superexaltat autem misericordia iudicium.

LOcus est, si ullus uspiā in tota Scriptura, cùm sententiæ grandiratę, tum verò audaci, ac felici personarum effictione, longè venustissimus: cuius germana intelligentia petendà est è lingua originali: ita enim legitur Græcè, *catacauchatæ eleos crisεos.* Exprimit Regia verbū è verbo. *Contragloriatur misericordia iudicium.* Vatablus, Erasmus, & Caietanus: *gloriatur misericordia adversus iudicium.* Ita vertit Vulgatus idem verbum, ad Romanos 11. num. 18. *Noli gloriari adversus ramos*: & in hac epistola cap. 3. num. 14. *Nolite gloriari adversus veritatem.* Eadem est huius verbi notio apud LXX. Satis, superque erit unicum exemplum ex Hieremiæ 50. num. 11. *Quoniam exultatis, & magna loquimini,* (LXX. *catecauchaste*, id est, *contragloriamini*) *diripientes hæreditatem meam.* Itaque hoc verbum ubique victorum est, glorioſè, & magnificè victis, ac superatis insultantium.

Sensus ergo efficitur elegantissimus, Misericordia pauperi exhibita (neque enim hîc sermo est de Divina misericordia, sed de humana) contendens cum divino Iudicio, superior, ac victrix evadit, illique, tanquam victo, propemodùm insultat. Itaque è regione iudicij sine misericordia, locat Apostolus misericordiam victricem iudicij: quò apertè significat, immisericordes quidem subituros Iudicium sine misericordia; misericordes autem adversus Iudicium ipsum, tanquam victores gloriaturos. Consentaneè Augustinus tomo 10. in libro 50. Homiliarum, in 47. [Patrocinatur eleemosyna in die Iudicij homini, ut flammas æternas non timeat.] Chrysologus sermone 42. [Da ergo panem, da potum, si Deum debitorem, non iudicem vis habere.] Leo sermone 6. de Ieiunio decimi mensis, explicans illud Lucæ 6. num. 38. *Dimittite, & dimittemini.* [Quid hac re-

ttibu-

tributione clementius, ubi ſententia iudicaturi in poteſtate ponitur iudicandi?] Quid ni ergo glorietur miſericordia adverſus iudicium, cuius ſententiam in ſua habet poteſtate, cuius Iudicem ipſa ſibi conſtituit debitorem?

54 Auguſtinus in illa epiſtola 29. legit, *ſuperexultat*: exponitque in eamdem ſententiam. Statuit in primis id, quod ex ipſa antitheſi conſtabat, ſermonem eſſe de miſericordia, quam exercemus in proximos: addit. *Vt quos vehementer illa ſuperior ſententia terruerat, conſoletur.* Subiungit denique. [Cùm Rex Iuſtus ſederit in throno, quis gloriabitur, caſtum ſe habere cor? aut quis gloriabitur, mundum ſe eſſe à peccato? Quæ igitur ſpes eſt, niſi ſuperexultet miſericordia iudicium?] Exultandi enim verbum, victorum eſt. Iſaiæ 9. numero 3. *Sicut exultant victores capta præda.* Itaque ſuperexultare iudicium, idem prorſus eſt, ac contra iudicium devictum gloriari.

55 Iuxta hunc ſenſum planè germaniſsimum, exponendus eſt Vulgatus, perinde ac ſi dicat. *Exaltat autem ſe miſericordia ſuper iudicium.* Syriacus vertit. *Exaltati eſtis in miſericordia ſuper iudicium.* Neque abhorret hic uſus verbi *exalto*, à Latinæ linguę proprietate, ut probat hîc Serarius, & manifeſtè conſtat ex hac epiſtola cap. 3. nu. 5. ubi *magna exaltat*, idem eſt, ac magnificè ſe iactat, inſolenter gloriatur.

56 Alij volunt eodem ſenſu, *ſuperexaltat miſericordia iudicium*, hoc eſt, iudicium præponderatur miſericordia: ſumptą metaphora ex ſtatera. Lanx enim, quæ gravior eſt, dum ipſa ſuo pondere inclinatur, lancem alteram leviorem exaltat: ita miſericordia, quæ apud Deum multum habet ponderis, & momenti, Divinæ clemẽtiæ lancem adeò inclinat, ac deprimit, ut iudicium in altum extollat, atque adeò prorſus elevet. Auguſtinus retinens lectionem Vulgatã, enarratione in Pſ. 143. [Quid eſt, ſuperexaltat miſericordia iudicium? Superponitur miſericordia iudicio. In quo inventum fuerit opus miſericordiæ, & ſi habuerit aliquid fortè in iudicio, quo puniatur; tanquam unda miſericordiæ, peccati ignis extinguitur.]

57 Hoc ſæpe pollicetur miſericordibus Scriptura, ut paulò antè vidimus. Hinc Hieronymus fidenter aſſeverat in epiſtola ad Nepotianum. [Non memini, me legiſſe, mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit: habet enim multos intercеſſores; & impoſsibile eſt, multorum preces non exaudiri.] Hinc celebris illa ſententia vetuſti cuiuſdam Auctoris, apud Auguſtin. tom. 10. ſerm. 44. ad Fratres in eremo: qui poſtquàm recitata Hieronymi verba compilavit, tandem concludit. *Pij, & miſericordes mala morte perire non poſsunt.* Nec minùs fidenter pronuntiat idem Auguſtin. lib. 50. homiliarũ in 39. *Ante fores gehẽnæ ſtat miſericordia, & neminem permittit in carcerem mitti.*

58 Nimirùm ita communiter indulgere ſolet Deus, ut viros miſericordes non permittat, in peccato lethali ex hac vita decedere; ſed priùs excitet ad donum contritionis, & ad pœnitentiam ritè peragendam. Videantur Theologi cum Sancto Thoma 2. 2. quæſt. 32. artic. 2. Pererius lib. 5. in Danielem, in ea verba capitis 4. num. 24. *Peccata tua eleemoſynis redime:* Serarius in id Tobiæ 4. num. 11. *Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur, animam ire in tenebras: fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna:* Maldonatus exponens magnificam illam Chriſti promiſsionem, Lucę 11. num. 41. *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis:* Ianſenius in ea verba Eccleſ. 3. num. 33. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis.* Denique Belarminus tom. 4. lib. 3. de bonis Operibus, cap. 3.

Numerus 14.

Quid proderit Fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?

59 NOn occultè iã, & quasi actis cuniculis, sed palàm, & aperto Marte cum Hæreticis cõfligit Apostolus: non tacitè se insinuat, sed fortiter irrumpit; & affirmatè, disertèque pronuntiat, Fidem, si operibus deficiatur, futilẽ prorsus, & inanem esse ad salutem obtinendam.

Hunc errorem perabsurdum de sola Fide iustificante, ad Inferos, unde emerserat, detrusum per Apostolum, superiore sæculo post annos mille quingentos rursus ab ipsis Inferis Hæretici revocarunt: contra quos cùm accuratissimè scripserint gravissimi Doctores, actum omnino agerem, si ego item argumenta congererem. Videantur è nostris Theologis Bellarminus lib. 1. de Iustificatione à c. 12. usque ad 25. & lib. 4. à cap. 1. usque ad 9. Maldonat. Matthæ. 9. num. 2. & cap. 13. numero 47. & Marci 16. numero 15. Toletus in cap. 3. ad Romanos, annotatione 17. Pererius in cap. 15. Genesis, disputat. 3. Lorinus in Acta c. 16. vers. 31. Viegas in cap. 1. Apocalypsis, Commentario 1. sectione 4. Iustinianus ad Romanos 2. vers. 13. Cornelius denique in 3. Canone Rerum, pag. 16.

(?)

Numerus 15.

Si autem frater, & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano.

Numerus 16.

Dicat autem aliquis ex vobis illis: ite in pace, calefacimini, & saturamini: non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?

60 EGregia similitudine declarat, Fidem operibus destitutam prodesse nihil. Laudabile quidem est, verbo solari egentes, quando re non potes. Ecclesiast. 4. numero 7. *Congregationi pauperum affabilem te facito.* Sed quemadmodùm nudum illud verbum, quo blandè quidem in speciem, fratris indigentiam miseraris, dum benignè mones, ut famen depellat, frigensque corpus adhibita veste calefaciat; nihil prorsus illum iuverit, si fame enecto, & omni veste expoliato, tu nihil prætereà, aut cibi, aut indumenti conferas: ita etiam nihil te iuvat Fides, dum indicat, quæ facienda sunt, si ad ipsa opera exsequenda non prodit. Simili exemplo ad- 61
hortatur Ioannes epistola 1. cap. 3. nu. 17. ad veram, & solidam; non fucatam, & apparentem charitatem sectandam. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodò charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua; sed opere, & veritate.*

(:?:)

Numerus 17.

Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.

62 IDem operibus destitutam ter in hoc capite mortuam appellat Iacobus, num. 17. num. 20. & num. 26. Ergo, ut sæpius iteratam Apostoli locutionem semel explicemus, cavendus in primis est error Didymi in Commentario huius loci. [Notandum, inquit, quia cùm Fides mortua sit præter opera, iam neque Fides est: nam neq; homo mortuus, homo est.] Illa nimirùm ætate nondum satis culta Theologia, huiusmodi errorum spinas proferebat. Tenẽda itaque Catholica veritas, definita demum in Tridentino Sess. 6. Can. 28. Fidem, quæ remanet in peccatore, veram esse Fidem.

63 Est verò charitas quasi anima, & vita Fidei: est illius forma, (ut loquũtur Theologi cum Sancto Thoma 2. 2. quæst. 4. artic. 3.) extrinseca illa quidem, nec intimè velut pars componens Fidem; sed quę iure dicitur animans, & vivificans Fidem, hoc est, tribuens illi virtutem efficaciter operandi, ut spiritus tribuit corpori motricem vim, facultatemque sentiendi. Quò spectavit Apostolus, cùm dixit ad Gala. 5. num. 6. *Fides, quæ per charitatem operatur.* Græcè, *energumene.* Regia: *est efficax*, hoc est, vividam energiam, & internam vim, actuosamque efficaciam operandi, per charitatem accipiens. Con-

64 trà verò severè pronuntiat idem Apostolus 1. Corint. 13. num. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum.* Et Bernardus Sermone 24. in Cantica. [Mors Fidei est separatio charitatis. Credis in Christum? Fac Christi opera, ut vivat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, probet actio.] Et epistola 42. [Mortua fides est, quæ nõ operatur ex dilectione, quasi non habens animam ipsam dilectionem, qua vegetetur, & moveatur ad opera.]

Illud etiam ingeniosè observat Aug. 65
de Spiritu, & Littera, c. 32. [Charitas, quę est vita Fidei, ipsam non præcedit, sed sequitur Fidem.] Nimirum fides est *humanæ salutis initium, & fundamentum*, ut loquitur Tridẽtinum Sess. 6. cap. 8. Vnde idem Augustinus lib. de Cognitione veræ vitæ, cap. 37. [Hæc fides spe nutritur, sicut corpus cibo reficitur; dilectione animatur, sicut corpus anima vivificatur.]

Amissa ergo per peccatum gratia, & 66
charitate, fides manet mortua; non quomodò homo dicitur mortuus, qui post mortem non est; sed quomodò corpus dicitur mortuum, quod post mortem est, sed non vivit: quia non quemadmodùm est de essentia hominis esse viventem, ita etiam est de essentia Fidei esse vivam: cùm possit esse vera Fides, etiam si sit mortua. Et propterea signatè Apostolus ait numero 26. *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Non dixit, sicut homo sine anima; quia talis non est verus homo; sed sicut corpus sine spiritu: quod quidem, quanvis non sit vivum, est tamen verum corpus.

Fides itaque nudata operibus, & gra- 67
tia, dicitur mortua, per metaphoram: nam & ipsa charitas metaphoricè est anima, & vita Fidei. Quemadmodùm Demosthenes dixit apud Stobęum Sermone 41. *Civitatis animam esse legem.* Ita etiam corpus Abrahæ per metaphoram dicitur mortuum, ad Roman. 4. num. 19. & ad Hebræos 11. num. 12. Similiter aqua dicitur viva, quæ continuò fluit, ut in fonte; mortua autẽ, quæ non movetur, ut in palude, vel stagno: cùm tamen utraque verè, proprièque sit aqua. Huius locutionis exempla congerit ex prophanis Pontanus noster ad illud AEneid. 2. *Donec me flumine vivo abluero*, columna 960. Sacra pete ex Cardinali Toleto, in illa verba Ioannis 4. num. 10. *Dedisset tibi aquam vivam*, annotatione 9. Atq; hæc Interpreti

Scripturæ satis, superque sint: qui plura volet, petat ab Schola.

Numerus 18.

Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuam sine operibus; & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.

68 VIdetur mihi Apostolus plus multò significare, quàm dicere. Duplex itaq; hic argumentatio: altera perspicua, subobscura altera. Prior, quæ statim in oculos incurrit, in eo sita est: Heus tu, qui de sola Fide gloriaris, opera verò contemnis; quo tandem argumento convinces, te istam habere fidem, quam inaniter iactas? Nam res est prorsus abdita, in animisque inclusa, neque sub oculorum aspectum cadit. Ego verò, qui cum fide opera etiam coniungo, exacta ad obrussam ipsius fidei, facili negotio ex ipsis operibus, quæ sub aspectum cadunt, fidem tibi probabo meam, quæ aciem fugit.

69 Hæc est aperta argumenti vis: sed latet quædam maior occulta, quæ ex duplici capite ducitur. Primum est, eam esse fidei naturam, ut, nisi quid obstet, quemadmodùm bona arbor fructus bonos, sic recta fides bona opera edat. Probat hoc Maldonatus Matthæ. 7. numero 16. ad illa verba, *à fructibus eorum cognoscetis eos: omnis arbor bona fructus bonos facit*: & Matthæ. 13. numero 23. ubi affert illud ex cap. 21. numero 43. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.*

70 Hic est germanissimus sensus illius loci 2. Petri 1. numero 10. *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Evidens est, Apostolum ibi non agere de prædestinatione ad gloriam: quia neque Petrus sciebat, prædestinatos esse omnes illos, ad quos scribebat; neque, si divinitus sciret, interesset eorum, suam illis prędestinationem universè revelare. Agit itaque de gratuita electione ad fidem, qua Deus illos inter tot infideles benignissimè selegit, & ad Evangelij lucem vocavit: hortaturque, ut acceptam fidem, *certam* (Græcè, *bebæan*, id est, confirmatam: ut vertit Vulgatus eamdem vocem ad Hebræos 9. numero 17.) testatamque Gentilibus, suis bonis opetibus efficiant. Rectè Vatablus. *Vt per bona opera alij sibi persuadeant, vos esse electos ad vitam.* Et Beda. [Quia qui Fidei Sacramentis, quæ perceperunt, bona quoque opera perseveranter adiungunt, isti suam vocationem certam intuentibus facient.] Consentaneè Proverbiorum 12. numero 17. legunt LXX. *Planam fidem annuntiat iustus.* Græcè, *epidicnymenen*, id est, ostensam, demonstratam. Symmachus in Scholijs Sixti Quinti. *Qui patefacit Fidem annuntiat iustitiam.* 71

Alterum caput, unde Iacobus argumentum ducit, illud est: summum esse periculum, ne, qui bona opera deserit, deserat etiam fidem. 1. Timoth. 1. numero 19. *Habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt.* Et cap. 6. num. 10. *Radix omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt à fide.* Præclarè Gregorius lib. 25. Moralium, cap. 10. [Nonnulli fidem medullitus tenent; sed vivere fideliter, nullatenus curant: quibus Divino iudicio sæpe cõtingit, ut per hoc, quòd nequiter vivunt, & illud perdant, quod salubriter credunt.] Probat hoc erudite Lorinus Actuum 6. versu 7. Toletus autem in cap. 2. ad Romanos annotatione 13. citat in hanc sententiam egregia illa verba Augustini, Sermone 16. de Verbis Apostoli. [Grati simus ex eo, quod habemus, ut addatur, quod non habemus; & non perdamus, quod habemus.] 72

73 Latet itaque maior in his Iacobi verbis argumentivis, quod ita instauro. Insolenter iactas, te habere Fidem. Audio. Sed ubi, ubi est vera Fides, nisi quis malitiosè impediat, fructus generat æternitate dignos. At in te nullos fructus edit: detines videlicet data opera in iniustitia veritatem Dei, ad Romanos 1. num. 18. Fidei doctrinæ non pares; adversaris potiùs, atque repugnas. Valde metuo, ne, dum scienter omittis opera, per crassam etiam insciti am amiseris fidem; & qui te fidelem falsò gloriaris, perinde credas, atque dæmones credunt. Et quidem hoc aptissimè quadrat in Hæreticos iactantes, solam Fidem sufficere ad salutem, cùm ab Ecclesiæ castris deficientes, nihil illi minùs habeant, quàm veram Fidem.

Numerus 19.

Tu credis, quoniam unus est Deus: bene facis: & dæmones credunt, & contremiscunt.

74 PErinde est, ac si ironicè dicat: Egregiam verò refers laudem, si eam habes fidem, quam vel ipsi obstinatissimi dæmones inviti, & reluctantes habent. Quid magnum, aut præclarum præstas, si adeò perspicuam credis, & confiteris veritatem, quæ vel ipsis dæmonibus tremontibus etiam in confesso est?

Quærit Sanctus Thomas 2. 2 quęst. 5. artic. 2. utrùm in dæmonibus sit fides: & concludit ex hoc loco, esse quidem, sed coactam, & intelligentiæ acumine, evidentissimisque indicijs, ac vi miraculorũ expressam. Noster Salmeron disput. 3. in hanc Epistolam, secutus Catharinum in Commentario huius loci, non existimat absurdum, concedere in dæmonibus habitum fidei, qui verè est supernaturale Dei donum, ut vocat Paulus ad Ephes. 2. num. 8. Hæc fuit quondam sententia Durandi, in 3. distinct. 23. quæst. 9. artic. 2. & Alensis 3. P. quæst. 64. membro 7. Quam tamen sententiam, plusquàm falsam, periculosam, & errori proximam censet Bañez in locum indicatum Sancti Thomæ; homo videlicet, interdum plùs nimio severi, rigidique censoris personam sustinēs. Non ita rigidè hanc opinionem perstringeret Sanctus Thomas, qui 1. 2 q. 18. artic. 3. cùm sibi opposuisset in argumento 2. fides informis potest esse in dæmonibus, ergo & spes; de spe quidem præcisè negat, de fide informi non item: sed tacitum hoc relinquit. Noster autem Valentia 1. 2. disp. 1. quæst. 5 puncto 2. Durandi opinionem probabilem existimat, neque à doctrina Sanctorum Patrum, atque adeò neque ab ipsa Scriptura alienam.

Enim verò si res ad vivum resecetur, 76
ut Iacobi argumentum omnino convincat Hæreticos, illisque persuadeat, fidem solam non iustificare sine operibus, exemplo ex fide dæmonum petito, supernaturalis etiam in dæmonibus fides esse deberet, eiusdemque rationis cum nostra: alioqui Apostolo meritò obijceret Hæreticus: Quorsum meam fidem cum dæmonum fide comparas? Fides mea donum est prorsus divinum, mentibusque divinitus infusum: dæmonum verò fides, habitus quidam acquisitus est, longè inferioris ordinis. Tantum inter utrumque interest, quantum terrena distant à cælestibus. Quid ergo mirum, si dæmonum fidei nulla, nostræ verò maxima iustificandi vis insit?

Et quidem August. premens istum Ia- 77
cobi locum tom. 7. lib. de Gratia, & libero arbitrio, cap. 7. sic ait. [Ipsa est fides, quę fideles Dei separat ab immundis dæmonibus. Nam & ipsi, sicut dicit Apostolus Iacobus, credunt, & contremiscũt, sed non bene operantur. Non ergo habent istam fidem ex qua Iustus vivit, id est, quæ per dilectionem operatur.] Vbi apertè vides, hoc discrimen dumtaxat assignari ab Augustino inter Iustorum, ac dæmonum fidem: quòd dęmonũ quidem

nuda

nuda sit fides, & informis; Iustorum autem, & comitata operibus, & formata, atque insignita charitate. Verùm de his subtiliùs disputant Scholastici: ego communem sententiam sequor, & Apostolici argumenti vim in pervenusta quadam ironia sitam esse arbitror, ut iam exposui: ad quam nihil refert, quòd inferioris ordinis sit dæmonum fides.

78 Illud quidem est certum: Fides hominis existentis in lethali, partim convenit cum fide dæmonum, partim ab ea dissidet: convenit in eo, quòd utraque est vera fides ex parte obiecti, utraque infructuosa: differt, quòd hominum fides libera est, captivante nimirùm pia voluntate intelligentiam in obsequium Christi: fides verò dæmonum invita, atque extorta ab ipsa rerum evidentia. Quod satis insinuat Iacobus, dum addit: *& contremiscunt.* Nos enim non credimus contremiscentes, id est, inviti, & coacti; sed sponte, ac libenter. Sic dæmones contremiscentes agnoverunt Christum, cùm aiebant: *veniſti huc ante tempus torquere nos*; Matth. 8. n. 29. Ipsa veritatis evidentia illa ab invitis confessionem extorsit, Luc. 4. num. 41. *Exibant autem dæmonia à multis clamantia, & dicentia, quia tu es Filius Dei.* & Marci 1. num. 24. *Veniſti perdere nos: scio, qui sis, Sanctus Dei.*

79 Ita etiam intuentes eum cum gloria, & potestate descendentem ad Inferos, & piorum animas è Tartari faucibus eripientem, volentes nolentes coacti sunt præ tremore genua flectere tantæ maiestati. Sic explicat erudite Suarez tom. 1. in 3. P. disputat. 31. sect. 3. illud ad Philippens. 2. num. 10. *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.*

(:?:)

Numerus 20.

Vis autem scire, ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est?

CRæcè, *necra, mortua*: nõ *otiosa*, ut priùs vulgò legebatur, sensu tamen eòdem recidente. Vide, quæ adnotavi numero 17.

Numerus 21.

Abraham Pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?

80 VRget Apostolus Hæreticos, prolato exemplo Abrahæ, qui usque eò in fide excelluit, ut huius virtutis palmam cæteris Patriarchis præripuisse videatur. Et quidem Paulus, egregius fidei commendator, Abrahę fidem plenis manu ad astra tollit. Duo maximè infignes huius heroicę fidei actus memorantur. Alter Genesi 17. num. 16. cùm numerosam illi posteritatem ex Sara suscipiendam promisit Deus, *contra spem in spem credidit*, ad Roman. 4. num. 18. hoc est, per fidem indubitanter speravit futurum, quod naturę ordine spectato iam planè desperaverat; cum ipse effœto iam, ac penè mortuo corpore, centesimum ferè attingeret annum, Sara verò nonagenaria esset: *& non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum*, ad Roma. 4. num. 19. Illa enim eius verba, Genesis 17. num. 17. *Putasne, centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* non hęsitantis sunt, aut diffidentis, sed admirantis potiùs, & beneficij magnitudinem stupentis.

81 Alter, Geneſis 22. num. 2. cùm iuſſus eſt à Deo immolare Iſaac. Priùs quidem acceperat promiſsionem, ſignatè ex illo ipſo puero multiplicandam ſibi poſteritatem, ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam, quæ eſt in littore maris, Geneſis 21. nu. 12. ad Hebræ. 11. numer. 18. ad Roma. 9. num. 7. *In Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Quid magis repugnans tali promiſsioni, quàm iuberi ex inopinato, eum è medio tollere, atque adeò unà cum illo omnem poſteritatis ſpem repentè præcidere? Et
82 nihilominùs ad Romanos 4. num. 20. *Non hęſitavit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo: pleniſsimè ſciens, quia quæcunque promiſit, potens eſt & facere.* Ad Hebræos 11. numer. 19. *Arbitrans, quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus.* Secum nimirum perpendens, etiam ſi Dei iuſſu è medio tolleret unigenam filium, tamen Dei ipſius beneficio, ſe eum à mortuis excitatum, ſalvum, ac redivivum turſus accepturum.

Hic itaque tantus, tamque excellens vir in fide, non prætermiſit opera; imò verò qui intelligentiam ſubdebat fidei, voluntate, executioneque, quantum quidē in ipſo fuit, præcepto difficillimo immolandi filium incundāter obtemperavit.

Numerus 22.

Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius? & ex operibus fides conſummata eſt?

83 ANimadvertis itaque fidem illius non deſidem, non otioſam; ſed vividam, operantē,
1e actuoſam: & cùm gloriari poſſet de tam excellenti fide, in eaque acquieſcere; magis elaboravit, ut tantæ fidei, opera ipſa, quaſi perfectio, & cumulus, accederēt. Fides itaque excitabat opera, ipſa opera fidem perficiebant: *fide enim obedivit*, ad Hebræos 11. num. 8. *Fide obtulit Iſaac*, num. 17.

Numerus 23.

Et ſuppleta eſt Scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.

Vppleta, Græcè dicitur *eplerothe*, ideſt, impleta, opere ipſo comprobata: de quo loquendi genere copioſè egit Maldonatus Matth. 2. num. 15.

Locus hic, mea quidem ſententia, eſt 84
in hac Epiſtola longè difficillimus: difficultas oritur ex triplici capite, quibus ubi ſatis fuerit factum, germanus loci ſenſus ſua ſponte conſtabit. Primum difficultatis caput eſt: verba iſta citat Iacobus ex c. 15. Geneſis num. 6. & nihil minùs probare poſſe videntur, quàm id, ad quod confirmandum adducuntur. Nititur Apoſtolus perſuadere, fidem, ſi operibus careat, prorſus inanem, ac futilem eſſe. Atqui tantùm abeſt, ut id probetur hoc teſtimonio, ut oppoſitum potiùs ex illo convincatur. Cùm enim Deus Geneſ. 15. 85
num. 5. centenario ſeni magnificè promiſiſſet: *ſuſpice cælum, & numera ſtellas ſi potes: ſic erit ſemen tuum*; fidem habuit Abraham oraculo divino: & hanc ipſam fidem extollens Scriptura, ſubiecit: *credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Ergo iuſtitiam, non operibus, quæ nulla tunc commemorantur, ſed fide illa eximia duntaxat, ſibi promeruit. Atq; hanc eſſe germanam intelligētiam huius loci, auctoritate ſua probat Paulus, qui ex eo loco concludit, Abraham non ex operibus, ſed ex fide iuſtificatum, ad Romanos 4 numer. 2. *Si enim Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. Quid enim dicit*

Scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Et idem confi-
cit argumentum ad Galatas 3. numero 5.
& 6.

86 Secundum caput difficultatis est, quia Paulus in illo cap. 4. ad Romanos, ut aperte constat ex contextu, agit de prima iustificatione, qua quis ex impio fit iustus. Patet id ex num. 5. *Credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.* Et adducit Psalm. 31. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, &c.* & cap. 3. num. 23. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis.* Quin & verbum ipsum *iustificari*, hoc plane sonat; & ita videtur accipiendum in hac epistola num. 21. *Nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac?* Et eòdem recidit modus ille loquendi, *reputatum est illi ad iustitiam.* Quod quidem testimonium de prima iustificatione intelligendum esse, multis probat Cardinalis Toletus ad Romanos 4. annotatione 5.

87 Aliunde verò ante id temporis Abraham credidisse Deo, & fuisse virum iustitia, & pietate insignem, nemo, nisi evidenter sacris litteris repugnans, inficiari potest. Etenim nisi credidisset Deo, & vir eximiè iustus, & pius fuisset, quomodò deserta patria, domoque paterna, longinquas, & ignotas terras magno labore, ac discrimine adijsset, tantum ut Divinis iussis obtēperaret? Et verò bis illum iam tunc peregrinatum fuisse Dei imperio, ex cap. 7. Actuum, num 3. & 4. doctè advertit Ribera in illa verba ad Hebræos 11. nu. 8. *Fide, qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire.*

88 Tertium caput difficultatis est, quia, ut paulò antè vidimus, hoc elogium confert Scriptura in Abraham, Genesis 15. num. 6. cùm is Divinæ promissioni de multiplicanda sibi posteritate fidem habuit. Iacobus verò ait, impletam fuisse hanc Scripturam, cùm, si minùs re, animo certè, & voluntate obtulit filium super altare. Atque hæc sunt, quæ arduam, atque perplexam reddunt huius loci explicationem.

Prima difficultas ita expedienda est. 89
Perspicuè demonstravit Iacobus numero 21. & 22. Abrahæ fidē, toties in Scriptura celebratam, non fuisse operibus destitutam. Promeruit ille quidem incrementum iustitiæ, cùm Deo numerosam sobolem promittenti fidem habuit: sed hanc fidei testatissimæ laudem egregijs etiam operibus nobilitavit. Neque inter Iacobum, & Paulum, si utriusque consilium, & propositum spectes, ulla est discrepantia: nam si Paulus pugnaret cum Iacobo, etiam secum ipse, & cum aperta veritate pugnaret. Nimirum priùs dixerat ad Romanos 2. num. 13. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Quoniam igi- 90
tur Paulo in ea Epistola id negotij fuit, ut doceret, nec Gentes, nec Iudæos per opera moralia, vel per observantiam Mosaicæ legis, ad veram iustitiam pervenire posse; sed unicam ad illam esse viam, fidem Christi mediatoris: totus incumbit in eius fidei commendationem, demonstrans, quæcumque sanctorum virorum facta Deo placuerunt, ea ex fide profluxisse. Iacobo autem propositum est, ostendere, fidem nudatam charitate, & operibus, prorsus esse mortuam; & simul demōstrare, fidem illam Abrahæ, tantoperè laudatam, vividam, actuosam, & bonorū operū fuisse, feracissimam. Itaq; uno verbo, Paulus excludit opera ante Fidem, & sine fide facta: Iacobus opera requirit post fidem, & ex ipsa fide profecta. Sic conciliat Augustinus tom. 4. lib. de Fide, & Operibus, cap. 14. & lib. 83. Quæstionum quæst. 76. & tom. 8. præfatione in Psa 31. Lege Toletū ad Romanos 2. notatio. 13. & cap 4. notat. 5. & Gabrielem Vazquez in 1. 2. disp. 210. c. 8. nu. 70. & 76.

Ad secundum caput difficultatis, si di- 91
cerem, Abrahamum tunc primò iustificatum, cùm promptissimè, ac firmissimè Deo credidit, non sine teste dicerem: id enim disertè docet Anselmus in c. 4. ad

Roma-

Romanos, & innuit Auguſt. in illa præfatione in Pſalm. 31. Sed quia id arbitror apertè pugnare cum Scriptura, quę c. 12. c. 13. & 14. Geneſis narrat egregia opera Abrahę, ut quòd iuſſus ſtatim obedierit, quòd aram erexerit, quòd cum Deo ſępe familiariter collocutus fuerit: dico, iuſtificationem illam, quæ refertur c. 15. Geneſis, non fuiſſe primam Abrahæ iuſtificationem, ſed prioris iuſtitiæ accretionem, maioremque in virtute proceſſum.

92 Probat hoc noſter Vazquez in 1.2. in eadem diſp. 210. cap. 8. num. 64. & 80. & Molina in Concordia diſputatio. 46. argumento 4. §. *Occaſione verò*. Tenenda enim eſt illa regula, quam exemplis illuſtrat Salmeron tom. 1. prolegomeno 15. Regula 50. pag. 370. actiones, quæ Scripturæ verbis, quaſi primę in ſpeciem ſignificantur, non ſemper novas, ac primas eſſe, ſed earum continuationem. Ioannis 2. num. 11. *Manifeſtavit gloriã ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.* Iam certè antè crediderant; ſed viſo illo miraculo, dicuntur credidiſſe, quia magis, ac magis crediderunt. Vide Maldonatum Ioannis 4. n. 53.

93 Immeritò itaque detorquent Toletus citatus, & Cornelius in cap. 4. ad Romanos num. 191. Hebraiſmum illum, *& reputatum eſt illi ad iuſtitiam*, ad primã iuſtificationem: nihil enim aliud ſignificat, ut eruditè confirmat Pererius tom. 3. in Geneſim c. 15. n. 33. niſi Deum heroicam eam fidem ad perfectæ iuſtitiæ laudem, & meritum imputaſſe Abrahæ. Eodem enim Hebraiſmo legimus de zelo Phinees, Pſalmo 105. num. 31. *& reputatum eſt ei in iuſtitiam.* Imò & de ipſo Abraham, cùm Geneſis 22. num 2. tentata eſt eius obedientia, legimus 1. Machab. 2. num. 52. *Abraham nonne in tentatione inventus eſt fidelis, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam?* Quod evidenter conſtat, explicandum eſſe de incremento iuſtitię.

94 Atquc hanc eſſe litteralem huius loci intelligentiam, conſtat ex Tridentino Seſsione 6. cap. 10. ubi verba Iácobi, numeri 24. *Videtis, quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm?* explicat Concilium de iuſtitiæ incremento: ut & illa Eccleſiaſt. 18. num. 22. *Ne verearis uſque ad mortem iuſtificari*: & Apocalypſis 22. num. 11. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc.* Vide Iuſtinianũ, doctè confirmantem ex Auguſt. hunc loquendi morem, ad Roman. 2. verſ. 13. num. 2.

95 Non itaque fuit illa prima iuſtificatio Abrahæ, ſed novus in iuſtificatione profectus. Fateor etiam, Paulum ad Romanos 4. de impij iuſtificatione diſſerere; & nihilominùs affirmo, accommodatiſsimè uſum eſſe exemplo Abrahæ, ad id, quod intendebat, comprobandum. Argumentatur enim à minore ad maius. Nam ſi Abraham iuſtus, non eſt factus iuſtior ex operibus, ſed ex fide, & gratia: multò magis homo impius non poterit fieri iuſtus ex operibus ſine fide. Hanc vim agnoſcunt in argumento Pauli Pererius tom. 3. in Geneſim cap. 15. numer. 48. & Belarminus lib. 4. de Iuſtificatione cap. 18.

96 Iam tertia difficultas facilè diluetur, ſi advertamus, quod obſervat Maldonatus Matth. 2. num. 15. cùm id, quod per Scripturam dictum erat, quanvis iam factum fuerit, tñ magis, ac magis fit, tunc ea Scriptura impleri dicitur, id eſt, quod ea prænuntiaverat, cumulatiſsimè præſtari. Non vult itaque Iacobus affirmare, tunc primò eam Scripturam eſſe impletam: neque enim ignorare poterat, verba illa multò antè dicta fuiſſe; ſed contendit, ſicut excellẽs illa fides, qua Abraham credidit Deo pollicenti ſibi poſteritatem, reputata eſt illi ad iuſtitiam; ita ex vi eiuſdem Scripturæ, excellentiorem eam fidem, qua iuſſus immolare filium, non hæſitavit diffidentia, cumulatius etiam incrementum iuſtitiæ meruiſſe.

Et amicus Dei appellatus est.

97 ARistoteles, auctor in rebus moralibus optimus, quatenus naturæ lumen progredi potuit, lib. 8. Ethicorum cap. 6. & lib. 2. magnorum Moralium cap. 11. negat, inter Deum, & homines veram posse intercedere amicitiam, quòd ea æqualitatẽ requirat inter amicos. Contrarium probat ex Scriptura sanctus Thomas 2. 2. q. 23. art. 1. nam, ut graviter dixit Hieronymus in cap. 7. Michææ. *Amicitia pares aut accipit, aut facit.* Cùm autem humana imbecillitas infinito distet intervallo à divina Maiestate, supplet Deus, quod deest naturæ, confertque nobis magnum, ac pretiosum gratiæ donũ, ut in quoddã Divinitatis consortium evehamur. 2. Petri. 1. n. 4.

98 Quòd si amicus est alter ego; est animæ dimidium: si amicitia est veluti una anima, duobus corporibus inclusa; ut ex profanis Scriptoribus erudite probant Sotomayor in cap. 8. Canticorum pag. 1273. & Tiraquellus de Pœnis remittendis, causa 22. etiam *qui adhæret Dño, unus spiritus est*, 1. Corinth. 6. num. 17. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, 1. Ioannis 4. num. 16. Propterea enim verus quidam amator aiebat, ad Galat. 2. num. 20. *Vivo autem, iam non ego, vivit verò in me Christus.* Quia, ut dicebat Cato Censorinus apud Plutarchum in eius vita: *Qui amant, quod animo dò in corpore proprio mortui sunt, vivũt verò in alieno.*

99 Iam quod attinet ad Abraham, in lib. Geneseos, unde Iacobus proximum citavit testimonium, non appellatur Dei amicus, sed Iudith. 8. numer. 22. *Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est.* Et aliàs etiã hoc honorifico insignitur cognomento. 2. Paralip. 20. num. 7. *Dedisti eam semini Abraham amici tui.* Isaiæ. 41. num. 8. *Semen Abraham amici mei.* Quòd si Christus ait Ioannis 15. numer. 13. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis*; profectò qui tam dicto audiens fuit Deo præcipienti, iure optimo in divinam amicitiam receptus est.

Numerus 24.

Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum?

EXponam hæc verba numer. superiore, dum secundam expediam difficultatem.

Numerus 25.

Similiter & Rahab meretrix, nonne ex operibus iustificata est, suscipiens nuntios, & alia via eiciens?

100 NOta est historia ex cap. 2. Iosue. Quòd autem quidam eam non meretricem, sed caiponam; aut hospitam fuisse dicunt; plus nimio mihi videntur, & contra aperta sacræ Scripturę testimonia, illius honori, famæque consulere. Nam ut denuò, Hebraicum nomen זונה, aliquãdo etiam significare hospitã, quod tamen viri docti non admittunt, & erudite pernegat Serarius, singulaq; loca accuratissimè expendit, in cap. 2. Iosue, quæst. 3. certè vox Græca *Porne*, qua utuntur LXX. & Paulus ad Hebræos cap. 11. num. 31. & Iacobus hîc, nihil aliud, quàm meretricem sonat, tam multis in locis utriusque Testamenti, ut ea annumerare putidum sit. Vide eumdem Serarium ubi suprà, Maldonatum Matthæ. 1. num. 5. Magallan. in cap. 2. Iosue, annotatione 2. Pinedam in Salomone lib. 6. c. 13.

num.

num. 6. Riberam ad Hebræos 11. num. 82. Maſsium, Ioſue 2. pag. 39. Gabrielem Vazquez tom. 2. in 1. 2. diſputat. 210. cap. 8. num. 66.

101 Sed quæ priùs idolorum ſuperſtitione implicata, vulgaverat corpus, ſimul atque veram de Deo concepit fidem, quam expreſsis verbis teſtata eſt, Ioſue 2. numero 11. *Dominus Deus veſter ipſe eſt Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum*; ſtatim emerſit è turpitudinis cœno, egregijſque operibus fidem ſuam nobilitavit: nam cum aperto fortunarum, vitæque diſcrimine, exploratores populi Dei hoſpitio excepit: adeò ut viro Principi Salmoni, Davidis abavo, ob eximium, ac recentiſsimum erga totum Iſraeliticum Populum promeritum, in matrimonio collocari mereretur. Hanc eius fidem commendat itē Paulus ad Hebræos 11. num. 31. *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.*

Numerus 26.

Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuū eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.

Hic verſus explicatus eſt num. 17.

CAPVT III.

Numerus 1.

Nolite plures magiſtri fieri, fratres mei.

1 GEns Iudæorum ab inſito ingenio, gloriæ popularis aviditſsima, & ſuprà, quàm dici poteſt, ambitioſa ſemper fuit. Hoc vitium ſæpe Chriſtus illis obiecit, ardenterq; eorum ſuperbiam obiurgavit. Propterea enim facturi eleemoſynam, tuba canebant ante ſe, ut populi rumores aucuparentur. Oraturi Deum, non cubiculi ſecretum, ſed publicas Synagogas, & platearum angulos ſectabantur, Matth. 6. n. 2. & 5. Propterea dilatabāt phylacteria, & magnificabant fimbrias, ut eorum obſervantia legis in omnium oculos incurreret, Matth. 23. num. 5. Ideò amabāt primos recubitus in cænis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, ideſt, honorifica magiſtri compellatione decorari.

2 Huic ad ſuperbiam proclivi Iudæorū ingenio, nunquam dexteritas ambiendi, nunquam mirę artes, ac techne defuerūt. Verè dixit Ambroſius ſerm. 11. [Hi arte inſinuant ſe hominibus, domos penetrāt, ingrediuntur prætoria, aures Iudicum, & publica inquietant; & cò magis prævalēt, quò magis ſunt impudentes.] Ab hoc ingenio ducta coniectura, ſapientes illi cōſiliarij ſolerter prædixerunt Aman, Eſther 6. num. 13. *Si de ſemine Iudæorum eſt Mardochæus, ante quem cadere cœpiſti, non poteris ei reſiſtere, ſed cades in conſpectu eius.* Videlicet ab inſita Iudæorum calliditate facientes coniecturam, ut probat ibi Serarius quæſtiuncula 19. Nec poſterioribus ſæculis eadem Iudæis calliditas defuit: ſemper enim quà vi, quà aſtu, quà obſequijs evadunt ſuperiores. Lege eruditiſsimum Bernardum Aldrete lib. 3. de Origine linguę Caſtellanæ cap. 5. ubi ex Paulo Burgenſi probat, Iudæos in Hiſpania ſceptrum dominij, ſeu regiminis, verſutis artibus obtinuiſſe: ut meritò cecinerit Rutilius lib. 1. Itinerarij, cuius verſus recitant idem Aldrete cap. 6. & Maluenda lib. 11. de Antichriſto c. 3.

3 *Atq; utinā nunquā Iudæa ſubacta fuiſſet*
Pompeij bellis, imperioq; Titi.
Latiùs exciſæ peſtis contagia ſerpunt:
Victoreſque ſuos natio victa premit.

4 Qui ex ea Gente Iudæorum hoc ambitioſo ingenio ducti, ſuſcepta iam Chriſti fide, ad magiſterij titulum aſpirabant, ſolidæ doctrinæ ſæpe inanitatem, interdum etiam errores, & Iudaicas ſuperſtitiones aſpergebant. Actuum cap. 15. numer. 1. *Et quidam deſcendentes de Iu-*

dæa docebant fratres, quia niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſalvari. Ad Titum 1. num. 10. *Sunt enim multi vaniloqui, & ſeductores, maximè qui de circumciſione ſunt.* 1. Timoth. 1. num. 6. *Converſi ſunt in vaniloquium, volentes eſſe legis Doctores.* Hanc emphaſim Auguſtinus agnoſcit in Iacobi appoſito, *plures*, in prologo Retractationum. [Magiſtros plures fieri exiſtimo, cùm diverſa, atque inter ſe adverſa ſentiunt: cùm verò id ipſum dicunt omnes, & verum dicunt, ab unius veri Magiſtri magiſterio non recedunt.]

5 Hanc itaque ambitionem Iudæorum, qui mox, ut baptiſmo tincti erant, docendi munus audacter uſurpabant, multaque falſa veris admiſcebant, reprimit Iacob⁹: atq; id ipſum pręceperat Chriſt⁹, Matthæ. 23. num. 8. *Vos autem nolite vocari Rabbi.* Alioqui enim magiſtrorum, & ſapientium multitudo, ſanitas eſt orbis terrarum, Sapien. 6. num. 26. Et Apoſtolus Paulus non obſcurè ſignificat, in optatis ſibi fuiſſe, multos magiſtros fieri, ad Hebræos 5. num. 12. *Cùm deberetis magiſtri eſſe propter tempus.*

Scientes, quoniam maius iudicium ſumitis.

6 QVi regendi populi curam ſuſcipit, onus ſibi imponit, ipſis Angelicis humeris formidandum: ut graviter loquitur Tridentinum Seſſ. 6. Decreto de Reformatione, cap. 1. Sanguis eorum, qui perierint, de Magiſtri manibus ſeveriſsimè requiretur, Ezechiel. 33. num. 8. niſi ille vigilanter pericula circumſpiciens, & tanquam de ſpecula inclamans, ritè ſuum officium fecerit. Sapiẽ. 6. num. 6. *Iudicium duriſsimum* (Vatablus, rigidiſsimum) *his, qui præſunt, fiet.* Chryſoſtomus in ea verba ad Hebræos 13. nu. 17. *Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*, ſic ſcribit homilia 34. [Omnium, quos regis, tu rationem redditurus es. Tanto igni tuũ ſubijcis caput. Miror, ſi poteſt ſalvari aliquis Rectorum.] In hoc ſummum periculum 7
oculos intendens idem Chryſoſtomus, ardenter intonat homilia 3. in Acta. [Non temerè dico, ſed ut affectus ſum, ac ſentio: Non arbitror, inter Sacerdotes multos eſſe, qui ſalvi fiant, ſed multò plures, qui pereant. Quod alij peccant, Sacerdoti imputatur. Si vel unus tantùm decedat non initiatus, nonne totam ipſius ſubvertit ſalutem? Etenim ſi unius animæ ſalus tanti eſt, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pateretur, perditio cogita, quantam conciliabit pœnam? Quòd ſi quis ob hominem in hac vita perditum morte dignus eſt, quantò magis ille?]

Rectè itaque monet Imperator, Lege, 8
Si quemquam, Codice de Epiſcopis, & Clericis. [Tantùm ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat. Profectò enim indignus eſt Sacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus.].

Propterea tantùm abeſſe debet, ut quiſquam ſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo; ut ne ipſe quidem Chriſtus ſe clarificaverit, ut Pontifex fieret, ad Hebræos 5. nu. 4. Imò etiam impoſitas nobis ab ipſo Deo Magiſterij, ac prælationis partes, vel detrectare, ſi liceat; vel non ſine formidine agere debemus. Sic correxit Editio Vaticana locum Eccle. 7. num. 4. *Noli quærere à Domino Ducatum.* Priùs videlicet mendoſè legebatur, *ab homine.*

Numerus 2.

In multis enim offendimus omnes.

IAcet hæc in hoc argumento 9
vis. Anne parum eſt, homiñ ad vitia procliviſsimum, & paſsim in ea prolabẽtem, coram ſeveriſsimo Iudice rationem ſuæ vitæ reddere; niſi etiam, aſſumpto per arrogantiam alios docendi, ac regendi munere, vitæ quoque rationẽ reddat alienæ?

Accedit,

Accedit, quòd, cùm in cæteris lapsus sit turpis, in Doctore est longè turpissimus; & quò est in editiore loco constitutus, eò est ruina gravior, & periculosior; illiusque vitia, tanquam maculæ in facie, incurrunt non modò in oculos, sed etiam in omnium linguas. Hic est nexus huius sententiæ cum superiore.

10 Colligit ex isto loco Concilium Milevitanum, cap. 7. & 8. neminem, quantumvis iustum, etiam si adiuvetur uberrimis auxilijs, quibus perfectissimi quique viri à Deo adiuvari consueverunt, evitare posse omnia peccata venialia, nisi ex singulari privilegio, quale B. Virgini collatum, tenet Ecclesia. Quæ veritas definita est in Tridentino Sessione 6. cap. 11. & Canone 23. & nostro ævo à doctissimis Theologis illustrata. Videantur Alfonsus de Castro verbo, *peccatum*, hæresi 11. Vega lib. 14. in Tridentinum à cap. 1. usq; ad 6. Belarminus lib. 1. de Amissione gratiæ à cap. 3. usque ad 14. Molina in Concordia disput. 16. Vazquez to. 1. in 1. 2. disp. 142. & 143. Azor lib. 4. Institutionum moralium, cap. 8. Valentia 1. 2. disp. 6. quæst. 2. puncto 2. Zumel, quæstio. 88. articul. 1. disputat. 4.

Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir: potest etiam fræno circumducere totum corpus.

11 SApienter Nazianzenus ait in Carminibus de Silentio pag. 1296.

Lingua quidem parva est, at viribus omnia vincit:
Qui domat hanc, sophiæ culmina prima tenet.

Et in Oratione de Silentio ieiunij Quadragenarij. [Nihil est, quod à linguę sagitta tutum, atque immune sit: quam quisquis domuerit, is nimirùm sapientiæ arcem, & principatum tenet.] Vniversim interrogat Sapiens, Ecclesiast. 19. num. 17. *Quis est, qui non deliquerit in lingua sua?* Solus videlicet, qui culmen iam attigit perfectionis. Scitèq; dixit Bernardus Sermone de triplici custodia. [Si dixeris: rarus est, qui sermones suos in iudicio disponere videatur; vel ex hoc disces, quàm sit rara perfectio.] *Beatus vir* (inquit Ecclesiast. cap. 14. num. 1.) *qui non est lapsus verbo ex ore suo.* Notabile fuit Pambonis 12
Abbatis exemplum, quod refertur in Tripartita lib. 8. c. 1. Cùm enim Magistrum spiritualem audisset adhortantē illo versu Psalm. 38. num. 1. *Dixi: custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea*; satis est, inquit: reliqua audiam, cùm istud opere implevero. In cuius autem versiculi assidua meditatione, executioneque, cùm non minùs, quàm quadraginta novem annos integros consumpsisset, rogatus longo tandem intervallo, cur ad Magistrum non rediret, respondit, nondum se, quod audierat, perfeciſſe.

Et sanè ardua res est, quæque omnibus 13
numeris perfectum, & absolutum desiderat virum, linguam prurientem coercere. Interrogatus Aristoteles apud Stobæum Sermone. 33. quæ res homini esset difficillima, respondit, *silere tacenda*. Lōgiùs progressus est idem Aristotel. apud Antonium in Melissa 1. P. Sermon. 73. (habentur to 1. Bibliothecæ) Cùm enim ex eo quæreretur, quisnam posset arcanum sibi creditum continere: *qui carbonem*, inquit, *ignitum lingua retinere potest.* Consentaneè refert Cicero libro 2. de Orat. Ennium dicere solitum, *flammam à sapiente facilius ore inardente opprimi, quàm bona dicta teneat.*

Atque hæc Philosophorum apoph- 14
thegmata illustrant illud Eccles. 19. n. 12. *Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti*: id est, qualis impressa fugax taurus bipenne, vulnus, & telum ferens, (ut loquitur Seneca in Hercule furente Act. 3.) acerbissimè saucius, cælum horrido mugitu complet, donec adactum, ac penitus infixum venabulum excutiat: sic

stultus,

ſtultus, quoad verbum ſibi creditum effutiat, inſtar parturientis, aut hauſto veneno nauſeantis, (quas etiam ſimilitudines uſurpat ibi Spiritus Sanctus) nulla capit intervalla requietis.

15 Ergo tam impotenti belluæ frænum Rationis inijciendum eſt. Eccl. 28. n. 30. *Facito frænos ori tuo rectos: & attende, ne fortè labaris in lingua.* Pſalm. 38. num. 2. *Poſui ori meo cuſtodiam.* Hebraicè, *frænum.* Qui verò membrum adeò petulans, & procax continuerit, cætera facilè continebit: qui victor evaſerit in hoc certamine difficillimo, victoriam item in cæteris longè facilioribus reportabit.

Numerus 3.

Si autem equis fræna in ora mittimus ad conſentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus.

Numerus 4.

Ecce & naves cùm magnæ ſint, & à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit.

Numerus 5.

Ita & lingua modicum quidem membrum eſt.

16 Illucida eſt ſententia utriuſque comparationis. Videtis, quantulum ferri, in quo vis fræni ſita eſt, impotentiſsimum coerceat equum; & huc illuc, quanvis ferocientem, ac reluctantem, ſeſſoris arbitrio facilè contorqueat. Animadvertitis etiam, quantula ligni pars, qua conſtat gubernaculum, navem vaſtiſsimam, à ventis validiſsimis impulſam, rectà in portum dirigat. Ita lingua perexigua quidem eſt; ſed ſi Rationis freno illa coerceatur, facile erit, ac proclive, actiones reliquas intra Rationis præſcriptum continere.

Et magna exaltat.

17 GRæcè unicum eſt verbum, *megalauchi*. Vertunt Vatablus, & Serarius: *magnificè ſe iactat.* Regia: *magna gloriatur.* Gagneius: *impotenter ſe gerit*: inſtar ſcilicet equuli indomiti, laſcivientis, & ferocientis exultat; cui proinde Rationis frænum inijciendum ſit.

Et verò in arcano ſermone, *magna loqui*, eſt, ventoſè, ac tumidè ſe ſe efferre, arroganter deblatterare, proijcere ampullas, & ſeſquipedalia verba. Pſalm. 34. numero 26. *Qui magna loquuntur ſuper me.* Sic corrigit hũc locum Editio Vaticana: mendoſè enim legebatur, *maligna*, etiam apud vetuſtiſsimos Interpretes, ut probat ibi Lorinus. Sic Pſalm. 37. num. 17. *Super me magna locuti ſunt.* 1. Regum 2. num. 3. *Nolite multiplicare loqui ſublimia glorientes.* Propterea dicitur Danielis 7. num. 8. *Os loquens ingentia*: & num. 20. *Os loquens grandia.* Apocalypſis 13. nu. 5. *Os loquens magna*, hoc eſt, os tumidum, arrogans, & iactabundum.

18 Eòdem ſpectant illa 1. Regum 2. nu. 1. *Dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos.* Proverbior. 20. num. 19. *Ei, qui dilatat labia ſua, ne commiſcearis.* Et Iſaiæ 57. numero 4. *Super quem dilataſtis os, & eieciſtis linguam?* Nam & linguam exſertare, geſtus eſt irridentis: ut conſtat ex Gelio lib. 9. cap. 13. Irriſio autem tam procax, arrogantium propria eſt, & ſuperborum. Hæc eſt lingua magniloqua eorum, qui dixerunt, *linguam noſtram magnificabimus*, Pſalmo 11. num. 4. *Et dilataverunt ſuper me os ſuum*, Pſalmo 34. num. 21. contrà quàm præſcribitur Abdiæ num. 12. *Non magnificabis os tuum.*

19 Sensus itaque huius loci est: pusilla quidem est lingua; sed nullatenus contemnenda: nam fræno cohibita, integrum hominem in officio tenet; at effrænata, & rationis gubernaculo destituta, turgida, & iactabunda ingentes excitat tumultus, totosque populos, ac regna inter se commiscet. Congruit mirificè, quod sequitur.

Ecce quantus ignis quàm magnam Sylvam incendit.

Numerus 6.

Et lingua ignis est.

20 Dest, quãtulus ignis. Quemadmodùm enim parva scintilla cõrepta magnum excitavit incendium, & totam sæpe sylvam, aut urbem absumpsit: sic probrosum verbum, quod per imprudentiam ex ore excidit, delatum per bilinguẽ in alterius aures, Deus bone, quantas sæpe tragœdias, quam latè populãtes discordiarum flammas excitavit! Eccles. 11. numero 34. *A scintilla una augetur ignis, & abuno dolo sanguis augetur sanguis.* Proverb. 26. num. 20. *Cum defecerint ligna, exstinguetur ignis: & susurrone subtracto, iurgia conquiescent.* Simplicissimus cùm sit Scripturæ stylus, mirum est, quàm exaggerata dicendi pompa, grassantis linguæ strages enuntiat. Eccles. 28. num. 15. *Susurro, & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit, & dispersit illos de gente in gentem: civitates muratas divitum destruxit, & domos magnatorum effodit: virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissolvit.*

22 Dicitur verò lingua esse ignis: primò, quia flammà ignis, ipsa sua figurâ pyramidali, linguæ formam refert, atque effingit: iuxta id, quod canit Ecclesia: *ignis vibrante lumine, linguæ figuram detulit.* Explicans nimirum, quod legimus, Act. 2. nu. 3. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis.* Vnde & ipsi igni attribuitur lingua, Isaiæ 5. num. 24. *Sicut devorat stipulam lingua ignis.* Imo applicatur igni, non modò vorandi, sed etiam lambendi verbum, quod linguæ est maximè proprium; quia ignis non secat dentibus escam, quam absumit, sed lingua flammea populatur. 3. Regum 18. num. 38. *Cecidit autem ignis Domini, & devoravit holocaustum, & ligna, & lapides, pulverem quoque, & aquam lambens.*

23 Secundò propter incredibilem, & penè instantaneam nocendi celeritatem. Egregiè enim Seneca lib. 3. naturalium Quæstionum, cap. 27. *Vrbes constituerat; hora dissolvit: momento fit cinis, diu silva.* Videlicet propter hanc mirabilem velocitatem dicitur Psalmo 103. num. 4. & ad Hebræ. 1. num. 7. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* At, quæ sagitta celeriter emissa, quis æneus globus, igneo bombardæ impetu rapidè contortus, quod fulmen è nubiũ conflictu violenter expressum, incitatissimam linguæ plagam sua celeritate antevertat? Haud immeritò sermo dicitur *scintilla*, Sapientiæ 2. num. 2. quia instar scintillæ subitò exardescentis, & aridam materiam inflammantis, momento penè enuntiatur, & horribiles flammas excitat.

24 Tertiò lingua dicitur ignis, propter insitam urendi, & cruciandi vim. solet enim in Scriptura vehemens afflictio, acerbissimusque cruciatus, ignis nominari. Sic dicitur Hierem. 29. num. 22. Rex Babylonis frixisse in igne lascivos illos senes: qui tamen lapidati sunt ex præscripto legis. Danielis 13. num. 62. Deuteronó. 19. numero 19. Levitici 20. num. 10. & Ioannis 8. num. 4. Vide Pinedam Iob 10. versu 15. num. 7. At quàm vehementer urit probrosum verbum? Exest animum, ossa ipsa, medullasque depascit. Ecclesiast. 28. num. 21. *Flagelli plaga livorem facit: plaga autem linguæ comminuet ossa.* Proverb. 16. num. 27. *Vir impius fodit malum, & in labijs eius ignis ardescit.* Vbi Vatablus. *Et*

verba, quibus lædit, sunt velut ignita. Et
25 cap. 26. num. 21. *Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem; sic homo iracundus suscitat rixas.* Eccles. 10. num. 15. *Apertio oris illius, inflammatio est.* Verba illa Psalmi 72. num. 9. *Et lingua eorum transivit in terra*, hoc est, temerè, & petulanter vagata est, citra cuiusquam discrimen omnes probris, contumelijsque proscindunt, Chaldæus sic illustrat ex versione Genebrardi. *Posuerunt in Sanctos cælorum os suum, & lingua eorum usit Sanctos terræ.* Vt iure miretur Chrysostomus tom. 1. homilia de tribus Pueris, ignem fornacis accensæ Sanctos non attingere; ignem verò linguæ maledicæ, viros etiam sanctissimos urere. De quo igne Bernardus Sermone de Triplici custodia. [Leviter quidem volat sermo, sed graviter vulnerat; leviter penetrat animum, sed graviter urit.]

26 Quartò denique lingua ignis est, propter illatum nocumentum prorsus irreparabile: ut & illa, quæ iam redacta sunt in cineres, aut igne penitus deformata in carbones abierunt, redintegrari ope nulla possunt. Proverbior. 25. num. 8. *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio citò, ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum.* Vix unquam fit vera honoris restitutio: opinio enim semel imbibita ex contumeliosis detractoris verbis, quantumvis ille iussu confessarij retexat orationem, ex animo excuti
27 nunquam potest. Propterea clamabat Regius vates Psalm. 119. num. 2. *Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa.* Et quemadmodùm si ægrotus desperata phtisi, & grandi macie torridus, medicum scientissimum consuleret; aptè ille responderet: ecquod tibi medicamentum adhibebo, ad lentam istam febrim, hærentem iam prorsus in medullis, depellendam? *Assi parece, que el mismo Dios se halla como atajado para remediar el daño, que à hecho en la honra una mala lengua. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* Perinde ac si dicat Deus: quodnam tibi præsidium, quod remedium afferri possit adversus lethale vulnus, à venenata lingua inflictum? Dei enim esse verba, affirmant Augustinus, Arnobius, Hilarius, Eutymius, Anselmus Laudunensis, & Carthusianus. Subdit deinde difficultatis causam: *sagittæ potentis acutæ cum* 28
carbonibus desolatorijs. Sensusque est ex Vatablo, & Agellio: Similis est lingua sagittis acutissimis, quas vir robustus intorquet, & in ipsa viscera fortiter adigit; & carbonibus iuniperorum (sic enim legitur Hebraicè) qui ardentissimi sunt ad exurendum, & quàm diutissimè calorem retinentes. Ait enim Hieronymus in lib. de Mansionibus ad Fabiolam, mansione 15. [Ferunt iuniperum ignem multo tempore conservare, ita ut si prunæ eius cinere fuerint opertæ, usque ad annum perveniant.] Perpende, quàm diuturnus sit contumeliæ ardor, quem honori lingua procax inurit.

Solet tamen Deus benignè providere, 29
tantumque malum antevertere, ac Iustos præservare, ne linguæ flamma corripiantur. Eccles. 28. num. 23. *Beatus, qui tectus est à lingua nequam.* Et num. 26. *In flamma suâ non comburet iustos.* Psalm. 30. nu. 21. *Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.*

Vniversitas iniquitatis.

GRæcè *cosmos*, id est, *mundus*. Sic red- 30
didérunt Regia, Tigurina, Clarius, & Caiet. *Mundus iniustitiæ.* Vatablus, *congeries, & promptuarium.* Gagneius, *multitudo, & cumulus iniquitatis.* Nos Hispanè dicerenus: *la lengua es un mundo abreviado de pecados.* Quemadmodùm dicunt Latini, malorum Iliadem, aut Oceanum. Hunc ipsum sensum Latinissimè, & significantissimè Vulgatus expressit: *universitas* enim apud Ciceronem, rerum omnium cumulum, & congeriem, atque adeò ipsum significat mundum.

31 Qui ſono duntaxat vocis Latinæ duci, Academiam quamdam in lingua cõſtituunt, varijs exedris diſtributam, in quibus diverſa linguæ peccata, & artificium conflandi fraudes, publicè doceantur; ludere mihi videntur in reſeria, & intemperanter abuti Scripturæ gravitate.

Si Vulgata Editio pateretur, omnino mihi placeret ille ſenſus, quem vox Græca, citra dubium, etiam præſefert: neque diſplicet, ut utrumque ſimul litteralem ſenſum eſſe credamus: alterum enim vox Latina, alterum etiam Græca repreſentat: *coſmos* enim idem eſt, ac cultus, ſive ornatus: unde mundus muliebris, *coſmos* Græcè nominatur in Editione LXX. Iudith 1. num. 15. & cap. 12. nu. 14. Aliàs etiam redditur hæc vox ab Interprete Vulgato, *decor, ornamentum, honor*: Eccleſiaſt. 6. num. 31. *Decor enim vitæ eſt in illa.* Græcè, *coſmos.* & cap. 21. nu. 24. *Ornamentum aureum prudenti, doctrina.* Græcè, *mundus aureus.* Et cap. 26. num. 21. *Mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus eius,* Cap. 32. num. 7. *Gemmula carbunculi in ornamento auri.* Et cap. 50. num. 11. *Vſque dum perfectus eſt honor Domini.* Græcè, *coſmos. Cultus* etiam vertitur 1. Petr. 3. num. 3. Atque hæc de vocis proprietate, nunc breviter de re ipſa.

32 Solet ſæpenumero lingua vel turpiſsimæ iniquitati honeſtatem prætexere, & fucatum illum quidem, ſpecioſum tamen colorẽ illinere. Scilicet iniquitas nititur inducre honeſtam aliquam ſpeciem, qua turpitudinem ſuam velet: erubeſcit enim videri nuda: hoc autem velum prætexit, & obtendit lingua, quæ vel turpiſsima, ac fœdiſsima vitia, etiã ornare verbis cõſuevit. Idco toties in Scriptura, *cõcinnandi*, id eſt, comendi, ornandique verbum, linguæ attribuitur. Pſalm 49. num 19. *Lingua tua concinnabat dolos.* Iob 6. num. 26. *Ad increpandum tantùm eloquia concinnatis.* Proverbior. 12. num. 19. *Concinnat linguam mendacij.*

(?)

Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus.

33 DVo ſummatim attigerat Apoſtolus: primum, linguam eſſe ignem; alterum, eſſe congeriem iniquitatis. Vtrũque declarat explicatiùs, exorſus ab hoc poſteriore. Lingua, inquit, inter organa corporis, unum eſt, & illud quidem perexiguum: ſed puſillum iſtud membrum, officina quædam eſt, in qua innumeræ conflantur iniquitates, quæ totum hominem, quantus quantus eſt, fœdiſsimis maculis inurunt. Et licèt prior quaſi ſedes, ubi ſordes contrahuntur, cor ſit: de corde enim exeunt univerſa flagitia, quæ coinquinant hominem, Matth. 15. num. 20. atque adeò ipſa etiam verba, priùs, quàm efferantur lingua, in corde concipiuntur; ſed turpitudinis maculas, in corde quaſi inchoatas, lingua ipſa perficit; certè inuſitatas iam in animo, & altè impreſſas, fugiẽtes tamen aciem oculorum, ipſa ſub aſpectum ſubijcit, & longè conſpicuas reddit.

Et inflammat rotam nativitatis noſtræ.

34 ENodatiùs iam explicat primum illud, quod propoſuerat Apoſtolus, ſcilicet, *lingua ignis eſt.* Et quidem Beda, Strabus, Sanctus Thomas, Hugo, & OEcumenius, Lyra, Catharinus, Claudius, Vatablus, Caietanus, Gagnæius, Iſidorus Clarius, Salmeron, Paez, Serarius, uno verbo, omnes, quos viderim Interpretes, rotam nativitatis, periphraſim quamdam eſſe aiunt, qua vitæ mortalis inconſtantia, & volubilitas, venuſtè declaretur; perinde ac ſi dicat Iacobus: lingua ardentiſsimus ignis eſt, qui perpetuò flagrans, omnem vitæ curſum, periodum, & quaſi circulum inflammat. Vox enim Latina *rota*, ut Auctor eſt Iſidorus lib. 20. Originũ

cap. 12. & 15. inde ducta est, quòd quasi ruat. Græca verò *trochos, apo tu trechin*, id est, ab incitato cursu, derivatur. Quid verò velocius, quàm hæc vitá, quæ rapidissima cæli conversione circumacta, assiduè volvitur, & quasi fulmineo quodam rotatu, ab ipsis incunabulis, ne momento quidem temporis insistens, perpetuò contorquetur, & ad interitum præceps ruit?

36 Inest etiam in rota similitudo altera cum vita: nam dum identidem circumvolvitur, eædem partes modò attolluntur in altum, modò ad terram ipsam deprimuntur: sic in hac vita, quæ modò infima sunt, repentè summa fiunt; & è contrario, quæ summa, momentò efficiuntur infima. Hoc innuit Fortunæ simulacrum stantis in rota, quasi omnia sursum, deorsumque volventis. Hoc eleganter significavit, Fortunam ipsam sic loquentem inducens, Boetius lib. 2. de Consolatione, prosa 1. [Hæc nostra vis est, hunc continuum ludum ludimus: rotam volubili orbe versamus; infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Ascende, si placet, sed ea lege, ne utique cùm iudicri mei ratio poscet, descendere iniuriam putes.]

37 Hanc Fortunæ vicissitudinem attentè cõtemplabatur prudens ille Rex, qui captus à Sesostri, & iussus trahere victoris currum, retorquens oculos ad rotas, nusquam ab illis aspectum dimovebat; rogatusque à Sesostri, cur ita faceret; quia in hac, inquit, rotarum conversione, rerum humanarum inconstantiam, & vicissitudinem, quasi depictam intuor. Nota est historia ex Nicephoro lib. 18. cap. 29. & Cedreno in Compendio Historiarum: vide etiam Zonaram tom. 3. Annalium, in Imperio Basilij Macedonis pag. 39. & nostrum Bisciolam tom. 1. lib. 1. Horarum subcesivarum cap. 2.

38 Sacri etiam Expositores in ea verba Eccles. 12. num. 6. *Et confringatur rota super cisternam*, rotæ nomine vitam intelligunt. Scitum est illud Davidis votum, Psalm. 82. num. 12. *Deus meus pone illos, ut rotam.* Addit Chaldæus explicandi gratiá, *quæ volvitur, & movetur, nec consistit in declivi.* Quia nimirùm, ut ait Eccles. cap. 33 num. 5. *Præcordia fatui, quasi rota carri*: hoc est, fatuus, quippe instabilis, & inconstans, fluctibus actus furentium appetitionum, instar rotæ incitatissimæ, in continuo concupiscentiæ motu versatur, nusquamque acquiescit. Isaiæ 17. nu. 13. *Rapietur, sicut pulvis mõtium à facie venti, & sicut turbo* (Hebraicè, sicut rota) *coram tempestate.* 39 Eleganter hoc exprimitur Sapient. 4. num. 12. *Inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.* Græcè, *rembasmos*: propriè, *circumrotatio*, id est: perpetua agitatiò concupiscentiæ, quæ ex uno in aliud continuò devolvitur, mentem simplicem, synceramque pervertit. Atque hæc sedulò congessi, quæ faciunt pro hac prima explicatione, cui meruit planè fidem gravis tot Interpretum auctoritas.

Sed fateor, me nunquam potuisse in hac expositione conquiescere: non enim video, ubi de lingua præcipuè res est, quid emphasis habeat elegans illa circuitio, apta ad vitæ huius volubilitatem exprimendam. Haberet illa quidem multum ponderis, ac momenti, si de ipsius vitæ inconstantia sermo esset: sed quid, obsecro, confert, ad exaggerandam linguæ petulantiam, huius brevissimæ vitæ revolutio? 40

Dicerẽ confidentiùs sententiã meam, si aliquem eius Auctorem reperissem: nunc autem ea lege dicam, ut nolim præiudicatam tradere, sed iudicandam. Arbitror, hîc rotam sumi metaphoricè pro acerbissimo illo, antiquissimoque cruciatu, quem *trochon* Græci, *rotam* Latini nominarunt: cuius supplicij mentio fit Proverbior. 20 num. 26. *Et incurvat super eos fornicem*. Vbi in Hebraico textu, & in Editione LXX. legimus, *& immittet illis rotam.* Græcè, *trochon*: observatque ibi Vatablus, genus fuisse supplicij usitatum apud Hebræos.

Et verò in eo supplicio non solùm dis- 41
tentis, luxatisque membris homines

atrocis-

atrocissimè excarnificabantur, sed urebantur etiam admotis flammis: ut aperte constat ex Iosepho in lib. de Machabæis: cuius hæc sunt verba. [Vt erat affixus rotæ, igni in catasta obijcitur: atque ita tendentibus corpus radijs, & contrahentibus flammis, & costis deinde patentibus, laterum vitalia rumpuntur.] Et ex Apuleio lib. 3. de Asino aureo. [Nec mora: ignis, & rota: tum omne flagrorum genus inferuntur.] Ab hoc supplicij genere vocitatos affirmat Christianos per irrisionem *sarmentitios*, Tertullianus in Apologetico cap. 50. [Quia ad stipitem, inquit, dimidij axis revincti, sarmentorum ambitu exurimur.] Tractant de hoc supplicio Baronius in Martyrologio, die. 23. Aprilis. Pontanus in lib. 6. AEneidos, columna 1485. Turnebus lib. 7. Adversariorum c. 16. Omnium verò, ut novissimè, ita etiam accuratissimè noster Cerda in lib. 6. AEneidos, versu 616. num. 10. Bisciola, Tom. 2. Horarum subcesivarū lib. 12. cap. 9.

42 Rotam itaque nativitatis explico per metaphoram; supplicium naturæ nostræ: nam etiam Plautus metaphoricè usus est & vocabulo, & supplicio rotæ, in Cistellaria Actu 2. scena. 1. [Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser.] Eodem gignendi casu usus est Iacobus cap. 1. num. 23. cùm faciem nativam appellavit *vultum nativitatis*. Quod autem supplicium atrocius, quis carnifex naturæ nostræ truculentior excogitari potest, quàm impotentes animi perturbationes? Eæ nativæ cùm sint, id est, ab ipsa natura ingenitæ, ubi modum intemperanter excedunt, hominem miserrimè, & acerbissimè torquent: ut meritò *rota nativitatis*, hoc est, *nativus cruciatus* nominentur. Suboluit hæc explicatio sagacissimo ingenio Serarij nostri, dum ait in Commentario huius loci: *Vel rota est nativa quælibet perturbatio, qua, tanquam rota, huc illuc rotamur, & agitamur.*

Si patientissimus Iob aiebat, cap. 17. numero 11, *Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum*: qualiter torquebunt cor impij, quod est *quasi mare fervens*, Isaiæ 57. num. 20. excandescentes iracundiæ, odia sanguinaria, discordiæ prorsus implacabiles? Eccles. 1. num. 28. *Iracundia enim animositatis illius, subversio illius est.* Iob 5. num. 2. *Verè stultum interficit iracundia.* Præclarè Emissenus homil. 9. ad Monachos. [Sicut nasci viperei fœtus, disruptis matrum visceribus, asseruntur: ita humana præcordia ipsis primitùs, quas conceperint, passionibus dilacerantur.] Iustinus Martyr in epistola ad Zenam, & Serenum, pagin. 18. refert, quosdam præ stomacho, & rabie semetipsos dentibus discerpsisse, & doloribus esse confectos. Valerius Maximus lib. 9. cap. 3. agens de iracundiæ furore, ait. *Nunquā sine tormento sui violentus: quia dolorem cùm inferre vult, patitur.* Itaque non solùm discruciat animum circumrotatio illa concupiscentiæ, Sapientiæ 4. numero 12. sed longè etiam vehementiùs excarnificat, violentissima rota excandescentię. Ad eam machinam distenditur homo: dum enim toto pectore ad vindictam anhelat, dum regerit convicia, dum hostilem sanguinem ardentissimè sitit, ipsa viscera miserè rotata disrumpuntur.

Si hanc rotam intelligamus constabit sanè sensus Apostolo dignus, similis phrasi, qua Hispanè diceremus. *Vna mala lengua nos da tormento; es el verdugo, y potro de nuestra vida.* Verè enim lingua petulãs inflammat hãc rotam nativitatis: aut omnes, aut pleræque effervescentes stomacho discordiæ, quibus humana præcordia miserandum in modum dissecantur, atq; extabescunt, scintilla quapiam, excussa ex isto igne, concipiuntur; certè linguæ flabello ventilatæ gliscunt, & latè popularantur. Licuit Augustino dicere de lingua laudante, lib. 10. Confessionum. c. 37. *Quotidiana fornax nostra lingua humana.* Quid de petulante, procaciqúe dixisset?

Vide, quæ adnotavi ad illa verba num. 6. *Lingua ignis est.*

46 Atque ut aliquando tandem è rotis, tanquam è cotibus, emergamus: nescio, an rotam, & ignem præseferant verba illa Psalm. 139. num. 10. *Caput circuitus eorum: labor labiorum ipsorum operiet eos: cadent super eos carbones.* Labor enim labiorum ipsorum, id est, amara, & virulenta verba (Symmachus vertit, *amaritudo, ac venenum*) quæ sunt præcipuum, ac summum circuitus eorum (*nam in circuitu impij ambulant*, Psalm. 11. num. 9. hoc est, volubili perturbationū rota circumagun tur,) ipsa, inquam, quæ iactant, convicia, velut igniti carbones recidunt prius in ipsorum capita, & cruciatus eorum rotam incendunt.

Inflammata à gehenna.

47 ID est, afflata à dæmone Parente discordiarum, tanquam organum promptissimum illius: ex infernali videlicet igne scintilla exiliens, corripit linguam, quæ mox tartareum excitat incendium. Recte Chrysostomus tom. 5. homil. ad Baptizandos: [Vndique nobis insidias dæmon præparare consuevit; sed facilius lingua, & ore peccante: nullum enim æquè congruum illi organum in ministerium est interitus, atque peccati.] Cur verò Infernus, Gehenna nominetur, tractat eruditè Maldonatus Matth. 5. n. 22.

Numerus 7.

Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorū domantur, & domita sunt à natura humana.

48 NImis affirmatè pronūtiat Catharinus de mendo huius loci: [Quod in quibusdam, inquit, Latinis codicib⁹ legitur corrupte *cæterorum*, Interpretem vertisse *cæterarum*, non debet esse cuiquam dubium.] Hausit hoc Catharinus ex Erasmo: qui intolerando illo suo critico supercilio ait: [Interpres scripsit *cæterorum*, sed Scriptor oscitans mutavit in *cæterarum*.] Simili ductâ coniecturâ Gagneius, Claudius, Salmeron, Caietanus, Regia, Vatablus, & Interpres Oecumenij, vertunt, *maximorum*. Et quidem vox Græca *enalion*, 49
quæ constanter legitur in exemplaribus, quæ vulgò circumferuntur, & citra dubium belluas marinas significat, horum sententiæ suffragatur. Favet Syriaca versio, quę ita reddit: *& serpentium, tum maris, tum aridæ.* Favet etiam series Apostoli: non enim contentus, generatim, universéque dixisse, omne genus animantium, quantumvis ferum, & indomitum, hominum tamen industria cicurari; enumerat speciatim feras terrestres, truculentia ipsa formidabiles, verbi causa, tigres, leones, ursos, quos bestiarū nomine cōprehēdit: recēset etiā aves rapaces, & carnivoras, liberoque volatu vagantes toto cęlo, & in excelsis rupibus nidos construentes, velut aquilas, ieraces, accipitres; *halcones, sacres, & neblies*: pestiferos item serpentes, qui non afflatu modò, sed aspectu etiam venenato aerem inficiunt, ut basiliscum, viperam, & aspidem. Restabat, ut omnibus suis numeris expleretur tam distincta enumeratio, sigillatim marinas belluas, sub immensis aquarum gurgitibus, in abditis cavernis latitantes, recensęri, ut Cetos, Delphinas, Crocodillos, neq; generali illo nomine *cæterorum*, tam curiosam, & exactam recensionem terminari. 50

Sed ubi obstat auctoritas Vulgati, omnis pręcludendus est coniecturis locus. Editio Vaticana emendatissima retinet *cæterorum*: sic etiam legit Beda ante nongentos annos, & qui eum proximè consecuti sunt, Expositores. Quare minimè dubius affirmare audeo, non solùm hanc lectionem habendam pro germana, sed vitiatos esse Græcos codices, mendosè legentes *enalion*, nostrum- 51

trumque Interpretē nactum fuisse emendatiores, in quibus *ron allon* legeretur: neque insolens est, specialem enumerationem generali aliquo nomine concludere.

52 Et verò, ne quis existimet, solutionem hanc esse factitiam, & solùm ad subterfugiendam commodè difficultatē pro meo libito excogitatam; cùm perspicua ratio, tum verò gravissima auctoritas eam solidissimam esse, & inconcussam, apertè demōstrant. Ecclesia Catholica decreto suo promulgato in Trident. Sessione 4. certos nos facit, hanc Latinam versionem Vulgatam, esse authenticam, hoc est, cum suis fontibus, & primis exēplaribus adamussim convenire, illorumque sensus fidelissimè repræsentare. At, si in hoc loco Græca vox non fuisset descriptorum incuria immutata, eius propriam, atque nativam significationem minimè Vulgatus

53 expressisset. Deinde in præfatione emendatissimæ Editionis Vaticanæ hæc ipsissima causa redditur, cur nonnulla, quæ cōsultis exemplaribus Hebraicis, atque Græcis, corrigenda, & immutanda videbantur in Editione Latina, de industria tamē immutata relicta sunt. *Quia*, inquit, *facilè fieri posse credendum est, ut Maiores nostri, qui ex Hebræis, & Græcis Latina fecerunt, copiam meliorum, & emendatiorum librorum habuerint, quàm ij, qui post illorum ætatem ad nos pervenerunt, qui fortasse tam longo tempore identidem describendo minùs puri, atque integri evaserunt.*

54 Atque hæc de lectione huius loci: minus negotij est de sententia: tota enim vetus testatur Historia, feras etiam immanissimas, edomitas, & cicuratas fuisse ab hominibus. Hāno fuit primus Leonis domitor, sed morte illi stetit tā mira solertia, ut Auctor est Plinius lib. 8. cap. 16. quia nihil non persuasurus vir tam insignis artificij videbatur, si ad opprimendam patriā ingenio abuteretur. Delphinis dorso insidens circumcursabat mare puer quidam, ut refert Gelius lib. 7. cap. 8. universa Italia ad tam inauditum spectaculum stupente. Plinius scribit lib. 8. cap. 25. solitos crocodillos, instar equotū iniecto fræno, quoquoversus circumduci. Idem lib. 10. cap. 74. prodit, aspidem ad mēsam cuiusdam quotidie altam. Sed plena est exemplorum vetustas: quę congerit eruditissimè, ut solet, noster Bisciola, Tom. 2. Horarum subcesivarum lib. 13. cap. 11.

Numerus 8.

Linguam autem nullus hominum domare potest.

55 ACutè observat Augustin. tom. 7. lib. de Natura & Gratia, cap. 15. [Non ait: linguam nullus domare potest; sed, nullus hominum: ut cùm domatur, Dei misericordia, Dei adiutorio, Dei gratia fieri fateamur.] Quod clarè agnoscebat, & ingenuè fatebatur idem Augustin. lib. 10. Confess. cap. 37. [Imperas nobis linguæ continentiam: da, quod iubes; & iube, quod vis. Tu nosti de hac re gemitus cordis mei, & flumina oculorum meorum.]

56 Est insignis locus Proverb. 16 num. 1. *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Hebraica veritas verbum è verbo: *hominis sunt dispositiones, sive præparationes cordis; sed à Domino responsio linguæ.* Perinde, ac si dicat Salomon: Potest quidem homo Rationis lance accuratissimè expendere, quæ verba, tali oblata occasione, deceat illum effari: at ubi ventum est ad rem præsentem, ita cohibere, ac moderari linguam, ut præfixos sibi terminos non transiliat, sed verba ipsa quasi dimensa præparationi respondeant, donum Dei est prorsus singulare.

57 Hinc erumpebat illa vox Eccles. 22. num. 33. *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum?* Græcè, *panurgon.* Editio Romana LXX. vertit, *astutum.* Iansenius, *prudens.* Vatablus, *signaculum sapientiæ.* Interpres

Chryſoſtomi, hom. 4. ad Baptizatos, *aſtutiæ*. Verè enim opus eſt cæleſtis ſapientiæ luce, & divinitus conceſſa prudentia. Pergit Eccleſiaſticus. *Vt non cadam ab ipſis, & lingua mea perdat me.* Et quaſi interno afflatu pérvideret Sapiēs, quod poſteà ſcripſit Auguſt. tom. 10. ſerm. 4. de Verbis Domini cap. 2. [Si linguam nullus hominum domare poteſt, ad Deum confugiendum eſt, qui domet linguam noſtrā.] orditur Eccleſ. c. 23. n. 1. *Domine Pater, & dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in conſilio eorum* (ſcilicet, labiorum) *nec ſinas me cadere in illis.*

58 Conſonat Regius vates Pſalm. 140. n. 3. *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtiū circunſtantiæ labijs meis.* Vertit Græcam vocem Auguſt. *oſtium continentiæ.* Genebrar. & Belarm. *oſtium munitionis*: oſtiū videlicet munitum, ac forte, quod labia circumſtet, id eſt, circumvallet, & undique obſideat: vox enim Græca *perioche*, in arcano ſermone, eſt illa murorum firmitudo, & ambitus, quibus munitiſsimæ urbes circumquaque cinguntur. Vnde quæ à Vulgato Pſalm. 30. num. 22. & Pſ. 107. num. 11. vocatur *civitas munita*, dicitur Græcè *perioches*, ideſt, *civitas circunſtantiæ.* Quin & ipſa vox *perioche*, fortiſſimam ſignificat arcem. 2. Regum 5. n. 7. & 1. Paralip. 11. num. 5. *Cepit autem David arcem Siō.*
59 Vtrobique LXX. *periochen.* Senſus itaque huius loci eſt: Præfige, ô Deus, ori meo validiſsimos clathros, qui impotentem linguam, tanquam belluam indomitam, efferatamque contineant, ut minimè poſsit è cuſtodia erumpere, etiam ſi maximè munitiſsimum oſtium conetur effringere.

Inquietum malum.

GRęcè, *incoercibile malum*: effrænatius videlicet, & impotentius feris immaniſsimis, quæ aliquando tandem induſtria cicurantur. Hæc autem efferata bellua humanitus coerceri nunquam poteſt: Divinitus enim exequendum eſt, quod pręcipit Apoſtolus 1. Petri. 3. nu. 10. ex Pſalmo 33. num. 13. *Coerceat linguam ſuam à malo.*

Plena veneno mortifero.

SApienter ait Bern. Sermon. de tripli- 60
ci cuſtodia. *Numquid non vipera eſt lingua iſta? ferociſsima planè.* Congruenter Regio vati Pſal. 139. n. 4. *Acuerunt linguas ſuas, ſicut ſerpentis.* Sic legit Vulgata editio noviſsimè correcta, conſentaneè Græco textui, ih quo habetur *os opheos.* Neq; enim ſerpentes linguam ſuā acuūt, ſed exacutam habent à natura, cùm cæterarum animantium lingua ferè ſit obtuſa. Pergit Pſalmographus. *Venenum aſpidum ſub labijs eorum.* Quæ verba prorſus eadē habentur Pſ. 13. n. 3. & ad Rom. 3. n. 15. Eſt autē aſpidum venenum omnino immedicabile, atque mortiferum, ſive, ut loquitur Moyſes Deuter. 32 n. 33. *inſanabile.* Aſpidis enim morſus, auctore Plinio li. 8. cap. 23. adeò lethaliter inficit hominē, ut, niſi confeſtim ictæ partes amputentur, nulla deinde omnino ſit graſsantis veneni medicina. Lege, quæ de inſanabili detractionis veneno adnotavi ad illa verba num. 6. *Lingua ignis eſt.*

Huc etiam ſpectat illud Eccleſ. 10. nu. 61
11. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Quem locum ita legunt LXX. ut vertit Caſsianus, Collatione 2. c. 11. *Si momorderit ſerpens non in ſibilo, non eſt abundantia incantatori*: hoc eſt, ut exponit idem Caſsianus: *ſuccurrere incantator periclitanti, periturove non poterit.* Vt linguæ detrahenti aptari commodè poſsit illa Ieremiæ comminatio, c. 8. num. 17. *Ecce ego mittam vobis ſerpētes regulos, quibus non eſt incantatio.*

Obſervandum verò eſt, quod ait Iſi- 62
dorus lib. 12. Etymologiarum c. 4. [Nullum animal tanta celeritate linguam movet, ut ſerpens: adeò, ut triplicem linguā habere videatur, cùm una ſit.] Et Plinius lib. 11. cap. 37. *Lingua tenuiſsima ſerpentibus, & triſulca, vibrans atri coloris.*

Virgilius 3. Georgicorum vers. 439. *Linguis micat ore trisulcis.* Dicitur autem trisulcum, seu trifidum telum, quod triplici cuspide fertur: quod in linguam aptissimè quadrat. Hæc enim vipera venenata, cùm virus ex vomit detractionis, *tres lethaliter inficit statu uno*: ut ait Bernardus loco citato, disertèque explicat Laurentius Iustinianus lib. de Vitâ solitaria cap. 4. *Absentis quippe famam interimit; audiẽtisque, ac propriam occidit animam.* Perpende, quàm sit mortiferum linguæ venenũ.

63 Quòd si pestilentiæ lues venenata itẽ est, & inficiens quoslibet veneno prorsus mortifero; sanè verbum petulans, & contumelioſum, sæva pestilẽtia est. Sic expressè vocatur Psalm. 90. num. 3. *Ipse liberavit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.* Hebraicè, *& à lue cornumpente, à peste celeriter necante.* Vnde qui idiomate sacro dicuntur *letsim*, ideſt, irrisores, procaces, illusores, à LXX. *limi*, ideſt, pestilentes, non sine afflatu divino nominantur. Psalm. 1. num. 1. *& in cathedra pestilentiæ non sedit.* Hebraicè, *in cathedra illusorum.* Græcè, *pestilentium.* Proverb. 19. num. 25. *Pestilente* (Hebraicè, irrisore) *flagellato, stultus sapientior erit.* & cap. 22. num. 10. *Eijce derisorem, & exibit cum eo iurgium.* LXX. *eijce pestilentem.*

Numerus 9.

In ipsa benedicimus Deum, & Patrem: & in ipsa maledicimus homines.

64 OBservat hîc sanctus Thomas, per Deum, & Patrem, totam Beatissimam Trinitatem denotari: quæ Deus noster est per potentiam creationis; Pater autẽ, per gratiam adoptionis.

65 Illucida verò est proximorum versuũ sententia, ad quam eleganter alluſit Nazianzenus in carminibus de Silentio pag. 1206.

Non aliena etenim lingua, nec mẽte profana,
Vivificum puro labis obibo sacrum.
Fons idem haud dulces, & amaras proferet undas;
Purpureæ vestires alienarum.

Totum itaque Iacobi argumentum ductum est à repugnantibus: reclamitat enim ipsa natura, ex eodẽ fonte vitam, necẽq; profluere; eadem lingua dilaudare Deum in se ipso; in proximo verò, qui eius est imago, contumelijs, & maledictis incessere. Sic obijcitur impio Psalm. 49. num. 16. *Quare tu enarras iustitias meas?* & mox num. 20. *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris.* Ideo dicitur Proverb. 18. n. 21. *Mors, & vita in manibus linguæ.* & Matt. 12. n. 37. *Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.*

66 Hoc quasi per umbram assecuti etiam sunt veteres Philosophi. Anacharsis enim interrogatus, quid esset in homine pessimum, quid optimum; respondit: lingua. Sentiens, idem membrum plurimam afferre utilitatem, si recta ratione gubernetur; maximam verò perniciem, si secùs. Auctor est Laertius lib. 1. cap. 9. Amasis, Aegyptiorum Rex, dono misit Bianti victimam, quam Dijs immolaverat: ea tamen lege misit, ut ipse sibi remitteret vicissim, quod in illius victimæ carnibus optimum, & pessimum illi videretur. Bias tamen prudenter linguam resectam duntaxat remisit: videlicet, quia ea solâ & optima, & pessima simul esset. Refert Plutarchꝰ lib. de Garrulitate. Vide etiam Rodigin. lib. 7. cap. 26. & Pierium lib. 33. tit. de Lingua.

Qui ad similitudinem Dei facti sunt.

67 PRæclarè Amb. lib. de Dignitate humanæ cõditionis c. 3. *Quis maior honor homini potuit esse, quã ut ad similitudinẽ sui factoris conderetur?* Et S. Leo ser. 1. de Ieiun. 10. mens. Si fideliter, atq; sapiẽter creationis nostræ intelligamꝰ exordiũ, inveniemus, hominẽ ideo ad imaginẽ Dei

conditum, ut imitator sui esset Auctoris: & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis, quasi in quodam speculo, Divinæ benignitatis forma resplendeat.) Denique Bernardus lib de Anima cap. 1. [Oportet, id, quod ad imaginem est, cum imagine convenire; & non in vacuum, nomen imaginis participare.]

68 Quærit Basilius hom. 10. Exameron: cur, cùm dixisset Moyses, Genesis 1. numero 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; adiungat continuò, num. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam*: & nihil prorsus de similitudine dicat. Respondet, huius rei causam esse, quoniam imago Deitatis, quæ natura ipsa duntaxat mentis, & voluntatis humanæ continetur, solum Deum habuit artificem: similitudo autem, quæ in gratuitis donis, & in omni probitate, virtutumque absolutione consistit, à nobis quoque, Deo iuvante, perficitur. Hanc

69 ipsam distinctionem inter similitudinem, & imaginē, video magnis auctoribus placuisse: ij sunt Augustin. lib. Quæstionum super Deuteronom. quæst. 4. & lib. contra Adimantum, cap. 5. Irenæus lib. 5. adversus hæreses, cap. 6. Cyprianus, Sermone de Bono patientiæ: Ambr lib. de Dignitate conditionis humanæ, cap. 2. Hieronym. in Commentarijs ad cap. 28. Ezechielis, Chrysostomus homil. 9. in Genesim, Damascenus lib. 2. de Fide orthodoxa, cap. 12. Origenes lib. 3. Periarch. cap. 6. Nissenus in hom. de Creatione hominis, Eucherius lib. 1. Commentar. in Genesim, Rupertus lib. 2. de Trinitate, & operibus eius, Bernard. Sermo. 1. de Annuntiatione, Theodoretus quæst. 20. in Genes. Et ab his Patribus acceperunt posteriores Theologi cum Magistro in 2. distinctione 16. & Sancto Thoma 1. P. q. 93. artic 9.

70 Sed salva reverentia, quæ tantis Auctoribus debetur maxima, valde dubito, an hæc observatio in sacris litteris perpetuò sibi constet. Primò namque Genes. 5. num. 1. legimus. *In die, qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum.* Vbi non est dubium, quin de creatione ipsa humanæ naturæ sermo sit: & alioqui perspicuum est, nullum posse ibi discrimen inter similitudinem, & imaginem assignari; idemque prorsus esse, ac illud Ecclesiast. 17. num. 1. *Deus creavit de terra hominem, & secūdum imaginem suam fecit illum.* Quinimò Sapient. 2. num. 23. utraq; vox, instar unius enuntiatur. *Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.* Perinde, ac si imago, & similitudo prorsus idem sint.

71 Secundò: vocabulum ipsum imaginis non semel usurpat Paulus pro similitudine, quæ in donis gratuitis, & omni sanctitate consistit. Tantum abest, ut pro sola similitudine naturæ in Scriptura frequentetur. Ad Colossenses 3. num. 10. *Et induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creavit illum.* 1. Corinth. 15. num. 49. *Portemus & imaginem cælestis.* Et 2. Corin. 3. num 18. *Nos verò omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.*

72 Tertiò: nam emphasis Iacobi in hoc loco, est illa eadem omnino, qua permovemur ad detestandum homicidium, Genesis 9. num. 6. *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Gravissimam videlicet irrogaret iniuriā Regi, qui eius imaginem, in publico locatā, dejiceret, discerperet, pedibusque conculcaret: ergo similitudo in hoc Iacobi loco, idem omnino est, atque imago; & promiscuè, atque indistinctè, utrumque nomen in sacris litteris usurpatur.

73 Quartò denique, Genesis 5. num. 3. dicitur Adam genuisse filium Seth *ad imaginem, & similitudinem suam.* Atqui ibi distinctio tradita inter illas voces, minimè locum habere potest.

Hæc sunt, quæ me tantorum Patrum pondere, & auctoritate pressum, invitum licet,

licèt, vehementer cogunt, de discrimine inter has voces assignato, etiam, atque etiam dubitare: potiùsque in contrariam opinionem propendere; unum scilicet esse, atque eumdem in arcano sermone utriusque vocis significatum.

Numerus 10.

Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio: non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.

Numerus 11.

Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam?

Numerus 12.

Numquid potest, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam.

74 HAEc ultima nonnihil variant in Græco. *Sic nullus fons salsam, & dulcem potest edere aquam.* Sed Latinam lectionem erudite defendit Franciscus Lucas in suis notationibus.

De sententia nihil est negotij: Apostolus enim argumentum illud ductum à repugnantibus, prolatis quatuor exemplis reddit illustrius. An non monstrosum esset, si ficulnea ficus simul, & uvas ferret? aut si vitis uvas simul, ficusque produceret? An non prodigiosum esset, si idem fons dulcibus simul, & amaris aquis scaturiret? aut si aqua maris dulcem pariter potum, salsumque præberet? Atqui multò est monstrosius, ex eodem ore, quod ad laudandum Deum formatum est, probra in proximos iactata, atque adeò adversus ipsum Deum prodire blasphemias. Instar planè prodigij est, ex eodem corde per eamdem linguam, iniuriam, & laudem; pietatem, & impietatem; mortem, & vitam; veritatem denique, mēdaciumque depromere.

Haud absimiles parabolas usurpaverat 75
Christus. Matth. 7. num. 16. *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* Et cap. 12. num. 33. ubi de lingua item sermo est. *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum; aut facite arborem malam, & fructum eius malum.* Et num. 34. *Quomodò potestis bona loqui, cùm sitis mali?* Geminus est huic Iacobi loco alter Eccl. 28. num. 14. ubi venusta quadam similitudine expenditur, quantam vim habeat eadem lingua, sive ad instigandam adulationibus, aut falsis criminationibus gliscentem iracundiam; sive ad frigidam illi suffundendam, mansuetudine verborum, furorisque turpitudine proposita. *Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit: & si expueris super illam, extinguetur: utraque ex ore proficiscuntur.*

Numerus 13.

Quis sapiens, & disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.

GRæcum nomen *epistemon*, 76
quod redditur ab Interprete *disciplinatus*, significantissimum est. Regia vertit, *peritus*, Vatablus, & Interpres OEcumenij, *scientia præditus*. Paez, *bene institutus*. Cajetanus, nescio quàm Latinè, *scientificus*. Melius Vulgatus Eccl. 21. num. 18. *scius*. & cap. 47. num. 14. *sensatus*. Salmeron, *scientia imbutus*. Eius nominis vim duplici vocabulo sibi putavit Latinus Interpres exhauriendā, Eccl. 10. n. 28. *Vir prudēs, & disciplinatus*. Græcè est dūtaxat *epistemon*

77 Repreſſerat Iacobus initio huius capitis inſolentem Iudæorum ambitionem, qua elati, etiam imperiti, ad magiſterij munus aſpirabant: obiecerat illis pericula, quæ incurrebant: propoſuerat difficultatem coercendi linguam: atque per eam occaſionem tantiſper digreſſus, huiuſque indomitæ belluæ feritatem perſecutus, iam tandem inſtruit viros ſapientes, & eruditos; eos videlicet, qui digni erant tantam perſonam ſuſtinere, ut alios docendi munere fungerentur.

78 Ab his in primis requirit, ut doctrinã, quam profitentur, bona converſatione, & operibus oſtendant, hoc eſt, vita ipſa, & moribus effingant: bona enim converſatio, phraſi Apoſtolica, eſt inculpabilis tenor vitæ. 1. Petri 1. num. 15. *Et ipſi in omni converſatione ſancti ſitis.* Cap. 2 num. 12. *Converſationem veſtram inter Gentes habentes bonam.* Cap. 3. num. 1. *Per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiant.* 1. Timoth. 4. num. 12. *Exemplum eſto Fidelium in verbo, in converſatione, in charitate.*

79 Signatè verò exigit Iacobus à Magiſtris, ut manſuetudinem diſcant ab illo cęleſti Magiſtro, qui, cùm omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi in eo eſſent, ad Coloſſenſ. 2. numero 3. mitis fuit, & humilis corde, Matthæ. 11. numero 29. Individuus videlicet ſapientiæ comes ſolet eſſe manſuetudo. Vide, quæ adnotavi cap. 1. num. 21. ad illa verba, *in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum.* Lego tamen apud Ciceronem in Oratione pro Roſcio Cõmędo. [Quò quiſque ſolertior eſt, & ingenioſior, hoc docet iracundius, & laborioſius: quod enim ipſe celeriter arripuit, id, cùm tardè percipi videt, diſcruciatur.] Quare vel ad ferendam æquo animo diſcipulorum in percipiendo tarditatem, apprimè neceſſaria eſt ſolerti, & ingenioſo magiſtro manſuetudo.

Numerus 14.

Quòd ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris: nolite gloriari, & mendaces eſſe adverſus veritatem.

80 Zelus, (qui Latinè dicitur livor, ſive æmulatio) obtrectatione, & invidentiã affert, cũ quadam indignatione. Vnicus liber Actuum Apoſtolorum, quatuor nobis ſuppeditabit exempla. Cap. 5. n. 17. *Repleti ſunt zelo, & iniecerunt manus in Apoſtolos.* Cap. 7. num. 9. *Æmulantes,* (Græce, *zeloſantes*, id eſt, zelantes, & invidentes) *Ioſeph vendiderunt in Ægyptum.* Cap. 13. num. 45. *Repleti ſunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur.* Cap. 17. numero 5. *Zelantes autem Iudæi, &c.*

81 Propter iracundiam ergo, & rancorẽ, quem, amarulentâ commotâ bile, ſecum affert invidentiæ zelus, amarus ipſe nominatur. Hanc invidiæ, & iracundiæ amarulentiam explicuit eleganter Emiſſenus, hom. 8. ad Monachos. [Interdiximus nobis diverſas ſæculi voluptates, varios deliciarum ſapores, in quibus erat aliquid iucundiratis, atque dulcedinis: & nunc abſtinere non poſſumus ab iræ, atque invidiæ venenatis paſſionibus, in quibus nihil eſt, niſi quidquid amaritudinis, & rancoris eſt.] Elegantius verò Chryſologus 82 Sermo. 172. [Invidia, ſuorum carnifex ſemper extitit: extendit ſenſus, torquet animos, diſcruciat mentes, corda corrumpit. Quid plura? Hanc qui receperit, ſua ſuſtinet ſine fine ſupplicia, quia in ſe domeſticum ſemper diligit habere tortorem. Quis ibi malorum finis, ubi alterius bonum pœna eſt? ubi cruciatus eſt aliena felicitas?] Propterea acutè dixit Nazianzenus Oratione 27. [Solus ex omnibus affectibus, iniquiſſimus ſimul, & æquiſſimus

mus est invidia: iniquissimus, quia bonis omnibus adversus est; æquissimus, quia Dominos suos exest, & conficit.]

83 Solere verò invidentiam conflare amarissimam iracundiam, odiumque capitale contra invidiosum, res est adeò perspicua, ut probatione non egeat. Primum fratricidium à mundo condito, Caini patravit invidia: ut meritò exclamaverit Chrysologus Serm 4. [O zeli tumor: duos non capit domus ampla germanos. Fecit invidia, fecit, ut mundi tota duobus esset angusta fratribus latitudo.] Invidentes fratres Ioseph, Genes. 37. num. 4. *Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Sed est notabile illud, quod testis oculatus refert Augusti lib. 1. Confessionum, cap. 7. [Vidi ego, & expertus sum zelantem parvulum: nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aspectu collactaneũ suum.] Vide etiam in lactente infante ortam ex zelo amaritudinem.

84 Quin & ipsa indignatio, atque iracundia sæpe in sacra Scriptura, sine ullo alio apposito, *amaritudinis* vocabulo denotatur. Oseæ 14. num. 1. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum*: hoc est, ad iram provocavit. *A hecho a Dios de hiel.* Idem enim prorsus est, ac illud Amos 5. num. 7. *Qui convertitis in absynthium iudicium.* Est enim absynthiũ amarissima herba. Quare luculentè explicat Ribera hunc locum, quasi dicat Propheta: iniquè iudicatis, & pauperes opprimitis, atque ita Deum ad amaritudinem,

85 & iram provocatis. Cùm Apostolus monuisset Hebræos, cap. 12. num. 14. *Pacem sequimini cũ omnibus*; subiecit: *ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat.* Perinde ac si diceret: cavete, ne qua parva odij scintilla, nisi celeriter restinguatur, magnum excitet incendium: nam discordiarum quidem surculi recèns nati, facilè evelluntur; si altas radices egerint, vix, aut ne vix quidem. Allusit Apostolus ad locum Deuteronom. 29. num. 18. *Et sit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem*, id est, implacabiles discordias excitans. Consentaneè Actuum 8. num. 23. legimus, Simonẽ illum Magum, qui potestatem conferendi Spiritũ Sanctũ Apostolis invidit, fuisse in felle amaritudinis; sive, ut Græca vertit Lorinus, *in cholera acerbitatis.* Et ad Ephesios 4. num. 31. copulantur, *omnis amaritudo, & ira, & indignatio.* Itemque Psalm. 9. num. 7. Psalmo 13. num. 3. & ad Roman. 3. num. 14. *Quorũ os maledictione, & amaritudine plenum est.* Sic dicitur 1. Regum 30. num. 6. 86
Volebat eum populus lapidare, quia amara erat anima uniuscuiusque viri, id est, furens iracundia, & dolore. Threnor. 3. num. 42. *Ad iracundiam provocavimus.* Hebraicè, *marinu*, id est, *amaricavimus Deum.* Nam idem verbum vertit Vulgatus Thren. 1. num. 20. *Amaritudine plena sum.* Danielis 8. num. 7. *Efferatus est in eum.* Hebraicè, *amaricatus est.* Et cap. 11. num. 11. *Provocatus Rex.* Hebraicè, *amaricabitur.* Regia, *bile movebitur.* Tigurina, *irritabitur.* Vide, quàm congruenter Iacobus amarum dicat zelum, qui biliosa semper amaritudine, ac felle madet.

Ex zelo, & amaritudine, quid, nisi con- 87
tentiones oriantur? Contentio enim, ut advertit Basil. in Regulis brevioribus responsione 66. est, quando quis ostentationis, & inanis gloriæ causa, alios provocat. Sic observo in Scriptura, cum zelo, cum invidia, cum iracundia, plerunque iungi contentiones; easque magno esse impedimento ad fidem suscipiẽdam. Ad Roman. 1. num. 29. *Plenos invidia, homicidio, contentione.* Et cap. 13. num. 13. *Non in contentione, & æmulatione.* Græcè, *zelo.* 1. Corinth. 3. num. 3. *Cùm sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis?* 2. Corinth. 12. num. 20. *Ne forte contentiones, æmulationes* (Græcè, *zeli*,) *animositates, dissensiones sint inter vos.* Denique ad Galatas 5. num. 20. inter opera carnis numerantur, *contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones.*

Magistros itaque, qui zelo, & conten- 88
tionibus abducuntur, rectè admonet Iacobus, ne pro tuenda falsa nominis existimatio-

matione, prosui cerebri somnijs obstinatè defendendis, deserant veritatem: ne glorientur contra illam, quasi victam, & prostratã. Græcè enim subest illud idem verbum, quod Vulgatus vertit cap. 2. numero 13. *Superexaltat*. Nos ibi exposuimus, *insultare*; & quasi parta victoria, adversus victum gloriari.

Numerus 15.

Non est enim ista sapientia desursum descendens.

89 OMnis quidem sapientia à Domino Deo est, Eccles. 1. num. 1. sed ab Auctore pacis, zelus iracundię, & dissensionis spiritus descendere non potest. 1. Corinth. 14. num. 33. *Non est dissensionis Deus, sed pacis.* Ideoque sępe Deus in arcano sermone, *Deus pacis* appellari solet. Ad Roman. 15. num. 33. & cap. 16. num. 20. & 2. Corinth. 13. numero 11. ad Philippens. 4. numero 9. & 1. Thessalonicens. 5. numero 16. & ad Hebrę. 13. numer. 20. Et pax ipsa vicissim pax Dei, vel Christi, non semel in Scriptura nominatur. Ad Philippens. 4. numero 7. ad Colossens. 3. num. 15. Meritò itaque Apostolus monet 2. Corinth. 13. num. 11. *Pacem habete; & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum.* Severèque pronuntiat 1. Corinth. 11. num. 16. *Si quis autem videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.*

Sed terrena, animalis, diabolica.

90 HI sunt parentes mundanę istius, cõtentioseque sapientię: avaritia, libido, superbia: quę tribus istis appositis aptè denotantur. Videlicet *omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, 1. Ioãnis 2. nu. 16. Hęc est hæresis origo. Idem sunt etiam huius monstri partus, atque fœtus. Talis item fuit Ethnicorum sapientia. Vnde Epiphanius ab his Iacobi verbis luculentum dedit initium Libro, quem accuratè scripsit contra Hæreses. [Græcorum, inquit, Scriptores, Poetæ, & Oratores, ubi fabulosum aliquod scriptũ aggrediuntur, Musam aliquam invocant, non Deum: diabolica enim est ipsorum sapientia, ac terrena, & non ex supernis descendens.]

Terrena itaque est Gentilium, Hæreticorumque sapientia, id est, terrenis bonis per avaritiam inhians; terrena sapiens, ad Philippens. 3. num. 19. quæ super terram sunt, quærens, ad Colossenses 3. num. 2. thesaurizans sibi in terra, Matth. 6. nu. 19. Terrę denique tota affixa, nunquam oculos in cælum tollit, nil, nisi terrestre, meditatur, aut amore prosequitur. 91

Animalis Græcè dicitur *psychiKe.* Sunt autem Psychici, qui genio indulgent, qui omnia voluptate metiuntur, qui in cœno libidinis volutantur. Tertullianus sic orditur Librum adversus Psychicos. [Mirarer Psychicos istos, si sola luxuria tenerentur, qua sæpius nubunt; si non etiam ingluvie ducerentur, qua ieiunia oderunt: monstrum scilicet haberetur libido sine gula.] De Tertulliani errore non est hîc locus disputandi: notionem duntaxat quærimus vocis: de qua eruditè ibi Pamelius, numero 2. & Baronius, tom. 2. anno Christi 201. Eamque satis nobis explicat Paulus 1. Corinth. 2. numero 14. *Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi.* Et Iudas, dum Psychicos suis coloribus depingit, num. 19. *Animales, spiritum non habentes*, id est, toti, quanti quanti sunt, mera caro sunt: &, ut ait Clemens Alexandrinus in Protreptico pagin. 86. [Suilli prorsus homines: sues enim cœno magis delectãtur, quàm aqua munda.] 92 93

Est item hæc sapientia diabolica. Græcè, *dęmoniaca*: hoc est, attendens spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, 1. Timoth. 4. num. 1. Est enim Hæreticorum 94

cœtus

cœtus *Synagoga Sathanæ*, Apocalypsis 2. num. 9. & Marcion appellatur ab Irenęo lib. 1. cap. 9. *os diaboli*. Eumdem etiam hęreticum Ioannes Evangelista *Diaboli primogenitum* iam anteà vocaverat, sicut Paulus Elymam, Actum 13. num. 10. *Filium diaboli* nominavit. Atque eo vel maximè Parentem suum exprimunt Hæretici, videlicet Dæmoniacæ superbiæ typho insolentissimè inflati. Hæc omnia in uno 95
Luthero, quasi in tabella depicta, cernere licet, non expressa solùm, sed viva, & spirantia. Terrena fuit eius sapientia: cùm enim adempta illi fuisset potestas prædicandi Indulgentias, tantumque ea re fecisset damnum, quantum anteà quæstum illo præconio facere consuevérat; homo pecuniæ magis cupidus, quàm salutis amans, ægerrimè ferens lucellum sibi, tanquam bolum, subitò è faucibus eruptum, ansam eam arripuit extenuandi Romani Pontificis auctoritatem, & ab Ecclesiæ castris deficiendi.

96 Iam verò quàm animalis, & libidinosa fuit Lutheri sapientia? Pudet me recitare, (inquit Maldonatus Matthæi 19. num. 11.) quod Lutherum dicere, profiterique non puduit: non magis posse virum sine carmina, quàm sine cibo, aut potu vivere. Epicurum illum, qui sola voluptate beatitudinem æstimabat, nihil tam Epicuræum dixisse legimus; & porci, si loqui scirent, dicere non auderent. Tantùm bellua illa spurcissima Nero, teste Suetonio cap. 29 potissimum habuit, neminem pudicum esse posse.

97 Atquàm fuit diabolica sapientia Lutheri? Affirmavit ipse non semel pro concione, se cùm diabolo multos modios edisse salis: prodidit etiam monumentis, se cum eodem diabolo sæpius collocutum, quæstionemque se illi de Catholicæ Fidei capitibus proposuisse; dæmonem verò illorum falsitatem argumentis pluribus comprobasse. Lege Serarij nostri duos eruditissimos libros de Lutheri magistro Diabolo, signatè verò libro 1. cap. 6. pag. 06.

98 Et quidem Lutheri ipsius arrogantia, atque superbia, planè fuit Luciferiana. Quis non stupeat horrenda verborum portenta, quæ passim in Sanctos evomit? [Nihil curo, inquit, si mille Augustini, mille Cypriani contra me stent.] Et alibi. [Origenem iam olim excommunicavi: Chrysostomum nullo loco habeo; nihil est enim nisi loquaculus: Basilius planè nihil valet; totus est Monachus: ego nec pili illum facio.] Sed horret animus, tam diris blasphemijs cartas inficere. Qui dæmoniacam Lutheri superbiam agnoscere avet, legat Maluendam lib. 2. de Antichristo, cap. 6. & Bellarminum in ea, quæ præfigitur 4. tom. Oratione habita in Scholis.

Numerus 16.

Vbi enim zelus, & contentio: ibi inconstantia, & omne opus pravum.

99 Vid Hęreticis inconstantius? Sectarũ, in quas partiti sunt, numerus iniri vix potest. Atque adeò ijdem Hæretici in singulos dies à semetipsis inconstantissimè desciscunt; brevique intervallo, non modò diversa, verùm etiam inter se pugnantia levissimè docent. Scitè respondisse fertur Dux Saxoniæ Federicus, nosse se, quid nunc crederent Lutherani; quid anno sequente credituri essent, divinare se non posse. Vide Lorinum 2. Petri 3. numero 16. Abripiuntur Hæretici æstu zeli, & contentionis: quid in illis constantiæ reperiatur? Sapienter enim Augustin. ex- 100
pendens illud 2. Timoth. 2. num. 14. *Noli contendere verbis*, Tom. 3. lib. 4. de Doctrin. Christiana, cap. 28. air. [Verbis contendere est, non curare, quomodò error veritate vincatur, sed quomodò tua dictio dictioni præferatur alterius.] Itaque qui superbè, contentioseque æmulantes, honori duntaxat velificantur suo, undecun-

que

quæ leviſſima inanis ſtimuleuli aſpiret aura, ad eam continuò vela pandunt, *circumferunturque omni vento doctrinæ*, ad Epheſios 4. num. 14.

Graphicè hos dipingit Iudas, num. 12. *Nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur.* Quò enim minus habent pluviæ, eò ſunt leviores, eò facilius huc illuc agitantur; eò magis terram caligine obtenebrant, imbribus nunquam irrigant. 2. Petri 2. num. 17. *Fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ.*

Numerus 17.

Quæ autem deſurſum eſt ſapientia.

101 ID eſt, divinitus donata: omnis nempe vera ſapientia à Domino Deo eſt, Eccleſ. 1. num. 1. *Dominus enim dat ſapientiam*, Proverbior. 2. num. 6. Vnde ipſe meritò conqueritur Baruch 3. num. 12. *Dereliquiſti fontem ſapientiæ.* Rectèque Bernardus Epiſtola 108. obiurgans quemdam, qui ob ſtudia litterarum extrahebat diem ex die renuntiare mundo. [Quàm ſalubriùs, inquit, diſceres Ieſum, & hunc crucifixum? Falleris, fili, falleris, ſi te putas invenire poſſe ſapientiam apud mundi magiſtros, quam ſoli Chriſti diſcipuli; id eſt, mundi contemptores, Dei munere aſſequuntur: neque enim hanc lectio docet, ſed unctio; non littera, ſed ſpiritus; non eruditio, ſed exercitatio in mandatis Domini.]

Et verò Iacobus terrenæ illi, animali, diabolicæque ſapientiæ, ex zelo, & contentione proſeminatæ, cœleſtem alteram, caſtam, ac divinam, ſociam charitatis, & pacis effectricem opponit. Totaque ſententia perſpicua eſt, ſi verba quædam accuratius expendantur.

Primùm quidem pudica eſt.

GRæcè *agne*, id eſt, caſta. Hæc eſt 102
germana huius vocis ſignificatio, ut ex Homero, Platone, Demoſthene, atq; Plutarcho, probat Auctor Theſauri Græcæ linguæ. Sic etiam interpretatur Vulgatus eamdem vocem 2. Corinth. 11. nu. 2. *Virginem caſtam exhibere Chriſto.* 1. Timoth. 5. num. 22. *Te ipſum caſtum cuſtodi.* Ad Titum 2. num. 5. *Adoleſcentulas caſtas.* 1. Petri 3. num. 2. *Caſtam converſationem.* Verba item illa Proverbior. 20. numero 9. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum?* extulerunt LXX. *Quis gloriabitur, caſtum ſe habere cor?* Græcè, *agnen.* Eſt itaque hæc ſapientia caſta, id eſt, altrix Angelicæ, & intemeratæ pudicitiæ. Nam vox *agne*, *incontaminata* reddi poteſt, auctore ipſo Vulgato 2. Corint. 7. num. 11. & Diana, quæ virgo credita eſt, omnino immaculata, *agne* vocatur ab Homero.

Enim verò quàm arctè conſocientur 103
inter ſe caſtimonia, atque ſapientia, oſtendit egregiè Niſſenus lib. de Virginitate, cap. 4. & 5. qui eam vel præcipuam exiſtimat pudicitiæ laudem, quòd plurimùm conducat ad cognitionem rerum divinarum: pudicus enim animus, inſtar nitidiſſimi ſpeculi, longè uberiùs cœleſtis ſapientiæ luce completur, totuſque colluſtratur. Teſtatur hoc, innumeriſque confirmat exemplis, vetus Hiſtoria, de Sybillis, de Ioanne Evangeliſta, de Carpo, & Nazianzeno, alijſque permultis.

Tantùm adverto, uſque eò caſtitatem 104
copulari cum ſapientia, ut in arcano ſermone idem omnino nonnunquam ſit, ſapientem eſſe, & caſtum. 1. Petri 4. numero 7. *Eſtote itaque prudentes*, hoc eſt, verè ſapientes: *ſcientia enim Sanctorum eſt prudentia*, Proverb. 9. num. 10. Syriacus Interpres vertit locum Petri: *eſtote itaque caſti.* Et quidem verbum Græcum *ſophroneſate*, Caietanus, Eraſmus, Vatablus, Clarius, Gagneius, & Salmeron, aptè reddiderunt, *eſtote ſobrij*, ſive *temperantes.*

So-

Sobrietas enim individuus comes solet esse sapientiæ, ac pudicitiæ. Sed idem ipsum verbum in eo loco Pauli ad Roman. 12. num. 3. *Sapere ad sobrietatem*, sic trãstulit Hieronymus lib. 1. contra Iovinianum. *Sapere ad pudicitiam*: &, si pateretur Latinus sermo, verbum è verbo exprimere Græca potuisset, *sapere ad pudicum, & castum esse.*

Deinde pacifica.

105 GRęcè, *ireniKe*: non contentiosa, sed sedata, imò *pacatissima*: sic enim exprimit Vulgatus huius vocis vim ad Hebræos 12. num. 11. nam Matth. 5. num. 9. *Beati pacifici*, subest alia diversa, *irenopij: pacem conciliantes.*

Modesta.

GRæcè, *epijKes*. Vatabl. *æqua, & morigera*. Gagneius, & Erasmus, *humana, & æquabilis*. Vbique sibi constans est Vulgatus in hac voce interpretanda. 1. Timoth. 3. num. 3. ad Titum 3. num. 2. & 1. Petri 2. num. 18. ad Philip. 4. n. 5. *modestia vestra*. Græcè, *to epiKes*: neutrum scilicet substantivè sumptum. Pacata itaque sapientia placidè, modestèq; se gerit; non perstrepit clamoribus, Matt. 12. num. 19. ex Isaiæ 42. num. 2. *Non cõtendet, neque clamabit.*

Suadibilis.

106 GRęcè, *eupithes*. Erasmus, & Vatablus, *tractabilis, & morigera*. Gagneius, *cui facilè persuadetur*. Regia, *bene suasibilis*. Auctor Thesauri Græcę linguę tom. 3. col. 131. *quæ facilè paret, & obsequitur*. Vnico verbo Plautino, *obsequiosa.*

Quòd autem docilitas pars sit prudentis sapientiæ, ostendit Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 49. art. 3. & deprecatio illa Salomonis 3. Reg. 3. num. 9. *Dabis ergo servo tuo cor docile*. Eòdemque spectat Sapientis adhortatio, Eccles. 6. num. 35. *Sapientiæ illorum ex corde coniungere*. Quod hîc continuò subdit Iacobus.

Bonis consentiens.

HAEc desiderantur in Græcis exẽplaribus, quæ vulgò circumferuntur: ideòque tanquam ascititia expungunt de textu Caietanus, Tigurina, Clarius, Regia, Pagninus, & Græcus enarrator OEcumenius. Latini etiam expositores nuperi Gagneius, Claudius, Catharinus, in Commentarijs prætermittunt: sed ea legunt, atque enarrant veteres illi, haud paulò istis graviores, Beda, Strabus, Anselmus Laudunensis, Sanctus Thom. Hugo Cardinalis, Lyranus, & Carthusianus. Legisse etiam videtur Bernardus, qui ea luculenter explicat Sermone 1. de Natali Domini: [Sola, quæ ex Deo est sapientia, salutaris est, & pacifica; non abũdans in suo sensu, sed alieno magis acquiescens consilio, vel iudicio.] 107

Tenendum est enim id, quod sæpe monui, nostrum Interpretem emendatiores codices Græcos habuisse: & quàm facilè putant alij, obrepsisse in textum, quę quis ad marginẽ apposuerat, ut explicaret, eatenùs debere sapientiam esse suadibilem, ut bonis tãtùm assentiretur: tam facilè ego, non opinione solùm, sed ad veritatem prorsus mihi persuadeo, sciolum aliquẽ, & audaculum, illa è Græco textu, quòd sibi redundare viderentur, erasisse. Consentire autem idem esse, atque assensum prębere, notissimum est, Luc. 23. num. 51. Actuum 5. num. 37. &. num. 39. ad Roman. 7. n. 16. 108

Plena misericordia, & fructibus bonis.

DE omnibus benemereri studet vera sapientia: labantes fulcit, afflictis indolescit, labentes excitat. Iudæ num 22. *Et hos quidem arguite iudicatos,* (Gręcè, *commiseramini*: correptio enim errantis, vera misericordia est) *illos verò* 109

salvate, de igne rapientes: aliis autem miseremini in timore.

Non iudicans.

110 GRæcè, *adiacritos*. Regia, & Tigurina, *nihil diiudicans*. Clarius, *sine disceptatione*. Vatablus, & Erasmus, *nihil discernens*. Quid his versionibus obscurius? quid implicatius? Vt simplicissimè, ita etiam germanissimè reddidit Vulgatus. Cælestis enim sapientiæ maximè proprium est, aliena sive dicta, sive facta minimè iudicare, neque unquam ea superbè, fastidioseve contemnere.

111 Notabilis est versio huius Græcæ vocis *adiacritos*, qua usus est Augustin. tomo 7. libro de Gratia, & libero arbitrio, cap. ultim. Accipit enim eam significatione passiva: (nec dubium est, quin ita commodè accipi possit:) redditque, *inestimabilis*. Elogium sanè dignum hac cælesti sapientia, & in sacro sermone subinde repetitum. Sapient. 7. num. 9. *Nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum.* Proverbio 8. num. 11. *Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis: & omne desiderabile ei non potest comparari.* Cap. 3. num. 14. *Melior est acquisitio eius negotiatione argenti: pretiosior est cunctis opibus.* Iob 28. num. 17. *Non adæquabitur ei aurum, &c.* Vide, quàm inæstimabilis sit sapientia.

Sine simulatione.

112 GRæcè, *anypocritos*, ideſt, syncera, sine fuco, sine hypocrisi; non ficta, non simulata, nō affectata, pallio duntaxat, & barba tenus, qualis fuit adumbrata illa, speciosaq; sapientia Philosophorum; sed solida, & expressa. Hāc enim vocem Græcam sæpe Apostoli usurparunt, ut veram, germanamque virtutem à falsa, adulterinaque secernerent. Ad Roman. 12. nu. 9. *Dilectio sine simulatione.* 2. Corinth. 6. n. 6. *In charitate non ficta.* 1. Timot. 1. num. 5. *& fide non ficta.* Et epist. 2. cap. 1. num. 5. *Eius fidei, quæ est in te non ficta.* 1. Petri 1. num. 22. *In fraternitatis amore simplici.* Vbique Græcè subest *anypocritos.*

Numerus 18.

Fructus autem iustitiæ, in pace seminatur, facientibus pacem.

113 COncludit elegantì sententia, quæ mihi non videtur ita facilis explicatu, ut pleriq; Interpretes sibi persuadent. Sed bene habet: nam ipsorum etiam explicatio adeò est obscura, ut nova rursus indigeat explicatione.

Vulgare est in Scriptura, virtutis opera sementem appellari. Proverb. 11. nu. 18. *Seminanti iustitiam merces fidelis.* Psa. 125. num. 5. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.* Oseæ 10. n. 12. *Seminate vobis in iustitia, & mette in ore misericordiæ.* 2. Corinth. 9. num. 6. *Qui parcè seminat, parcè & metet.* Ad Galatas 6. num. 8. *Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet.*

114 Deinde iustitia, & pax tam arctò inter se fœdere, ac vinculo colligantur, ut divelli vix possint: pax enim uberrimus est iustitiæ fructus. Isaiæ 32. num. 17. *Et erit opus iustitiæ, pax*, id est, fructus, sive merces iustitiæ. Psalm. 71. num. 7. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Psalm. 84. num. 11. *Iustitia, & pax osculatæ sunt.* Et ad Roman. 5. num. 1. *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus.*

115 Vicissim ipsa pax præparat solum ad iustitiæ fatus recipiendos. Postquàm enim dixit Isaias, cap. 32. num. 17. *Et erit opus iustitiæ, pax*; continuò subiecit: *& cultus iustitiæ, silentium.* Vatablus, *tranquillitas.* Pagni, *requies.* Regia, & Forerius, *requiescere.* Itaque silentium in hoc loco, idem est, ac pax. Estque elegans antitheſis: iustitia germinabit pacem: ipsa verò pax colet, augebitque iustitiam. Congruen-

ter

ter cap. 48. num. 18. *Vtinam attendisses mãdata mea: facta fuisset, sicut flumen, pax tua; & iustitia tua, sicut gurgites maris.*

116 Iam liquebit Apostoli sententia. Dederat notas ad internoscendam contentiosam loquacitatem à placida, pacata, modestaque sapientia: dixerat num. 17. eam plenam esse fructibus bonis: rectè itaq; cõcludit: qui uberrimos istos iustitię, idest, veræ, germanæque sapientiæ fructus percipere cupit, semina pacis iaciat: ut enim quisque sementem fecerit, ita metet: copiosissima verò messis, proventusque iustitiæ, soli sementi sapientiæ pacificæ respondet, solis pacificis contingit.

CAPVT IIII.

Numerus 1.

Vnde bella, & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris?

1 Stendit Apostolus, quàm à pacifica illa sapientia, superiore capite vivis coloribus expressa, eximijsque laudibus exornata, longè absint, qui ob ea, quæ sitienter appetunt, cum proximis in contentiones, dimicationesque descendunt. Vnde enim discordiæ implacabiles oriuntur, nisi ex effrænatis cupiditatibus? Qui enim honoribus, divitijs, aut voluptatibus ardenter inhiat, si alterum videat, eadem consectari, atque adeò celeriùs antevertere, opportunitatem fruendi præripere; se verò deseri, ore hiante, atque imminente frustrari, Deus immortalis, quàm effervescit stomacho? quanta adversus æmulum, rivalemque suum flagrat iracundia? Vniversè quidem pronuntiat Sallustius in Fragmẽtis Historiarum [Ea vetus causa bellandi est, profunda cupido imperij, & divitiarum.] Lege Serarij Commentarium in cap. 2. Iudith. Eleganter hoc ipsum explicavit Seneca lib. 3. de Ira c. 35. [Iter angustum rixas transeuntiũ concitat: diffusa, & latè patens via ne populos quidem collidit. Ista, quæ appetitis, quia exigua sunt, nec possunt ad alterum, nisi alteri erepta, transferri, eadem affectantibus, pugnam, & iurgia excitant.]

3 Vnde orta est acerrima illa rixa, (ut innumera alia prætermittamus exempla,) inter pastores Abraham, & Loth, nisi quia quilibet eorum uberiora pascua, melioresque adaquationes suis gregibus appetebant? *Nec poterat eos, tapere terra*, ait Sacer textus, Genes. 13. num. 6. Quare coactus est Abraham, sic suum affari consanguineum, num. 8. *Ne, quæso, sit iurgium inter me, & te; fratres enim sumus: recede à me obsecro.* Vbi egregiè ponderat Chrysostomus hom. 32. [Vide, quòd facultatum multitudo statim causa fuit discessus: divisionem operatur, concordiam impedit, & cognationis vinculum dirimit.] Simile est, quod expendit Chrysologus Ser. 4. in ea verba Luc. 15. num. 28. *Indignatus est autem*, (germanus Prodigi, natu maior,) *& nolebat introire.* [In segete cupiditatis fructum zeli colligit, & livoris: & quem venire ad fratrem, & appropinquare domui, vocat ratio naturæ; hunc livor non patitur introire.] Vbi cernis, ex segete concupiscentię, fructum fraterni odij, indignationisque proferri.

4

Lites dicuntur Græcè *machæ*, idest, pugnæ, rixę, dissensiones. Sanctus Thomas in Commentario refert ad concertationes verborum, in eoque distinguit à bellis, quòd lites verbis duntaxat, bella verò etiam manibus geruntur. Quod mihi valde probatur: tum, quia ita loquitur Ecclesia in hymno quotidiano, *Linguam refrænans temperet, ne litis horror insonet.* Tum verò, quia est consentaneum Scripturæ, quæ 1. Timoth. 6. numer. 4. *pugnas verborum*, Græcè vocat *logomachias*: & 2. Timoth. 2. numer. 14.

5

2

Noli contẽdere verbis. Græcè, *logomachin.* Eccles. 6. num. 9. *Rixam, & convicia denudabit.* & cap. 8. num. 19. *Cum iracundo non facias rixam.* Vtrobique subest *machè.* Ad Titum 3. n. 9. *Contentiones, & pugnas legis devita.* Græcè, *machàs.* Ioann. 6. n. 53. *Litigabant ergo Iudæi ad invicẽ dicentes.* & 2. Timoth. 2. num. 24. *Servum autem Domini non oportet litigare.* Actuum 7. num. 26. *Apparuit illis litigantibus, & reconciliabat eos in pacẽ.* Pugnam scilicet verbis initam, verborum itẽ lenitate sedabat. Vbique subest verbum ab hoc nomine deductum.

6 Concupiscentiæ autem Græcè dicuntur *hedonæ*: quæ vox propriè significat voluptates; & sic solet eam exprimere Vulgatus. Luc. 8. num. 14. ad Titum 3. num. 3. & 2. Petri 2. num. 13. aut, *delectamentum.* Sapientiæ 7. num. 2. & cap. 16. nu. 20. Sed hîc significantissimè vertit, *concupiscentias*: ut quamcumque impotentem libidinem, quę ad potiundum rebus concupitis temerè incitatur, denotaret: neq; inusitatum est apud auctores Græcos, *hedonén*, pro cupidine sumi: ut probat ex Herodoto Auctor Thesauri Græcę linguæ Tom. 1. col. 1436.

7 Dicũtur verò cõcupiscẽtię militare in mẽbris nostris, hoc est, in illis castra figere, illis, tanquam strenuis militibus, adversus spiritum decertare, in membris vigere, ac menti repugnare, ad Roman. 7. num. 23. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mẽtis meæ, & captivantem me, &c.* Qui modus loquendi frequentissimus est in Paulo. In eodem cap. num. 5. *Cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris.* Græcè, *energito.* Vertit Erasmus, *vigebant*, hoc est, *militabant*, vim, energiam, efficaciamque habebant. Lege Salmeron. to. 13. disp. 11. pag. 56. & Toletum ad Roman. 6. annot. 6.

(?)

Numerus 2.

Concupiscitis, & non habetis.

8 VEl quia eadem caduca bona, quæ ardenter appetitis, ab alijs intercipiuntur, vel quia ipsa difficillimè parãtur. Proverbior. 23. num. 5. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere; quia facient sibi pennas, quasi aquilæ, & volabunt in cælum.* Ecclesiast. 11. num. 10. *Si enim secutus fueris*, (opes) *non aprehendes; & non effugies*, (paupertatem) *si præcucurreris.* Vide ibi Iansenium.

Occiditis, & zelatis; & non potestis adipisci: litigatis, & belligeratis.

9 LVculenter exprimit iracundiæ motus insurgentes in animo ad vindictam frustratæ concupiscentiæ. Ij sunt, odium sanguinarium eius, qui rem concupitam intervertit: tale enim odium, sanguinem cupiẽs exhaurire, cædes in Scriptura nominatur. 1. Ioann. 3. n. 15. *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est.* Sic explicat Rupertus illud Ioann. 8. n. 44. *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio.* Invidens nimirùm Christo, iam tũc animo eius necem inchoavit; posteà verò Iudæorum operà perfecit.

10 Secundus affectus est, tabes invidentiæ. *Zelatis.* Disrũpitur enim animus invidia, si alter potiatur eo, quod ipse concupierat. Iustum sanè vitium, se ipso auctorem acerbissimè puniens.

Invidia Siculi non invenere Tyranni
Tormentum maius.

ait Horatius lib. 1. Epistola 2. Proverb. 14. nu. 30. *Putredo ossium, invidia.* Sapient. 6. n. 25. *Cum invidia tabescente.* Proprium videlicet eiꝰ epithetum, etiam apud Prophanos. *Livor tabificum malis venenum, intabescitque videndo.*

11 Iob 5. n. 2. *Parvulũ occidit invidia.* Hebraicè, *pote.* Cuius vocis vim perpendens Olealter, Gen. 9. ita reddit. *Extendentem desiderium.* Pagninus unicam vocem Hebraicam novem Latinis expressit: *eum, qui inclinat cor suum ad ea, quæ vidit.* Pressiùs Vatablus: *avidum ad rem.* Nam si, teste Cicerone in quæstionibus Tusculanis, invidere ductum est à nimis intuendo fortunam alterius; qui in aliena bona oculos, animumque defigit; qui, quę videt, ardentissime appetit, invidia contabescat,
12 necesse est. Prover. 28. nu. 22. *Qui festinat ditari, & alijs invider.* Significātissimè autẽ Vulgatus reddidit, *parvulum*: tales enim vel ludicris rebus avidissimè inhiant, Prover. 1. num. 22. & 1. Corint. 14. num. 20. Illa crepundia puerilia, quæ vehementer appetunt, si vel germano fraterculo donentur, invidia disrumpuntur Lege, quæ ex Augustino, & alijs adnotavi cap. 3. num. 14.

Denique ex concupiscentia ludificata, verborum pugnæ, & hostiles etiam concertationes proficiscuntur. *Litigatis*, inquit, *& belligeratis.* Quod iam exposui in hoc cap n. 1.

Et non habetis, propter quod non postulatis.

13 GRæcismum huius loci barbarè expressit verbum è verbo Arias Montanus in Regia. *Propter non petere vos.* Hispani ita efferimus: *por no pedir vosotros.* Perinde ac si dicat Apostol⁹: Indigni estis, qui habeatis; quia precibus non promeretis Divinam beneficentiam: sed superbi illius contemptores, vestra duntaxat industria omnia vos assecuturos esse, temerè confiditis.

(:⁝:)

Numerus 3.

Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis.

14 INiuriam profectò Deo facit, qui ab eo, quod malum est, petit, quasi mali eum auctorem faciat. Chrysologus Sermone 132. [Qui mala à Deo postulat, Deum mali iudicat, & sentit auctorem. Non ergo impia, sed pia; non terrena, sed cælestia; non illecebris, sed virtuti congrua, à tali semper exoranda sunt largitore.] Rectè enim Cyrillus ait lib. 9. in Ioannem cap. 43. explanans hunc eumdem Iacobi locum. [Quæ ipse Deꝰ odit, quoniam turpia sunt, ea quomodò cæteris largietur? Quomodò dulcedinis fons amarum aliquid scaturire poterit?]

15 Qualiter itaque petendum sit à Deo, docuit nos Christus, Ioannis 16. numer. 23. *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* August. Tractatu 104. in Ioannem [Non petitur in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis.] 1. Ioannis 5. num. 13. *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum: quia quodcunque petierimus*
16 *secundum voluntatem eius, audit nos.* Non prætermittam memorabilem Socratis sententiam, quam refert Valerius Maximus lib. 7 cap. 2. [Nihil ultrà petendum à Dijs immortalibus arbitrabatur, quàm ut bona tribuerent: quia ij demum scirent, quid unicuique esset utile: nos autem plerunque id votis expetere, quod non impetrasse, melius foret. Divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt: honores concupiscis, qui complures pessum dederunt.] Digni etiam sunt, qui referantur, Iuvenalis versus, Satyra. 10.

Nil ergo optabũt homines? Si cõsilium vis,
Permittes ipsis expẽdere Numinibꝰ, quid
Conveniat nobis, rebusq́; sit utile nostris.
Nã pro iucũdis aptissima quæq; dabũt Dij.
Charior est illis homo, quàm sibi.

Vt in concupiſcentijs veſtris inſumatis.

17 GRæcè *hedonæs*, voluptatibus, libidinibus: eadem ſcilicet eſt vox, quæ ſuprà num. 1. cùm aliàs ubicumque ferè Latinus Interpres vertit *concupiſcentia*, Græcè ſubſit *epithymia*.

Hoc videlicet eſt ſceleratorum ingenium: quò plura in eos Deus bona pro ſua benignitate congeſſerit, eò magis illos, pro depravata ipſorum malitia, in ſuam, aliorumque perniciem armaverit: opibus abutuntur ad ſuam libidinem explendam; potentia, & honoribus, ad alienam libertatem opprimendam; valetudine, & robore, ad obeunda facinora; ſcientia, copiaque dicendi, ad circumvenien-dos homines, ad perturbandam Rempublicam, ad omnia denique, tum ſacra, tum prophana permiſcenda. Rectè itaque ait
18 Iſidorus lib. 3. de Summo bono, cap. 7. *Multos Deus non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad ſalutem.* Et Bernard. Serm. contra vitium Ingratitudinis. *Miſericordiæ res eſt, hac in parte ſubtrahere Deum miſericordiam.* Et Auguſtin. epiſtola 34. ad Paulinum *Bonus Dominus, qui non tribuit ſæpe, quod volumus, ut quod mallemus, attribuat.* Contrà verò expendens Grego. quã citò Deus illos exaudivit, qui veſcendi carnibus cupiditate flagrabant, Num. 11. n. 4. ſic ait li. 15. Moralium, c. 12. [Maioris iracundiæ eſt, cùm hoc tribuitur, quod malè deſideratur, atque inde repentina ultio ſequitur: nam quantò citiùs malum votum impleri permittitur, tantò celeriùs punitur.]

Numerus 4.

Adulteri, neſcitis, quia amicitia huius mundi, inimica eſt Dei? Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei conſtituitur.

19 IAcilis ſententia, illiſque perſimilis Matthæ. 6. num. 24. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* 1. Ioannis 2. num. 15. *Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.* Ad Romanos 8. num. 7. *Sapientia carnis, inimica eſt Deo.* Iſaiæ 28. nu. 20. *Coangustatum eſt enim ſtratum, ita ut alter decidat.* Sapienter enim ait Auguſtin. tom. 9. lib. de Duodecim abuſionibus, gradu 7. [Mundi amor, & Dei, pariter in uno corde cohabitare nō poſſunt: quemadmodùm ijdem oculi cælum pariter, & terram nequaquam aſpiciunt.] 20 Cùm verò nos mundus odio proſequatur, Ioānis 15. num. 8. efficaciſsimum ſanè eſt argumentum Cypriani, lib. de Mortalitate prope finem. [Cùm mundus oderit Chriſtianū, quid amas eum, qui te odit? & non magis ſequeris Chriſtum, qui te & redemit, & diligit?]

Tantùm itaque eget explicatione vox illa, *adulteri*. Maldonatus exponens illum locum Matth. 12. num. 39. *Generatio mala, & adultera*: & Marci 8. num. 38. *In generatione iſta adultera, & peccatrice*; putat, Hebraica phraſi ita vocari filios degeneres, qui cùm Deo Patri ſuo ſimiles moribus eſſe deberent, diſsimillimi tamen ſunt, quales filij adulterini eſſe ſolent. Cōfirmat ex Pſalm. 17. num. 46. & Pſal. 143. num. 7. & ex cap. 12. ad Hebræos num. 8. *Ergo adulteri, & non filij eſtis.*

21 Magis probo communem ſententiam, adulteros appellari per metaphoram, qui blādis fluxarum rerum illecebris deliniti, ad amplexus mundanæ amicitiæ turpiter

deflectunt, ſpreto amore ſapientiæ cæleſtis, quam Iacobus paulò antè laudibus extulit: de qua etiam ſcriptum eſt Sapientiæ 8. num. 2. *Quæſivi ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius.*

22 Vel eos certè dici adulteros, (quod ferè in idem recidit,) qui adhærentes mundo, nuntium remittunt Chriſto, vero animarum ſpõſo. Sic enim vocatur Chriſtus Matth. 9. num. 15. & cap. 25. num. 1. Ioannis 3. num. 29. ad Epheſios 5. nu. 25. Apocalypſis 19. num. 7. & 9. In eo autem loco ad Hebræos 12. num. 8. ſubeſt Græca vox longè diverſa, *nothi*, id eſt, ſpurij, adulterini. Lege Pradum in cap. 16. Ezechielis, pag. 194. Ioannem Fernandez, verbo, *adulterium*, num. 7. & Cornelium in id 2. Corint. 11. num. 2. *Deſpondi enim vos uni viro.* Vbi copioſiſsimè explanat animæ deſponſationem cum Chriſto.

Numerus 5.

An putatis, quia inaniter Scriptura dicat: ad invidiam concupiſcit Spiritus, qui habitat in vobis?

23 HOc teſtimonium in ſacris libris, qui nunc extant, nuſquam verbis expreſsis reperitur: & eſt creditu difficile, ſine ulla, ut videtur, neceſsitate, Iacobum citaſſe ex alijs Scripturæ libris, qui, ut auctores ſunt Chryſoſtomus homilia 9. in Matth. & Athanaſius in Synopſi, temporum iniuria perierunt. Vero ſimilius eſt, quod affirmat Beda, nullum fixum ex uno, ſed unum ex omnibus Canonicis libris citari teſtimonium: ut in ſimili docuit Hieronymus, exponens illud Matthæ. 2. num. 23. *Quoniam Nazaræus vocabitur.* Paſsim enim teſtãtur ſacræ litteræ, uſque eò flagrare Deum amore hominũ, ut ſi idola Gentium, aut ſæculi voluptates illi præferantur, flagrantiſsimo zelo etiam uſque ad invidiam exardeſcat. Lege, quæ adnotavi Deuterono. 32. numero 21. *Ipſi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus.* Hebraicè, *ipſi me zelare fecerunt.*

Minimè itaque dubito, explicandum 24
eſſe hunc locum de Spiritu Divino: non ſolùm, quia Græcè additur articulus *tò*; ſed multò etiam magis, quia proprium eſt Spiritus Sancti, in animis Iuſtorum habitare. Ad Roman. 8. num. 11. *Prõpter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* 1. Corinth. 3. n. 16. *Neſcitis, quia tẽplũ Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Tum denique, quia in hac ſententia aptiſsimè cohæret hic verſus cum ſuperiore. Deus enim (ut de ſuprema illa, & prorſus impaſsibili Deitate humano loquamur more,) inſtar viri ardentiſsimè zelotypi, invidet mundo, blanditijs, & lenocinijs pellicienti animas, fide ſibi, & charitate deſponſatas, & ab ſponſi dulciſsimo complexu ad flagitioſas adulteri corruptelas abſtrahenti.

Certum quidem eſt, non poſſe zelum 25
in Deum cadere, quatenùs affert dolorem peracerbum, conceptum in animo ex eo, quòd alter potiatur re, vehementer concupita. Sed non eſt minùs certum, Deum ex infinito amore zelare animas, id eſt, fortiter eniti ad repellenda impedimenta, quæ poſſunt amoris curſum retardare: ut ex Dionyſio in cap. 4. de Divinis nominibus, probat Sanctus Thomas 1. 2. quæſt. 28. artic. 4. Propter amorem verò, 26
zelumque ardentiſsimum, dicitur Deus per anthropopathian, tabeſcere invidia, & dolore uri, ſi mundus, tanquam adulter, animas ſibi deſponſas corruptelarum illecebris præripiat. Pſalm. 77. num. 58. *Ad æmulationem eum provocaverunt, &* (quod inde ſequitur) *Sanctum Iſrael exacerbaverunt.* Iſaiæ 63. num. 10. *Et afflixerunt Spiritum Sancti eius.* Oſeæ 14. num. 1. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum ſuum.* Ad Epheſios 4. numero 30. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis*: hoc eſt, qui

habitat

habitat in vobis, ut hîc loquitur Apostolus.

27 Hic itaque Dei zelus, ubi amore, & beneficentia parùm proficit, ubi se præ mundo contemni videt, usque cò irritatur, & excandescit, ut (si ita loqui, fas est,) in rabiem penè furentem erumpat. Huius iracundiæ ex zelo plura congessi testimonia in id Nahum 1. num. 2. *Deus æmulator, & ulciscens.* Atque hanc emphasim habet interrogatio illa, *an putatis?* &c. Nimirùm ad incutiendum terrorem illis, qui implicati mundi amicitia, non verentur, zelotem Deum ad æmulationẽ provocare, & illius inimicitias incurrere: *qui enim diligit mundum, inimicus Dei constituitur*, suprà num. 4. Acutè scilicet observat Theodoretus quæst. 34. in Exodũ. [Deus se ipsum appellat zelotem, humano more loquens, ut terreat homines, & illos sapere cogat.]

Maiorem autem dat gratiam.

28 ATqui videte, ô adulteri, quò progrediatur flagrãtissimus huius benignissponsi amor. Cùm potuisset, ac fortasse etiam debuisset, illatam sibi vestris adulterijs gravissimam iniuriam, supplicijs atrocissimis rependere; tantùm abest, ut continuò suum honorem violatum, atque contemptum ulciscatur, ut potiùs velit certare cum mũdo, Rivalemque suum beneficentia, & largitione superare: ut si fortè mundi donis inescati, à cælesti sponso recessistis; longè maioribus ab illo provocati muneribus, rursus cum eo in gra-

29 tiam redeatis. Hunc arbitror esse sensum germanissimum huius loci: exemplisque plena sunt monimenta Prophetarum. Oseæ 2. num. 5. aiebat illa adultera. *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi.* Sed quid vicissim ait sponsus benignissimus? num. 14. *Propter hoc, ecce ego lactabo eam, &c.* Perinde ac si dicat: ego procorum vilissima bona meâ infinitâ beneficentiâ longè superabo. Et cap. 3. num. 1. *Adhuc vade, & dilige mulierem dilectam amico, & adulteram*: id est, adhuc eblandire illius amorem. Hieremiæ 3. num. 1. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.* Sed est insignis locus 30
Isaiæ 9. num. 7. Doluit nimirum Deus, populum suum à suis complexibus abduci à Gentibus, & Idolis: & ut nimiam suam charitatem demonstraret, hominesque maioribus beneficijs cumulatos obstringeret, Vnigenitum Filium suum dare decrevit, num. 6. *Parvulus enim datus est nobis, &c.* Exponitque Propheta tam inæstimabilis beneficij causam, num. 7. *Zelus Domini exercituum faciet hoc*, id est, gratia ista longè uberrima, vel potiùs omnium gratiarum fons, ex ardentissimo Divini amoris zelo manavit, quò vehementiùs homines alliceret tali dono.

Explicat eleganter Chrysologus fla- 31
grantissimum amorem cælestis sponsi Christi, pendentis in Cruce, & adulteras animas benignè ad se vocantis, Sermone 108. [Distẽdit membra, dilatat viscera, pectus porrigit, offert sinum. Nonne dicit: videte in me corpus vestrum? & si, quod Dei est, timetis; quare vel quod vestrum est, non amatis? Si Dominum fugitis, quare non recurritis ad Parentem? Sed fortè vos passionis meæ, quam fecistis, magnitudo confundit. Nolite. Clavi isti non mihi infigunt dolorem, sed vestram mihi infigunt altiùs charitatem. Sanguis meus non mihi deperit, sed vestrum prorogatur in pretium.] Nec minùs elegan- 32
ter Bernard. tum Spiritus Sancti, tum Christi charitatem extollit, Epistola 107. [O geminum, ipsumq; firmissimum Dei erga nos amoris argumentũ. Christus moritur, & meretur amari; Spiritus afficit, & facit amari: ille facit, cur ametur; iste, ut ametur: ille suam multam dilectionem nobis commendat; iste & dat: in illo cernimus, quod amemus; ab isto sumimus, unde amemus: charitatis igitur ab illo occasio; ab isto, affectio.]

Numerus 6.

Propter quod dicit: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

33 IDem verbis deſumptũ eſt hic locus ex cap. 3. Proverb. num. 34. iuxta Editionem LXX. quam ſæpe ſequuntur Apoſtoli. Hoc etiam teſtimonium citat Petrus Epiſtola 1. cap. 5. num. 5. Vulgatus legit in Proverbijs: *ipſe deludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam.*

34 Incuſſerat Apoſtolus terrorem adulteris, qui ad mundanam amicitiam, tanquam ad ſaxum adhęreſcunt, ſuperbèque, & obſtinatè Divinum zelum excandeſcentem illudunt: propoſuerat rurſus eximium Dei amorem, qui mundi lenocinijs deceptos uberioribus donis lactare ſolet: utrumque convincit hoc teſtimonio: ſuperbos enim illuſores Deus ipſe deludet; humiles autem reſipiſcentes gratiæ muneribus cumulabit. Lege Ianſenium in Commentario huius loci.

35 Hæc autem antitheſis elegantiſsima, veriſsimaque ſententia, celebris ſemper fuit apud omne genus Scriptorum. Horatius lib. 1. Ode 34. [Valet ima ſummis mutare; & inſignem attenuat Deus, obſcura promens.] Vbi è Græcis multa congerit Lambinus; ex Seneca verò, & Herodoto, Serarius in caput 1. Iudith, quæſtiuncula 12. Nolo ego multus eſſe in re pervagata. Videantur Legionenſis in id Abdiæ num. 4. *Si inter ſidera poſueris nidum tuum, inde detrahamte*: & Pineda Iob 5. num. 12. *Qui diſsipat cogitationes malignorum.* Maldonatus Lucæ 1. nu. 51. & 52. *Diſperſit ſuperbos, &c.* Viegas in cap. 2. Apocalyp. Commentario 1. ſect. 9. Rutil. Benzon libro 3. in Magnificat, cap. 20. Lorinus in 1. Petri cap. 5. num. 5. Pacz hîc per ſeptem integros diſcurſus. Lege etiam explicationem Forerij in illud Iſaiæ 23. num. 9. *Vt detraheret ſuperbiam omnis gloriæ*: & Ianſen. Proverb. 29. num. 23. *Superbum ſequitur humilitas.*

Numerus 7.

Subditi ergo eſtote Deo.

36 SEmper ſolet eſſe ſubiectio comes humilitatis. Vt ergo uberiora in dies chariſmata recipiatis, quæ humilibus donari conſueverunt, cæleſti ſponſo debitam obedientiam, & amorem exhibete.

Reſiſtite autem diabolo, & fugiet à vobis.

37 FRemet, ſat ſcio, crudeliſsimus animarum hoſtis: nullum non movebit lapidem, ut vos oppugnet. Tantùm ne animis cadite, ne ſuccumbite: ſimul atque vos videat obfirmatos ad reſiſtendum, haſtas abijciet, ſuperatꝰ aufugiet. 1. Pet. 5. num. 8. *Tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret: cui reſiſtite fortes in fide. En haziendole roſtro con fortaleza, bolverà las eſpaldas.* Perpende miram, & penè incredibilem huius ſæviſsimi leonis imbecillitatem. Iob 5. numero 11. ubi legit 38
Vulgatus, *tigris periit*; LXX. reddiderunt, *mirmecoleon.* Latinè vertas, *formica leo.* Et plerique Expoſitores fictitium exiſtimant nomen, ex audaciſsimo leone, formicaque contemptiſsima conflatum, ad dæmonis oppugnationem exprimẽdam: formicis enim, hoc eſt, pavidis, & imbellibus, leo terribilis eſt; leonibus autem, id eſt, fortibus, & intrepidis, deſpicatiſsima formica. Vide Gregorium lib. 5. Moralium, cap. 17. & Pinedam in eum locum.

Itaque ſi fide obarmatum pectus, eius 39
inſultibus opponas: ſi diſploſſam in te Inferorum procellam, hoc unico verbo, *nolo*, fortiter excipias; in hoc ſcuto omnia tela nequiſsimi ignea extingues, ad

Epheſ.6.num.16. Bernardus Serm.5. de Quadrageſima. *Tu ſolummodò ne conſenſeris; & quoties reſtiteris, toties coronaberis.* Caſsianus Collatione 7. cap. 8. [Conſtat ergo, neminem poſſe à diabolo decipi, niſi illum, qui præbere illi maluerit ſuæ voluntatis aſſenſum.] Notum eſt illud Auguſtin. Sermone 197. de Tempore: qui dęmonem cum cane comparat, rabido illó quidem, verùm catenis illigato. *Qui latrare poteſt, ſolicitare poteſt; mordere omnino non poteſt, niſi volentem. Volentem*, inquit, id eſt, ad eum ſua ſponte per conſenſum voluntariũ accedentẽ. Ad Epheſ.4. num.27. *Nolite locum dare diabolo.* Vos tantùm *nolite*: ille terga continuò vertet. Hieronym. epiſtol. ad Demetriad. [Infirmus hoſtis eſt, qui non poteſt vincere, niſi volentem.]

Numerus 8.

Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.

41 LEgantior erit antitheſis huius verſus cum ſuperiore, ſi explicemus de acceſſu ad implorandam Divinam opem in ipſo conflictu cum dæmone: perinde, ac ſi dicat Apoſtol?. Si vos impares agnoſcitis ad ſubeundum certamen cum tali hoſte, ne deſpondeatis animos: non eritis vos, qui cum illo dimicabitis, præſto enim erit invocantibus divinum Numen: *non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum*, 1.Corint.10.num.13. Veriſsima enim eſt illa Hieronymi vox, lib.3. contra Pelagianos. *Noſtra victoria, illius protectione, & clypeo paratur.* Lege Belarmin. lib. 5. de Gratia, & libero arbitrio, c.7. & Commẽtarium noſtrum in id Malachiæ 3. n.7.

Revertimini ad me, & ego revertar ad vos.

(ę)

Emundate manus, peccatores.

42 ERuditiſsimè probat Briſſonius lib. 1. de Formulis, pag. 6. ſolemni præfatione, eos, quibus puræ non erant manus, ſacris arceri conſueviſſe. Laudat ſententiam Mimographi. *Puras Deus, non plenas reſpicit manus.* Multa etiam congerit Pineda in ea verba Iob 9. num. 30. *Si lotus fuero, quaſi aquis nivis, & fulſerint velut mundiſsimæ manus meæ.* Ablutione verò, mũditiaque manuum, ſignificari ſolitam morum innocentiam, ex ſacris oſtendit Maldonatus Matth. 27. num. 24. & Lorinus Actuum 18. num. 6. Mihi ſatis eſt ille locus Iob 22. num. 30. *Salvabitur innocẽs: ſalvabitur autem in munditia manuum ſuarum.*

43 Cùm ergo Iacobus hortatus eſſet fideles, ut ad Deum accederent, eiuſque opem ad ineundum cum ſanguinario hoſte certamen expoſcerent: eos admonet, nulla re magis, quàm manuum, cordiſque munditia, divinum favorem conciliari. 1. Timoth. 2. num. 8. *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus ſine ira.* Contrà verò dicitur Iſaiæ 1. num. 15. *Cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.*

Et purificate corda, duplices animo.

EXplicavi hunc locum cap. 1. num. 8.

Numerus 9.

Miſeri eſtote, & lugete, & plorate: riſus veſter in luctum convertatur; & gaudium in mærorem.

44 AD emundandas manus, & purificanda cordà, unica via, eaque maximè compendiaria, eſt pœnitentia: quæ ex anteactæ vitæ recordatione, gemitu, & lachry-

lachrymis concipitur; qua concepta, risus, & gaudium mundi repudiantur.

Quod Vulgatus vertit, *miseri estote*, Græce unico exprimitur verbo, *talæporeîsate*. Lyranus: *statum miseriæ assumite*. Regia, *affligimini*. Matablus: *affligite vos*. Auctor Thesauri Græcæ linguæ, in Symphonia novi Testamenti: *sensu miseriæ tangimini*. In Thesauro verò tom. 3. colu. 647. *labores, & ærumnas tolerate*. Sensus itaque Apostoli est: Ad placandum cælestem hominem, vestris culpis violatum, corporis afflictiones sponte suscipite, vel immissas à Deo, non modò patienter, verùm etiam gratanter sustinete.

45 Argute colligit Bernardus Sermo 3. de Nativitate, ex Christi exemplo. [Ipse est promissus olim per Isaiam parvulus sciens reprobare malum, & eligere bonum: malum ergo, voluptas corporis; bonum, afflictio est: siquidem & hanc eligit, & illam reprobat.] Iam quod ad promerendam peccatorum veniam attinet, asseveranter affirmat Nazianzen. orat. 18. pag. 409. [Neque enim Deus ullare, perinde atque corporis æruumna cõciliatur.] De Beata Virgine Maria, affirmavit Sanctæ Elisabethæ, apud Bonaventuram in Vita Christi, cap. 3. [Pro certo habeas, quòd nulla gratia descendit in animam, nisi per orationem, & corporis afflictionem.]

Numerus 10.

Humiliamini in cõspectu Domini, &
exaltabit vos.

46 VEra animi humilitas perpetuò solet pœnitentiam cõpunitari. 3. Regum 21. nu. 29. *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me?* Humilitati verò debitum præmium, & in Scriptura subinde promissum, est exaltatio. Sapienter enim dixit Augustin. Tractatu 94. in Ioannem. *Humilitas, claritatis est meritum; claritas, humilitatis est præmium.* Iob 5. num. 11. *Qui ponit humiles in sublime.* Et cap. 22. num. 29. *Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria.* Proverbior. 15. num. 33. *Gloriam præcedit humilitas.* Et cap. 18. n. 12. *Antequam glorificetur, humiliatur.* Cap. 29. numero 23. *Humilem spiritu suscipiet gloria.* Eccles. 11. nu. 1. *Sapientia humiliati exaltabit caput illius.* Matth. 23. num. 12. & Lucæ 14. num. 11. & cap. 18. num. 14. *Qui se humiliaverit, exaltabitur.* 1. Petri 5. numero 6. *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet.*

47 De ipso etiam Christo legimus ad Philippens. 2. num. 8. & 9. *Humiliavit semetipsum, &c. Propter quod & Deus exaltavit illum.* Quare rectè Cyprianus ait libro de Zelo & Livore. [Exaltationis apud nos nõ potest esse contentio, de humilitate ad summa crescimus; didicimus, unde placeamus.] Hanc viam munierat nobis cælestis Magister, Marci 9. nu. 34. *Si quis vult primus esse, erit* (id est, sit, vel fiat) *omnium novissimus.* Eamdem munit Augustin. Serm. 21. de Tempore. *Esto parvulus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis Dei.* Et Bernardus Serm. 2. de Ascẽsione. *Sola est humilitas, quæ exaltat; sola, quæ ducit ad vitam: hæc est via; & non est alia præter ipsam.*

48 Advertit hîc Sanctus Thomas, illis Apostoli verbis, *in conspectu Domini*, fictã, & adumbratam humilitatem excludi. Eccles. 19. num. 23. *Est, qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo.* Et c. 10. num. 11. *Est propter gloriam mirabilis.* Tigurina: *est, qui se submittat causa gloriæ.* Rectè Hieronymus in epistola ad Celantiam. [Humilitatem sequere, non quæ simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum; sed quæ puro affectu cordis exprimitur: aliud est enim, virtutem habere, aliud, virtutis similitudinem.] Lege Cassianum Collatione 18. cap. 14.

Numerus 11.

Nolite detrahere alterutrũ, fratres: qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem.

49 DEtractio gravissimum peccatum est: lędit enim famam, quæ (teste Aristotel. 4. Ethicorum cap. 3.) bonorum externorum est longè maximũ. Prover. 22. num. 1. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Eccles. 41. nu. 24. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi, & magni.*

50 Hoc itaque vitium passim prohibet Scriptura. Proverbior. 4. n. 24. *Detrahentia labia sint procùl à te.* Sapien. 1. num. 11. *A detractione parcite linguæ.* Vulgaris est illa ratio avertendi animos ab hoc crimine, quia detractores in omnium odium meritò incurrunt: Dei quidem, ad Roman. 1. num. 30. *Detractores, Deo odibiles;* hominum autem, Proverbio. 24. num. 9. *Abominatio hominum, detractor.* Eccles. 5. num. 17. *Super furem est confusio, & pœnitentia; & denotatio pessima* (id est, ut exponit Lyranus, ostensio confusibilis cum digito) *super bilinguem: susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia.* Sed Iacobus hic tria congerit argumenta ad huius vitij detestationem, ducta animirum à triplici iniuria, quæ infertur ipsi legi, legislatori, & proximo.

51 Quod ad primum argumentum attinet, Gabriel Vazquez tom. 2. in 1. 2. disp. 152. cap. 4. num. 45. secutus Gagneium, & Claudium, existimat, eum, qui detrahit fratri, eumque temerariè iudicat, eo ipso detrahere legi, legemque illam iudicare, tanquam inutilem, qua detractio, & iudicium temerarium prohibentur. Magis probo explicationem Catharini, Caietani, Serarij, & Salmeronis: non agere hîc Apostolum universè de quolibet iudicio, aut detractione, sed de ea speciatim, quæ reprehenditur Eccles. 11. num. 36. *Bona enim in mala convertens insidiatur, & in electis imponet maculam.* Est enim hæc multò detestabilior, quę ipsa virtutis opera temerè vitio vertit. Basilius certè in Regulis brevioribus, responsione 273. existimat, hoc esse peccatum in Spiritum Sanctum, cuius remissio est longè difficillima, Matth. 12. num. 32.

52 Moveor primò: nam qui detrahit adultero, vel iudicat quempiam (tametsi ex levibus indicijs) adulterium perpetrasse; esto, lethaliter peccet; non video, quî legem iudicet, quæ prohibet iudicare: quẽadmodùm neque ille, qui furto se obstringit, iudicat legem vetantem furtum. Potiùs enim detrahens adultero, se ostendit quodammodò zelatorem, ac vindicem legis, licèt ex zelo non secundum scientiam, cùm carpit, & exagitat adulterium, quod lege ipsa videt prohiberi. At, qui heroicæ virtutis opus, editum ex præcepto legis Evangelicæ, vitio attribuit; qui remissum sæculo nuntium, secessumque in eremum, aut in asperam religionem ad victum, & cultum horridiorem, non solùm irridet, sed insaniam vocat; qui distributionem in pauperes totius rei familiaris, stolidam profusionem appellat; qui Christi exemplo, & amore condonantem impactum colaphum, ignavum, & effęminatum ducit: is quidem legem Evangelicam, quę talia virtutum opera suadet, quodammodò iudicat, & damnat.

53 Moveor deinde: nam in hac explicatione aptè cohæret hic versus cum superioribus. Hortatus erat Apostolus ad pœnitẽtiam, ad luctum, ad afflictionem carnis, ad humiliationem crucis: verbum autem crucis pereuntibus stultitia est, 1. Corinth. 1. num. 18. Perstringuntur scilicet oculi mundanorum tantarum splẽdore virtutum: contingitque illis, quod de Christi cognatis refert Evangelista Marc. 3. num. 21. *Sui exierunt tenere eum, dicebant enim, quoniam in furorẽ versus est.*

Si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex.

54 HAEc ipsa repetitio Apostoli, inculcatioq; eiusdem sentētiæ, probabiliorem efficit nostram explicationē. Quis enim affirmatè iteret, iudicem eum esse legis prohibentis detractionem, qui illam tantùm violat detrahendo? aut cur, qui furtum admittit, non dicetur iudex legis de non furando, quam sua transgressione contemnit? Itaque plus multò significat Apostolus, quàm legem facto ipso perfringi.

Numerus 12.

Vnus est legislator, & iudex, qui potest perdere, & liberare.

55 HOc est secundum argumentum, ductum ab iniuria illata legislatori. Quid tibi tam temerè istam arrogas auctoritatem? Solus est Deus, qui ita legem tulit, ut nostra non modò iudicet facta, verùm etiam occultissima cogitata, quibus eius legem violamus. Ad eum duntaxat spectat condemnare, vel absolvere: tuum autem non est iudicare, sed parere. Vtrumque etiam coniunxit Isaias cap. 33. num. 22. quò fortasse Iacobus respexit. *Dominus enim iudex noster, Dominus legifer noster.*

Numerus 13.

Tu autem quis es, qui iudicas proximum?

56 INiuria etiam profectò afficis proximum, in quem tibi ius usurpas. Auget interrogatio miram energiā: *tu autem quis es?* Perinde ac si dicat: nimium de te præsumis, dum tibi arrogas, quod propriū Dei est. Ad Romanos 14. nu. 4. *Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit.* 1. Corinth. 4. num. 4. *Qui autem iudicat me, Dominus est: itaque nolite ante tempus iudicare, quoad usque veniat Deus.*

Ecce nunc qui dicitis: hodie, aut crastino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus.

Numerus 14.

Qui ignoratis, quid erit in crastino.

57 AVrea planè sententia, altè 57
que defigenda in animo; & attenta potiùs meditatione concoquenda, quàm commentarijs illustranda. Est enim per se dilucida, & non solùm ab Scriptura, & Patribus crebrò repetita, sed à Philosophis etiam, atque adeò à Poetis identidem usurpata. Hinc videlicet erumpebant illæ voces, quanvis perperam detortæ ad vitam voluptariam instituendam.

Omnē crede diem tibi diluxisse supremū.
Nō est, crede mihi, sapientis dicere, vivā:
Sera nimis vita est crastina: vive hodie.

Et eius generis sexcenta. Hinc graviter 58
Cicero 2. de Finibus: [Nemini exploratum esse potest, quomodò sese habiturum sit corpus, non dico ad annum, sed ad vesperum.] Et in lib. de Senectute. *Quis est tam stultus, quanvis sit adolescens, cui sit exploratū, se ad vesperum esse victurum?* Præclarè item Seneca epist. 61. *Id ago, ut mihi instar totius vitæ sit dies: sic illum aspicio, tanquam esse vel ultimus possit.*

Hinc sapientissimè Gregorius homi- 59
lia 12. in Evangelia: [Qui pœnitenti veniam spopōdit, peccanti diem crastinum non promisit: semper ergo extremum diem debemus metuere, quem nūquam

possumus prævidere.] Proverbior. 27. numero 1. *Ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superventura pariat dies.* Videlicet *nescit homo finem suum*, Eccles. 9. num. 12. nam *& Rex hodie est, & cras morietur*, Eccles. 10. num. 11. Hanc vim habet crebra illa adhortatio Christi Matthæ. 25. num. 12. *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. Es largo plaço un dia: ni una hora de vida tenemos cierta, ni un instante seguro.* Iob 21. num. 13. *In puncto ad inferna descendunt.* Et cap. 10. num. 8. *Sic repentè præcipitas me?* Præciditur sæpe tela huius fragilis vitæ in ipsis primis filis, Iob 7. num 6. & Isaiæ 38. num. 12. *Præcisa est, velut à texente, vita mea: dum adhuc ordirer, succidit me.*

60 Non solùm vita nostra similis est navi ob incredibilem cursus velocitatem. Iob 9. num. 26. *Pertransierunt, quasi naves poma portantes:* quæ scilicet remis, velisque impelluntur, ne poma ipsa putrescant: & ob nullum relictum vestigium, neque semitam carinæ illius in fluctibus, Sapient. 5. num. 10. sed etiam, quia sæpe naves, vixdum portum egressæ, subitò ad scopulos allisæ franguntur, aut coorta procella fluctibus absorbentur. Non prætermittam luculenta Tertulliani verba in lib. de Anima, cap. 52. [Vis est & illa navigijs, cùm longè à saxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quassata decumanis, adulante flatu, labente cursu, lætante comitatu, intestino repente perculsu, cum tota securitate desidunt. Non secùs naufragia sunt vitæ, etiam tranquillæ mortis eventus.]

61 Et cùm tantam huius miseræ vitæ incertitudinem quotidie hauriamus oculis, manu teneamus; tamen verissimum est, quod dixit Hieronymus in epitaphio Nepotiani. [Quotidie morimur, quotidie commutamur, & tamen æternos nos esse credimus: hoc ipsum, quod dicto, quod scribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur. Quot puncta Notarij, tot meorum damna sunt temporum.]

Numerus 15.

Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.

62 Græca vox *atmis* non ita pressè sumenda est, ut solet apud Philosophos Latina *vapor*. Hic enim significat afflatum quemvis exilem, halitumque tenuissimũ, etiam ex igne, vel fumo valde extenuato, iam iamque evanescentem: ut constat Actuum 2. num. 19. *Et vaporem fumi.* Ecclesiast. 22. num. 30. & cap 38. num. 29. Eadem vox, *radius* vertitur Ecclesiast. 43. num. 4. Nihil itaque fragilius, nihil extenuatius, nihil levius excogitari potest.

Mortis igitur incertitudinem probat 63 Apostolus ex vitæ fragilitate. Quid enim mirum, aquę bullam repente evanescere; vaporem à vento facilè disijci; umbram subitò diffugere? Similitudines sunt in Scriptura, & Patribus frequentissimæ, eædemque significantissimæ ad vitæ huius inconstantiam, miseriam, volubilitatemque ob oculos statuendam. Psal. 89. nu. 9 *Anni nostri, sicut aranea,* (Hebraicè, *sicut loquela*) *meditabuntur*, id est, æstimabuntur. *No parece que passan, sino que se piensan: son un pensamiento los años de nuestra vida.* Genebrardus: *dicto, cogitatione-ve ocyùs consumuntur.* Iob 7. num. 6. legũt LXX. *Vita mea exilior est, quàm loquela.* 64 Isaiæ 2. num. 22. *Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius est*, id est, desinite timere hominem, cuius vita flatu continetur, respiratione exhauritur. *Hombre que se acaba en un soplo.* Sapient. 2. num. 2. *Fumus flatus est in naribus nostris.* Psalm. 77. num. 39. *Spiritus vadens, & non rediens*, id est, ventus, ipsa sua agitatione disparẽs. Sap. 5. n. 15. *Tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur; & tanquam fumus, qui à vento diffusus est.* Iob 14. num. 2. *Fugit, velut umbra.* Denique non solùm est universa vanitas omnis homo

vivens, Psalm. 38. num. 6. sed planè nihil, Iob. 7. num. 16. *Nihil enim sunt dies mei.* Vnde meritò sapientissimus Lipsius incidi iussit in suo sepulchro versus istos.

Vis, altiore voce me tecum loqui?
Humana cuncta fumus, umbra, vanitas,
Et scenæ imago: &, verbo ut absolvam, nihil.

Pro eo, ut dicatis.

HOc est, pro eo, quòd dicere debebatis: ut ex consueta phrasi Scripturæ probat Ribera ad Hebræos cap. 12. num. 7.

Si Dominꝰ voluerit. Et: si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.

65 ITa sæpe loquitur Paulus. 1. Corinth. 4. num. 19. *Veniam autem ad vos citò, si Dominus voluerit.* Et cap. 16. num. 7. *Spero enim, me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit.* Ad Philip. 2. num. 24. *Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos citò.* Ad Hebr. 6 num. 3. *Hoc faciemus, si quidem permiserit Deus.* Est autem valde mirandum, Angelum illum, qui repræsentabat Deum immortalem, mortalis tamen ritu locutum esse; videlicet ut ipsos mortales instrueret, Genes. 18. num. 10. *Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite.* Lege hîc apud Serarium repentinum obitum cuiusdam, qui sibi certò pollicebatur, postridie se adamatæ sponsæ amplexibus fruiturum.

Numerus 16.

Nunc autem exultatis in superbijs vestris: omnis exultatio talis maligna est.

66 ANselmus Laudunensis, Sanctus Thomas, Claudius, Catharinus, Paez, Salmeron, & communiter Interpretes ita exponut. Vos autẽ avidissimè lucris inhiãtes, in vestris divitijs exultatis, quibus solent homines superbire. Itaq; de horũ Interpretum sententia, divitias vocat Apostolus *superbias*; quia divites solent esse superbi. Eleganter enim Augustinus exponens verba illa 1. Timoth. 6. num 17. *Divitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere*: Græcè, *hypselophronin*, idest, superbè, elatè, atque magnificè de se sentire; sic ait tom. 10. serm. 5. de Verbis Domini cap. 9. [Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum. Alius est vermis mali, alius fabę, alius tritici: vermis divitiarum superbia est: ergo præcipe divitibus non superbè sapere.]

67 Cùm hanc communem improbem explicationem huius loci, meam magis probarem coniecturam, si eam apud probatum aliquem expositorem invenirem. Suspicor Iacobum in eadem persistere sententia, & ad cap. 27. Proverb. alludere: ibi enim legimus num. 1. *Ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superventura pariat dies.* Gloriari autem in crastinum, est, prosperum aliquem successum, egregiumve factum, & ex animi sententia ad exitum perductum, certò sibi in posterũ polliceri. Hoc ipsum vocat Iacobus *in superbijs exultare.* Nos Hispani significanter exprimimus: *fabricar torres de viento.* Et nemini dubium esse potest, in hac explicatione magis cohærere contextum; aptiùsque antithesim, particula illa adversativa *autem* denotatam, consta-

68

re, quàm si subitò deflectat Apostolus ad homines, qui divitijs efferuntur. Admonuerat eos humanæ imbecillitatis: proposuerat mortis in momenta singula impendentis incertitudinem: aptissimè itàque subiungit: atqui tantùm abest, ut memores mortis quotidie imminentis, vos modestè, demissèque geratis; ut potiùs de rebus ad voluptatem fluentibus, in multos annos inaniter, & superbè gloriemini: contra prudentissimum illud Ecclesiast. præceptum cap. 6. num. 2. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus, ne fortè elidatur virtus tua.* An non exultabat in superbijs ille
69 dives, qui aiebat Lucæ 12. num. 19. *Habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare?* Sed repentè illi divina vox intonuit: *Stulte, hac nocte animã tuã repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erũt?* Verbum etiam *exultatis*, quo hîc utitur Apostolus, Græcè *cauchate*, nõ solùm Caietanus, Regia, Tigurina, & Interpres OEcumenij hic vertunt, *gloriamini*; sed Vulgatus etiam ipse ad Romanos 2. num. 17. cap. 5. numer. 2. & 1. Corinth. 1. num. 29. ad Galatas 6. num. 14. & ad Ephes. 2. numer. 9. ut omnino conveniat cum loco Proverbiorum.

Numerus 17.

Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.

70 EGregia capitis huius clausula, & ad institutum Apostoli in tota hac Epistola apprimè conducens. Scopus eius est, ut sæpe iam adnotavimus, Christianam fidem non verbis duntaxat testandam esse, sed multò magis vita etiam, & moribus exprimendam. Nunc calcar admovet acutissimum: nimirùm, longè eos peccare graviùs, ac proinde multò etiã atrociùs fore puniendos, qui cognoscentes perspicuè bonum, atq; adeò reclamante ipsa conscientia, & malum acerrimè detestante; nihilominùs prudentes, & videntes, spreto bono, in illud ipsum cognitum malum se sua sponte coniecerunt hoc planè esse peccatum ex malitia; eiusmodique transgressionem legis cum voluntario contemptu ipsius legislatoris esse coniunctam. Hi sunt nimirum *qui veritatem Dei in iniustitia detinent*, ad Romanos 1. nũm. 18. *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato*, 2. Petri 2. num. 21. *Servus enim, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis*, Lucæ 12. n. 47. In hanc sententiam explicat Chaldæus Paraphrastes verba illa Ecclesiast. 1. num. 18. *Eò quòd in multa sapientia multa sit indignatio. Namque vir*, inquit, *qui multiplicat sapientiam, quando peccat, multiplicat indignationem à Domino.* Congruenter ibi Aquila: *qui addit cognitionem, addit tormentum.* 71

CAPVT V.

Numerus 1.

Agite nunc divites, plorate ululantes in miserijs vestris, quæ advenient vobis.

VLulare etsi luporum proprium est, frequentissime tamen transfertur in Scripturа ad lugubres hominũ eiulatus exprimendos. Isaiæ 13. num. 6. cap. 65. num. 14. Ieremiæ cap. 47. num. 2. Ezechielis 30. num. 2. Ioelis cap. 1. numer. 5. Michææ 1. numer. 8. Vide Riberam in cap. 5. Oseę num. 22. Acerbissimè ergo insectatur Apostolus divites avaros, prædis, & rapinis avidè inhiantes, genioque intemperanter 1

indul-

indulgentes: avertit eos à delicijs ad effusos plactus ob æternam calamitatem, sibi iam iámque imminentem.

2 Observo in arcano sermone divitibus iniquis, & voluptarijs, severissimè denũciari horribile illud *væ*, quod, ut notavit Gregorius homil. 9. in Ezechiel. sæpius in Scriptura de æterno luctu, quàm de præsenti solet intelligi calamitate. Amos 6. num 1. *Væ qui opulenti estis in Sion.* Et Luc. 6 n. 24. *Væ vobis divitib⁹, quia habetis consolationem vestram.* Vbi ponderanda est particula illa causalis *quia*, quæ habet eamdem vim Luc. 16. num. 25. *Recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.*

Nam ut graviter dixit Hieronymus
3 Epist. 34. [Difficile, imò impossibile est, ut præsentibus quis, & futuris fruatur bonis; & hîc ventrem, & ibi mentem expleat; ut de delicijs transeat ad delicias.] Hunc ipsum terrorem divitibus intentat verbum illud, vel potiùs fulmen summæ veritatis, Matth. 19. num. 24. *Facilius est, camelũ per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum.*

Iam verò præsentis vitæ miserias, quibus assiduè divites conflictantur, elegan-
4 ter persequitur Cyprianus lib. 2. Epistola 2. [Hos inter divitias suas trepidos cogitationis incertæ solicitudo diseruciat: nõ cibus secuto, somnusve contingit: suspirat ille in convivio, bibat licèt gemma; & cùm epulis marcidum corpus torus mollior alto sinu condiderit, vigilat in pluma: nec intelligit miser, speciosa sibi esse supplicia; aurto se alligatum teneri, & possideri magis, quàm possidere divi-
5 tias.] Consentaneè Ambrosius lib. de Nabuthe, cap. 14. [Bene, inquit, viros divitiarum appellavit David (Psalm. 75. num. 6.) non divitias virorum ut ostendat, eos non possessores divitiarum esse, sed à suis divitijs possideri.] Rectè item omnino Seneca Epistola 119. [Sic divitias habent, quomodò habere dicimur febrim, cùm illa nos habeat. E contrario dicere debemus: febris illum tenet: eodem modo dicendum est: divitiæ illum tenent, imò & torquent.] Acutè observat Gregorius expendens verba illius divitis, Lucæ cap. 12. numer. 17. *Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos?* [O angustia (inquit Gregorius lib. 15. Moralium cap. 11.) ex facietate nata! de ubertate agri angustiatur animus avari.]

Ex appetentia verò divitiarum, & 6
temporalium bonorum affluentia, frequentissimè superbia, libido, crudelitas, rapina, multaq; alia detestanda vitia proficiscuntur. Testantur id passim sacræ literæ. Satis erit in re pervagata locos indicare. 1. Regum 25. num. 11. Iob 20. num. 19. Proverb. 28. num. 20. Eccles. 31. num. 5. & cap. 11. num. 10. Isaiæ 5. num. 8. Habacuc 2. n. 6. & 1. Timoth. 6. num. 9.

Numerus 2. & 3.

Divitiæ vestræ putrefactæ sunt: & vestimenta vestra à tineis comesta sunt: aurum, & argentum vestrum æruginavit.

Thesaurizastis videlicet vo- 7
bis thesauros in terra, *ubi ærugo, & tinea demolitur*, Matth. 6 numer. 19. Quod carpit etiam Seneca lib. 3 de Ira cap. 31. *Avaritia iterum sub terras refert, quæ male egesserat.* [Grandis profectò insania, (inquit Basilius homilia 7. in divites avaros) primùm, in metallis aurum latitans omni diligentia in lucem proferre, ac ex humo recludere; deinde semel effossum rursus in terra occultare. Nam quicunque hoc facis, profectò & consimul fodere videris: dicitur enim (Matth. 6. num 21.) ubi thesaurus tuus, ibi & cor tuum.] Cohgruenter Ambrosius lib. 2. de Iacob, & vita beata cap. 7. [Multi defosso auro incubant: aurum eorum

ſub terra, & cor eorum ſub terra: cave ergo, ne & tu cor tuum terræ vivus infodias.]

8 Depingit hîc Apoſtolus avarorum ingenium: quò maiores congeſſerunt opes, eò illas appetunt ardentiùs; eò difficiliùs in pauperes diſpenſant: æquiore patientur animo, frumentum in horreis aſſervatum vetuſtate putreſcere, veſtes in arca reconditas tinea corrumpi, aureos denique nummos altè defoſſos in terra rubigine exedi, quàm his bonis egentium inopiam ſublevari. Imò verò ſæpe etiam in ſe ipſos crudeles ſunt, ut pecunijs parcant; veri Tantali merito ſummam aquam attingẽtes, ſiti enecti. *Mutato nomine* (inquit Horat lib. 1. Sermonum, Satyra 1.) *de te*

Fabula narratur: congeſtis undique ſaccis
Indormis inhiãs, & tanquã parcere ſacris
Cogeris; aut pictis tanquam gaudere tabellis.

9 Iuſtum ſanè, ac prudens fuit ſupplicium Caliphi cuiuſdam locupletiſſimi, Babylone regnantis: is enim turrim habebat refertam auro, argento, & varijs lapidibus pretioſis; atque obſidione cinctus, ne theſauros attingeret ſuos, contempſit milites evocare. Verùm expugnata demum urbe, captus, & vinculis conſtrictus, in illam ipſam turrim, omni prorſus ſubducto cibo, incluſus eſt: ea inſuper obiurgatione increpitus: *i nunc, & famem depelle theſauris iſtis, quos tam avidè ſitiſti.* Paulò pòſt fame enectus, inter aurum, & gemmas miſerandum in modum expiravit. Auctores referunt Maluenda lib. 2. de Antichriſto, cap. 17. Lorinus Eccleſiaſt. 2. num 23.

10 Veriſsimũ eſt proverbium illud, quod refert Hieronymus ad Paulinum: *Avaro tam deeſt, quod habet, quàm quod non habet.* Cui conſonat Seneca epiſtola 108: *Deſunt inopiæ multa; avaritiæ, omnia.* Semper enim avarus eget. Horat. lib. 1. epiſt. 2. & lib. 2. Carminum Ode 2.

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit.

Quia nimirùm, ut ait Ovidius 1. Faſtorũ:

Creverunt & opes, & opum furioſa cupido:
Et cùm poſſideant plurima, plura petũt.

Sapienter itaque Seneca lib. 2. de Beneficijs, cap. 27. [Eò maiora cupimus, quò maiora venerunt: multòque concitatior eſt avaritia in magnarum opum congeſtu collocata: ut flammæ infinitò acrior vis eſt, quò ex maiore incendio emicuit.]

Et ærugo eorum in teſtimonium vobis erit.

SEnſus eſt: tanquam teſtis incorruptus, 11
veſtram crudelitatẽ in pauperes condemnabit: palàmque oſtendet, vos adeò fuiſſe inhumanos, ut theſauros veſtros malueritis ærugine abſumi, quàm pauperibus impendi. Phraſis eſt, & ſententia, digna Scripturę maieſtate. Sapient. 10. num. 7. *Quibus in teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat deſerta terra.* Et de divite avaro Eccleſ. 31. num. 29. *Nequiſsimo in pane murmurabit civitas, & teſtimonium nequitiæ illius verum eſt.* Et Habacuc 2. num. 11. *Lapis de pariete clamabit; & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit:* ideſt, marmora ipſa pretioſa, & cypreſſina laquearia, alienis impendijs, & pauperum ſanguine exſtructa, vos iniurios, & raptores eſſe clamitabunt. Iſaiæ 30. num. 8. *Erit in die noviſsimo in teſtimonium uſque in æternum.*

Congruenter huic ſententiæ explicat 12
Maldonatus, laudans Hilarium, & Origenem, illud Matth. 10 nu. 14. *Exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris.* Nimirùm ut hac tam inſolita actione Apoſtoli oſtenderent, illum ipſum pulverem, quem ex itinere collegerant, ut illis Evangelium prædicarent, in die Iudicij teſtem incorruptum contra eos futurum, qui ſe recipere noluiſſent. Eamdẽ habet vim Luc. 21. n. 13. *Continget autem vobis in teſtimonium*: hoc eſt, vobis ea res invictum adverſus rebelles teſtimonium erit, quod in die Iudicij vos excuſet, illos autem acriter accuſet.

Et

Et manducabit carnes vestras, sicut ignis.

13 TErrifica verba, inquit Isidor⁹ Clari⁹, *si isti audirent, neq; multo auro occlusissent aures*. Sensus Apostoli est: elegistis potiùs thesauros vestros ærugine exedi, quàm illis pauperes alere; illa igitur ipsa ærugo non solùm thesauros absumet, sed testimonium reddens vestræ crudelitatis, carnes etiam vestras, tanquam ignis ardẽtissimus, devorabit. Arbitror alluisse Iacobum ad cap. 6. Michææ num. 10. *Adhuc ignis in domo impij thesauri iniquitatis*. Quod perinde est, ac si dicat Propheta, ut graviter exponit ibi Ribera, nu. 32. Adhuc post tot increpationes Prophetarum, impij retinent thesauros per rapinã collectos; sed eis erunt non thesauri, sed carbones incensi, acerbissimusque ignis, quo in omnem æternitatem conflagrabunt.

Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.

14 VIdete, quales tandem thesauros in extremum illum Iudicij diem vobis cumuleris; videlicet iracundiæ Divinæ, atque adeò ignis æterni. Simili metaphora usus est Paulus ad Romanos 2. numero 5. *Thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis iusti iudicy Dei*. Quæ verba sic explanat Gregor. hom. 11. in Ezechielem. [De benignitate Dei iram sibi in die iræ reprobus thesaurizat; quia dum ad pœnitendum tempus accipitur, & ad peccãdum exhibetur, ipsum remedium gratiæ vertitur in augmentum culpæ.] Et Bernard⁹ Sermone de Triplici misericordia. [Thesaurizas tibi thesauros iræ pro prorogatis thesaurris misericordiæ, quos contemnis.] Alludit verò uterq; Apostolus ad cap. 32. Deuteronom. num. 34. *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* & Iob 14. nu. 17. *Signasti, quasi in sacculo, delicta mea*.

Numerus 4.

Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introivit.

15 IOb 24. num. 6. ubi nos legimus, *agrum non suum demetunt; & vineam eius, quem vi oppresserint, vindemiant*, verfunt LXX. *Imporentes vineas impiorum sine mercede, & sine cibo operati sunt*. Res severè prohibita in Scriptura Levitici 19. num. 13. Tobiæ 4. num. 15. Eccles. 7. numero 22. Est enim scelus longè gravissimum, ac de numero illorum, quæ in cælum clamare dicuntur, hoc est, sua fœditate celerem Dei vindictam, severissimumque supplicium exposcere. Ducta nimirùm metaphora ab hominibus, qui æquo animo dissimulant se audire cõtumelias, ne iniuriam illatam cogantur ulcisci; sed cùm iam probra clamoribus iactantur, cùm petulantissimæ contumeliæ aures obtundunt, etiam inviti ad ultionem excandescunt. Hinc in recondito sermone magna peccata vocantur *clamor*. Isaiæ 5. num. 7. & Genes. 19. num. 13. *Delebimus enim locum istum, eò quòd increverit clamor eorum coram Domino*.

16 Quòd si de effusione sanguinis legimus Genesis 4. num. 10. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*: qui clamores exprimuntur Apocalypsis 6. num. 10. *Vsque quò Domine non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum?* etiam merces pauperum, sudoresque fraudati, effusio quædam sanguinis est. Ecclesiast 34. n. 27. *Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt*. Alludit verò Iacobus ad caput 24. Deut. n. 15. *Eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustẽtat animã suam, ne clamet contra te ad Dñum*.

Quod

17 Quod verò acutè observat alicubi doctus quidam è nostris sacræ Scripturæ Interpres, non clamare pauperes mercede fraudatos, *quia pauper læsus tacebit*, Eccles. iast. 13. num. 4. sed mercedem ipsam iniquè interceptam, licèt muta sit, clamores tamen in cælum usq; contendere: & si pro hac secunda parte certissimum est, pro illa tamen priore vereor, ne nimis subtile sit, & parùm solidum: certè non videtur cum verbis Scripturæ congruere, in qua non solùm dicitur merces fraudata in cælum clamare, sed ipsi etiam pauperes, qui mercede fraudantur; tum in eo loco Deut. 24. num. 15. *Ne clamet contra te ad Dominum*: scilicet ipse pauper iniuria affectus; tum vel maximè in illis Iacobi verbis, *& clamor eorum*, (id est, mercenariorum: Græcè, *therisanton*, id est, metentium) *in aures Domini Sabbaoth introivit*. Quanvis enim pauper oppressus hiscere non audet coram divite, edit tamen libèrè contentos clamores ad utriusque cælestem Iudicem Deum.

18 Similis est observatio Ambrosij, sed sanè gravis, & Ambrosio digna lib. 1. de Abel, & Cain, cap. 9. Expendēs enim verba illa Geneseos 4. num. 10. *Vox sanguinis fratris tui clamat*, ait. [Non frater clamat: hoc innocentia, & gratia germanitatis etiam in ipsa morte servat: non accusat frater; non accusat vox ipsius, non anima eius; sed vox sanguinis accusat; quem ipse fudisti.]

Cur Deus appelletur Dominus Sabbaoth, id est, exercituum, copiosissimè disseruí Nahum 2. num. 13. Hic verò emphasim habet: terret videlicet superbos divites, & inhumanos, intentato illius potentissimi ducis nomine, cuius vel unicus miles potest innumerabiles copias momento trucidare. 4. Regum 19. num. 35.

(i)

Numerus 5.

Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra.

19 GRæcum verbum *tryphao* significātius est, quàm Latinū *epulari*. Regia vertit: *deliciati estis*. Vulgatus sic expressit eius vim Eccles. 14. num. 4. *In bonis illius alius luxuriabitur*. Et quod legimus Isaiæ 66. nu. 11. *ut delicijs affluatis*, LXX. hoc ipso verbo significanter expresserunt. Vox enim *tryphe*, luxum significat, ac delicias. Eccles. 11. num. 29. *Oblivionem facit luxuriæ magnæ*. Et Lucæ 7. num. 25. *Qui in veste pretiosa sunt, & delicijs*. Subest utrobique Græcè, *tryphe*. Quòd verò in hanc sententiam *epulandi* verbum usurpetur à Vulgato, evidenter convincitur ex cap. 19. Sapient. num. 11. *Postulavērūt escas epularionis*. Græcè, *tryphes*, id est, cibos delicatos, & exquisitos.

20 Hoc nimirùm familiare divitibus est vitium: indulgere genio; comessationib⁹, & compotationibus abdomen infarcire. Amos 6. nu. 4. *Qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, &c.* Psalm. 16. numero 10. *Adipem suum concluserunt*, id est, se ita mollìter curarunt, ut adipe, ac pinguedine diffluerent. *Tienen bien cubierto el riñon*. Sic Lucæ 12. num. 19. dives ille, cuius ager uberrimos proventus extulerat, ita alloquebatur animam suam. *Requiesce, comede, bibe, epulare*. Exclamat hîc Basilius in homil. super hunc locum. [O 21 verba stultissima! ô dementiam singularem! Nā si porcinam habuisses animam, quid aliud enuntiare potuisses? Ita ne pecuinus es, ita bonorum animæ ignarus, eam ut exceptes carnalibus epulis?] Pecuinus plane erat alter ille dives, qui nihil omnino de anima immortali curans, mortale dūtaxat corpus, tanquā mura bellua,

confer-

confertim ingurgitabat, Lucæ 16. nu. 19. *Induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè.*

In die occiſionis.

2 IN Græcis exemplaribus exprimitur nota ſimilitudinis *hos*, id eſt, *ſicut*: quæ valde hunc locum illuſtrat: omiſit verò Latinus Interpres ex vulgari Hebraiſmo, quo illa ſubinde ſuppleri ſolet. Exempla congerunt, ne ego actum agam, Ribera Oſeæ 7. num. 6. & Nahum 3. num. 23. & Zachar. 6. num. 6. Maldonat. Marci 9 numero 49. Salmeron Tom. 1. Prolegomeno 14. formula 27. pag 341.

Occiſio autem, Græcè *ſphage*, idem eſt, atque mactatio, ſive immolatio victimæ. Ad Romanos 8. num. 36. *Sicut oves occiſionis.* Actuum 8. num. 32. *Tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt.* Vtrobique ſubeſt idem nomen *ſphage.* Vox item *ſphagiõ* victimam ſignificat, Actuum 7. numero 42.

23 Cùm autem pinguiores vituli mactari ſolerent, & alioqui ex præſcripto legis carnes victimæ, quæ obveniebant immolanti, eodem die, aut ad ſummum poſtridie eſſent abſumendæ, ut latè probat Ribera lib. 4. de Sacrificijs, cap. 4. in die occiſionis largè, & ſplendidè convivia celebrabantur. Hinc petendus eſt ſenſus litteralis illius loci Proverbior. 7. nu. 14. *Procaci vultu blanditur dicens: victimas pro ſalute vovi.* Vbi doctè Iſidorus Clarius: hoc dicit, ut iuvenem alliciat, atque invitet ad epulas; quaſi dicat: eſt mihi domi multa caro, nam feci hodie ſacrificia pacificorum; indulgebimus igitur genio. De illo etiam convivio, quod Sapientia exſtruxit, magnificèque apparavit, legimus Proverbior. 9. num. 2. *Immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam.* Senſus itaque Iacobi eſt: perinde in veſtris comeſſationibus, & compotationibus laſcivitis, ac ſi victimas quotidie immolaretis.

24 Fortaſſe etiam prędicit Apoſtolus, eos quaſi divini ſupplicij victimas impunè pingueſcere, atque adeò opiparè ſaginatos in diem occiſionis reſervari: iuxta illud Hieremiæ 12. num. 3. *Congrega eos, quaſi gregem ad victimam, & ſanctifica eos in die occiſionis.* Sanctificare enim in eo loco idem eſt, ac mactationi conſecrare: quod elegãter dixit Poeta Latinus 2. Æneidos. *Me deſtinat aræ.* Sub hac metaphora ſæpe impijs atrociſsima ſupplicia Prophetæ minantur. Iſaiæ 34. num. 6. *Gladius Domini repletus eſt ſanguine, incraſſatus eſt adipe: victima enim Domini in Boſra, & interfectio magna in terra Edom.* Hieremiæ 46. num. 10. *Dies autem ille Domini Dei exercituum, dies ultionis, ut ſumat vindictam de inimicis ſuis: devorabit gladius, & ſaturabitur, & inebriabitur ſanguine eorum: victima enim Domini Dei exercituum in terra Aquilonis.* Ezech. 21. numero 9. *Gladius, gladius exacutus eſt.* Et cap. 39. num. 17. *Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem ſuper montes Iſrael: ut comedatis carnem, & bibatis ſanguinem.*

Huc ſpectat, quod prudenter admodũ 25
dixit Dionyſius Siciliæ Tyrannus, ut refert Euſebius lib. 8. de Præparatione Evangelica cap. 5. [Illis animalibus ſimiles ſumus, quibus comedendi, bidendique, non ad aliud, quàm ad perniciem ſuam, copia ſolet offerri.] Ardẽter verò intonat Chryſoſtomus homil. 54. ad Populum Antiochenum. [Tempus eſt belli, tempus certaminis; tu verò ſedes in delicijs? Stat ſtridens dentibus adverſarius, tu autem menſis vacas? Chriſtus fame tabeſcit, & tu voracitate temetipſum diſtendis? Numquid mactandi ſumus, quoniam nos ipſos ſaginamus?] Et Clemens Alexandrin. lib. 2. Pędagogi cap. 1. circa medium. [Eſt autem valde à ratione alienum, & inutile, & nequaquam humanum, pecudum more pinguefactum morti nutriri.]

Numerus 6.

Addixistis, & occidistis iustum, & non restitit vobis.

26 GRæcè, *catedicasate*, id est, *condẽnastis*: addicere enim in hoc loco, forense verbum est, vel potiùs iudiciale: significatque, aliquem reum actum capitali sententia percellere, iuxta illud Ciceronis in Pisonem: *cuius sanguinem addixeras.*

Communis expositio fert, Iusti nomine intelligi Christum, qui sæpenumero in Scriptura per antonomasiam Iustus appellatur. Isaiæ 53. num. 11. Hieremiæ 23. num. 6. Matth. 27. num. 19. & num. 24. Actuum 7. num. 52. Ita ut hæc sit vehemens quædam exprobratio patrati immanissimi Deicidij, non absimilis illi Actuum 3. num. 14. *Vos autem sanctum, & iustum negastis, & petistis verum homicidam donari vobis; auctorem verò vitæ interfeciſtis.* Ita exponunt Beda, Strabus, Sãctus Thomas, Anselmus Laudunensis, Hugo Cardinalis, OEcumenius, Catharinus, Serarius, Gagneius, Isidorus Clarius, Salmeron, & (ut ait Pacz) tota Interpretum Latinorum cohors.

27 Si quæras ex his Doctoribus, quorsum hæc spectet tam intempestiva, ut videtur, admissi horrendi facinoris exprobratio; plerique quæstionem ne attingunt quidem. Gagneius ita solvit. Quòd cùm Iustum impiè necavissent, & pro sacrilegio tam horribili lachrymas ubertim fundere, & in se ipsos acriter sævire deberent; illi contrà pœnitentiæ obliti, abdomen refarcirent, luxuriaque diffluerent.

28 Est quidem hæc expositio vel sola tot Interpretum auctoritate probabilis. Sed series ipsa exigit, ut adhuc Apostolus invehatur in divites raptores, eorumque tyrannidem insectetur. Est verò violentissima pauperum oppressio, cùm eis per summam iniuriam potentiores dicam impingunt; & sub specie iuris, & æqui, bona sua quantulacunque fraudulẽter eripiunt. At obstat verbum *occidistis*, quod debet in sua proprietate servari, neque ad metaphoram sine causa transferri. Per me servet, qui voluerit, & exponat de nece, falsi criminis obtentu illata iusto, ut fortunis evertatur: cuius atrocitatis extat exem- 29
plum perinsigne 3. Regum 21. num. 2. & 13. Sed hæc tam dira bonorum prædatio, licèt citra sanguinem pauperis fiat, occisio etiam in Scriptura iure nominatur. Eccles. 34. num. 25. *Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est: qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.* Hier. 2. n. 34. *In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum.* Vbi de pauperum prædonibus perinde loquitur Propheta, quasi de rapacissimis avibus, aquila, aut accipitre, quæ raptu vivũt: solent enim huiusmodi aves cruore ex discerpta præda manante rostrum, ungues, & alas imbuere. LXX. le- 30
gunt: *in manibus tuis.* Verè enim prædatorum, ac direptorum manus, perinde ac occisorum, *sanguine plenæ sunt*, Isaiæ 1. num. 15. Proverbior. 22. nu. 22. *Non facias violentiam pauperi, quia pauper est* (hoc est, quia iniuriam illatam non potest repellere, nec tibi valentiori obsistere: ut advertit hîc Iacobus,) *neque conteras egenum in porta*: (id est, neque opprimas eum per iuris speciem in loco publico, ubi iura populo redduntur,) *quia iudicabit Dominus causam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius.* Explicant Iansenius, & Vatablus. Spoliatores vitæ pauperum, vita quoque expoliabit Deus: expilare enim pauperem suis bonis, est quodammodò ipsa vita expoliare. Lege, quæ observavi in ea verba Nahum 3. num. 1.

Vniversa mendacij dilaceratione plena.

(?)

Numerus 7.

Patientes igitur estote fratres usque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & serotinum.

31 INvectus Apostolus in divites raptores, iam nunc opportunè satis pauperes oppressos excitat ad spem, & longanimitatem; argumento ducto à minori, videlicet ab exemplo agricolæ, qui tempestivum primò imbrem (ut disertè habetur in textu Græco,) hoc est, temporaneum, & serotinum; uberrimam deinde laboris sui segetem longanimiter sperat. Nimirum

Spes fovet agricolas, & sulcis semina mandat.

Quoniam debet in spe, qui arat, arare; & qui triturat, in spe fructus percipiendi; 1. Corinth. 9. num. 10.

32 Sub hac agricolæ metaphora eleganter nos excitat ad spem, & ad mortificationem, ac perfectionem Christianæ vitæ, Ambros. enarratione in Psalm. 72. qui apud illum inscribitur de Interpellatione David, circa illa verba numeri primi, *quàm bonus Israel Deus, &c.* [Bonus huic semper est Deus, qui novit, quo tempore metat: & ideo, quasi bonus agricola, hîc arat agrum suum quasi quodam rigidiore abstinentiæ vomere; hîc stirpat quadam falce virtutum, amputatrice vitiorum; hîc stercorat humiliando se usque ad terram, sciēs, quia Deus de terra suscitat inopem, & de stercore erigit pauperem: hîc custodit fructus suos, ut illic securiùs recōdat.] Nec minùs eleganter Chrysologus Sermone 103. [Credamus, quòd crux nostri corporis sit aratrum; fides, semen; sulcus, sepulchrum; resolutio, germen; expectatio, tēpus: ut cùm ver Dominici adventus arriserit, corporum nostrorum matura tunc viriditas vitalē resurgat in messem, nescituram iam finem.]

Quanta erit tunc, & quàm beata horum spiritualium agricolarum lætitia? O 33
fælices, inquient, labores, qui tam uberes nobis fructus protulerunt. Isaiæ 9. nu. 3. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe.* Psalm. 125. num. 5. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent, &c.* Stat nimirum fixa Apostoli sententia ad Galatas 6. num. 8. *Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet.* Et 2. Corinth. 9. num. 6. *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Itaque hæc vita quasi sementis quædam est; semen; opera; messis autem, auctore ipso Christo Matthæ. 13. num. 39. *Consummatio sæculi est;* seges verò, præmium, aut supplicium: quoniam teste Apostolo ad Galatas 6. num. 8. *Qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum itaque facientes, non deficiamus,* (ut ibidem hortatur Apostolus num. 9.) *tempore enim suo metemus non deficientes.* Videlicet *Deus multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* 2. Corinth. 9. num. 10.

Numerus 8.

Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra: quoniam adventus Domini appropinquavit.

HOrtatur Iacobus ad sustinentiam ex brevitate temporis, 34
quo mala præsentia tolerantur. Simili item solatio confirmat Apostolus fideles, ad Hebræos 10. num. 36. *Patientia vobis necessaria est; ut voluntatem Dei facientes, reporteris promissionem: adhuc enim modicum aliquantulum:*

qui

qui venturus est, veniet, & non tardabit.

Et verò patientia in hoc Iacobi loco, non pro virtute tolerantiæ solùm, sed multò magis pro longanimi expectatione sumitur: id enim (ut advertit Toletus Lucæ 8. notatione 30.) propriè significat *macrothymia*: quæ vox ut plurimum exponitur ab Interprete, *longanimitas*: ad Romanos 2. num. 4. & 2. Corinth. 6. num. 6. ad Galatas 5. num. 22. ad Colossenses 1. numero 11. & 2. Timoth. 3. numero 10. Et verbum ipsum *macrothymin*, quo hîc utitur Iacobus, est magno, & ingenti animo rem promissam quàm diutissimè expectare: ut apertè liquet ad Hebræ. 6. numero 15. *Et sic longanimiter ferens*, (Græcè, *macrothymesas*) *adeptus est repromissionem.*

35 Hîc habet locum difficilis illa quæstio: cùm adventus Domini nullus alius prænuntietur in novo Testamento, ut observat Maldonatus Matth. 10. num. 24. nisi supremus ille, quo ad Iudicium venturus est; cur tam sæpe ab Apostolis ante annos plus mille quingentos asserebatur appropinquare iam, vel potiùs instare, ac propemodùm adesse; cùm in tam multa sæcula esset differendus? Quid opus erat attonitos, atque suspensos tenere homines expectatione eius rei, quæ ad ipsorum ætatem minimè pertinebat? 2. Petri 3. numero 8. ita solvitur hæc quæstio. *Vnus dies apud Dominum, sicut mille anni; & mille anni, sicut dies unus: non tardat Dominus promissionem suam.* Hausit hoc Apostolus ex Psalm. 89. num. 4. *Mille anni*

36 *ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteryit.* Si ergo Deo mille anni instar sunt diei unius, non quidem sensim, ac lentè præterlabentis, sed prorsus iam elapsæ; quomodò non citò fit, quod ante unā talem hebdomadam fit? Longè itaque diversæ sunt mensuræ divinorum operum. Nos homunculi centum annos longissimum sæculum computamus; & citò nostrum, & serò nostrum intra has metimur angustias: ut graviter tractat noster Acosta libro 1. de Temporibus novissimis, cap. 5.

Cùm hæc verissima sint, illud denique 37
difficultatē exhaurit, quod egregiè notavit Augustin. to. 2. epist. 80. ad Hesychium. [In quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mūdi novissimus dies: quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur.] Accedit etiā Scripturę phrasis, quæ sic interdum agit de Iudicio, ut privatum uniuscuiusque, & universale omnium simul comprehendat. Sic explicat Iustinianus verba illa Pauli ad Hebræos 9. num. 27. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem, iudicium.* Nam simul atque quisque obierit, divino sistetur iudicio, ut totius anteactæ vitæ rationem reddat: post consummationem verò mundi extremum omnium iudicium peragetur.

Iure itaque Christus inclamat Apoca- 38
lypsis 3. num. 11. *Ecce venio citò*, & c. 22. num. 7. *Ecce venio velociter*, & num. 10. *Tempus enim propè est.* & rursus num. 12. *Ecce venio citò.* Citò enim adveniet particularis iudicij dies mihi constituta, ex qua pendet definitio meæ causæ in Iudicio universali. Quidquid enim de me in mea morte statuetur, id ipsum palàm cōfirmatum in supremo Iudicij die, ratum, ac fixum erit in omni æternitate. Verissimum proinde est, Iudicij diem propè esse, atque adeò iam instare, respectu singulorum. Nostra verò maximè intererat, eius rei memoriam subinde ab Apostolo refricari, cuius tanta, & tam perniciosa plerosque mortales tenet oblivio. Sapienter enim concludit Augustin. in illa epistola 80. [Vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum inveniat eum Domini adventus: imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum invenerit suæ vitæ huius ultimus dies.]

(*)

Numerus 9.

Nolite ingemiscere fratres in alterutrum, ut non iudicemini.

39 Ensus est: si videritis alios levioribus premi calamitatib⁹, qui vobis tamen videntur cōmeruisse graviores; nolite prę livore gemitus edere, ne propter impatiētiam condemnemini. Causa continuò subnectitur.

Ecce iudex ante ianuam assistit.

AC si dicat: ecce pro foribus iā adest æquissimus vivorum, mortuorumque Iudex, cui omnino patent etiam abditissimi cordis recessus; qui omniū merita accuratissima lāce ęstimabit; cui profectò gravissimam iniuriā facit, quisquis eius sapientissimis, iustissimisque decretis non acquiescit; sed æquissimā potiùs eius providentiam obtrectando, & æmulando incusat.

40 Rectissimè aiebat Nazianzenus oppressus gravi morbo, & acerbissimis dolorum aculeis confixus, Epist. 63. [Gratias ago, ut in lætis rebus, ita etiā in acerbis: quandoquidem illud exploratum habeo, nihil rerum nostrarum apud summam rationē expers rationis esse.] Graviter etiam ait Ambrosius in Psalm. 72. [Nemo potest Deum bonum fateri, nisi hic, qui non ex successibus commodorum suorum, sed ex cælestium mysteriorum profundo, & divinę dispositionis altitudine, bonitatē eius cognoscit; quæ non specie præsentiū, sed futurorum utilitate pensanda est.] Enim verò ante ianuam assistere, frequētissima locutio est in arcano sermone, qua denotatur id, quod instat, proximè iam adest, atque adeò præsentissimum est. Genes. 4. n. 7. *Sin autē malè, statim in foribus peccatum tuum aderit.* Matth. 24. numer. 33. *Scitote, quia propè est in ianuis.* Marc. cap. 13. num. 29. *Scitote, quòd in proximo sit in ostijs.*

Numerus 10.

Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ, Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini.

41 Ensus est: permoveant, obsecro, vos Prophetæ sancti exemplo suo ad laborum sustinentiam; qui in hac vita multa perpessu aspera tolerarunt, & plerique eorum *exitu malo*, id est, acerbissima morte, immortales sibi coronas pepererunt. Etenim si organa illa Spiritus sancti, si admirabiles illi viri, *quibus dignus non erat mundus, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt*, ad Hebræos 11. num. 37. Adeò ne vos eritis ignavi, ac delicati, ut eam recusetis ingredi viam, quæ vos rectà ad immortalitatem ducet, & quam tot Prophetarum cernitis maxime illustribus impressam, notatamq; vestigijs? Visi quidem sunt Prophetæ illi sancti oculis insipientium mori, Sapient. 3. num. 3. *Et æstimata est afflictio exitus illorum: & quod à nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace.* Sic correxit hunc locum Editio Vaticana, cùm anteà mendosè legeretur: & mendo difficilem, castigatione ipsa planum fecit. Sensus igitur est. Iustorū exitus ex hac vita tribulationibus, & cruciatibus plenus, perinde ab insipientibus æstimatur malus, & calamitosus, ac si ob admissum facinus è patria in exilium inviti pellerētur: sed re vera est longè secùs: nā à molestissimo exilio in optatissimam patriam placidissimè revocātur. Verè enim usurpare possunt illam Apostoli vocem 2. Corinth. 6. numer. 9. *Quasi morientes, & ecce vivimus:* & luculenta illa Cypriani verba in lib. de Mortalitate: [Ad immortalitatem morte transgredi-

gredimur: nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit emigrare: non est exitus iste, sed transitus.] Observãdum verò est, quod Vulgatus reddit *exterminium*, Græcè dicitur *syntremma*, id est, confractio, atque contritio: ducta videlicet metaphora à vasis testaceis, quę ubi semel casu minutatim confringuntur, reparari deinde, ac rursus refici nõ possunt: iuxtà illud Ieremiæ 19. num. 11. *Sic conteram civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod nõ potest ultrà instaurari.* Oculis igitur mundanorum, qui præsentia duntaxat bona consectantur, eaque sola permagnõ æstimant, ęterna verò vix per caliginem intuentur; Iustorum obitus apparet sanè miserrima cõtritio, funestissimũ exitiũ, & quasi prorsus irreparabilis interitus. Sed aberrant cæci quàm longissimè: *scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domũ non manufactam, æternam in cælis.* 2. Corint. 5. numer. 1.

Numerus 11.

Ecce beatificamus eos, qui Iustinuerunt.

44 HOc est, fortunatos, ac fęlices, terque quaterq; beatos meritò prædicamus. Beatificavit sanè Christus vexatos persecutionibus, Matth 5. num. 10. *Beati, qui persecutionẽ patiũtur propter iustitiam.* Beatificavit eosdem Apostolus Petrus, Epistola 1. cap. 3. num. 14. *Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati.* Et iure quidẽ eos, ac meritò bearunt. Nam si germana, & solida beatitudo, quæ in hac mortali vita hominibus obtingere potest, vera animi virtute continetur; nihil est, quod æquè prodat virtutem perfectam, & omnibus suis numeris absolutam latentem in animo, atque invicta, & constans adversarum rerum tolerantia. Confirmavi hoc varijs Scripturæ testimonijs, dum explicarem ea verba cap. 1. nu. 2. & 3. *Omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis: scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur.* Nunc tantùm memorabo notabilem 45
versionem illorum verborum Christi Matth. 5. num. 10. quam refert Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum cap. 3. Nam pollicitatio illa, ac præmium, quod Christus adiecit: *Quoniam ipsorum est regnum cælorum*; sic recitatur apud Clementem. *Quoniam ipsi erunt perfecti:* (Græcè *telij*, idest, in omni virtute consummati: iuxta id Iacobi 1. numer. 4. *Patientia opus perfectum habet*) *& habebunt locum, ubi non amplius patientur persecutionem.*

Eos itaque, qui sustinuerunt, iure op- 46
timo, tanquam perfectos viros, & omni virtutum genere cumulatos, miris laudibus in cælum tollimus. Rectè enim ait Cyprianus lib. de Laude Martyrij, statim in principio. [Quantæ enim sit gloriæ, ponderate, sævitiam torquentis non horrere: animari hominem dolore, quo creditur extingui: & id sibi in augmentum virtutis assumere, quod cruciatui putat prodesse, qui punit.]

Hęc tam egregia, & exaggerata susti- 47
nendi fortitudo, ipsos etiam Gentiles in admirationem rapiebat, & sustinentibus animosè cruciatus immortalem nominis gloriam comparabat. Quantis Romani celebrant encomijs fortissimum illum Mutium Scævolam, stuporem Regum, Patriæ columen, terrorem exercitus hostilis; qui non pugnando, sed ardentes prunas iniecta dextra sustinendo, labantem urbem sustentavit, & periculosissima obsidione solvit? Historiam narrat magnificè Livius lib. 2. Celebrat item è nostris varijs in locis Tertullianus. Seneca verò Epist. 66. plena manu in astra tollit. [Ego dubitem, inquit, quin magis laudẽ truncam illam, & retorridam manum Mutij, quàm cuiuslibet fortissimi salvã? Stetit hostium, flammarumque cõtemptor, & manum suam in hostili foculo

distil-

diſtillantem perſpectavit, donec Porſena, cuius pœnæ favebat, gloriæ invidit,
48 & ignem invito eripi iuſsit.] Extat de egregio Mutij facinore luculentiſsimum Martialis Epigramma libro 1. Epigrammate 22.

Dum peteret Regẽ, decepta ſatellite dextra,
Iniecit ſacris ſe peritura focis.
Sed tam ſæva pius miracula non tulit hoſtis,
Et raptum flammis iuſsit abire virum.
Vrere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc ſpectare manum Porſena nõ potuit.
Maior deceptæ fama eſt, & gloria dextræ:
Si non erraſſet, fecerat illa minus.

Vbi apertè vides apud Senecam, & Martialem, plus celebritatis, & laudis adeptum fuiſſe Mutium ſuſtinendo, quàm occidendo: plus ferendo ignem, quàm feriendo Regem fuiſſet conſecutus. Quia nimirum nullibi evidentiùs ſe ſe oſtentat heroica animi fortitudo, quàm deſpiciendo corpus, ſuſtinendoque cruciatum: ut Mutius ipſe, dextram flammis inijciens, fidenter alloquutus eſt Porſenam apud Livium. *En tibi*, inquit, *ut ſentias, quàm vile ſit corpus ijs, qui magnam gloriam petunt.* Quòd ſi magnanimos viros, qui dolores, & cruciatus inani gloriola ducti conſtanter pertulerunt, etiam ipſi Ethnici bearunt; quantò æquiùs nos beatificabimus eos, qui Dei amore ſuſtinuerunt?

Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis, quoniam miſericors Dominus eſt, & miſerator.

49 NOn probo ſententiam illam, patronos licèt habeat multò graviores, quæ explicat *finẽ Dñi*, mortem acerbiſsimã Chriſti. Fateor quidem ingenuè, nullũ calcar ab Apoſtolo admoveri poſſe valentius, ad acuendos Fidelium animos ad tolerantiam, quàm ſi illis proponat ob oculos Chriſti cruciatus peracerbos, mortemque doloribus refertiſsimam. Fateor item, hoc ſubinde ab Apoſtolis factitatũ. 1. Petri 2. num. 21. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia eius.* Et cap. 4. num. 1. *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Ad Hebræ. 12. num. 1. *Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, &c.* Hoc efficaciſ- 50
ſimum Chriſti exemplum, inter gladios, & ignes; inter ungues, & pectines; inter denſos plagarum crepitus, ac ſæviſsima vulnera, martyres mirandum in modum confirmabat. Quod eleganter perſequitur Bernardus Sermone 61. in Cantica. [Stat Martyr tripudians, & triumphans, toto licèt lacero corpore: & rimante latera ferro, non modò fortiter, ſed & alacriter ſacrum è carne ſua circumſpicit ebullire cruorem. Vbi ergo tunc anima Martyris? Nẽpe in turo, nempe in petra; nempe in vulneribus Ieſu. Si in ſuis eſſet viſceribus, ſcrutans ea, ferrum profectò ſentiret.]

Hæc cùm certiſsima ſint; tamen ſi *finem Domini*, Chriſti mortem intelligamus, non video, quî cohæreat ratio, quam ex Dei miſericordia, toties in Scriptura decantata, ſubiungit Apoſtolus. *Quoniam miſericors Dominus eſt, & miſerator.* Enituit quidem, ut cùm maximè, divina miſericordia in morte Chriſti pro nobis obita: ſed in hoc loco non tam uſurpare commemorationem miſericordiæ, quàm tanti exempli efficacitatem ponderare, contextus requirebat. 51

Accedit, quòd laudata Iobi tolerantia, res ipſa, ſcopuſque Apoſtoli poſtulabat, ut oſtenderet, iure eum ab omnibus beatificari: quippe cùm non modò in æterna beatitudine, verùm etiam in hac vita copioſiſsimè fuerit illius patientia remunerata. Iob 42. num. 12. *Dominus autem benedixit noviſsimis Iob magis, quã principio eius.* Hæc videlicet *noviſsima*, uſque eò fæ- 52

licia, & divinitus prosperata, dicuntur *finis Domini*: hic fuit fortunatissimus exitus tam diræ calamitatis. Sic aptissimè annectitur causa, quã reddit Apostolus: perinde enim est, ac si dicat. Misericors enim, & miserator Dominus, qui Iobi sustinentiam, & invictam tolerantiam, etiam in præsenti vita omni bonorum genere cumulatissimè rependit; vos etiam æquo animo adversa tolerantes, & vivos, & vita functos amplissimis præmijs munerabit. Sic exponunt Claudius, Titelmanus, Gagneius, Caietanus, Salmeron, & Catharinus, Feuardentius, Pacz, & Serarius.

Numerus 12.

Ante omnia autem fratres mei, nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem sermo vester: Est, est: Non, non.

53 DEsumpta est hæc sententia totidem ferè verbis ex Matthęi 5. num. 34. *Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum eius. Sit autẽ sermo vester: est, est: non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.* Enim verò non vetat Christus necessariam interdum iusiurandi usurpationem, quæ, ut Catholica docet fides, si debitæ conditiones adsint, actus est virtutis Religionis, nõ modò licitus, sed sæpe etiam meritorius. Deut. 6. num. 13. *Per nomen illius iurabis.* Psalm. 62. num. 12. *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo.*

54 Itaque licere Christianis iurare, cùm oportet, Summorum Pontificum definitio, & perpetuus Ecclesiæ usus, & Sanctorum exẽpla subinde confirmant. Iuravit enim Paulus ad Roma. 1. num. 9. & ad Philip. 1. num. 8 *Testis enim mihi est Deus, quomodò cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi.* Et 1. Thessalonicenses 2. numer. 5. *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, Deus testis est.* Et 2. Corinth. 1. numer. 23. *Ego autem testem Deum invoco in animam meam.* Iurat Angelus Apocalyp. 10. num. 6. *Iuravit per viventem in sæcula sæculorum, &c.* Iurat toties Christus, de sententia Hieronymi in cap. 16. Ezechielis, & Chrysostomi hom. 11. in Epistolam ad Hebræos, & Clementis III. cap. *Etsi Christus*, Extra. de Iureiurando, quoties illud *amen amen dico vobis*, usurpat in Evangelio. Iurat Denique ipse Deꝰ per semetipsum in Scriptura frequentissimè: & cùm ea, 55
quæ asserit, hoc ipso, quòd asseruntur à Deo, nitantur divina veracitate; humanæ tamen imbecillitati sese accõmodans, rursus iureiurando eamdem suam auctoritatem interponit. Graviter enim dixit Philo lib. de Abel, & Cain [Coarguit hac ratione Scriptura infirmitatem nostram, convictamq; cõsolatur, ostendens Deum sibi ipsi testificari.] Sed longè meliùs id ponderat Apostolus ad Hebr. 6. num. 16. *Homines*, inquit, *per maiorem sui iurant: & omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum. In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum: ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deũ, fortissimum solatium habeamus.*

Non itaque prohibuit Christus, neque 56
hîc vetat Iacobus, iurare, cùm opus est: sed ad præcavendam irreverentiæ culpã, prudentissimè monent, ne verum quidẽ temerè, & sine necessitate iurare. *Videtur enim* (inquit Sanctus Thomas 2.2. q. 89. art. 2. corpore) *parvam reverẽtiam habere ad Deum, qui eum ex levi causa testem inducit: quod non præsumeret etiam de aliquo viro honesto.* Vnde sapienter concludit idẽ Angelicus Doctor Opusc. 7. *Iuramentũ est sicut medicina, quæ non semper accipitur, sed in necessitate.*

Vt non sub iudicio decidatis.

57 GRæcè legitur etiã in correctis exẽplaribus, *hinc me hypocrisin petere*: ne sub iudicium (ideſt, condemnationẽ) incidatis: illam ſcilicet cõdemnationem, quæ intentatur Deuter. 5. num. 11. *Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustrà, quia non erit impunitus, qui super re vana nomẽ eius assumpserit.* Proſpexit nimirùm Apoſtolus certiſsimum periculum peierandi, quod aſsiduè iurantibus impendet: quare perinde eſt, ac ſi dicat. Abſtinete prorſus etiam à licitis iuramentis; ne videlicet paſsim iurando verum, aliquando etiam iuretis falſum, & in lethale peccatum, atque adeò in graver ſupplicium

58 prolabamini. Hæc eſt nova cauſa abſtinendi omnino à iuramento; ne videlicet ſæpe iurando, aliquando peiceramus. Eccleſiaſt. 23. num. 9. *Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa.* Et num. 12. *Vir multum iurans implebitur iniquitate.* Præclarè Auguſt. ſerm. 28. de Verbis Apoſtoli: [Falſa iuratio, exitioſa eſt; vera iuratio, periculoſa; nulla iuratio, ſecura.] Idem Sanctus Doctor exponens verba illa Pſal. 109. *Iurauit Dominus, &c.* ſic ait. [Ergo Dominus iurat, qui prohibet hominem à iurando? Sed hominem prohibet à iurando, ne in periurium prolabatur: & ideo Deus iurat, quia non poteſt eſſe periurus. Homo enim, qui per conſuetudinem iurandi poteſt lingua in periurium prolabi, bene prohibetur iurare: tantò enim longè erit à periurio, quantò erit longè à iurãdo.] Vnico verbo rem totã cõplexus eſt Ambr. in Pſ. 118. littera *Nun. Voluit Deus te non iurare, ne periures.*

Numerus 13.

Tristatur aliquis vestrum? oret.

59 GRæcum verbũ *cacopatheo*, generalis ſignificationis eſt; & vexationes corporis, ærumnas animi, honoris iniurias, & fortunarum calamitates comprehendit: nam ſi verbum exprimas e verbo, ut expreſsit Auctor Theſauri, Tom. 5. colum. 1120. Latinè ſonat, *malapatior, malis vexor, & afflictor.* Idem Auctor in Symphonia novi Teſtamenti ſic extulit: *tolero labores, affligor, perfero iniurias, ægersum animo.* Vnde & nomen *cacopathia* propriè ſignificat malorũ perpeſsionem. Atq; huc ferè revocantur novæ verſiones huius loci, ad obruſſam Græci ſermonis exactæ; quas, bene percepta ſemel verbi proprietate, nihil attinet recenſere. Ter uſurpat hocidem verbum Apoſtolus Paulus in 2. epiſt. ad Timoth. & ubique conſtanter vertitur à Vulgato, *laborare*; retenta videlicet generali eius ſignificatione, cap. 2. num. 3. & 9. & c. 4. num. 5.

Senſus itaque eſt: ſi quis malis afficitur, calamitatibus premitur, iniurijs vexatur, & (quod inde ferè neceſſariò ſequi ſolet) ægro animo eſt, ac mærore oppreſſus; ſupplex Deum adeat, eius opem imploret: quia ærumnis omnibus, quibus in hac miſera vita aſsiduè conflictamur, unicum perfugiũ eſt oratio. Adhoc aſylum Regius vates ſubinde confugiebat. Pſalm. 119. num. 1. *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi.* Pſalm. 141. num. 3. *Effundo in conſpectu eius orationem meam: & tribulationem meam ante ipſum pronuntio.* Sed nobis Chriſti exemplum ſit inſtar omniũ, qui *factus in agonia prolixiùs orabat*, Luc. 22. n. 43.

Æquo animo eſt? pſallat.

61 PSallo, quanvis origine Græcum verbum ſit, tamen à veteribus Latinis Romana civitate iam pridem donatum eſt. Et quidem apud profanos Auctores multò latiùs patet eius ſignificatio, ut videre eſt in Theſauro linguæ Græcæ To. 4. col. 694. Verùm ex uſu Eccleſiaſtico quaſi reſtricta eſt à LXX. & ab Apoſtolis, ut ſubinde ſignificet, laudes Deo canere, præſertim in gratiarũ actionẽ; ſive id vocẽ duntaxat fiat, ſive etiam inſtrumento muſico.

musico. Nihil necesse est loca recitare, cùm passim obvia sint. Sensus itaque Iacobi est: in rebus afflictis opem petite; in prosperis verò, hymnis, & canticis Deo gratias agite. Egregiè S. Thomas in Commentario. [Oratio, inquit, pertinet ad nostram necessitatem; Psalmodia, ad Dei laudem: oratio est in petendo, Psalmodia
61 in gratias agendo.] Constat apertè ex cap. 5. ad Ephesios num. 19. *Cantantes, & psallentes in cordibus vestris, Domino gratias agentes semper pro omnibus.* Præcipit Apostolus, omnium largitori immortales gratias agere, iuxta illud eiusdem 1. ad Thessalonic. 5. num. 18. *In omnibus gratias agite.* Nam ut pulchrè ait Chrysostomus homil. 26. in Matth. [Optima beneficiorum custos est ipsa beneficiorum memoria, & perpetua gratiarum actio.] Augus. item in Psalm. 132. laudat antiquum Religiosorum morem, qui frequenter habebant in ore dulce illud verbum, *Deo gratias*: eoque, cùm obvij sibi fierent, se mutuò, ac peramanter salutabant. Eamdem consuetudinem cùm retulisset Augustin. epist. 77. tandem concludit. [Quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest.]

Numerus 14.

Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.

Numerus 15.

Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.

63 Mirari sæpe soleo audax in expo-nendis sacris litteris ingenium Caietani: sed in huius loci cõmẽtario nequeo satis mirari. Nec sanè scio, quid viro doctissimo, & de Catholica Ecclesia optimè merito, venerit in mentem, ut contra communem eiusdem Ecclesiæ sensum, ex Apostolica traditione per manus acceptum (ut graviter docet Tridentinum Sess. 14. cap. 1.) tam aperta verba ad nescio quam medicinalem unctionem detorqueret; & Hæreticis petentibus iugulum Sacramenti extremæ unctionis, gladium ipse sua explicatione, & auctorita porrigeret. At non negat Caietanus esse hoc Sacramentum in Ecclesia: tantùm 64
in hoc Iacobi loco promulgari negat. Vbi ergo in tota Scriptura hoc Sacramẽtum, Sacramentum est, si hîc non est? aut cur hîc non sit, si alibi est? Insinuatur quidem apud Marcum cap. 6. num. 13. *Et ungebãt oleo multos ægros, & sanabant*: sed in hoc Iacobi loco expressis, ac disertis verbis commendatur. Et verò iam Tridentina Synodus expressè definivit Sessione 14. Can. 1. hoc Sacramentum à Christo Domino institutum esse, & à Beato Iacobo Apostolo promulgatum; & contrà docentes anathemate damnavit.

Et certè tam perspicuè traditur in hoc 65
loco doctrina huius Sacramenti, nihil ut esse possit, ac ne excogitari quidem apertius. Primò enim explicatur ritus externus, materia nimirùm, & forma constans; videlicet unctione olei, & forma deprecatoria, seu oratione Sacerdotis, *indulgeat tibi Deus, &c.* Quæ hîc vocatur ab Apostolo *oratio fidei*: tum quia ex fide est, cùm sit invisibilis gratiæ visibile symbolum; tũ quia ex fidei formula à Christo instituta, & à Fidelibus usitata, certisque quibusdam verbis ex fide concepta. Sic Augustin. Tract. 8. in Ioannem, formam Sacramentalem vocat *verbum fidei.*

Secundò designatur minister, videlicet 66
Presbyter Ecclesiæ, Sacerdotali nimirùm ordine initiatus. Temere hîc nugantur Hæretici: alius enim vertit, *convocet maximè senes è Republica*: alius, *delectos è Senatu*: alius, *suæ viciniæ seniores.* Putidè prorsus, & stolidè. Cùm enim vox *Presbyteri*, ut evidens est vel mediocriter

Græcis

Græcis litteris tincto, & in sacris monumentis utcunque versato, in scriptis Apostolicis identidem significet vel ætate senes, vel ordine sacro insignitos; nulla omnino ratio est, quæ nos hîc ad priorem significationem cogat; ad posteriorem verò, efficacissima sanè, atque gravissima. Taceo id, quod summum habet pondus in
67 hac re, sic definitum esse ab Ecclesia in Tridentino Sess. 14. Can. 4. Illa ratio vel sola Hæreticos iugulat: cùm sacra sit functio, de qua hîc agitur, ut nemo non perspiciet, nisi planè sit cæcus; an quilibet unus è populo, modò cano sit capite, ad eam obeundam adhibendus? Ritus omnino sacer sacros item ministros requirit. Lege eruditum Iustiniani Commentarium in ea verba 1. Timoth. 5. num. 17. *Qui bene præsunt Presbyteri*: & num. 19. *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere.*

68 Ridiculè verò obijciunt Hæretici, Iacobum præcepisse plures vocari Presbyteros, cùm alioqui ad ungendum infirmum sufficiat duntaxat unus: quasi non eodem etiam modo leprosis à se mundatis præceperit Christus, Lucæ 17. nu. 14. *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*: cùm planè constet ex legis præscripto, Levitici 14. nu. 2. satis omnino fuisse, uni duntaxat se se ostendere Sacerdoti. Sic vulgò etiam loqui solemus: qui doceri vult, adeat magistros: qui ægrotat, accersat medicos. Nō enim semper isto numero multitudo, sed quandoque personarum qualitas denotatur. Tametsi optandum sanè est, si commodè fieri potest, ut plures Sacerdotes adsint moribundo, & inungendo.

Tertiò designatur etiam ab Apostolo subiectum capax huius Sacramenti, nempe fidelis infirmus; qui Græcè dicitur *camnon*, hoc est, periculosè, graviterq; laborās. Nam non dicam ægrotos desperatos, aut animam agentes, sed vita etiā functos, apud Homerum, Arist. & Platonem, *camontas* vocari probatur in Græcæ linguę Thesauro To. 2. colum. 48.

69 Quartò denique memoratur à Iacobo effectus huius Sacramenti, tam quoad animam, quàm quoad corpus. Ad animā quidem ille spectat: *si in peccatis sit, remittentur ei.* Quibus verbis tantùm non exprimitur perspicuè, insinuatur quidem certè gratiæ iustificantis infusio huius virtute Sacramenti. Neque enim remittitur unquam mortale peccatum sine gratię infusione: potest autem contingere, ęgrotum in lethalem culpam antè prolapsum, vel propter oblivionem, vel propter morbi gravitatem, vel aliam ab causam, non stimulari admissę culpę conscientia, atq; adeò neque illam Sacerdoti confiteri: si tamen generatim eum dolorem de peccatis concipiat, qui ad veniam cum Sacramento impetrandam requiritur, huius sacræ unctionis beneficio remissionem, & gratiam consequetur.

Alios item peculiares effectus operatur hæc gratia Sacramentalis in ægrotis. 70
Mitto, quòd expiat noxas veniales: signatè enim *abstergit peccati reliquias*, ut loquitur Tridentinum Sess. 14. cap. 2. hoc est, pœnæ alicuius reatum delet, conscientiæ item terrorem, angorem animi, languentemq; ad bonum amplectendū tarditatem depellit. Itaque territam ægroti conscientiam animat, anxium, ac diffidentem animum mirificè recreat; imbecillū ad ineundum extremum illud cum sanguinario hoste certamē corroborat, magnamque in eo Divinę misericordiæ fiduciam excitat.

Quod ad corpus attinet, *oratio*, inquit, 71
fidei salvabit infirmum. Syriacus textus legit, *saluti restituet*. Græcè, *sosi*. Tigurina vertit, *salvum reddet*. Regia, *servabit*. Et nemini dubium esse potest, quin hoc verbum apud Evangelistas frequentissimè significet, sanitatem corpori restituere. Matth. 9. num. 21. *Si tetigero tantùm vestimentum eius, salva ero*. & num. 22. *Fides tua te salvam fecit*, id est, sanavit. Marc. 6. num. 56. *Quotquot tangebant eum, salvi fiebant*: hoc est, morbis liberabantur. Vbiq; subest idem verbum, & aliàs sæpe in Scriptura.

72 Enim verò hic effectus sanitatis non certò semper evenit huius Sacramenti virtute, sed ea duntaxat adhibita conditione, quam disertis verbis expressit Tridentinum Sess. 14. cap. 2. *Sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* Debuit videlicet hic effectus secundarius primario illi famulari. Magna enim ordinis perturbatio foret, si virtute Sacramenti, ad salutem animæ præsertim instituti, valeret quidem corpus, languoret autem animus, tandemque periret.

Qui plura volet de huius loci explicatione cõtra Caietanum, & Hæreticos, legat Catharinum, & Salmeronem in suis Commentarijs; Sixtum Senensem lib. 6. Bibliothecæ annotatione 339. Maldonatum Marci 6. num. 13. Bellarminum lib. 1. de Extrema unctione, c. 3. Suarez to. 4. in 3. partem disput. 39. sect. 1. Baronium tom. 1. anno Christi 63. Valentiam lib. de Numero Sacramentorum, cap. 5. & eruditissimum Serarium in Opusculo de Extrema unctione.

Numerus 16.

Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.

73 NOva hîc rursus velitatio cum Caietano. Negat hæc verba intelligi posse de Sacramentali confessione, quòd præcipiat Apostolus *alterutrum*, id est, ut Caietanus somniavit, omnibus promiscuè peccata detegere, quæ tamen solis duntaxat aperienda sunt Sacerdotibus. Frivolum prorsus argumentum, & irridendum potius, quàm refutandũ: per se enim constat, *alterutrum* idem esse, ac non soli Deo, quod Hæretici blaterant, sed homines hominibus, alter alteri, oves Pastori, laici Sacerdoti, prout cuiusque status, conditioque requirit. De Sacramento Confessionis explicarunt hunc locum veteres omnes Interpretes haud paulò Caietano gra-

viores: eos sequuntur unanimi consensu Recentiores. Lege hîc eruditum Serarij Commentarium.

Et quidem Caietanum præcipiti suo 74
ingenio abductum, in hoc loco hallucinatum fuisse, non tam miror, quàm c. 20. Ioãnis, dum exponit ea verba numeri 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* temerè asseruisse, quanvis ibi instituta fuerit à Christo confessio Sacramentalis, tamen Ecclesiæ arbitrio relictum, an ad aurem, an verò publicè facienda esset. Verùm Caietanum sæpe longè aberrantem per avia, & plùs nimio Erasmizantem, nõ nisi bene pexũ dimittit Catharinus lib. 5. suarum Notationum, & Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothecæ, annotatione 218. Tridentinũ enim expressè decernit Sess. 14. Can. 6. [Si quis dixerit, modum secretè confitendi soli Sacerdoti alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.]

Et orate pro invicem, ut salvemini.

REs frequentissima florentibus illis 75
nascentis Ecclesiæ temporibus. Actuum 12. num. 5. *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* Ad Romanos 15. num. 30. *Ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* 2. Corinth. 1. num. 11. *Adiuvantibus & vobis in oratione pro nobis.* 1. Thessalon. 5. n. 25. & epistol. 2. c. 3. nu. 1. *Fratres orate pro nobis.* Hanc verò Fidelium curam assiduè pro Apostolo Paulo deprecãdi, ipse prior cumulatissimè illis impendebat: adeò ut ad Roman. 1. nu. 7. artissimo iureiurando illis firmatã, testatamq; voluerit. *Testis,* inquit, *mihi est Deus, quòd sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.* Vide ad Colost. 1. nu. 3. & 9. & 2. Timoth. 1. n. 3. & ad Philemonem n. 4. 76
Præclarè Ambros. lib. 1. de Cain & Abel, c. 9. [Si pro te roges, tu tantùm pro te rogabis: si autem pro omnibus roges, omnes pro te rogabunt.] Et Gregor. lib. 5. Regist. epist. 119. [Preces etenim nostræ tantò

celeriùs

celeriùs in Dominicæ pietatis aurem ſublevantur, quantò eas viciſsim pro nobis fuſas charitatis ardor exacuit.]

Multùm enim valet deprecatio iuſti aſsidua.

GRæcè, *energumene*, id eſt, efficax, intenta, vivida. Vide Toletũ Lucę 11. notat. 22. & quæ congeſsi de orationis efficacia, dum exponerem 38. cap. Iſaiæ numero 2. & 5.

Numerus 17.

Elias homo erat ſimilis nobis paſsibilis: & oratione oravit, ut non pluere-ret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex.

Numerus 18.

Et rurſum oravit: & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum.

77 MIrabilem orationis vim, & efficacitatem noto Eliæ declarat exemplo, ex 1. Regum 17. num. 1. Eccleſ. 48. num. 3. & Lucæ 4. num. 25. In quo duo ſunt annotatione digna.

Primum eſt. Quia propoſito exemplo admirabilis viri, cælum arbitratu ſuo claudentis, & aperientis, poterat ſubire animum, tam ſtupendam vim ad immutandas naturæ leges eſſe prorſus ſupra mortalem conditionem; ad excitandam orandi fiduciam admonet Apoſtolus, Eliam ſimilem nobis fuiſſe paſsibilem. Græcè, *homiopathes*. Vertit Tigurina, *ſimiliter obnoxi⁹ affectionib⁹, & ærumnis*: ne videlicet diffidamus, nos item à Deo impetraturos, quanvis eiſdem premamur perturbationibus. Eâdem Græca voce Paulus, & Barnabas allocuti ſunt Lyſtrenſes, aliquid de ipſis maius homine opinantes, Act. 14. num. 14. *Et nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines.*

Alterum eſt: notabilem fuiſſe habitum 78
corporis, quo Elias pluviam impetravit, 3. Regum. 18. numero 42. *Elias autem aſcendit in verticem Carmeli, & pronus in terram poſuit faciem inter genua ſua.* Quod ſanè efficaciſsimæ impetrandi fiduciæ, ardentiſsimæque orationis indicium fuit. Solent enim, qui plurimùm gratia valent apud amicos, à quibus nituntur aliquid precibus obtinere, laborioſum quidpiam, difficileque ſubire; à quo ſe non deſtituros, niſi re impetrata, profiteantur: ut vel avertendi laboris conſtanter ſuſcepti gratia, id aliquando amici concedant. Sunt, qui iurent, ſe neque eſuros, neque bibituros: ſunt, qui provolvantur ad pedes, & ſe inde ſurrecturos eſſe negent, antequàm impetrent. Simili fiducia Elias difficillimum omniũ, quos ſuſtinere humani corporis membra poſſunt, habitum, ſitumq; induxit; qui indulgentiſsimum Deum ad concedendam pluviam quàm ocyſsimè permovit. Auctorem habeo huius obſervationis Ariam Montanum in ſuo Hieremia, ſive de Actione.

Numerus 19.

Fratres mei, ſi quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum.

Numerus 20.

Scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

79 EXcellens munus, & omni cogitatione maius. [Divinarum omniũ perfectionũ diviniſsima eſt perfectio, (teſte Dionyſio cæleſtis Hierarchiæ,

chiæ cap. 3.) Dei cooperatorem esse.] Exponit Carthusianus: *in reductione animarum ad suum creatorem.* Huius muneris excellentiam ritè expendere non potest, nisi qui animæ præstantiam exacta mentis trutina ponderaverit. Hãc autem animæ dignitatem solus ille ritè perpendit, qui valorem pretij, id est, sanguinis Christi, quo redempta est, accuratè considerat. 1. Corinth. 6. num. 20. *Empti enim estis pretio magno.* 1. Petri 1. num. 18. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis; sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Meritò itaque exclamat Bernardus epistol. 54. *Magna res anima, quæ Christi sanguine redempta est.*

80 Si enim aurifex scientissimus adamantem emeret decies mille aureis; omnes lapillum permagno æstimaremus. Christus sanguinem suum fudit, ut animam redimeret: quanti illa igitur æstimanda est? Hinc Gregorius exponens istum locum lib. 19. Moralium cap. 16. [Si enim magnæ mercedis est, à morte eripere carnem quandoque morituram: quanti meriti erit, à morte animam liberare, in cælesti patria sine fine victuram?] Et Chrysostomus homi. 3. in Epistolam primam ad Corinth. [Nihil est, quod animæ possit æquiparari, ne universus quidem mundus. Itaque &si immensas pecunias pauperibus eroges; plus tamen effeceris, si unam converteris animam.]

Ergo qui tam egregium opus charitatis exercet, iure censendus beatus: cuius nimirùm tecta sunt peccata, Psalm. 31. numero 1. *Charitas enim operit multitudinem peccatorum,* 1. Petri 4. nu. 8. & Proverbior. 10. num. 12. *Universa delicta operit charitas.*

(?)

IN EPISTOLAM CANONICAM BEATI IVDÆ APOSTOLI COMMENTARII EXEGETICI LITTERALES.

AVCTORE

PATRE AVGVSTINO DE QVIROS

è Societate IESV.

1 VOd de Evãgelica doctrina divinus aiebat Bartholomæus, ut Auctor est magnus ille Dionysius in libro de Mystica Theologia cap. 1. nẽpe & magnam esse Theologiam, & minimam; atq; Evangelium amplum, & magnum, rursusque compendiarium: id mihi videor posse de hac Epistola iure optimo asseverare: quæ cùm sit exiguis circumscripta terminis, & unica duntaxat pagella comprehensa; perampla simul est, & argumenti maiestate, sententiarum pondere, mysteriorum multitudine, & granditate, cæciſque difficultatum nodis, vel cum lõgissimis alijs libris Canonicis æquanda. Vniversè id affirmat Hieronymus de his Catholicis epistolis, in ea, quam ipse scripsit ad Paulinum. *Iacobus, Petrus, Ioannes, & Iudas, septem epistolas ediderunt, tam mysticas, quàm succinctas; & breves pariter, ac longas: breves in verbis, longas in sententijs: ut rarus sit, qui non in earum cæcutiat lectione.*

De auctoritate huius Epistolæ.

NOn miror Hæreticos, odio plusquàm Vatiniano prosequutos hãc Epistolam, eam omnibus machinis admotis de Canone deijcere conatos fuisse. Ponit enim ob oculos eorum sordes, obscœnitates, & amẽtiam: ac veluti in tabella quadam non rudi penicillo leviter adumbratos; sed vivis, ac spirantibus coloribus expressos, flagitiosos Hæreticorum mores graphicè depingit. Quid ergo mirum, si fœdi, ac deformes aversentur turpificati animi horribilem fœditatem, in hoc nitidissimo speculo oculis obversantem, & omni ope detrectent intueri. Ferunt Elephantem horrore suæ deformitatis, cùm sitim depulsurus ad flumen accedit, arenam priùs pedibus excitare, turbare aquam, ne imaginem referat; turbidam denique haurire. Lege Pierium 2

lib. 2. Mirarer itaque, nisi Hæretici huius Epistolæ chrystallinas, ac limpidissimas aquas, eorũ turpitudinẽ referentes, lutulentis pedib⁹ turbare molirẽtur. Caietanum virũ doctũ, & Catholicũ valde miror, qui cũ recitasset hęc Hieronymi verba in lib. de Viris illustribus. [Iudas frater Iacobi parvam quidem, quæ de septem Canonicis est, Epistolam reliquit: & quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, à plerisque reijcitur; tamen auctoritatem vetustate iam, & usu meruit, & inter sanctas Scripturas computatur.] Colligit deinde Caietanus. [Ex quibus apparet, minoris esse auctoritatis hãc Epistolam ijs, quæ sunt certæ Scripturæ sacræ.] Quis hîc non stupeat (ait Catharinus, & ex eo Sixtus Senensis libro 6. Bibliothecæ annotatione 344) inde colligi ex Hieronymo, hanc Epistolam non esse certò Canonicam, ubi ipse ait, *unam esse de septem Canonicis*? Neque verò quia addit, à quibusdam reijci, ideo ipse Hieronymus reijcit: qui statim contrà adiecit, &si nonnulli dubitaverint, cùm res ad liquidum explorata, ac definita non esset; vetustate tamen iam auctoritatem meruisse, & inter sanctas Scripturas computari. Stat itaque inconcussa veritas, in omnibus Concilijs, quæ sacrorum librorum indicem texunt, novissimèque in Tridentino stabilita, hanc Epistolam de sacro Canone esse: id, quod inscriptio illi prefixa tam Græcè, quàm Latinè, luculenter præfefert, dum Epistola Catholica nominatur. Scribit Isidorus lib. 7. Etymologiarum cap. 6. multis hominibus quasi divinitus fuisse indita nomina, quodam veluti præsagio eventuum futurorum. Quis ergo dubitet, afflatu, instinctuque divino, hanc Epistolam in ipsa fronte insigni illo *Catholicæ* titulo, quasi nomine divinitus imposito, prænotari? Quis non videat, vel hac sola inscriptione districtos Hæreticorum mucrones, quibus huius Epistolæ iugulum petitur, non dicam eludi, sed prorsus hebetari? Græca vox *Catholicon* universitatem importat: & præcepta quædam artium, quæ Catholica vocabantur, Latinè efferuntur à Quintiliano libro 2. cap. 13. *Universalia, & perpetualia*. Obtinet enim hæc Epistola universalis Ecclesiæ iudicio firmam auctoritatem; obtinuitque perpetuò, licèt nonnulli immeritò dubitaverint: & quandiu stabit mundus, fremant licèt Hæretici, eamdem obtinebit.

Itaque iam inde ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordijs testimonia citant ex hac Epistola vetustissimi Patres, sanctissimique Pontifices. Dionysius libro de Divinis nominibus cap. 4. hinc evincit, dæmones à Deo creatos fuisse bonos, & propria ipsorum voluntate se in peccatum præcipites egisse. *Iuxta sacra eloquia*, inquit, *infirmati sunt ad servandum suum principatum*. Tertullianus libro de Habitu muliebri cap. 3. *Enoch apud Iudam Apostolum testimonium possidet*. Alexander III. Epistola 3. *Ecce, ait Iudas Apostolus, veniet Dominus cum millibus suis facere iudicium*. Sed longum nimis esset singulorum Patrum verba recensere. Hinc depromunt testimonia Anicetus Papa, & Martyr in Epistola ad Episcopos Galliæ. Hyppolitus item Martyr, doctrina nulli antiquorum secundus, in tractatu de Antichristo: Cyprianus libro ad Novatianum, Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi cap. 8. & libro 3. Stromatum cap. 1. Origenes lib. 5. in Epistolam ad Romanos: Ambrosius, vel eo non longè ætate posterior Prosper Aquitanicus in libro de Vocatione Gentium cap. 19. Epiphanius hæresi 26. & 43. Cassianus Collatione 4. c. 13. Athanasius in Synopsi, & Nazianzenus in suis Carminibus, & Damascenus lib. 4. de Fide orthodoxa cap. 18.

Superest ut Hæreticorum argumenta, sint licèt valde futilia, diluamus. Obijciũt primò: Iudas tacitè insinuat, se non esse ex numero duodecim Apostolorum, sed unum ex discipulis, & tempore, & auctoritate lõgè Apostolis inferiorem: ait enim numero 17. *Memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri*

Iesu

Iesu Christi: & in salutatione epistolę se non Apostolum, sed Christi servum appellat.

Respondeo: humilitatis fuit B. Iudæ, honorificētissimum Apostoli titulum sibi non assumere: nam & Paulus, qui per antonomasiam Apostolus dicitur, & si suam auctoritatem, ubi opus erat, tueatur; & pro re nata se Gentium Apostolū nominet; subinde tamen egregia edit humilitatis documenta, & se abortivum vocat, novissimum Apostolorum, peccatorum maximum, indignum, qui Apostoli titulo decoretur. Scripsit verò Iudas post alios Apostolos, unde & potuit Fideles adhortari ad eorum verba memoria retinenda. Neque propterea se ex Apostolorum numero excludit, sicut nec ipse Apostolorum Princeps, dum ait 2. Petri 3. nu. 2. *Vt memores sitis eorum, quæ prædixi, verborum à sanctis Prophetis, & Apostolorum vestrorum.* Aut Paulus, ad Hebræos 13. n. 7. *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum Dei.*

7 Obijciunt secundò. Citat epistolæ huius scriptor nu. 14. verba quædā Enoch; & num. 9. altercationem refert Michaelis cum Diabolo: quæ in sacris litteris nusquam extant, sed hausta ex apocryphis videntur. Respondeo: cùm ad ea loca perveniamus, ostendemus, nihil officere huius epistolæ auctoritati, etiam si id hęreticis largiremur, verba ex apocrypho libro desumpta, à B. Iuda recitari: nam & Paulus ad stabilienda dogmata fidei non dedignatur, vel ex prophanis Poetis sententias adducere: ut ex Arato, Actuum 17. n. 28. *Ipsius enim & genus sumus*: ex Mænādro, 1. Corinth. 15. num. 33. *Corrumpūt mores bonos colloquia prava*: ex Callimacho, aut Epimenide, ad Titum 1. num. 12. *Cretenses semper mendaces.*

Argumentum.

8 SCribit Epiphanius, B. Iudam impulsum fuisse ab Spiritu sancto ad conscribendam hanc epistolam, ad profligandam Nicolaitarum, Gnosticorumque familiam, ad coarguendam Simonis scholam totam obscœnam, totam impudicā. Epiphanij verba sunt hęresi. 26. [De his, arbitror, commotus est Spiritus sanctus in Apostolo Iuda, in Catholica (inquam) epistola ab ipso scripta: ostendit enim ipsos Spiritus sanctus per vocē Iudæ, quòd ad brutorum similitudinem corrumpantur.] Verissimum quidem dicit Epiphanius: videntur enim hæc hominum portenta prorsus exuisse humanam naturam, & in bestias ad venerem procliviſsimas turpiter degenerasse. Non ferunt castę aures horrenda libidinum monstra, & plusquàm belluina hæreticorum flagitia memorari. Ita instituti sumꝰ à natura, ut vetet ingenuus pudor, obscœnas libidines, etiam detestationis gratia, nominare. Ad Ephesios 5. num. 3. *Fornicatio, & omnis immūditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Memoriæ proditum est ab Aulo Gelio lib. 19. cap. 9. Antonium quemdam Iulianum (Hispanus is erat Ludimagister) versus quosdam lepidos illos quidem, sed parùm pudicos in convivio recitaturum, faciem priùs præ pudore, caputque totum obnubisse; eaque excusatione usum esse, quòd etiam Socrates verba quædam non admodùm casta usurpaturus, pallio item caput obvelasset. Itaq; ut & meo, & legentium pudori parcam, detestanda libidinum portenta, quibus se Nicolaitæ veluti sues cœno volutabant; unde & aptum sortiti sunt nomen, *Borboritæ* enim, sive *Borboriani* dicebantur; Latinè efferas, *lutulenti*, sive *cœnosi*: eorum (inquam) abominabiles symmixias verecundo silētio libet involvere. Extant proditæ litteris apud Clem. Alexand. lib. 7. Stromatū, Irenęū lib. 1. c. 20. Epiph. in illa hęresi 26. Vide Baron. to. 1. ann. Christi 35. cap. 19. 9

10 Illud video magnis Auctoribus placuisse, obscœnos istos Hæreticos, cum quibus Iudas pedem confert, quos evidẽtissimis notis prodit, vivisque coloribus depingit, à Nicolao illo Diacono, uno ex septem ab Apostolis electis, Actuum 6. nu. 5. fuisse proseminatos. Vnde prudentissimum hausit Hieronymus documentum, nemini, quantũvis in excelso dignitatis gradu divinitus constituto, suis viribus præfidendum; proclive nimirùm esse homini in peius labi: sic enim ait in Epistola 1. ad Heliodorum. [Attẽdis Petrum, sed & Iudam considera: Stephanum suspicis, sed & Nicolaum respice: quem Dominus in Apocalypsi sua damnat sententia, qui tam turpia, & nefanda commentus est, ut Nicolaitarum hæresis ex illa radice nascatur.] Eumdem produnt auctorem huius turpissimæ hæresis Irenæus lib. 1. cap. 27. Tertullianus in lib. de Præscriptionibus cap. 46. Dorotheus in Synopsi, Hilarius Canon. 25. in Matth. Isidorus lib. 8. Etymologiarum cap. 5. Philastrius lib. de Hæresibus, Gelasius in cap. *Sancta Romana*, dist. 15. S. Tho. 3. contra Gentes, cap. 124.

11 Epiphanius verò scriptam etiam reliquit defectionis causam, hæresi 25. Cùm enim Nicolaus formosissimam uxorem haberet, ordinatus ab Apostolis, nuntium remisit uxori, & ad imitationem eorum, quos Deo addictos videbat, aliquandiu se continuit. Mox victus impotenti libidine uxori rursus adhæsit, increpituisque ab Apostolis, indignum videlicet existimantibus, ut sacris iam officijs, atque ordinibus mancipatus, adhuc carnis teneretur illecebris, erubescendam, & planè detestandam hæresim excogitavit, quam his verbis refert ibidem Epiphanius. [Nisi quis singulis dieb⁹ Venerem exerceret, non posse fieri æternæ vitæ participem.] Atq; hęc breviter, & quasi in trãscursu memorata, facem nobis præferent ad huius epistolæ intelligentiam.

12 Sed non præteribo silentio, Nicolaum illum ab alijs etiam gravissimis auctoribus hac turpitudinis nota liberari: fuerint licèt Nicolaitæ, falsum sibi Nicolai nomen prætexentes, omnibus libidinum maculis insigniter inusti. Videantur Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum cap. 3. Theodoretus lib. 3. de Græcorum Fabulis, Eusebius libro 3. Historię, cap. 23. Baronius tom. 1. ann. Christi 68. cap. 9. Ribera Apocalyp. 2. num. 9. & Lorinus Actuum 6. versu 5.

Numerus 1.

Iudas Iesu Christi servus, frater autem Iacobi.

13 IRes edit Iudas certissimas sui notas. Prima est, inditum sibi nomen Iudæ. Sed, ut observant Hieronymus in cap. 10. Matth. & Augustinus lib. 2. de Consensu Evangelistarum, cap. 20. Iudas trinomius fuit: vocatur enim Lebbæus in Græco textu, Matth. 10. num. 3. Lebbæus autem idem est, ac *corculum*, sive *cordatus*: & homines catos, solertes, sapientiaque prẽstantes, ita à Latinis vocari solitos, auctor est Plinius lib. 7. c. 31. Vide Tiraquellum in Alexãdrum lib. 1. cap. 9. Alijs Lebbæus sonat *leunculum*: qui id ex pervetusta traditione referũt, eos, quibus *Iudas* nomẽ esset, Leones simul appellatos; quòd primus ille Iudas Patriarcha dictus sit etiã Leo, Genesis 49. num. 9. *Catulus leonis Iuda*: & paulò pòst, *sicut leo accubuisti*. Sed arcana huius variæ nomenclaturæ causa ea præcipuè proditur, quia videlicet in nomine *Iehuda* quatuor sacri nominis tetragrãmati litteræ reperiuntur. Ne igitur temerè à quoquam usurparentur, ob insitam reverentiam is, cui Iudas nomen erat, non proprio ipsius nomine, sed factitio alio vulgò vocabatur. Vide Iansenium in Concordia cap. 39. Tertium itaq; nomen Iudę est Thadæus, bis usurpatum ab Evangelistis, Matthæ. 10. num. 3. Marci 3. nu. 18. cuius si vim, & proprietatem spectes, à Dei cõfessione, & laude ducitur,

idem-

idemque prorsus significat, ac Iudas, nisi quòd in Thadæo ineffabile Dei nomen nusquam apparet.

14 Altera B. Iudæ nota est, *Iesu Christi servus*. Egregiè Oecumenius in Iacobi cap. 1. *Cùm Apostoli supra omnem mundanam dignitatem gloriarentur, quòd Christi servi essent; id quasi insigne sui, & loquendo, & scribendo præferre consueverunt.* Sic Paulus ad Romanos 1. numer. 1. *Paulus servus Iesu Christi.* Petrus 2. Epist. cap. 1. num. 1. & Iacob cap. 1. numero item 1. Scilicet servire Deo, regnare est: ut sapienter Agatha respondit Tyranno exprobranti, quòd ab ingenita Maiorum nobilitate ad Christianam servitutem, ac vilitatem descivisset. *Multò*, inquit, *præstantior est Christiana humilitas, & servitus, Regum opibus, ac superbia.* Et Philo libro 1. de Monarchia ait: *Servire Deo optabilius est, quàm regnare.*

15 Deus ipse hoc honorificentissimo titulo eos cohonestat, quos in oculis fert, quos charissimos habet. Abrahã, Gen. 26. n. 24 Moysen, Num. 12. n. 7. Caleb, Numeror. 14. num. 24. Iob, cap. 1. num. 8. David, 2. Reg. 7. num. 5. & Psalm. 88. numer. 21. Et ipsi vicissim hac eximia dignitate glorificant Deum. Isai. 49. numer. 3. *Servus meus es tu Israel, quia in te gloriabor.*

16 Est verò hæc honorifica servitus non modò cum amplissima Filiorum Dei dignitate, sed cũ gloriosa etiam libertate coniuncta. Augustinus Tractatu 41. in illa verba Ioan. 8. num. 36. *Si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis. Hæc spes nostra est, fratres, ut à libero liberemur; & liberando, servos nos faciat: servi enim eramus cupiditatis; liberati, servi efficimur charitatis.*

17 Tertia denique B. Iudæ nota est, *frater Iacobi*. Quæ usque eò vulgò pervagata fuit, ut *Iudas Iacobi* nominetur à Luca cap. 6. num. 16. & Actuum 1. num. 13. suppresso nomine *fratris*. Id, quod in eam opinionem nonnullos adduxit, Alphæũ Iudæ Patrem fuisse binonimum, & Iacobum etiam appellatum. Sed hanc opinionem refellit ipse Iudas in hoc loco, ubi nõ de Parente, sed de Iacobo fratre gloriatur: cuius adeò eximia sanctitas fuit, ut fraterna necessitudine illum attingere, iure optimo Iudas summę sibi gloriæ duxerit. Frater item Domini dicitur Iudas Matth. 13. num. 55. ut & ipsius germanus Iacobus minor ad Galat. 1. num. 19. erãt enim Christi consanguinei, quos vulgare est in Scriptura fratres appellari, ut probant Toletus Ioan. 2. notat. 18. Baronius in apparatu ad Annales, & Maldonatus Matth. 12. num. 46.

His, qui sunt in Deo Patre dilectis, & Christo Iesu conservatis, & vocatis.

18 TOtidem Apostolus edit notas eorum, ad quos scribit: tribus elogijs fideles blandissimè compellans, audientiã sibi facit, seque in illorum gratiam prudenter insinuat.

Primò *dilectis*, Græcè *hegiasmenis, sanctificatis*. Interpres legisse videtur *egapemenis*, modico quidem vocum, nullo tamen sententię discrimine. Vulgare enim fuit in primitiva Ecclesia Fideles, sanctos, aut sanctificatos nominari. Ad Roman. 1. num. 7. *Vocatis sanctis.* 1. Corinth. 1. num. 2. *sanctificatis in Christo Iesu.* & 2. Corinth. 1. num. 1. *cum omnibus sanctis.* Sic ad Ephesios 1. numer. 1. & Actuum 20. num. 32. Erat crebrę huius compellationis causa, quia in primo ipso aditu Christianismi, aqua illa salutari tincti, ab omnibus sordibus eluebantur. 1. Corint. 6. num. 11. *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Idem enim est sanctificari, ac peccatorum maculis eluii. 1. Ioan. 3. num. 3. *Omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se.* Græcè, *agnizi.* Erasmus, & Tigurina, *purificat se.* Divus Hieronymus lib. 1. contra Iovinianum, & Tertullianus libro de Monogamia cap. 3. & libro de Pudicitia capite 19. *castificat se.* Lorinus, *expiat, lustratque.* Hoc

videlicet iure suo exigit professio Christianæ vitæ. 1. Petri 1. num. 15. *Et ipsi in omni conversatione sancti sitis, quoniam scriptum est:* (Levitici 11. num. 44.) *sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Deus ergo cùm sit ipsissima sanctitas, eos duntaxat diligit, qui sancti sunt: imò diligendo, donaque cælestia conferendo, sanctos effícit, quos diligit. Quare sive sanctificati, sive dilecti, fideles appellentur, in idem omnino recidit.

20 Secundò vocantur fideles *conservati in Christo Iesu.* Circumstant undiq; truculenti hostes, nostri sanguinis exorbendi sitientissimi: modò incautos occultis cuniculis, modò aperto Marte violèter adoriũtur. Quî obsistemus infirmissimi valentissimis? tyrones, & inexperti, veteranis exercitatissimis? Imbelles sumus; dabimus manus, nisi Christi ope fulciamur: cæci sumus, in laqueos induemur, nisi eiusdē luce regamur. 1. Pet. 1. n. 5. *Qui in virtute Dei custodimini per fidem.* Subest hîc non verbum *tereo*, aut *phylaßo*; sed aliud grādius, & significantius, *phroureo*: cuius germana vis est, urbem, aut arcem propugnaculis, præsidijs, & excubijs undique septam, munitamque tenere. Quo verbo usus est Paulus 2. Corinth. 11. num. 32. *Custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet.* Regia. *Præsidio tenebat.* Pagnin. *observabat.* Tigurina, *excubias posuerat in urbe.* Præsidia videlicet militum ad omnes aditus dispositerat, qui excubias agerent, sedulòque observarent, ne quà
21 Paulus elaberetur, ne ullum pateret effugium. Ita fideles quasi dispositis præsidijs, & excubijs circumquaque muniuntur, & obvallantur, ne ullus hostibus aditus pateat. Oppugnent sanè arcem mentis spiritualia nequitiæ, aditus solerter explorent; nisi voluntas ipsa sponte sua deditionem turpiter faciat, eò subire, ac penetrare non poterunt. *In virtute Dei custodiuntur*, hoc est, in Christo, qui virtº Dei est, 1. Corinth. 1. num. 24. Græcè *dynamis*, id est, vis, robur, ac potentia. Christi enim robore confirmati vel confertissimas hostium acies, in suam perniciem irruentes, facilè propulsant, atque adeò perrumpunt. Et bonus, & fortis Pastor est, qui suis ovibus pollicetur, Ioann. 10. numero 28. *Non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Pereunt 22
quidem sæpe Christi oves; sed si pereunt, sua ipsarum voluntate, non Pastoris imbecillitate pereunt: nemo illo fortior, nemo potentior est, qui possit invito oves è manibus extorquere. Potentiam enim in arcano sermone *manu* denotari, vulgò omnibus notum est. Eòdē spectat id Ioā. 17. num. 11. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo.* Vbi egregiè probat Maldonatus, nomen potentiam, robur, & auxilium significare; ac proinde sententiam esse: conserva eos sub tua protectione, atque tutela. Proverb. 18. num. 10. *Turris fortissima nomen Domini.* Sed illo ipso Patris nomine, hoc est, potentia Divinitatis, quæ eadem est in Patre, & Filio, suos Discipulos Christus protegebat. Ioann. 17. nu. 12. *Cùm essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo.*

Tertiò denique dicuntur *vocati*, Græ- 23
cè *cleti.* Est autem *cletòs*, ut cuivis vel mediocriter Græcis litteris tincto perspicuũ est, non participium, ut *clethis*, aut *Kecleménos*; sed nomen quoddam absolutum: cuius vim dum expendit Erasmus in caput 1. ad Romanos, rectè ait, idem fermè valere, ac si Latinè dicatur *vocatitius*, id est, dignitate, ac munere insigniter vocatus: appositum sanè apprimè quadrans fidelibus. Ad Roman. 1. num. 6. *In quibus estis & vos vocati Iesu Christi.* 1. Corin. 1. num. 24. *Ipsis autem vocatis, &c.* Vocavit nimirum eos Deus *de tenebris in admirabile lumen suum*, 1. Petri 2. num. 9. transtulit eos ex vilissima, atque miserrima peccati servitute *in regnum Filij dilectionis suæ*, ad Colos. 1. n. 13. vocavit eos *in suum regnum, & gloriam*, 1. Thessalo. 2. nu. 12. *Vocati* itaque iure nominantur, qui per 24
summam vocantis gratiam vocati sunt à morte ad vitam; ex ignominia, ad gloriã; ex servis Sathanę Inferorum fornacibus

addictis,

addictis, in filios Dei cælestibus thronis destinatos; ex vasis iræ, & contumeliæ, in vasa gratiæ, ac misericordiæ; ex caligine infidelitatis, in lucem Evangelij; ex spurcissimo denique extracti libidinum, & flagitiorum cœno, vocatique ad Angelicam exprimendam puritatem.

Hinc frequentes illæ adhortationes 1. Corinth. 1. num. 26. *Videte fratres vocationem vestram.* Ad Ephes. 4. num. 1. *Vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis.* Ad Philippens. 1. num. 27. *Dignè Evangelio Christi conversamini.* Hoc quasi stimulo se ipsum incitabat Apostolus, ad Philippens. 3. num. 14. *Ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis.* Ob hoc beneficium gratias agebat 2. ad Timoth. 1. num. 9. *Qui nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta.*

Numerus 2.

Misericordia vobis, & pax, & charitas adimpleatur.

25 Græcè, *plerynthie*; id est, *multiplicetur*. Sic enim vertit idē verbum Latinus Interpres 1. Pet. 1. num. 2. & idem subest apud LXX. Danielis 6. numer. 25. *Pax vobis multiplicetur.* Suspicatur itaque Erasmus, Vulgatum legisse *plerorhie*: sed hullum est ferè sententiæ discrimen: & alibi ita expressit Vulgatus idem verbum, 2. Petri 1. num. 2. *Gratia vobis, & pax adimpleatur.* Exoptat itaque Iudas, hæc cælestia charismata non modò fidelibus conferri, sed magna etiam accessione, & cumulo augeri, & multiplicari, & omnino tandem perfici. Id, quod in votis etiam habebat Paulus 1. Thessalonicens. 3. num. 12. *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram.*

26 Observat Augustinus in expositione quadam inchoata Epistolæ ad Romanos, quæ habetur to. 4. in omnib⁹ ferè Epistolis Apostolicis, in primo ipso salutationis aditu sacrosanctum Trinitatis mysterium, non dicam adumbrari, sed planè exprimi. Neq; verò id desideratur in hac Epistola: nā hæc tria cælestia dona tres divinas personas attributione quadam repræsentant: misericordia videlicet, æternum Patrem; pax, unigenam Filium; charitas denique Spiritum sanctum.

Attribuitur itaque Patri misericordia 27
2. Corinth. 1. num. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum.* Nam quemadmodum Pater fons est, & origo Trinitatis; ita divina misericordia perēnis quidam fons est, unde omnes fluunt gratiarum rivi: etiā summa illa gratia Incarnationis Divini Verbi ex isto fonte manavit. Luc. 1. num. 78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.*

Hinc originem trahit remissio peccatorum, 28
ut constat ex Psalmo 102. num. 11. 12. & 13. ubi advertendum est, *corroborare misericordiam*, idem esse, atque attolli, & in altum elevari: ut & Psalm. 116. n. 2. *Quoniam confirmata est super nos misericordia eius.* Doctè id utrobique probat Agelius ex Genesis 7. numer. 20. *Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes.* Hebraicè, *gibberu*: *corroboratæ, aut confirmatæ sunt aquæ.* At divina misericordia nō quindecim cubitis altior est super nos, sed tam immensa copia effusa est, tanta nos altitudine superat, ut omnes velut in abysso profundissima demerserit, omnium scelera diluvio quodam clementiæ inundaverit, ac prorsus obruerit; ut quoquò versus figas obtutus, nihil, nisi divina misericordia, ut moles aquæ in altum mare invectis, undique videatur. Totum enim hoc spacium, quod à terris in cælum usque interiacet, divina repletum est misericordia. Psalm. 56. num. 11. *Magnificata est usque ad cælos misericordia tua.* Et Psalm. 102. num. 11. *Quoniam secundum altitudinem cœli à terra corroboravit misericordiam suam.* Plusquàm aurea sunt Augustini verba in id Psalm. 58. n. 18. *Deus meus misericordia mea. O nomen, sub quo nemini desperādū est! Deus meus, inquit, misericordia mea. Quid est, misericordia mea?*

Si dicas, salus mea; intelligo, quia dat salutem: si dicas, refugium meum; intelligo, quia confugis ad eum: si dicas, fortitudo mea; intelligo, quia dat tibi fortitudinem. Misericordia mea, quid est? Totum, quidquid sum, de misericordia tua est. Si tu mihi dedisti, ut sim; & alius mihi dedit, ut bonus sim; melior est ille, qui mihi dedit, ut bonus sim, quàm ille, qui mihi dedit, ut sim.

30 Dixi, *pacem* attributione quadam Vnigenitum Dei Filium repręsentare: ipse enim est *pax nostra*, ad Ephes. 2. num. 14. *Vere Princeps pacis*, Isai. 9. num. 6. *Vnus mediator Dei, & hominum*, 1. Timoth. 2. numero 5. *Faciens pacem, & reconcilians homines Deo per crucem*, ad Ephesios 2. numero 15. Sapienter admodum Bernardus expendens illa verba Isaiæ 42. num. 8. *Gloriam meam alteri non dabo*, sic ait Sermone 13. in Cantica: *Quid ergo dabis nobis Domine? quid dabis nobis? Pacem, inquit, do vobis, pacem relinquo vobis.* (Ioann. 14. num. 27.) *Sufficit mihi. Grataner suscipio, quod relinquis; & relinquo, quod retines: Abiuro gloriam prorsus; pacem volo, pacem desidero, & nihil amplius: cui non sufficit pax, non sufficis tu: tu es enim pax nostra.*

31 Et quanvis vulgare esset apud Hebræos, pacem sibi mutuò in salutationibus impertire, quia ex idiomate illius linguæ, omnis copia, & affluentia rerum temporalium, omnisque prosperitas, pacis nomine continebatur: tamen longè sublimiore significatione usurpavit Christus hoc vocabulum, cum præcepit Apostolos salutantes precari pacem, Matth. 10. nu. 12. nimirum illam pacem, de qua Apostolus agit ad Romanos 5. num. 1. *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum.* Pacē enim habere ad Deum, est reconciliari cum Deo, & ad illius gratiam per Christi sanguinem revocari. Vnde ipse Christus à mortuis excitatus, ubi primùm affatus est discipulos, pace illos impertivit. Luc. 24. num. 36. Ioann. 20. num. 14. Cyrillus libro 12. in Ioannem cap. 54. *Decet largitorem pacis ista salutatio: ipse namque pax omnium est.* Tunc videlicet devictis iam humani generis hostibus, passionis suæ fructum fuisse pacem, proprio effuso sanguine partam, ea salutatione denuntiavit. Observat hoc Chrysostomus homil. 86. in Ioannem. *Hoc verbum primum post resurrectionem dixit, crucis merita colligens, quæ sunt pax.*

Denique charitas in hac salutatione 32
Spiritum Sanctum repręsentat, tanquam excellentissimum illius donum. Ad Romanos 5. num. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ipse præterea Spiritus Sanctus est amor spiratus flagrantissimus, atque adeò infinitus: est dulcissimus ille nexus, quo Pater, & Filius inter se arctissimo nodo, id est, amore mutuo, atque reciproco devinciuntur. Ita charitas est *vinculum perfectionis*, ad Colossens. 3. numero 14. quia nimirum in ipsa consistit perfectio per modum vinculi. Duo enim attribuuntur ab Apostolo charitati: & quòd summam cōtineat Evangelicę perfectionis; eò enim est quisque perfectior, quò ardentiore charitate flagrat: & quòd perficit instar vinculi, animam cum Deo arctissimè copulantis. 1. Ioannis 4. nu. 16. *Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Ille ipse amor naturalis, tanto interval- 33
lo charitate inferior, vinculum arctissimum est, quo amantes acerrimè vinciuntur. Quid dico, vinciuntur? Imò verò unius voluntas adeò mira consensione in alterius rapitur voluntatem; unius animus, quasi sui oblitus, tam arctè cum altero connectitur; ut eò transfusus per vim amoris, plùs sit ubi amat, quàm in eo ipso corpore, quod informat. Neq; enim, ut ait Bernardus in libro de Præcepto, & Dispensatione, præsentior spiritus noster est, ubi animat, quàm ubi amat. Imò cùm in amoris fornace tinus animus conflatus è duobus videatur, alterum alterius dimidium esse, necesse est: ut ingeniosè cecinit Poeta Venusinus libro 1. Ode 3.

Et servos animæ dimidium meæ.

Atque adeò in amicitia perfecta unus alteri est alter ipse: itaque cùm amici longè absunt, uterque se ipsum à se abesse dolet, & se ipse præsens requirit absentem. Tritum illud est vetustate proverbium,
34 *Amicus est alter ego.* Refert Aristoteles lib. 9. Ethicorum cap. 4. Vnde cùm Darij Regis mater captiva adduceretur ad Alexandrum Magnum, illo præsente, per errorem supplex veneratа est Hephęstionem, longè omnium amicorum Alexandri charissimum. Admonita deinde, quis esset Alexander, cùm erubescēs errorem excusaret, hanc manu allevans ipse Alexander, *non erraſti*, inquit, *nam & hic Alexander est.* Auctor est Curtius libro 3. Hinc illud Aristotelis in magnis Moralibus lib. 2. cap. 13. *Cùm volumus impensè amicum dicere, una mea, & huius anima est, dicere solemus.*

35 Huius potentiæ admirabilis, quā exercet vis amoris, vestigium aliquod extat in sacris litteris: *Amantium erat cor unum, & anima una*, Actuum 4. num. 32. Iacobus tenerè diligebat Beniamin, Genes. 44. num. 20. *Igitur si puer defuerit, cùm anima illius ex huius anima pendeat,* (ibi numero 30.) *morietur*: 1. Regum 18. n. 1. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ David, & dilexit eum Ionathas, quasi animam suam.*

Quòd si hęc experimur etiam in amore naturali, quid de sublimiore illo dicendum est? de quo ita affirmat Dionysius libro de Divinis nominibus, cap. 4. *Est autem mentis secessum, extasimque faciens divinus amor; amatores sui iuris esse non sinēs, sed in ea, quæ amant, penitus transferens.* Amantis est illa vox ad Galatas 2. nu. 20. *Vivo autem, iam non ego: vivit verò in me Christus.* Et 1. Corinth. 6. num. 17. *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.* Hinc egregia illa Augustini sententia tom. 9. tract. 2. in Epistolam Ioannis. *Talis est unusquisque, qualis eius dilectio est. Terram diligis? terra eris. Deum diligis? quid dicam? Deus eris.*

Numerus 3.

Charissimi, omnem solicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis: deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei.

Sensus est: Cùm pro anxia mea 36
solicitudine, vestræ salutis procurandæ, vehementi teneret desiderio scribendi vobis, me ipsum eo iam inclinatum exortę hęreses vehementiùs impulerunt: ut quò insita ferebar voluntate, etiam necessitatę adducerer; vosque, & charitate, & necessitate stimulante, sedulò cohortrarer, ut pro tuenda syncera fide, quam semel ab Apostolis suscepistis, invicto animi robore adversus Hæreticos decertetis.

Exordium totius Epistolę est, omnibus numeris absolutum, quo benevolentiam mirificè conciliat, & attentionem ac docilitatem captat. Benevolos facit auditores, dum eos blandè compellat, amantes deprecatur, charissimosque sibi esse profitetur; & quod caput est, dum ostendit, se pastorali, atque adeò paterna solicitudine tactum, in eorum salutem incumbere. Quia videlicet mirè valet ad devinciendos animos eorum, quibus cum agis, & quasi præparandum solum ad doctrinæ satus excipiendos, si illi certò sibi persuadeant, salutem suam maximè tibi cordi esse. Attentos præterea facit, dum se acturum pollicetur de communi omnium 37
salute, id est, de re, quæ illorum maximè intererat: qua nimirum animorum salus in omnem æternitatem duratura continetur. Hic scopus est, quò nostra tendit fides, quò tota collineat Evangelica prædicatio. 1. Petri 1. num. 9. *Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum.* Huc spectabant Apostolorum suscepta certamina: huc exantlati labores referebantur: 2. ad

Timoth.

Timoth. 2. num. 10. *Omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur.* Denique facit dociles auditores, dum breviter, enucleatèque proponit totius Epistolæ statum. Hic cardo, hæc summa est: in hanc arcem totus invadit: pro Catholica Fide retinenda contra omnes impostores totis viribus dimicandum. Sed nonnulla accuratiùs explicemus.

38 Ad Pastorem propriè spectat tangi solicitudine, stimulariq; de ovibus. Ad Romanos 12. num. 8. *Qui præest in solicitudine.* Ad Hebræ. 13. num. 17. *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Profectò, qui regendi populi curam suscipit, onus sibi imponit Angelicis humeris formidandum: ut graviter loquitur Tridentinum Sess. 6. Decreto de Reformatione c. 1. Sanguis enim eorum, qui pericrint, de Pastoris manu severissimè requiretur, Ezechiel. 33. num. 8. nisi ille vigilanter pericula circumspiciens, & tanquam de specula inclamans, ritè periclitantes admoneat: nam silentio duntaxat Pastoris, nedum scandalo, oves ad interitum præcipites ruent. Extimescenda Prælatis districta illa Innocentij III. sententia, quæ habetur distinctione 83. cap. *Error.* [Error, cui non resistitur, approbatur, & veritas, cùm non defenditur, opprimitur: negligere quippe, cùm possis detrimentum perversos, nihil aliud est, quam fovere.] Sapienter monet Chrysostomus 39 homilia 2. in cap. 1. Epistolæ 2. ad Timotheum. [Considera, quantum periculi sit, per singulos subditorum discutij, rationemque pro omnibus reddere. Quantumvis illi honoris impendas, quantumlibet obsequij deferas, nihil his periculis referre poteris: nam & si animam pónas, ipse amplius pro te facit, nam animam periculo æternæ mortis exponit.] Iam verò quem non percellant illa eiusdem Chrysostomi verba, homilia 34. in Epistolam ad Hebræos? [Omnium, quos regis, tu rationem redditurus es: tanto igni tuum subijcis caput. Miror, si potest salvus aliquis Rectorum.] Fulmen mihi terrificum hæc Chrysostomi sententia videtur, ut valde obsurduerit, qui tam horrendo tonitru non expaverit.

Iure ergo B. Iudas omnem adhibet so- 40
licitudinem (Græcè, *spudèn*) ad Pastoris munus ritè obeundum. Vox autem *spude*, non modò accuratissimum studiū, vigilantissimamque solicitudinem, sed festinationem etiam affert, & discurrendi celeritatem: ut constat Marci 6. num. 25. & Lucæ 1. num. 39. Atque hanc celerem diligentiam præter solicitudinem, & vigilantiam exigunt sacræ litteræ abeo, qui vadem se obtulit pro altero. Proverbio. 6. num. 3. *Discurre, festina, suscita amicum tuum, &c.* Hanc operam egregiè navabat vigilantissimus ille Pastor, qui de se ipso ait 2. Corinth. 11. num. 28. *Instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum.* Sed in hoc loco licèt sit eadem vox Latina *solicitudo*, Græca tamen est diversa, *merimna*: quæ, ut observant omnes, qui de Etymologia scripserunt, originem du- 41
cit *apò tu merizin*, quòd varias in partes dividat, ac distrahat mentem: cuius vim expressit Apostolus 1. Corinth. 7. nu. 33. *Solicitus est* (Græcè, *merimna*) *quæ sunt mundi, & divisus est.* Luc. 10. nu. 41. *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima.* & num. 40. *satagebat.* Græcè, *distrahebatur.* Distrahendus quidem est solicitus, & anxius Pastoris animus, & ad arcenda pericula à singulis ovibus evocandus. Sic ipse faciebat Apostolus, 2. Corinth. 11. numero 29. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?*

Sed idem Apostolus in Epistola ad Co- 42
lossenses grandiorem adhuc, & significantiorem vocem usurpat, cap. 2. num. 1. *Volo enim vos scire, qualem solicitudinem habeam pro vobis.* Græcè, *helicon agona: quantum certamen.* Ita solet reddere Vulgatus eamdem vocem Græcam: ad Philippēs. 1. numero 30. ad Hebræos 12. nu. 1. & 1. ad Thimot. 6. num. 12. Sed nihilominùs Interpres 1. Thessalonicen. 2. num. 2. expressit etiam, ut in hoc loco, *in multa solicitudine.* At ex proprietate Græcæ vocis, ea

solicitudo mente concipienda est, quæ extimulat, & cruciat animum decertantis cum sanguinario hoste, atque eo conflictu, unde non modò vita, honorque pendeant, quæ hominibus solent esse antiquissima; sed vera illa animi salus, in æternum duratura, exitu prælij contineatur. Perpende, obsecro, quàm solicitus erit de victoria, qui tali certamine confligit: & scito, talem debere esse solicitudinem, agonemque Prælatorum. Vim vocis Græcę valde confirmat, quòd vehemens illa afflictio, angorque Christi, qui sudorem illi sanguineum elicuit, *agonia* nominatur à Luca cap. 22. nu. 43. hoc est, mæstissima quædam benignissimi pastoris solicitudo; anxietas, & horror, quali solent homines corripi instante, atque adeò urgente gravissimo discrimine, de cuius exitu vehementer reformidant.

43 Hac itaque solicitudine stimulatus strenuissimus Pastor Iudas, prospicienſque præsentissima pericula, quæ incautis ovibus iam iamque à lupis rapacibus impendebant, seriò fideles adhortatur, impensèque obsecrat, (utrumque significat *paracalòn*) ut pro tuēda fide fortiter, acriterque decertent. De hoc certamine duntaxat cum hæreticis suscipiendo intelligendus est Apostolus, non universè de agone Christiano. Itaq; quemadmodùm monet Ecclesiasticus cap. 4. num. 3. *Pro iustitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro iustitia*; ita hîc excitat Iudas ad dimicandum fortiter pro fide adversus eos, qui illam oppugnant. Interpretatio Syriaca, quā noster Balthasar Etzelius Latinam fecit, ita habet. *Rogans, ut certamen faciatis pro fide.* Hoc ipsum exigit Paulus à Timotheo Epistola 1. cap. 6. num. 12. *Certa bonum certamen fidei*: (Vatablus: *ostende te acerrimum fidei defensorem*) *apprehende vitam æternam*, id est, enitere totis viribus ad huius certaminis palmam assequendam.

44 Subest in his locis verbum *agonizomæ*, quod significat, enixè, omnibus nervis, & toto pectore, animique contentione depugnare: ducta metaphora ab ijs, qui in agone contendebant, 1. Corinth. 9. numero 25. Ioannis 18. num. 36. *Ministri mei utique decertarent*. Ad Hebræos 12. numero 4. *Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes.* 2. Machabę. 13. nu. 14. *Exhortatus suos, ut fortiter dimicarēt, & usq; ad mortē, &c.* Sed in hoc loco hoc ipsum verbum epitasim etiā habet: *epagonizesthæ, supercertari.* Et verò quia insolens videtur Latinis auribus, *certor* activa usurpari significatione; nec desunt, qui nostro Interpreti diem dicant violatæ Latinitatis, vel saltem de mendo huius loci suspicentur, & legant, *supercertare*, adverto id, quod pridem observavi, in Vulgata Editione Interpretem, ductum eximia religione, & studio exprimendi verbum è verbo phrases, & idiotismos linguæ originalis, dum omni ope elaborat, ut quàm maximè fidus sit, non modò hellenismos, vel reclamante Latinitate, venustè retinere, ut Lucę 22. nu. 25. *Reges Gentium dominantur eorum.* Matthæ. 22. num. 10. *Impletæ sunt nuptiæ discumbentium.* Ioann. 14. num. 12. *Maiora horum faciet.* Sed interdum etiam non sine lepore verba cudere Latina ad Græcorū imitationem efficta, ut Psal. 7. nu. 76. *Scopebam spiritum meum.* Quia ad exprimendam Hebraicam, Græcamque vocem, nullum fortè tam idoneum verbum in toto Latio reperietur. Idque efficit Vulgatus exemplo probatissimorum auctorum, qui Græca verba leviter inflexa, cùm opus erat, Romana civitate donabant. Horatius in Arte Poetica.

Et nova, fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Græca fonte cadant, parcè detorta.

45 Interdum etiam, ut unico verbo Græco unicum item Latinum reddat, illud usurpat, quod &si iure Latinitatis gaudeat, delicatis tamen auribus minùs arrideat. Lucæ 21. num. 38. *Omnis populus manicabat ad eum.* Sic quia Græcum verbum

46 *epago-*

epagonizomæ deponens est; ut alio item deponenti illud exprimat Vulgatus, *certandi* verbum usurpat, passiva quidem voce, significatione tamen activa: quod non sine exemplo facit priscorum Latinorum, & alibi etiam frequentat. Eccl. 11. nu. 9. *De ea re, quæ te non molestat, ne certeris.* Sapient. 15. num. 9. *Concertatur aurificibus.* Denique ipsum verbum *agonizomæ* & Latio donat, & eâdem formâ, qua Græci, illud inflectit Eccles. 4. numero 3. *Pro iustitia agonizare.*

47 Iam me expedio ex isto versu, si vocem illam *semel* expediero. Dicitur Catholica fides sanctis tradita *semel*, id est, firmiter, prorsus immutabiliter. Sic contrà dixit Quintilianus libro 1. non semel decretum fuisse, quod aliquando revocatur. Et Ovid. Epist. 5.

Nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia est: deperit illa semel.

Atque ex hac significatione interpretanda sunt nonnulla sacræ Scripturæ loca. Psalm. 88. num. 36. *Semel iuravi in sancto meo.* Illud *semel* firmitudinem, & immutabilitatem divini iuramenti præsefert. Semel duntaxat fuisse interpositũ à Deo iusiurandum, satis, superque est: nihil opus est, illud iterare. Psalm. 61. num. 11. & Iob 33. num. 14. *Semel loquitur Deus.* Sic Proverb. 28. nu. 18. *Concidet semel*, id est, ita corruet, ut nunquam se possit erigere.

Numerus 4.

Subintroierunt enim quidam homines.

48 QVasi in alieno fundo vestigiũ fecerunt; in eam possessionẽ, quæ Catholicorum propria est, contra ius, & fas per fraudem irruperunt. Eleganter Tertullianus in libro de Præscriptionibus cap. 37. [Qui estis? quando, & unde venistis? Quid in meo agitis, non mei? Quo denique Marcion iure sylvam meam cædis? Qua licentia Valentine fontes meos transvertis? Mea est possessio. Olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiuraverunt, ita teneo.]

Hæretici ergo, quia in alienam possessionem involarunt, sensim, atque latenter irrepserunt. Hanc vim habet in compositione Græca præpositio *parà*, & Latina *sub*. Itaque *subintroierunt*, idem est, atque clàm, & furtim subierunt. Regia, *subrepserunt*, id est, vobis aliud agentibus, artificiosè, & callidè se se insinuarunt: vafrè sanctitatem ementientes, doctrinam fallacissimè venditantes, incautos, & parùm attentos, prætextu pietatis in errorem, & fraudem induxerunt.

Atque hæc est prima, certissimaque 49
nota, qua Hæretici designantur, & à Catholicis internoscuntur. Immanis, & lupina contegitur sub ovina pelle rapacitas. Matth. 7. num. 15. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* 2. Corinth. 11. num. 13. *Operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi.* Ad Romanos 16. num. 18. *Per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium.* Psalm. 5. num. 11. *Linguis suis dolosè agebant.* Hieron. *Linguam suam lenificant.* Pagninus, & Vatablus, *lingua sua blandiũtur.* Hebraicè, *iahalicũ.* Propriè vertas, *lingua sua dividunt, aut partientur: partim dicent, partim reticebunt.* Proverbiorum 29. num. 5. *Homo, qui blandis, fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.*

Meritò itaque Hæreticos vocat Pau- 50
lus *subintroductos falsos fratres*, ad Galatas 2. num. 4. Græcè, *pariſactus.* Et quia nomen est, non participium; *irreptitios*, aut *subinductitios* propriè vertas, ut vertit Erasmus. Eodem sensu usurpavit Petrus verbum *parisago*, unde hoc nomen

dedu-

deducitur, 2. Petri 2. num. 1. *Magistri mendaces, qui introducẽt sectas perditionis.* Vbi Gagneius. *Subintroducent, & clàm invehent.* Sic subiungit Paulus ad Galatas 2. num. 4. *Qui subintroierunt explorare libertatem nostram.* Solent enim exploratores ab hostibus submissi, latẽter, ac velut aliud agentes, ementitaque sodalium specie in castra penetrare. Sapienter itaque monet Ignatius Antiochenos Epistola 9. [Hæc scribo vobis, ô Christi olivæ tenellæ, ut præmuniam vos, quasi pater liberos suos. Circũspicite igitur malignos operarios, canes mutos, serpentes se contrahentes, dracunculos squamosos, aspides, basiliscos, scorpiones: hi enim sunt lupi astuti, simiæ hominum imitatrices.]

Qui olim præscripti sunt in hoc iudicium.

51 SVbobscura sententia est, cui lucem afferet exacta duarum Græcarum vocum explicatio. *Præscripti*, Græcè *progegrammeni*, idem est, ac antè scripti, priùs descripti. Ad Galatas 3 num. 1. *Ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est*, id est, priùs descriptus, graphicè depictus, atque expressus.

Iudicium, Græcè *crima*, idiomate Hebraico in Scriptura frequentissimo, sumitur pro condemnatione, sive punitione. Hierem. 48. num. 47. *Huc usque iudicia Moab.* Matth. 23 num. 14. *Propter hoc amplius accipietis iudicium.* Vnde quod Vulgatus extulit Lucæ 24. nu. 20. *Tradiderũt eum in damnationem mortis*; Græcè legitur, *in iudicium mortis.* Et ad Romanos 3. numero 8. *Quorum damnatio iusta est*, Græcè, *quorum iudicium iustum est.*

52 Sensus itaque huius loci est. Non subitò, & quasi ex insperato, atque improviso Hæretici in Catholicorum castra subierunt: nam Deus æterna sua præscientia, eos tam impium facinus commissuros, & ad subsecuturam postmodùm horribilem damnationem sua sponte miserabiliter deventuros, & certò cognovit, & disertè prædixit, & eos, ut facilè secerni, & internosci possent, vivis coloribus expressit. Cùm Christus eos egregiè depinxisset Matth. 7. num. 15. & cap. 23. nu. 24. *Ecce*, inquit, *prædixi vobis.* Quasi dicat: non vos imparatos oppriment: ecce iam nunc venturos prænuntiavi, eorumque notas edidi, ut cùm è tenebricosis latebris repentè prodierint, versutos hostes sedulò caveatis.

Observant autem communiter Patres, 53 cùm prævidisset Deus Hæreticos diabolicis actos furijs Ecclesiã oppugnaturos, & plerosq; fideles in fraudem, ac ruinam impulsuros, facilique negocio eorum conatibus obviàm ire potuisset; permisisse tamen, ut ardentissimo huius persecutionis igne, perinde ac aurum in fornace, electi probarentur: *nam oportet, & hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant*, 1. Corinth. 11. num. 19. Illa prætereà observatio digna profectò est Augustini ingenio, libro 16. de Civitate cap. 2. *Multa quippe ad fidem Catholicam pertinẽtia dum Hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut adversus eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & instantiùs prædicantur, & ab adversario mota quæstio, discendi existit occasio.*

Impij, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam.

EDitio Syriaca sic habet. *Gratiam Dei* 54 *pervertentes in immunditiam.* Non dubium est, quin vox *aselgia* effusam in turpitudine venerea intẽperantiam, obscœnamque libidinem significet. Crebrò solet Vulgatus eam vocem, *impudicitiam* interpretari. Marci 7. num. 22. ad Romanos 13. num. 13. ad Ephes. 5. num. 19. & 2. Corinth. 12. num. 21. Interdum etiam eodem sensu, *luxuriam*, ad Galat. 5. numero 19. & 2. Petri 2. num. 18.

Edit hîc Apostolus maximè propriam, 55 & individuam omnium Hæreticorum notam. Hirci isti petulei mulieroſi in

primis

primis sunt, effusíque in omni libidine. Verissimè enim scriptum est à Hieronymo in cap. 9. Oseæ, vix, aut ne vix quidem Hæreticum reperiri ullum, qui diligat castitatem. *Voluptatum amatores sunt magis, quàm Dei*, 2. Timoth. 3. nu. 4. Onager est inter animantes salacissimus, ut eruditè probant Perer. tomo 2. in Genesim libro 11. num. 66. & Pineda Iob 6. versu 5. exponēsque Gregorius verba illa Iob 24. num. 5. *Alij quasi onagri, &c.* lib. 16. Moral. cap. 22. sic ait. *Rectè onagris comparantur hæretici, quia in suis voluptatibus dimissi sunt à vinculis simul fidei, & rationis.* Nimirùm quasi impotentissimi, & effrenatissimi onagri, sine ullo pudoris fræno in obscœnitatem præcipites feruntur. Isti ergo Dei gratiam transferebant in luxuriam: quia ex ipso Evangelio occasionem captabant suæ libidinis defendendæ, ut refert Epiphanius hæresi 25. & portentosa planè excogitabant commenta, ut aliquo saltem quæsito prætextu obscœna, & impudica perpetrarent.

56 Sed antequàm cœnosos istos, & lutulentos Borboritas excutio, liceat mihi præfari cum eodem Epiphanio hæresi 27. [Timeo, ne sterquilinij occultati canalem revelem, & quibusdam videar pestilentis graveolentiæ inductionem operari. Attamen quandoquidem ex veritate dependemus, me ipsum cogam, ut impostorum detegam facta.] Sic Epiphanius. Ego verò consulam pudori meo, si eorum horrenda, & abominanda flagitia, priscorum Patrum verbis ipsissimis recitavero. De Simone illo Mago, in cuius familiam, & scholam totam impudicam Iudas invehitur, ita scribit Tertullianus in libro de Anima cap. 34. [Helenem quamdam Tyriam de loco libidinis publicæ eadem pecunia redemit, (qua scilicet Spiritus Sancti donum emere tentaverat) dignam sibi mercedem pro Spiritu Sancto.] Ad verbum ferè hæc desumpsit Tertullianus ex Irenæo lib. 1. cap. 20. Epiphanius verò disertè prodit hæresi 21. Simonem cum hoc scorto libidinosè volutatum.

Video nocturnos cœtus, infandosque cōcubitus Lutheranorum nostræ tempestatis, iam olim usitatos à Carpocratianis. Verba Clementis Alexandrini lib. 3. Stromatum sub initium hæc sunt. [Hos dicunt ad cænam convenientes viros simul, & mulieres, postquàm satietate venerem excitante exsatiati fuerint, lumine amoto, &c.] Et libro 4. hæc tradit de sectatoribus Basilidis.] Dicunt, non pugnandum adversus naturales insurgentes passiones, sed eis esse assentiendum; ac proinde libidinibus inquinari, licitum, atque concessum esse.] De Apelle item Hæresiarcha hæc scribit Tertullianus libro de Præscriptionibus, cap. 30. [In alteram fæminam impegit, illam virginem Philumenem, postea tamen immane prostibulum.] Hieronymus denique in Epistola ad Tesiphontem contra Pelagium, expendens illa verba 2. Timoth. 3. numero 6. *Captivas ducunt mulierculas*, indicem texit Hæreticorum, qui fuerunt fœdis mulierculārum amoribus implicati.

58 Sed iam extraho me ab isto fœtidissimo cœno; tantùmque refero, quæ de Luthero scribit Maldonatus Matth. 19. num. 11. *Pudet*, inquit, *me recitare, quod Lutherum dicere, profiterique non puduit; non magis posse virum sine fœmina, quàm sine cibo, aut potu vivere.* Epicurum sanè illum, qui sola voluptate beatitudinem æstimabat, nihil tam Epicuræum dixisse legimus: bellua illa duntaxat spurcissima Nero, teste Suetonio cap. 29. persuasissimum habuit (ex suo videlicet ingenio cæteros metiens) neminem pudicum esse posse.

(?)

(?)

(?)

Et solum dominatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum negantes.

59 PRorsus mihi persuadeo, hęc verba ad Christum duntaxat, & nullatenùs ad Deum Patrem pertinere. Moveor primò, nã etiã si textus Græcus præseferre videatur, de Patre etiam esse intelligendum: sic enim exprimas verbum è verbo: *& solum Deum, & dominatorem Dominum nostrum Iesum Christum negantes*: verùm diligentiùs, & intimiùs inspicienti, liquidò constabit, utrumque referri ad Christum, ut Gręcanica Scholia apud Oecumenium interpretantur, & acutè coniecit ex articulo Gręco Bellarmin. lib. 1. de Christo cap. 7. unus enim duntaxat articulus utrumque afficit nomen, Deum videlicet, & dominatorem: perspicuèque convincit, non posse duo illa nomina ad diversas personas spectare. Et simile militat argumentum ad Titum 2. numer. 13. *Et adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi*. Falluntur enim, qui illud *magni Dei* referunt ad Patrem: nam repugnat articulus unus utrique nomini adiunctus. Quare Chrysostomus, & Hieronymus de solo Filio exponunt, quippe qui videbant, alium sensum non pati Græcam structuram.

60 Moveor secundò, quia, ut hìc observat Serarius, in Editione Syriaca perspicuè, & citra dubiũ ipse Christus dicitur Deus: sic enim habet: *& in eo, qui est solus Dominus Deus, Dominum nostrum Iesum Christum negantes.*

Tertiò, quia Nicolaitę, cõtra quos scribit Iudas, negabant, Christum esse Deũ; tantùm fatebantur, in eo Deum habitasse, ut refert Ignatius Epistol. 9. & Irenęus lib. 3. cap. 11. & utrumque laudans Baron. tom. 1. anno Christi 68. cap. 10. Horum itaque Iudas recitat errorem, ac refellit: & universè verisimum est, quod observat Lorinus 2. Petri 2. num. 10. nul-

lam ferè hæresim extitisse ab initio nascentis Ecclesiæ, quæ Christum non oppugnet. Vnde meritò Hæretici omnes Antichristi à Ioanne sæpe nominantur.

Moveor quartò, quia Petrus, qui idem cum Iuda tractat argumentum, cum quo ipse Iudas pleraque fere descripsit, tantùm meminit Christi, dum eumdem recitat errorem, 2. Petri 2. num. 1. *& eum, qui emit eos, Dominum negant*. Vbi Petrus titulum attingit, quo Christum, ut Dominum agnoscere debuissent: quæ enim quisque emit legitimo pretio, in suam redegit ditionem, & dominium. Quare Christ⁹ iure redemptionis dominator, ac Dominus noster est. Nec minutè, & anxiè exquirendum est discrimen inter verbum simplex *emo*, Græcè *agorazo*, quod utitur Petrus, aut *redimo*, quod frequentius est in Scriptura: utrumque enim eòdem recidit, utrumque habitudinem importat ad priorem venditionem, servitutemque peccati: & hoc ipsum verbum *agorazo* usurpat Paulus 1. Corinth. 6. nu. 10. *Empti enim estis pretio magno*. & cap. 7. num. 23. & Ioannes, Apocalyps. 14. num. 3. *Empti sunt de terra*.

61

Quintò denique moveor, quia utrũq; nomen dominatoris, & Domini, aptissimè quadrat Christo. Observat Erasmus, *despoten*, idest, herum, privati iuris nomen esse; *Kyrion* autem, idest, Dominũ, honoris, & auctoritatis: & video Romanos Imperatores *Domini* titulũ, sive quà despoticum ius, sive quà auctoritatem præsefert, tanquam infensum, & invidiosum detrectasse. Tertullianus in Apologetico cap. 34. *Augustus Imperij formator, ne Dũm quidem dici se volebat*. Imò, teste Suetonio cap. 53. Domini appellationem, ut maledictum, & opprobrium, semper exhorruit. Tiberius apud Tacitum libro 2. Annalium, & Sueton. cap. 27. denuntiavit ita appellanti, *ne se amplius Dominum contumeliæ causa nominaret*. Captantes videlicet Romani Imperatores popularem auram, pij magis, comes, & affabiles, quàm potentes,

62

& imperiosi videri cupiebant. Orosius tamen non sine divino numine factum esse scribit lib. 6. cap. 21. *Cùm eodem tempore Augustus, ad quem rerum omnium summa conceserat, Dominum se appellari passus nõ est, imò non ausus, quo verus Dominus totius generis humani inter homines natus est.* Veteres quidem, ut scribit Seneca Epist. 47. *Omnem tum Dominis invidiam, tum servis contumeliam detraxerunt, Dominum, Patremfamilias appellantes.* Quod item observatum est ab Augustino lib. 19. de Civitate cap. 16.

63 Quia tamen servire Christo gloriosius est, quàm regnare; & ipse Christus longè sublimiore supra mortales omnes titulo, planèque divino Dominus est; & *despotes*, & *Kyrios* iure, ac meritò nominatur. Nam si ampla, & honorifica Domini compellatio, auctoritatis, & dignitatis est, ea crebrò solet ab Apostolis, & Evangelistis Salvatoris nomini adiungi, dum illud non nudè, & simpliciter efferunt, sed cum hoc honoris quasi prænomine, *Dominus Iesus*. Marci 16. numer. 19. Actuum 1. num. 21. ad Philippenses 2. numer. 9. Imò sæpe, cùm absolutè Dominum dicunt, Christum Dominum intelligunt. Quod frequens est etiam in vetere Testamento. Psal. 109. numer. 1. *Dixit Dominus Domino meo.* Quod testimonium citavit, hoc ipsum agens, ipse Christus Matth. 22. numer. 43. Eccles. 51. numer. 14. *Invocavi Patrem Domini mei.* Michææ 5. numer. 2. *Qui sit Dominator in Israel.* Malach. 3. numer. 1. *Veniet ad templum suum Dominator.* Sic Elisabeth, Luc. 1. n. 43. *Vt veniat mater Domini mei ad me.* & Zacharias n. 76. *Præibis enim ante faciem Domini.* & Magdalena, Ioannis 20. n. 2. *Tulerunt Dominum.* Denique Apostoli n. 25. *Vidimus Dominum.*

64 Et verò usque eò quadrat hæc compellatio Christo, ut prorsus nulli alteri possit æquè convenire; atque adeò iure optimo, ut in isto loco à Iuda, *solus Dominus* nuncupetur. Sic enim canit Ecclesia, *tu solus Dominus:* & Paulus ait 1. Corinth. 8. num. 6. *Vnus Dominus Iesus Christus.* Quia videlicet solus ille est omnium Dominus, Actuum 10. num. 36. *Dominus dominorum est,* Apocalyps. 17. num. 14. *Habet in vestimento, & in fœmore suo scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium,* cap. 19. num. 16.

Si verò nomẽ alterũ *despotes* herile ius 65
in servos, ac despoticum quoddam dominiũ præsefert; & proinde ubi servi in Scriptura iubentur heris obtemperare, frequẽtatur hoc nomen. 1. Timoth. 6. num. 1. & 2. ad Titum 2. num. 9. & 1. Petri 2. num. 18. ac Deo etiam propter universale dominium in omnes creaturas attribuitur, Luc. 2. num. 19. Actuum 4. numer. 24. Apocalyps. 6. num. 10. & 2. Timoth. 2. num. 21. Meritò Christus, etiam quatenus homo, *despotes* nominatur in hoc loco, & 2. Petri 2. numer. 1. quia re vera habet dominium universale directum, & excellens supra omnes res creatas, etiam cælestes illas Intelligentias; non more humano, sed divino; hoc tamen discrimine, quòd quatenus Deus, habet quidem hoc dominium independens ab alia priore voluntate; tanquam primus, & unus Dominus cum Patre, & Spiritu sancto, ab intrinseco, & per propriam [illegible]turam; quatenus homo autem, 66
est secundus Dominus, & quasi ab extrinseco, dependenter à volũtate divina, atq; adeò à libera, & gratuita unionis hypostaticæ collatione. Hoc sensu dixit Paulus ad Hebræos 1. num. 2. *Quem constituit hæredem universorum.* Nam hæres nõ est primus Dominus hæreditatis, sed illam accepit ab alio priore Domino: & ipse Christus Matth. 28. num. 19. *Data est mihi* (inquit) *omnis potestas in cælo, & in terra.* Psalmo 2. num. 8. *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.*

Enim verò universale hoc, despoti- 67
cumq; Christi dominiũ, omnia cælestia, terrestria, infernaque complecti, manifestè probatur ex Ps. 8. n. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Vbi Catholica fide certum est, sermonem esse de Christo: ea

enim

enim sub pedibus subiecta habere dicimur, quibus arbitratu nostro utimur, quibus ad nutum imperamus: quod erga creaturas universas, mortalium omnium, nisi Christo, contigit nemini: ac proinde de solo Christo Psalmus est interpretandus. Accedit, quòd Apostolus Paulus, cælesti instinctu Regium vatem exponens, signum illud universale *omnia*, nullatenùs restringendum esse ait, sed in latissima sua significatione ita accipiẽdũ, ut præter Deũ ipsum subijciẽtem omnia, nihil omnino ex tota rerum universitate excusum ab hoc dominio intelligatur. 1. Corinth. 15. num. 26. & ad Hebræos 2. num. 8. Itaque omnes illæ supremæ Intelligentiæ ad huius hominis Christi provolutę pedes, ex eius nutu pendentes, eius dicto audientes, & promptissimè obtemperantes sunt.

Numerus 5.

Commonere autem vos volo scientes semel omnia.

68 MOdesta satis, & benevola præfatiuncula præmunit exhortationem: dum eos, non tanquam omnino rudes, & ignaros, Christianæ doctrinæ elementis informat; sed tanquam scientia rerum omnium excultos, & bene vivendi præceptis abundantes, tantummodò officij sui admonet. Hanc vim habet Græcum verbum *hypomnesæ*, suggerere, in memoriam redigere; & participium illud præteriti temporis *idotas*, id est, gnaros, & scientia cõplexos: qui iam pridem omnia, quę ad fidem tuendam, formandosque mores spectant, semel à magnis Apostolis didicistis, quibus eadem iterare opus non erat, sed capita doctrinę in memoriam quàm brevissimè revocare. Porrò nullius est momenti discrimen inter Latinos, Græcosque codices, & Interpres videtur magis emẽdatiores, in quibus non *tuto*, id est, hoc, sed *panta*, id est, omnia, legerentur.

Quoniam Iesus populũ de terra Ægypti salvans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit.

TAnquam scientibus legem loquitur: & quia sapienti dictum sat, si vel uni eo verbo eum admoneas, innuit potius, quàm explicat argumentum: tantùm abest, ut dilatet, ac premat. Hæc enim inest in hac argumentatione vis. Præclara quidem hactenus initia posuistis: etiam, atq; etiam opto, Deus ipsa fortunet, & ad fælicem exitum provehat: sed non satis est prosperè inchoasse, nisi præclara cœpta ad finem usque promoveantur. Ille ipse populus Deo charus, atque ex Ægyptiaca servitute tot patratis prodigijs mirabiliter ereptus, quia in fide, & obedientia nõ perstitit, in vasta illa solitudine consumptus adeò est, ut ex tam infinita multitudine Iosue duntaxat, & Caleb terram promissionis intraverint.

Expressit luculentius huius argumenti 69
vim Apostolus 1. ad Cor. 10. nu. 1. *Omnes mare transierunt, &c.* nu. 5. *Sed non in pluribus eorũ beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto.* & nu. 11. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionẽ nostram.* Et ad Heb. 3. nu. 17. *Quibus autem infensus est? Nõne illis, qui peccaverunt,* (nu. 18. *qui increduli fuerũt*) *quorum cadavera prostrata sunt in deserto?* Et c. 4 nu. 1. *Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione, &c.* Et cap. 3 num. 12. *Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis.*

Itaq; fideles ab incredulitate dehortatur, ac deterret Iudas, proposito ante oculos exemplo, & supplicio illorum, qui, ut ait Paulus ad Heb. 3. n. 19. *non potuerũt introire propter incredulitatem.* Sixtus Senẽsis li. 6. Bibliothecæ annot. 214. datè nimis usurpat incredulitatis nomẽ pro inobedientia, & pervicacia mã apud Paulũ 2. Thes. 2. nu. 12. idẽ fũt, qui nõ crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Ego quidem, etsi fateor, populũ illum non tantùm incredulum extitisse, sed simul etiam Dei

mandata temere violasse, tamen adverto, sacros Vates incredulitatē præcipuè illis exprobrasse, ac propter eam Deum irritatum acerbiùs excanduisse. Vnum duntaxat ē multis testimonium seligemus. Psalm. 77. num. 19. *Et malè loquuti sunt de Deo: dixerūt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Non ex indigentia, sed ex perfidia contumelioſæ istæ blasphemiæ in Deum eruperunt. Numquid poterit potens (Hebraicè, *el*) in hac inculta, & horrenti solitudine, ubi nihil suppetit ad victum, mēsam lautam, & pane, carnibusque instructam apparare? Aquas enim ex rupe haurire, nihil mirum est, quotidiè scilicet videmus ingentia flumina ē saxis erumpere: Manna quoque instar pruinę ē cælo delabens ex populum alere, non est ab ipsa natura alienum; multa etiam eiusmodi in media aeris regione gigni, & in terras defluere videmus: panem verò, & carnes, unde nam in hac solitudine educturus est? num. 41. *Et conversi sunt, & tentaverunt Deum, & Sanctum Israel exacerbaverunt.* Tantum illis perfidiæ, incredulitatisque supererat, ut non semel tentasse contenti, iterum, ac sæpius obtrectarent Deo, & de illius potentia malignè detraherent. Pro *exacerbaverunt*, Hebraicè legimus *hirebu*, id est, *signaverunt, limitaverunt*: miseri, ac perfidi, ex suo videlicet ingenio potentiam divinam metientes, terminum perexiguum illi statuerūt, fines circumscripserunt, quos egredi non posse putabant. Quæ sanè quam gravissima iniuria Deum vehementissimè offendit, & acerbissimè irritavit. Ibidem num. 23. *Ignis accensus est in Iacob, & ira ascendit in Israel: quia non credidarunt in Deo.*

73 Quod verò hîc affirmat Iudas, Iesum populum suum ex Aegyptiaca servitute redemisse; Divus Hieronymus libro 1. adversus Iovinianum intelligit de Iosue. Nam, ut Tertullianus ait in libro contra Iudæos cap. 9. populum introduxit is erat Iesus in terram repromissionis, non Moyses: idcirco vocatus est Iesus ob nominis sui futurum in Sacramentum; quia videlicet Christum repræsentabat. Certum tamen est, non ducem Iosue, sed Iesum servatorem nostrum in hoc loco esse intelligendum. Primò, nam in Textu Græco subest vox *Kyrios*, id est, Dominus; ille scilicet ipse Dominus, de quo versu superiore verba fecerat. Secundò, quia in Editione Syriaca expressè vocatur Deus: ait enim, *Deus secundum unum tempus populum ex Aegypto liberavit.* Tertiò, concorditer in omnibus editionibus, disertèque asseritur, illum ipsum, qui eduxit ex Aegypto Israelitas, eosdem rebelles, & incredulos postmodùm extinxisse: quod in Iosue minimè quadrat. Quartò, quia etiam Apostolus Paulus apertè testatur, rebelles illos, qui pestifero afflati veneno serpentum obierunt, Christum Dominum tentavisse, 1. Corinth. 10. num. 9. *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt.* Probat autem eruditè Lorinus Actuum 3. vers. 6. Christi nomen ab unctione derivatum, qua sacratissima illa humanitas sive oleo Divinitatis, sive unione hypostatica, sive gratia capitis penè infinita, perfusa, ac delibuta est, Verbum hominem factum significare. Quintò denique ex isto Iudæ testimonio Beda, & Oecumenius convincūt Christi Divinitatem. Si enim Deus ipse ait, & sæpe alias, & signatè Exodi 20. numero 2. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Aegypti*, & Apostolus hîc affirmat, Iesum populum ex Aegypto liberasse, perspicuè convincitur, Iesum verum esse Deum. Vide Bellarmin. lib. 1. de Christo cap. 4.

74

75 Occurrebat hîc nobilis illa, ac pervetusta quæstio, an Divinum Verbum aereo, & assumptabili corpore ad tempus indutū aliquādo fuerit, ut mysteriū, quod præstituto, & opportuno tēpore summa bum voluptate peragendū ērat, iam tū quasi proludēs repræsentaret: & anne vera ita ducta averit illum populum: quod magnis auctoribus video mirum in modū placuisse. Verùm hanc quæstionem accuratè enodavi, dum

exponerem illa verba Deuteron. 32. nu. 12. *Dominꝰ solus dux eius fuit.* Summa est. Non Divinum Verbum corporatum, sed Angelum Christum repræsentantẽ, eiusque personam sustinẽtem, populi ducem extitisse; & universè, ac generatim apparitiones factas Patriarchis, eorumdem Angelorum intervẽtu, & ministerio fuisse oculis obiectas. Videantur Vazq. tom. 2. in 1. P. disp. 185. cap. 1. Barrad. tom. 1. lib. 1. cap. 15. Serarius Iosue 5. q. 40. Tena in cap. 1. ad Hebræos, difficultate 1. sect. 1. & difficult. 2. sect. 1.

Numerus 6.

Angelos verò, qui non servaverunt suum principatum.

76 IN eadem persistit Apostolus cohortatione, quam alio, atque alio urget, & illustrat exẽplo; sed eo proposito dun taxat, id ipsum, quod maximè intendit, colligendum, inferendumque relinquit: videlicet ne ob accepta à Deo insignia beneficia, aut superbo animi fastu turgescant, aut eorum relanguescat industria: Angelis etiam longè ampliora, ac sublimiora ornamenta divinitus cõtigisse, quę nihilominùs per superbiã, & ingrati animi vitium, perdiderunt.

Græca vox *arche*, & *principium* significat, & *principatum*. Vnde Erasmus, Caietanus, & Tigurina reddiderunt, *suam originem*, idest, non servaverunt primævam illam, in qua conditi fuerant, naturę, gratiæque excellentiam; decorem illum, quo à Deo insigniti sunt, peccati labe, ac turpitudine macularunt. Gagneius explicat. *Dignitatem suam non retinuerunt.* Adamus Græcam vocem vertit, *magistratum*: (ut vertit etiam Vulgatus Lucæ cap. 12. num. 11.) exponitque *Angelicæ dignitatis honorem, ac præeminentiam.* Omnia còdem recidunt; & Latinus Interpres ita solet usurpare vocem originalem. Lucę cap. 20. numer. 20. *Vt traderent illum principatui, & potestati Præsidis.*

Valde cõfirmatur ex hoc loco id, quod 77
multis alijs prolatis sacræ Scripturæ testimonijs eruditè probat Cassianus Collatione 8. cap. 8. ex illis cęlestibus spiritibus, qui in superbiam elati defecerunt, plerosque è summis eorum Principibus extitisse, qui propterea Græcè *arche*, id est, principatus, in sacra Scriptura nominantur. Ad Colossens. 2. num. 15. *Spolians principatus, & potestates.* Ad Romanos 8. numer. 38. *Neque Angeli, neque Principatus.* 1. Corinth. 15. num. 24. *Cùm evacuaverit omnem Principatum, & Potestatem.* Ad Ephes. 6. num. 12. *Adversus Principes, & Potestates.*

Est huic quàm simillimus locus Ioan. 8. numer. 44. *In veritate non stetit.* Exponit S. Leo Sermone 10. de Quadragesima. *Totam naturæ suæ gloriam, dum superbit, amisit.* Ita etiam explicat Augustinus lib. 11. de Civitate, cap. 13. veritas enim in hoc loco, idiomate Hebraico, vocatur natura ipsa dæmonis integra, & recta, nõdum superbia corrupta, nondum peccati labe adulterata. Integritas illa, atque perfectio, veritas appellatur: sicut verum vocamus aurũ, quod non est adulterinũ.

Sed dereliquerunt suum domicilium.

SIve cælum Empyreum, ut Auctores 78
illi existimant, qui ibi conditos fuisse Angelos arbitrantur; sive Firmamentum, ut multis rationibus contendit Lorinꝰ in illud verbum 2. Petri 2. num. 4. *detractos.* Res enim est incerta, cùm ex Scriptura solùm constet, post lapsum in culpam, è cęlo fuisse deturbatos. Isaiæ 14. numer. 12. Ezechiel. 28. n. 16. Luc. 10. n. 18. Apocalyps. 12. num. 8. Dicuntur autem suum dereliquisse domicilium, non quia ipsi sua sponte inde recesserunt, ejecti enim per

vim sunt, ac præcipites exturbati; sed qnia prudentes, & volentes, iam tum videntur deseruisse, cùm lethalem culpam cælesti indignam domicilio sponte perpetrarũt.

In iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.

79 MAgnus re vera erit Iudicij dies; singularis prorsus, & valde metuendus: in illo enim à mortuis excitati, quotquot unquam huius lucis usuram acceperunt, sistentur tribunali supremi Iudicis; & spectante Angelorum, hominumque theatro, singulorum causæ accuratissimè discutientur: occultissima cordis consilia prodentur in lucem, referetque unusquisque pro meritis æterna sive præmia, sive supplicia. Ita solet ille dies vocari in Scriptura. Malachiæ 4. numero 5. *Antequàm veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Ioelis 2. numero 11. *Magnus enim dies Domini, & terribilis valde: & quis sustinebit eum?* Et num. 31. *Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequàm veniat dies Domini magnus.* Sophoniæ 1. num. 14. *Iuxta est dies Domini magnus.* Hierem. 30. num. 7. *Væ, quia magna dies illa.* Apocal. 6. nu. 17. *Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?* Et cap. 16. num. 14. *Ad diem magnum omnipotentis Dei.*

80 Sunt, qui velint eodem sensu diem Iudicij vocari in Scriptura diem Domini, vel diem magnum. Ezechielis 30. num. 2. *Vlulate, væ, væ diei: quia iuxtà est dies Domini.* 1. Thessalonicens. 5. n. 2. *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.* Et 2. Thessalonicens. 2. num. 2. *Neque terreamini, quasi instet dies Domini.* Solet enim idiomate Hebraico genitivus iste *Dei*, aut *Domini*, appositi subire vicem; & nominis, cui adiungitur, significatum intendere; non utcumque, sed exaggerato quodam gradu. Caret nimirùm Hebraica lingua superlativis nominibus, eaque supplet hac notabili loquendi formula. Sic dicuntur *montes Dei*, Ps. 35. nu. 7. id est; editissimi. *Cedri Dei*, Ps. 79. n. 11. procerissimę. *Paradisus Dñi*, Genes. 13. nu. 10. amænissimus, delicatissimus. *Sagittæ Domini*, Iob 6. numero 4. velocissimæ, potentissimæ. *Sopor Domini*, 1. Regum 26. nu. 12. altissimus, profundissimus. *Civitas Dei*, Ionæ 3. numero 3. amplissima, frequentissima. *Visiones Dei*, Ezechiel. 1. num 1. admirandę, stupendæ. *Filij Dei*, Genes. 6. num. 1. proceresissimi, robustissimi. *Exercitus Dei*, 1. Paralipo. 12. num. 22. numerosissimus. *Vox Domini*, Psalm. 28. num. 3. maxima, & contentissima.

Sed non probo, *diem Domini* idem esse, ac diem magnam. Primò, nam cùm genitivus *Dei* appositi vices gerit, nihil est suprà, quod addi possit: at videmus aliàs sæpe apposita longè minùs significantia, imò & positivum ipsum *magnus*, præterea etiam adiungi, quo sanè decresceret, ac relangueret oratio. Vide citata testimonia, Malachiæ 4. num. 5. Sophon. 1. nu. 14. Hierem. 30. num. 7. Deinde, quia dies Iudicij non solùm vocatur dies Domini, sed etiam dies Christi, tanquam Iudicis supremi: ubi nullus erit, qui confugiat ad Hebraismũ. 1. Corin. 5. n. 5. *In die Domini nostri Iesu Christi.* Et 2. Corint. 1. nu. 14. 81

Denique, quia ex Scripturæ usu dies Domini opponitur diei humano. 1. Corint. 4. num. 3. *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis iudicer, aut ab humano die.* Subiungit statim num. 4. *Qui autem iudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus.* Vocat autem diem humanum, iudicium, quod ab hominibus exercetur. Neque id abhorret à Latinę linguæ consuetudine: nam diem alicui dicere, est illum in iudicium trahere: & erant olim apud Romanos selecti quidam, statique dies, quibus licebat ex lege ius dicere. Ovidius lib. 2. Fastorum. 82

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur:
Fastus erit, per quem lege licebit agi.

Con-

Cõgruit cum Apostolo Hierem. cap. 17. cùm enim præmisisset num. 14. *Laus mea tu es*; continuò subdit num. 16. *Diem hominis non desideravi, tu scis.* Hoc est, irrideant illi, quantum volent; iudicium de me suum susque deque faciam: in te solo gloriabor: tua de meis operibus approbatione contentus, hominum iudicia non requiram.

83 Illud sanè notabile observo in sacro sermone, quod extremi diei magnitudinem valde repræsentat: videlicet per antonomasiam, etiam ubi nullus antecessit de illo die sermo, tamen *illum diem* absolutè, & emphaticè vocari: quia nimirum usque eò præsens nobis ante oculos semper observari debet, ut vixdum audito diei nomine, statim dies ille vehementer formidandus mentibus nostris occurrat. Matth. 7. num. 22. *Multi dicent mihi in illa die.* De qua scilicet die nulla omnino mentio facta fuerat. 2. Timoth. 1. numero 12. *Potens est depositum meum servare in illum diem.* Et cap. 4. num. 8. *Quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Cùm utrobique nullam prorsus Apostolus de extremi Iudicij die mentionem iniecisset.

84 Porrò ex isto Iudę loco manifestè convincitur, dęmones in extremo illo die, tanquam reos, ante Christi tribunal comparituros, subituros acerrimam severissimi Iudicij, ac discussionis aleam; inurendos deinde fœdissimis maculis ignominiæ ob admissa scelera, quæ ad perpetuũ illorum dedecus, luce palàm in omnium oculis, atq; auribus patefient: ac demum feriendos extrema damnationis sententia, & ad æterna inferorum claustra contrudendos. Audi Augustin. libro 11. de Civitate cap. 33, hoc ipsum deducentem ex altero quàm simillimo Petri loco 2. Epist. cap. 2. num. 4. [Peccasse quosdam Angelos, & in huius mũdi ima detrusos, qui eis velut carcer est, usque ad futuram in die Iudicij ultimam damnationem, Apostolus Petrus apertissimè ostendit, dicens, quòd Deus Angelis peccantibus non pepercerit; sed carceribus caliginis inferni detrudens, tradiderit in iudicio puniendos reservari.]

Nec minùs solidè id ipsum probant 85
Chrysostomus, Theodoretus, Anselmus, Ambrosius, & communiter Interpretes, ex illis verbis 1. Corinth. 6. numer. 3. *Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus?* Quem locum expendens Tertullianus, prudentissimè nos admonet nostræ dignitatis: serióque hortatur, ne appetamus eorum munera, quorum iudices futuri sumus, & propter quæ ipsi in tam horribilem damnationem incurrerunt, libro de Habitu muliebri cap. 2. [Hi sunt, nempe Angeli, quos iudicaturi sumus: hi sunt Angeli, quibus in lavacro renuntiamus. Hæc sunt utique, per quæ ab homine iudicari meruerunt. Quid ergo faciunt apud iudices suos res eorum? Quod est commercium damnaturis cum damnandis? Qua constantia tribunal illud ascendimus decreturi adversus eos, quorum munera appetimus?]

Quod verò hinc vetusti quidam Pa- 86
tres, ut Sanctus Iustinus in Dialogo cum Tryphone, Irenæus libro 5. adversus hæreses cap. 33. & Eusebius lib. 4. Historiæ cap. 17. & plerique alij collegerunt, dæmones adhuc non subisse cruciatus inferorum, sed in media aeris regione reservari; tunc demum cruciandos, cùm in extremo tandem Iudicio damnationis sententia percellentur; hoc, inquam, cùm à veritate longissimè abhorreat, aut benigna interpretatione indiget, aut venia. Theologia videlicet, prout illa ferebat ætas, nondum satis culta, similes errorum spinas proferebat.

Enim verò per caliginem in isto Iudæ 87
loco, non esse intelligendam mediam regionem aeris, ut plerique non modò Recentiores, sed etiam Veteres interpretantur, apertè mihi videor intueri. Nam in illo Petri loco; ubi ipsissimis ferè verbis eadem sententia continetur, vocem Græcam *zophos*, quam hîc Vulgatus *caliginẽ*, ibi *infernũ* vertit, *Rudẽtibus inferni detra-*

clos in Tartarum, 2. Petr. 2. num. 4. Inauditum autem est in Scriptura, & sine ullo prorsus affirmaretur exemplo, *infernum*, aut *Tartarum* significare aerem.

Ipsa etiam vox originalis *zophos*, ut Auctores sunt Lexicographi omnes, & signatè linguæ Græcæ scientissimus docet Erasmus in cap. 4. 2. Petri, propriè Tartareum specum, subterraneum, tenebricosumque significat: & ubi Latinè à Vulgato exprimitur *caligo*, atra illa sempiternæ noctis caligo concipienda est, quæ infernas illas fornaces horrendum in modum opacat. 2. Petri 2 num. 17. *Quibus caligo tenebrarum reservatur*. In hac ipsa Epistola numero 13. vertitur eadem vox, *procella*. *Quibus procella tenebrarum servata est in æternum*. Quia in illo ergastulo caliginoso *nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, Iob 10. num. 22.

88 Denique in horribilem illum carcerem aptissimè quadrat *caliginis* nomen, nō item in aerē, qui sæpe serenus est, & luce perfusus. Vrit quidem damnatos acerrimus ignis in Inferno; sed ignis ille calidus vehementer est, lucidus non est: quia non solo calore, sed etiam obscuritate torquet. Vnde à Christo nominatur locus ille, *tenebræ exteriores*. Cuius nomēclaturæ causam eleganter explicavit Maldona. Matt. 8. n. 12. Basilius verò exponens verba illa Psalm. 28. num. 7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*; multò admirabilius esse ait, naturales virtutes ignis sibi cohærentes, & inter se unitas intercidi, ac dissociari à Deo, quàm mare rubrum in partes dividi. Intersecatur autem divinitus ignis flamma, quia in ardentissima fornace Babylonica lucebat quidem eximio candore ignis, sed, suspendente concursum Deo, pueros in flammas coniectos non urebat: in Inferno autem contrà urit quidem vehementissimè damnatos acerrima illa flammarum vis; sed, Deo item concursum subtrahente, nullum prorsus splendorem emittit.

89 Sunt tamen, qui velint, (quibus ego libenter assentior,) infernalem ignem subobscurum quiddam, & subfuscum radiare, vix quod satis sit ad tetra, horribiliaq; spectacula, ante oculos obversantia, quasi per caliginem dispicienda, ad maiorem terrorem, ac supplicium improbis incutiendum. Lege Pinedam in id Iob 20. num. 26. *Devorabit eum ignis, qui non succenditur*: & Mendozam q. 6. scholastica num. 11.

Vnica adhuc superest quæstio breviter enodanda, quænam sint ista vincula, quæ dæmones adeò acriter constringunt, ut etiam si maximè enitantur, se loco illo Tartareo nusquam movere possint. Vulgatus 2. Petr. 2. num. 4. hęc vincula vocat *rudentes*, id est, crassos funes, nauticis similes, validissimosque ad vinciendum, ut erant catenæ illæ Vulcaniæ, celebratæ à Poetis; aut funes illi nervicei, quibus Sanson constrictus fuit, Iudicum 16. num. 7. Vox Græca *seirai*, proprie significat *catenas*: & ita vertit Erasmus, Regia, & Tigurina, Augustinus lib. 11. de Civitate c. 33. ita recitat hunc Petri locum: *carceribus caliginis inferni detrudens*. Vatablus vocat *vincula caliginosa*. Sed prudēter admonet Caietanus, non esse mente concipiendas ferreas aliquas, adamantinasve catenas, quibus dæmones acerrimè constricti teneantur, & tenebricoso illi carceri alligentur; sed potestatem divinæ virtutis, illorum motricem vim suo imperio coercentem. Quod, ut paulò antè de igne dicebamus, facilè intelligetur, si modò concursus ille Dei, quo ad omnem motionem indigent creaturæ, dæmonibus subtrahatur. Quomodò verò sive ab alio Angelo bono, sive à suo Principe Lucifero dæmones in loco aliquo vinciantur, ac religentur, tractat eruditè Serarius Tobiæ 8. q. 7. 8. & 9. Vide etiam Interpretes Apocalyp. cap. 20. num. 1. 90

Numerus 7.

Sicut Sodoma, & Gomorrha.

91 NOta ista similitudinis ad obscœnissimos hæreticos, infanda etiam, ac præpostera libidine notatissimos, referenda est: cui paulò pòst respondent illa verba nu. 8. *Similiter & hi carnem quidem maculant.* Itaque B. Iudas dedita opera refricat memoriam atrocissimi huius supplicij, ut non obscurè, sed apertè perstringat Hæreticos, tam infami libidine commaculatos. Observat hoc Lorinus 2. Petr. 2. vers. 6. Verùm quia ingenitus à natura pudor vel nominare horret hoc exsecrandum scelus, etiam detestandi, & abominandi causa, unde & vulgò *nefandum crimen* appellatur, quæ ad eius horrorem incutiendu afferri possent, verecundo silentio libet involvere.

Et finitimæ civitates simili modo exfornicatæ.

92 QVinque fuerunt urbes, quę eodem exarserunt incendio. Sapient. 10. num. 6. *Descendente igne in Pentapolim.* Harum urbium nomina produntur Deuteron. 29. nu. 23. & Oseæ 11. num. 8. si ad quatuor in his locis memoratas adiungas etiam *Segor*, eâdem turpitudine contaminatam, sed precibus iusti Loth à flammis ultricibus ereptam, Genesis 19. num. 20. & 21. Auctor est Hieronymus in Locis Hebraicis, urbem hanc Segor sua etiam ætate adhuc incolumem extare. Confirmat id multis pòst sæculis Borcardus de Locis terræ sanctæ P. 1. c. 7. num. 38. & Isaias cap. 15. num. 5. Hieremiasque cap. 48. num. 34. huius urbis meminerunt. Quare non usquequaque videtur certum, quod scribit Theodoretus quæst. 69. in Genesim, & Lyranus in c. 19. Genes. post discessum Loth fuisse divinitus vastatam, & hiatu terræ habitatores illius penitus absorptos. Nisi dicamus, tùc quidem fuisse subversam, posteà verò reædificatam. Lege Perer. to. 3. in Genesim, cap. 19. disp. 7.

Et abeuntes post carnem alteram.

93 DEmiror sæpe verecundam honestatem, decentissimumque pudorem sacrarum litterarum. Quàm sanctè, quàm rectè, quàm honestè efferre solent ea, quę vetat ingenua verecundia suis nominibus exprimere! Illustrat hoc prolatis luculentissimis exemplis noster Pineda in quadã erudita digressione ad caput 31. Iob, versu 10. Itaque modestissimè hîc Apostolus & præposteram libidinem coercet, & eius fœditatem, absurditatemq; perstringit: dum affirmat eo tùm diro morbo laborantes, abreptos impotentia libidinis, quasi œstro percitos onagros, *abire*, hoc est, procaciter, effrænate, & impotenter efferri *post carnem alteram*, nempe masculeam. Tigurina vertit, *carnem alienam*: eamdemque versionem ex Erasmo recitat Adamus: nec abhorret à proprietate Græcę vocis *heteras*: ut cùm Apostoli dicũtur loqui alienis, ac varijs linguis, 1. Corinth. 14. num. 21. & Actuum 2. nu. 4. Virilis itaque caro prorsus aliena est: quia 94
Deus Auctor naturæ non fecit eam aptam, & idoneam ad concipiendam prolem, liberosque procreandos, qui unicus debet spectari in commixtione finis. Est item altera caro, omninoque diversa, & quæ nullo modo possit in unam, eãdemque coire: quod de viri, & uxoris carne affirmavit Christus, Matth. 19. num. 5. *Adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro!* At in hoc infando flagitio, caro mascula, & mascula semper duæ sunt, semper hîc est altera caro. Nescio, an ad præsentem Iudæ locum alluserit severissima illa Iustiniani lex in Codice Theodosij, ad legem Iuliam de Adulterijs. *Cùm vir nubit, &c. ubi scelus est id, quod non proficit scire: ubi Venus mutatur in alteram faciem.* Tantùm non dixit, in alteram carnem.

Factæ sunt exemplum.

95 GRæcè, *propositæ sunt exemplo*, ut vertit Tigurina. Tam atrox in eas urbes editum est supplicium, ut universæ posteritati documento fuerint, ut mortales omnes alieno malo sapiant: fælix enim, quē faciūt aliena pericula cautum. *Optimum est* (inquit Plinius lib. 18. cap. 5.) *alienæ insaniæ frui.* Prosunt quandoque impij, vel inferorum cruciatibus addicti, sua non sibi, sed alijs duntaxat, pœna: ut duobus memoratis supplicijs monet Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 38. Et quidem Gelius lib. 6. cap. 14. ex tribus causis puniendi publicè delicta, quæ ex Republica extirpari radicitus maximè interest, hanc præcipuè commemorat. *Para que al culpado le sea castigo, y a otros escarmiento. Tertia ratio vindictæ est, quæ paradigma à Græcis nominatur: cùm punitio propter exemplum est necessaria, ut cæteri à similibus peccatis metu cognitæ pœnæ deterreantur. Idcirco Veteres quoque nostri exempla pro maximis, gravissimisque pœnis dicebant.*

96 Hinc illustratur non modò præsens Apostoli, sed & alia Scripturæ loca. Nahū 3. num. 6. *Ponam te in exemplum*, id est, tale de te supplicium sumam, ut documento omnibus sis, ut gravissima perspecta calamitate tua, in officio cæteri contineātur. 3. Regum 9. num. 8. *Domus hæc erit in exemplum: omnis, qui transierit per eam, stupebit.* Numerorum 25. num. 4. *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis.* LXX. *paradigmatisον.* Propriè verbum: *ostenta, & exempla eos, edue exemplum in eis.* Ezechiel. 28. num. 17. *In terram proiecit te: ante faciē Regum dedit te, ut viderent te.* LXX. *ut exemplo esses.* Hieremiæ 8. num. 1. ubi Propheta minitatur Chaldæos, sive crudelitate, sive avaritia; quærēdique auri causa, sepulcra Regum, & Sacerdotum recluſuros, effoſſuros, ac diſsipaturos oſſa; tandem concludit. *Non sepelientur: in sterquilinium super faciem terræ erunt.* LXX. *erunt in exemplum.* Numerorum 5. num. 21. *Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo.* Vbi maledictionem vides adiunctam exemplo; & sensus est: tale tibi Deus inferat supplicium, ut simile imprecetur, qui alteri malè cupiat.

Atque ex hac significatione Græcæ vo 97
cis facilè explicatur ille locus, alioqui perobscurus, Matth. 1. num. 19. *Cùm esset iustus, & nollet eam traducere.* Græcè, *paradigmatisæ.* Vertit Augustinus Epistola 59. *Exemplare.* Regia, *exemplum facere*, id est, cùm nollet publico exemplo punire.

Enim verò nullum ferè editum est supplicium aborbe condito, quod tam sæpe ad terrorem, & exemplum in Scriptura proponatur. Petrus in primis, à quo tam multa hausit in hac Epistola Iudas, ita refert in illa Epistola 2. cap. 2. num. 6. *Et civitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit, exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens.* Vide Deuteronom. 29. num. 23. Isaiæ 13. num. 19. Hierem. 49. num. 18. & cap. 50. num. 40. Amos 4. num. 11.

Ignis æterni pœnam sustinentes.

98 MErito exclamat in quadam Epistola Hieronymus: O ignis infernalis luxuria! cui? materia, gula, cuius flāma, superbia; cuius scintillæ, prava colloquia; cuius fumus, infamia; cuius cinis, immunditia; cuius finis, gehenna. De libidine etiam legimus Ecclesiastici 9. num. 9. *Concupiscentia quasi ignis exardescit.* & Iob 31. num. 12. *Ignis est usque ad perditionem devorans.* Atque hic luxuriæ ignis quasi picea quodam erumpente fumo mentis lumen obfundit, & obcecat. Vnde Gētium Poetæ lascivum suum Cupidinem oculis orbatum effinxerunt, cæcumque subinde nominarunt.

Malos cæcus amor, &c.

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igne.

Quæ cæcitas alia metaphora luculenter exprimitur in arcano sermone. Oseæ 4.

num. 11. *Fornicatio* (ubi difertis verbis Arias Montanus interpretatur, venerem)
99 *& vinum, & ebrietas auferunt cor.* Hoc videlicet denotabat celebre illud Veneris simulacrum ex ebore, & auro elaboratum à Phidia, quod, ut auctor est Pausan. in Eliacis, altero pede testudinē premebat. Lege Alciatum Emblemate 195. Quanvis enim Plutarchus in præceptis connubialibus affirmet, eo symbolo significari, debere mulierem se domi continere, rarò efferre pedem limine, tardigradamque testudinem imitari; sed quadraret hoc symbolum in simulacrum honestissimæ, gravissimæque matronæ, non in procacem, obscœnamque Venerem. Est ergo petenda significatio ex eo, quod prodidit Aristoteles lib. de Vita, & morte: *testudinem exempto corde spirare adhuc, & movēri.* Quod sanè instar prodigij est. Ita nimirū excors, ac libidinosa Venus, *quasi columba seducta, non habet cor*, & adhuc vivit, Oseæ 7. num. 11. Denique iste luxuriæ ignis teterrimum vilissimæ infamiæ foetorem exhalat: nullum enim vitium est tam pudendum, ac probrosum. Scitè dixit Horatius 1. Carmin. Ode 27.

Venus erubescendis adurit ignibus.

Iam ergo mirificè in hoc supplicio di-
100 vina sapientia relucet, quæ culpæ congruenter aptavit pœnam. Nam in primis *percussi sunt cæcitate à minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent*, Genes. 19. nu. 11. Quod non de solo ostio iusti Loth, sed de ostijs etiam domorum suarum exponit Ribera, Sophoniæ 1. num. 81. ex Sapientiæ 19. num. 16. *Percussi sunt autem cæcitate: sicut illi in foribus iusti, cùm subitaneis cooperti essent tenebris, unusquisque transitum ostij sui quærebat.* AEquissimum quippe fuit, ut qui libidine obcæcati alienas fores volebant perfringere, capti oculis nec suas invenirent. Scio, Pererium tom. 3. in Genesim cap. 19. quæst. 1. num. 19. à Ribera dissentire; sed adstipulatur illi Delrius num. 8. dum se pacificatorem interponit.

101 Deinde ignis fœtidus libidinis fœtidissimo igne sulphureo punitus est, Genesis 19. num. 24. Sapienter Gregorius lib. 14. Moralium cap. 10. *In ipsa qualitate ultionis notavit maculam criminis: sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem. Qui itaque ad perversa desideria ex carnis fœtore arserant, dignum fuit, ut simul igne, ac sulphure perirent.*

Denique, quia ad exemplum, & terrorem hoc tam dirum, & atrox supplicium sumebatur, magnopere decuit, ut non vestigium aliquod duntaxat tantæ cladis leviter impressum extaret, sed incendium ipsum adhuc fumans perpetuò cerneretur. Sapientiæ 10. num. 7. *Quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra.* Vnde iure optimo *ignis æternus* hîc ab Apostolo vocatur. Iuvat hanc perpetuitatē materia ipsa sulphuris, quæ & citò concipit ignem, & quàm diutissimè retinet. Vnde stagnum illud Inferorum, in omnem arsurum æternitatem, sulphure inextinguibili flagrat. Apocalyp. 19. num. 20. *Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.* & cap. 20. num. 9. *Diabolus missus est in stagnum ignis, & sulphuris.*

Itaque imber ille igneus cælitus emis-
102 sus, sive sulphureus tātùm, sive etiā fulmineus fuerit: (nā & fulmina sulphuris odorem habent, teste Plinio libro 35. c. 15. & densissimum sulphur ignitum solet Deus cum fulminibus in procellis copulare. Psalm. 10. num. 7. *Ignis, & sulphur, & spiritus procellarum.* Ezechielis 38. num. 22. *Ignem, & sulphur pluam super eum.*) Itaque sulphureus ille imber supra omnem naturæ vim repentè factus, ac cælitus demissus, tantæ fuit ad nocendum efficacitatis, ut omnem illam regionem non solùm quoad extimam cutem prorsus exusserit, sed intimos eius sinus, ac recessus penetraverit, & in favillam, cineremque redegerit: & hoc terrificum incendium per tria, & eo amplius, annorum millia usque adhuc mansit, mansurumque est usque ad finem mundi: ea enim in Scriptura solent vocari æterna, quæ eodem exitu cum

hoc mundo terminantur, ut eruditè probat Pererius tom. 3. in Genesim, disp. 4. circa illa verba capitis 13. num. 15. *Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo usque in sempiternum.*

103 Itaque à B. Iuda meritò vocatur *pœnâ ignis æterni*: est enim adhuc tetra, & horrenda soli facies, ac perpetuò fumigabunda. Vidit Abraham Genesis 19. numero 28. *ascendentem favillam de terra, quasi fornacis fumum*: & testes oculati, gravissimique referunt, se multis pòst sæculis eamdem fumantem conspexisse. Vide Iosephum 1. Antiquitatum cap. 19. Hegesippũ de Excidio Hierosolymitano c. 18. Borcardum de Locis sanctis 1. P. cap. 7. num. 38. Tertullianus verò ita scribit in Apologetico cap. 40. [Olet adhuc incendio terra: & si qua illic arborum poma conantur, oculis tenus, cęterùm contacta cinerescũt.] Sed quia locupletissimos huius veritatis testes laudavi Deuteron. 32. versu 32. duos tantùm Ethnicos producam. Audi Solinum cap. 37. [Longo ab Hierosolymis recessu tristis panditur sinus, quem de cælo tactum testatur humus nigra, & in cinerem soluta.] Et Strabonem libro 17. [Quòd illa regio ignita est, permulta signa afferunt: nam & petras exustas ostendunt, & terram cinerulentam, & picis guttas ex petris destillantes, & flumina fœtido odore effervescentia.]

Numerus 8.

Similiter & hi carnem quidem maculant.

104 GRæci codices non simpliciter habent *hi*, sed addunt *enypniazomeni*, id est, *somniantes*, sive *in somnijs delusi*. Quod participium, cùm constantissimè legatur in omnibus exẽplaribus Græcis, atque in Editione Syriaca; & antiquus auctor Epiphanius hæresi 26. Græcusque Interpres OEcumenius illud agnoverint, atque Vulgati sententiam non modò non impediat, sed valde etiam illustret, accuratiùs exponendum est.

Tota hæc vita sapientissimè appellata est à Pindaro in Pythijs, *umbræ somniũ*: est enim, etiam cùm amænissimè floret, emẽtita mundi felicitas instar somnij, non quidem rei solidæ, & expressæ; sed fictæ, & adumbratę. Regius vates Psalm. 72. num. 20. somnio eam comparat *surgentium*: non ait, dormientium, quibus umbratiles illæ imagines, secundum quietem obiectæ, sic illudunt, ut veræ esse videantur; sed evigilantium, quibus iam species illę penitus effluxerunt, atque adeò falsę, & inanes esse deprehenduntur. Philo in libro de Iosęph, pag. 466. docet, caduca omnia esse somnijs quàm simillima, [Quia somniorum instar veniunt, abeũt; occurrunt, refugiunt: priusquàm comprehendantur, avolant.] Concorditer 105
Tertullianus libro de Corona militis, cap. 13. affirmat. [Omnia imaginaria in sęculo, & nihil veri.] Rectè itaque admonet Seneca Epistola 110. [Quid miraris? quid stupes? pompa est: ostenduntur istę res, non possidentur; & dum placent, trãseunt.] Ardentiùs intonat in somniantes, & blandis rerum caducarum illecebris consopitos, eloquentissimus Chrysologus Sermone 124. [Quid stupemus? Quis est iste, qui nos eludit, somnus? Quæ est ista, quæ nos tenet, oblivio lethalis? Quare non cælo mutamus terram? Quare non caducis emimus ęterna? Quare non perituris manentia comparamus?] Inde scilicet tantus stupor, quia altissimo veterno, planeque lethargico sopore oppressi iacemus. Propterea sępe veluti dormientibus inclamat Apostolus ad Romanos 13. numero 11. *Hora est iam nos de somno surgere.* 1. Thessalonicens. 5. num. 6. *Non dormiamus, sicut & cæteri, sed vigilemus.* At 106
quemadmodùm ille, qui profundo laborat lethargo, tantisper aperit oculos, dum tinniunt aures ad clamorem excitantis; mox obrepente somno facilè vincitur: ita & nos vixdũ excitati, rursus opprimimur,

& altè stertimus: actum de nobis est, nisi Christum, *qui excitator mentium* ab Ecclesia nominatur, fusis lacrymis imploremus. *Tu lux refulge sensibus, mentisque somnum discute.*

Hoc arctissimo sopore oppressi Hæretici isti tenebantur. Epiphanius in illa hæresi 26. *Loquuntur velut per somnia verba sua, & non per sobrietatem vigilantis rationis.* Sed cùm illi per summam licentiam intemperantissimè, & effusissimè in omnem libidinem raperentur, tribus de causis adiectum arbitror ab Apostolo significantissimum hoc appositum, *somniantes*.

107 Primò, ut eos significet, ardore, ac impetu libidinis de mentis potestate deiectos, Rationis gubernacula penitus amisisse; ac veluti extincto per somnum omni animi lumine, sine ullo fræno hauriendis voluptatibus usque eò inhiare, ut in meras belluas conversi esse viderentur. Graviter enim scripsit Gellius lib. 19. cap. 2. *In pecudum, ferorumque animalium numero habetur, quisquis est his belluinis voluptatibus prævinctus.* Ibique auctorem laudat Hyppocratem aientem, *voluptatem veneream brevem quamdam esse epilepsiam*, id est, morbum comitialem, sive caducum, qui cum vehementi quadam totius corporis convulsione, præcipuas animi partes pervadit, cerebrũ obsidet, Rationemque extinguit. Augustinus verò appositè ad id, quod agimus, ait libro 14. de Civitate cap. 16. [Obscœna libido totum hominem non solùm extrinsecùs, verùm etiam intrinsecùs ita vendicat, ut penè omnis acies, & quasi vigilia cogitationis obruatur.] Obruitur videlicet, & opprimitur vigilia cogitationis alto sopore libidinis. Hanc primam causam attigit Erasmus hîc. [Quia omnis libido veluti per somnium peragitur sopita Ratione.]

108 Altera causa non multùm abludit ab hac prima. Nescio, quomodò somniantes incitatiores, impotentiores, & effrænatiores sunt ad potiundum obscœnis voluptatibus. Amanter expostulat cum Deo Augustinus, dum ingenuè se imbecilliorem somniantem, quàm vigilantem confitetur, lib. 10. Confessionum cap. 30. [Adhuc vivunt in memoria mea talium rerum imagines, quas ibi consuetudo mea fixit: & occurrant mihi vigilanti quidem carentes viribus; in somnis autem, non solùm usque ad delectationem, sed etiam usque ad consensionem, factumque simillimum. Et tantùm valet imaginis illusio in anima mea, & in carne mea, ut dormienti falsa visa persuadeant, quod vigilanti vera non possunt.] Legitimus Augustini filius, sanctissimusque Archiepiscopus Thomas Villanovanus acutè scripsit huius rei causam in ultima sua concione funebri. [Libera namque imaginatio, & à Rationis moderamine, & freno soluta sensualitas, in dormientibus ad suas passiones fortiùs movetur.]

109 Atque hinc videlicet ortus est notabilis ille loquendi modus, non modò à prophanis scriptoribus, sed à sacris etiam frequentatus, cùm ad exprimendam effusam, ingentemque lætitiam, ea dicitur esse velut somniantium; quibus nimirùm sopita Ratione, nihil prorsus occurrit, quod obiectam in somnis ingentis gaudij speciem vel minimâ ægritudine contaminet; ac proinde effusissimè exultant, & sine modo gestiunt. Refert Livius libro 33. captos prælio hostes, qui sibi dira quæque præsagiebant, præconis voce subitò à Romanis in patriam abire iussos: subditque. *Maius gaudium fuit, quàm quod universum homines caperent: vix satis credere, se quisque audisse: alij alios intueri mirabundi, velut somni vanam speciem.* Simile est illud Psalm. 125. numero 1. *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus, sicut consolati.* Hebraicè, *sicut somniantes.* Cùm Petrus catenis vinctus, & proxima luce ad supplicium producendus, arcta custodia teneretur, repentè inde extractus ab Angelo, Actuum 12. num. 9. *Existimabat se visum videre.* Iacob item, qui carissimum

sibi filium discerptum, ac devoratum à fera sibi persuasérat, ubi primùm audivit eum adhuc vivere, & clavum Ægypti tenere; Genesis 45. num. 26. *Iacob, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis.*

110 Tertiò denique dicuntur Hęretici carnem suam somniantes inquinare, quia ingeniosè advertit Oecumenius, Apostolum nimiam rei obscœnitatem orationis honestate mirabiliter contegere, & opus ipsum libidinis incompletè peractum, somnoque simillimum tantùm indicare. Cætera cùm reticeat pudore victus Oecumenius, & ad Epiphanium, & Irenæum lectores relêget, ego quoque verecundum eius silentiũ imitabor. Tantùm observo, Græcum verbum, quod Apostolus usurpat, *miæno*, id est, *polluo*, sive *maculo*, hanc fœdam immunditiam significanter exprimere. Verti aliàs solet ab Interprete, *inquinare*, ad Titum 1. nu. 15. ad Hebræos 12. num. 15. aut *contaminare*, Ioannis 18. nu. 28. Polluit enim, & conspurcat ipsam carnem flagitiosa libido: *omneque peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*, 1. Corinth. 6. num. 18. Ideò cœnosi isti Borboritæ, & *maculæ* vocantur à B. Iuda, numero 12. & *carnalem tunicam maculatam* habere dicuntur, numero 23. & Salomon, qui in eodem hæsit turpitudinis cœno, *dedit maculã in gloria sua*, Eccles. 47. num. 22.

Dominationem autem spernunt.

111 CLemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum, & Augustinus in illa verba Psalmi 118. numero 161. *Principes persecuti sunt me gratis*, auctores sunt, eam Gentiles de Christianis imbibisse opinionem, per Evangelium politias humanas everti, Principumque obedientiam prætextu Christianæ libertatis funditus repudiari. Hanc commentitiam calũniam, nullo veritatis fundamento nixam, Iustinus Martyr Apolog. 2. & Tertullianus in suo Apologetico, ut alios omittam, apertissimis rationibus refutarunt. Monuerãt enim sępe Apostoli, sæcularibus Potestatibus esse parendum. Ad Romanos 13. num. 1. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit.* Ad Titum 3 num. 1. *Admone illos, Principibus, & Potestatibus subditos esse.* 1. Petri 2. numero 13. *Subiecti igitur estote, sive Regi, &c.*

112 Suadebant hoc Apostoli tribus potissimùm de causis. Prima, ad Rom. 13. numero 1. *Quia non est potestas, nisi à Deo: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* 1. Petri 2. num. 15. *Quia sic est voluntas Dei.* Audi, quàm fidenter hinc pronuntiet Tertullianus, Imperatorem Gentilem magis Christianorum, quàm ipsorum esse Gentilium, in Apologetico capite 33. *Quid ego amplius de pietate Christiana in Imperatorem? quem necesse est, suspiciamus, ut eum, quem Dominus noster elegit: ut meritò dixerim, noster est magis Cæsar, ut à nostro Deo constitutus: itaque ut meo, plus ego illi operor in salutem.* Audi prætereà, quid Christiani Cæsari precarentur, ibidem c. 30. *Vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcumque hominis, & Cæsaris vota sunt.*

113 Secunda causa parendi Imperatoribus, ut videlicet oblatrantibus Gentilibus os, atque fauces obturarent, & per doctrinam Evangelicam nõ tolli obediẽtiam Principum, sed stabiliri, & in maius etiam augeri, suo ipsi exemplo docerent. 1. Petri 2. numero 15. *Ut obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.*

Tertia denique, ne ipsi Christiani prætextu Evangelij ab obedientia erga Maiores retardarentur, & sensim (ut est prona in peius natura) libertatem spiritus in libertatem malitiæ converterent. Attigit hanc etiam causam Petrus numero 16. *Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem.*

Atque

114 Atque hæc quidem erat Ecclesiæ Catholicæ doctrina: contrà verò propria, & insignis hæreticorum nota, *dominationem spernere*, ideſt, Príncipes, & Magiſtratus pro nihilo ducere: abſtractum videlicet pro concreto, ut 1. Petri 2. num. 17. *fraternitatem diligite*, hoc eſt, *fratres*. Confirmat Irenęus lib. 4. cap. 43. hanc hæreticorum inobedientiam, & pervicaciam, exemplo illo notiſsimo Core, Dathan, & Abiron, qui Moyſi impudentiſsimè reſtiterunt, Numerorum 16. num. 2. & Apoſtolus Petrus digitum intendit ad fontem, unde tam inſolens magiſtratuum contemptus fluere ſolet, 2. Petri 2. num. 10. *Dominationemque cõtemnunt, audaces, ſibi placentes*. Superbia videlicet, & contumacia elati, ſibique præfidentes, nihil non audent præcipiti temeritate, & hominem præſe neminem ducunt. *Sibi placentes*, Græcè dicuntur *authadis*. Ad Titum 1. num. 7. *ſuperbi*. Hieronymus vertit libro 1. contra Iovinianum, *procaces*. Eraſmus, Adamus, & Tigurina, *præfracti, ſuique capitis, ac ſenſus*. Caietanus, *contumaces*. Catharinus, *protervi*. Iſidorus Clarius, *impudentes*. Gagneius, *pertinaces*: ut Geneſ. 49. num. 7. *Maledictus furor eorum, quia pertinax*. LXX. *authades*. Aptè cadunt hæc omnia in Græcam vocem; in Hæreticos verò, quàm aptiſsimè.

Maieſtatem autem blaſphemant.

115 PArum eſſet, ſi tumidi iſti, atque procaces Hęretici Magiſtratus nihili pẽderent, niſi eò uſque ſe proijceret eorum petulantia, ut exſerta lingua, eoſdem etiã cõtumelioſis maledictis ineeſſerent, probriſque proſcinderent. Hoc propriè ſignificat *blaſphemare*, ideſt, conviciari, & exſecrari. Sed, ut advertunt communiter Doctores, blaſphemia importat quamdam derogationem alicuius excellentis bonitatis, præcipuè verò divinę. Quia tamen Principes, & Magiſtratus, Dei in terris perſonam ſuſtinent, eiuſque vices gerunt; qui probra iactat in Principem, iure dicitur blaſphemare, hoc eſt, quaſi Deũ ipſum blaſphemijs configere. In Exodo cap. 22. num. 28. ita ſcriptum legitur: *Dijs non detrahes, & Principi populi tui nõ maledices*. Vbi poſterior pars prioris expoſitio eſt, ut placet Auguſtino q. 86. in Exodum, & Cyrillo lib. 7. contra Iulianum. Chaldaica eius loci Paraphraſis habet. *Iudices non vilipendes, & Principem populi tui non blaſphemabis*. Nam Iudices in arcano ſermone Deos nominari, vulgatiſsimum eſt. Porrò in hoc loco maieſtatis nomine Principes eſſe intelligendos, eruditè probat Ribera in illa verba ad Hebręos 1. num. 3. *Sedet ad dexteram maieſtatis*: & Tena ibi difficult. 8. num. 18. licèt non eadem Græca vox utrobiq; ſubſit.

116 Reſtat adhuc expediendus perplexus quidam nodus. Admonui iam ſæpe, tam multa Beatum Iudam in hac Epiſtola ab Apoſtolo Petro mutuari, ut interdũ non modò ſententiam hauriat, ſed verba etiã ipſiſsima recitet. Et quidem ſi Græca ſpectes apud Petrum, quę præſentibus ex æquo reſpondent, mirificè inter ſe conſentiunt: ſi attendas Latina, cælum non magis diſtat à terra. Græca ſic habent 2. Petri 2. num. 10. *Doxas autremuſi blaſphemuntes*. Et iuxta uſitatum helleniſmum, quo participium infiniti vices gerit, rectiſsimè vertas verbum è verbo: *maieſtates non horrent blaſphemare*. Eraſmus, *gloria præcellentes viros non verentur convicijs inceſſere*. Serarius, *cùm eos, qui gloria ſplendeſcunt, blaſphement, non contremiſcunt*. Gagneius, *maieſtatem*, ideſt, *homines in dignitate conſtitutos, non metuunt blaſphemare*. Omnia eòdem recidunt, & cum præſenti Iudæ loco examuſsim conveniunt: eamdemque expoſitionem ſequuntur Adamus, Iſidorus Clarius, Catharinus, Salmeron, & Feuardentius.

117 Latinus verò Interpres ſingularem planè verſionem, & prima facie ab hac communi prorſus diſsidentem, nobis repræſentat. Sic videlicet reddidit Græca: *ſectas non metuunt introducere blaſphemãtes*. Vbi

in primis, afflatu, ut par est credere, Spiritus Sancti, addidit de suo perspicuitatis gratia verbum illud *introducere*, cui nihil in textu Græco respondet: in eodem tamen cap. 2. ad eamdem sententiam enuntiandam usurpaverat illud Petrus, dum ait numero 1. *Introducent sectas perditionis*. Deinde ipsissimam vocem *doxas*, quam hîc Vulgatus vertit *maiestatem*, in eo loco Petri interpretatur *sectas*: cùm utrobique ad similem, vel potiùs unam, eamdemque sententiam referenda esse videretur.

118 Hîc Hæretici versionis nostræ momi, quasi victores triumphant; & B. Iudæ magis, qui Petrum interpretatur, quàm Interpreti Latino, credendum esse iactant. Vellem, elaborasset Catholicus aliquis in hac componenda discordia: nam Lorinus, qui ex Recentioribus acutè difficultatem vidit, tuendam esse Vulgati auctoritatem affirmavit, & ad Deum largitorem doni interpretationis sermonum, (1. Corinth. 12. num. 28.) quasi ad aram, asylumque confugit.

119 Sed sciendum est, ad perfecti Interpretis, & omnibus numeris absoluti munus pertinere, etiam originalis vocis fœcunditatem, ac multiplicem, quam includit, intelligentiam, quoad eius fieri possit, in alienam transfundere linguam. Itaque cùm comprehensio aliqua Græca, vel Hebraica duplicem sensum habere potest, alterum non debet, quatenus Latina lingua fert, in sua versione præcidere fidelis Interpres. Ambigua verba, si fas esset, ambigua relinquenda sunt. Interdum enim, ut graviter dixit Maldonatus Ioannis 4. num. 46. *Ambiguitas ipsa pars quodammodò Scripturæ est.* Solent itaque Vulgatus, & LXX. egregiè hoc Interpretum munere defungi; & ne varia, ac multiplici intelligentia Hebraici textus lectores defraudent, quod unica comprehensione assequi non possunt, iterata, & duplicata oratione continenter enuntiant. Extat perillustre exemplum Psalm. 28. num. 1. *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.* Sunt enim duæ interpretationes unius duntaxat orationis Hebraicæ: quia cùm sint ambigua verba Hebræa, utramque versionem accipiunt, & unica Latina efferri non possunt.

120 Accipe aliud non minùs notabile exemplum. Vox Hebraica *lebanà*, & lunam significat, & laterē; *homà* verò, murum, & solem; puncta enim à Massoretis appicta nihil moror: quod ad cætera etiam, quæ mox afferemus, exempla semel dictum esto. Videantur Riber. ad Hebræos 11. nu. 62. Genebrard. præfatione in Psalmos, Mendoza quæst. 6. positiva num. 4. Delrius in Proloquijs Phari, num. 4. 6. 10. & 12. Serar. in Prolegomen. cap. 3. q. 5. Cùm ergo lectio Hebraica Isai. 24. numero 23. ambigua esset, ac duplicem intelligentiam caperet, utramque simul distinctis orationis membris complexi sunt LXX. ut habetur in Editione Complutensi, & in Scholijs Vaticanę; sic enim totum locum illustrarunt. *Et liquefiet later, & cadet murus: & confundetur Luna, & erubescet Sol.* Cùm tamen in Hebræo unica duntaxat oratio sit, quam illi duabus expressêrunt.

121 Minùs iam videbitur mirum, alicuius originalis vocis fœcunditatem, multiplicemque intelligentiam, non continenter in uno, eodemque loco, ut in superioribus exemplis visum est, sed in diversis locis explicatam, diversis etiam vocabulis enuntiari, ut multiplex eius significatus exhauriatur. Eadem vox Græca *epiusios* extat apud Matthæum cap. 6. num. 11. & apud Lucam capite 11. num. 3. semel duntaxat à Christo Hebraicè in unam, & eamdem prolata sententiam. Quia tamen Græca ambigua est; ut eius fœcūditatem Vulgatus exprimeret, apud Matthæum quidem vertit, *panem nostrum supersubstantialem*; apud Lucam verò, *quotidianum*. Eadem subest Hebraica vox Michææ 5. numero 2. quæ & *mille* significat, & *Principem*, sive *ducem*: eamque sic effert Vulgatus; apud Michæam quidem,

parvulus es in millibus Iuda; apud Matth. autem capite 2. num. 6. *In principibus Iu-*
122 *da*. Eadem item vox est Genes. 47. num. 31. quę remotis punctis, ut paulò antè monui, & *virgam* significat, & *lectũ*. Quæ duplex significatio cùm in unicam vocẽ Latinam coire non posset, Vulgatus in eo loco Geneſis ita reddidit: *adoravit Israel Deum conversus ad lecti caput*: idem autem Vulgatus sequutus Græcum Interpretem Pauli, & LXX. alteram nobis significationem vocis expressit, ad Hebræos 11. numero 22. *Adoravit fastigium virgæ eius*. Idem subest Hebraicum participiũ 2. Reg. 22. num. 4. & Psalm. 17. num. 4. sed quia illud, sublatis punctis, activum, & passivum esse potest, utramque significationem retinuit Vulgatus; & in libro 2. Regum vertit, *laudabilem invocabo Dominum*; in Psalmo verò, *laudans invocabo Dominum*.

123 Illud autem etiam, atq; etiam miror, eadem omnino Hebraica verba, brevissimo duntaxat interiecto quatuor versiculorum intervallo, repetita, quia ambigua sunt, & non satis constat in Hebraico textu, utrùm de altero enuntietur; ut vel ipsa ambiguitas quoquomodo exprimeretur à Vulgato, ambiguè etiam, hoc est, inverso verborum situ, & ordine, Latinè enuntiata fuisse, Proverbiorum 10. num. 6. *Os autem impiorum operit iniquitas*. & num. 11. *& os impiorum operit iniquitatẽ*. Cùm utrobique eadẽ prorsus Hebraica verba habeantur.

124 Atque hęc tam accurata, & solicita Vulgati diligẽtia expromẽdi nobis quidquid in originali textu subest, egregiè cõ firmat eam opinionem, quæ iam pridem in Scholis obtinuit, eadem Scripturæ verba multiplicem sæpe continere intelligẽtiam litteralem. Hinc etiam facilè enodatur præsens difficultas: *doxa* enim, & maiestatem, gloriamque significat; & opinionem, aut sectam: ut cuivis, modò Græcas litteras primoribꝰ labris degustaverit, perspicuum est. Vt ergo Vulgatus duplicem intelligentiam latentem in his verbis, & aptè in hęreticos quadrantem, fidelissimè enuntiaret; apud Iudam quidem, *maiestatem* vertit; apud Petrum verò, *sectas*: & ad illustriorem expressionem litteralis intelligentię, verbum illud *introducere* supplevit; & sic utrumque sensum intentum ab Spiritu sancto, alterum apud Iudam, apud Petrum alterum, nobis disertè repræsentavit.

Numerus 9.

Cùm Michael Archãgelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ: sed dixit: imperet tibi Dominus.

125 DEvenimus ad huius Epistolę locum longè difficillimum. Difficultas in eo sita est, quia neque Apostolus satis explicat, quænam ista fuerit Michaelis disputatio, altercatioque cum dæmone; & illud ipsum, quod gratia explicationis adiecit, nempe altercatos fuisse de Moysi corpore, obscuriores tenebras offundit. Neque constat, unde hanc historiam Apostolus hauserit: imò Hieronymus in cap. 3. ad Titum, ingenuè fatetur, se nihil cõperti habere. Origenes verò lib. 3. Periarchon, Athanasius in Synopsi, & Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, allatã eam opinantur ex libro quodam apocrypho, qui *Anabasis*, ideſt, ascẽsio Moysis vocabatur. Denique nullus alicunde ex universa Scriptura radius lucis affulget, ad præsentis loci obscuritatem illustrandam. In enucleando ergo tam difficili, & abstruso loco, æquo animo ferendum est, si solito diutiùs immoremur.

126 Prima explicatio est Hugonis Etheriani libro de Regressu animarum, capite 9.

(habetur tomo 8. Bibliothecæ pag 364) Cyrilli Magni relati in Syntagmate de statu morientium (quod non ita pridem Latinè convertit Raderus noster, Cyrilliq́ue verba recitat hîc Serarius) Arethæ, & OEcumenij in Commentario huius loci. Existimant hi Patres, diabolum contendisse cum Michaele, quòd ius sibi esse diceret in Moysen ob patratam Aegyptij cædem, Exodi 2. num. 12. atque adeò Angelis curantibus funus Moysi dæmonem obstitisse, quòd diceret, homicidæ corpus indignum esse tam honorifica sepultura. Hæc explicatio facilè refellitur: nam Moysen inculpabiliter fecisse cædem illã, multò probabilior sententia fert. Legè Pererium in caput 2. Exodi disp. 10. eruditè Moysen ab omni culpa vindicãtem. Deinde ubi primùm Moyses animam efflavit, lata sententia, promulgataq́ue divinitus, certus erat dæmon de illius æternâ salute: nec erat iam, cur litem intenderet de humationę corporis, quia non tam ille de corpore, quàm de anima solet in illo agone disceptare, quam per crebras suggestiones nititur in consensum peccati lethalis extremi, & postmodùm in inferorum barathrum detrudere.

127 Est ergo secunda explicatio, in quam mira consensione plerique conspirant Interpretes, fuisse populum illum ad idololatriam procliviſsimum, ac de suo duce Moyse semper maius quiddã, quàm pro homine, augustiusq́ue sensisse; proinde Michaelem, in cuius tutela populus erat, in abdito quodam secessu Moysi corpus occultasse, ne illi divinus honor à populo haberetur: diabolum verò contrà palàm, & honorificè sepeliendum contendisse, quò Iudęi in idololatrię flagitium prolabentes, illud adorarent. Huius sententię sunt Abulensis in c. 34. Deuteronomij: in Commentarijs verò huius Epistolę Strabus, S. Thomas, Lyranus, uterque Cardinalis Hugo, & Caietanus, Gagneius, Martinez, Arias Montanus, Sa, Feuardentius, Adamus, Salmeron, & Serarius, Auctor Historiæ Scholasticę, cap. 20. in Deuteronom. Bellarminus tom. 1. libro 2. de Sãctorum Reliquijs, ca. 4. Oleaster Exo. 32. & Deuteronomij 34. Illustrissimus Episcopus Giẽnensis, de Sacrarum Reliquiarum cultu libro 2. cap. 2. numero 4. & libro 3. cap. 3. num. 4. Suarez tom. 2. in 3. P. disp. 32. sect. 2. Maluenda libro 9. de Antichristo cap. 8. Mendoza quæst. 5. Scholastica num. 7. Magallanes Prę fatione in Iosue, sect. 6. Torniellus in sacris Annalibus, anno mundi 2583. pag. 367. Viegas in cap. 12. Apocalyp. Commentario 1. sect. 17. Tena in cap. 1. Epistolæ ad Hebræos, difficultate ultima sect. 5. Marquez in Gubernatore Christiano libro 1. cap. 32. nec reijcit Gabriel Vazquez lib. 3. de Adoratione, cap. 4.

Et est quidem hęc explicatio vel sola 128
tantorum Interpretum auctoritate probabilis; sed potest etiam veterum quorumdam Patrum testimonio fulciri. Cùm enim dixisset Chrysostomus homilia 5. in Matthęum, propterea Moysen non introduxisse populum in terram promissionis, ne illi tantum beneficium ferretur acceptum, subdit continuò. *Vt igitur omnis huiusmodi amputaretur occasio, ipsum quoque eius est occultatum sepulchrum.* Chrysostomi mentem explicatiùs patefecit Theodoretus q. 43. in Deuteron. *Non permisit, hunc summum Propheram introducere populum in terram promissionis, ne illum, tanquam Deum, colerent Israelitæ: qui enim anima carentia pro Dijs habuerant, & imaginem vituli Deum appellaverant; multò magis profectò eum, ut Deum, venerati fuissent, cuius ministerio tanta sunt adepti. Eadem de causa sepulchrum eius latere voluit.* Cõsentaneè Auctor de Mirabilibus Scripturæ, lib. 1. cap. 35. extat inter opera Augustini tomo 3. *Ne sepulchrum eius populus Israel, si cognovisset, ubi esset, adoraret.*

Fateor, me nunquam potuisse in hac 129
communi explicatione conquiescere: & quominùs eam probem, adducor fortissimis argumentis, quę vellem, sibi tam graves Expositores obiecissent, expendissent, ac refutassent. Sed, ut in re perspicua, &

quasi

quasi per manus à Maioribus accepta, qui hæc argumenta vel attingat, invenio neminem.

Principio igitur non eo inficias, fuisse Iudæos ingenio ad idololatriam lubrico, atque proclivi. Constat id argumento vituli aurei, cùm recentissimi ab egressu A Egypti, post tot, tantaque divinitus edita prodigia, post accepta beneficia tam illustria, quorum memoria in eorum animis quàm diutissimè vigere debuisset; nihilominùs vitulum, tanquam Deum, in deserto coluerunt, Exod. 32. num. 4. Vide 3. Regum 12. num. 28. Quanvis enim Moyses vitulum ipsum comminutum, & in pulverem redactum illis propinaverat, eo cõsilio, ut advertit Oleaster Exod. 32. *ut persuasum haberent, nihil reliquiarum idoli sui mansisse, quas postmodùm superstitiosè colerent*: tamen relapsi sæpe sunt in idem nefarium scelus, 4. Regum 10. numero 29.

130 Serpentem etiam illum æneum, quem intuentes à serpentibus percussi sanitatẽ adepti sunt, donec ab Ezechia minutatim contritus est, pro idolo coluerunt. 4. Regum 18. nu. 4. *Confregit serpentem æneum, quem fecerat Moyses, siquidem usque ad illud tempus filij Israel adolebant ei incensum.*

Itaque non inficior, fuisse Hebræos ad idololatriã procliviss imos: verùm, quanvis mõstrosa huiusmodi idola pro Numine culta, & adorata ab illis lego; ossa verò alicuius insignis Patriarchæ, aut Prophetæ, simili cultu affecta, nusquam in tota Scriptura lego: potiùs videntur horrore quodam universè prosecuti mortuorum cadavera, quorum vel leviss imo affrictu, imò verò etiam ipsius sepulchri attactu pollui se, & contaminari, pro certo habebant, Numerorum 19. num. 16. Vnde sapiẽtissimè Iosias demolitus Excelsa, quæ idolis extruxerat Salomon, ut horrorem, ac detestationem Excelsorum Iudæis incuteret, ne in posterum illa frequentarẽt, 4. Regum 23. num. 14. *replevit loca eorũ ossibus mortuorum.*

Confirmat hoc meum argumentum ratio ab ipsa experientia ducta. Tametsi enim lex Mosaica de non contingendis morticinis, Sanctorum ossa, & cineres non comprehendebat, ut doctè observavit Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, folio 65. ac propterea Veterum Patriarcharum sepulchra magnificè constructa, atque exornata, in summa veneratione habita semper fuerunt: condebant nimirùm sanctissimos viros, qui vivi populum immortalibus cumulaverant beneficijs, mortuique stupenda miracula patrabant: tamen nullum ab illis unquam idololatrandi periculum Iudæis imminuit. Fuit quidem Patriarcha Ioseph ita mirabilis A Egyptijs, ut pro Numine coluerint, tẽplum illi erexerint, simulachrumque fabricaverint, eo modio capiti imposito, quo frumentum fame laborantibus mensus fuerat: dictus propterea Serapis, quia Sarę pronepos fuerat. Auctores sunt Iulius Firmicus de Erroribus prophanarum Religionum cap. 14. (habetur tomo 4. Bibliothecæ.) Suidas, verbo, *Serapis*: Auctor Quæstionum veteris, & novi Testamenti, q. 15. apud Augustinum tomo 4. & apud eumdem tomo 3. libro 1. de Mirabilibus Scripturæ cap. 15. & Ruffinus lib. 11. Historiæ, cap. 23. Bisciola tom. 1. lib. 17. cap. 19. Horarum subcessivarum. 131

Ioséphi verò ossa magnificentissimè condita sunt. Testatur hoc Scriptura Genesis 50. num. 25. *Conditus aromatibus, repositus est in loculo.* Addunt LXX. *Sepelierunt eum, & posuerunt in urna, in arca.* Et de eiusdem Patriarchæ sanctissimis ossibus legimus Eccles. 49. num. 18. *Ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetaverunt.* Sive prophetare hîc sit, miracula edere: patravit enim eius corpus insignia miracula, quæ recitat Illustrissimus Gienensis lib. 2. cap. 1. numero 2. & 3. sive dicantur illius ossa prophetare, quia animam agens impensè efflagitaverat, ut ea asportarentur ex A Egypto, Genesis 50. num. 24. *Cùmque adiurasset eos, atque dixisset: Deus visitabit vos: asportate ossa mea* 132

vobis-

vobiscum. Quod magno cum honore, ac celebri pōpa executus est Moyses Exod. 13.nu.19. Itaque cùm moribundus longè antè prædixisset, quod erat evēturum, exitu ipso prædictionem comprobante, ipsa ossa quasi declaraverunt, eum verè fuisse Prophetam, atque adeò prophetaverunt. Atqui erga tantum, & tam beneficum Patriarcham, relatum in Deorum numerum ab AEgyptijs, & post mortem etiam miraculis, ac prophetia coruscantem, ne vestigium quidem idololatriæ usquam extat.

133 Eodem modo argumentari possum (ut alios omittam) de Elisæo: de quo Iosephus lib.9. Antiquit.cap.9. *Vir inclytæ iustitiæ, & citrà controversiam Deo longè carissimus: multa enim, & miranda divinæ mentis argumenta exhibuit, quorum memoria apud Hebræos durat clarissima: sepulchro etiam honoratus est magnifico, quale decuit hominem numini Divino acceptissimum.* De eodem quoque legimus Ecclesiast.48.num.14. *Mortuum prophetavit corpus eius.* Quia videlicet edidit illud post hominum memoriam longè insigne, inauditumque miraculum, suscitando mortuum, casu duntaxat in suam sepulturam

134 iectum, 4.Regum 13.num.21. *Quod cùm tetigisset ossa Elisæi, revixit homo, & stetit super pedes suos.* Prodigium sanè stupendum, opusque Divinitatis maximè proprium: nullæ enim omnino sunt in universa natura vires, quæ hominem vita functum valeant rursus ad vitam revocare. Hoc itaque summum Divinitatis indicium homines tā morbosos, & affectos in hoc superstitionis genere, vehemēter permovere potuisset ad honores divinos Elisæo tribuendos: cùm tamen ne prima quidem commotio Elisęum adorandi eorum animos subierit: certè ne minima quidem talis sceleris suspicio scriptis prodita est. Quo ergo fundamento nititur eorum coniectura, qui asseverant, Moysen, si sepulchrum eius proderetur, pro Numine colendum fuisse? quo exemplo confirmant? qua historia fidem faciunt?

Enim verò tantùm abest, ut extructo in omnium oculis Moysis tumulo, inde arrepturi essent Iudæi occasionem illum pro Numine adorandi, ut potiùs fidenter pronuntiem, si talis de Moyse opinio præconcepta Iudæorum mentes occupasset, ad eam stirpitus evellendam, nihil efficacius, nihil potentius excogitari potuisset, quàm ipsius ossa partim absumpta, partim adhuc tabo, sanieque respersa, palàm omnibus spectanda proponere. Hoc mortalitatis spectaculum conceptam Divinitatis opinionem facilè ex omnium animis excuteret. Arbitratus est Iosephus, Moysen verè non obijse, cui adstipulantur ex nostris Ambrosius libro 1. de Cain, & Abel capite 2. Hilarius Can.20. in Matthæum, Catharinus in cap. 2. Genesis, & Arboreus in sua Theosophia capite 11. quos iure, ac meritò refellunt Suarez tomo 2. disputatio.32. Bellarminus tomo 1. libro 2. de Reliquijs Sanctorum, capite 4. Mendoza quæstione 5. Scholastica, numero 7. Maluenda libro 9. de Antichristo capite 8. & Serarius in Iosue libro 1. capite 10. quæst. 5. Pugnat enim hæc opinio 136
cum apertissimis Scripturæ testimonijs: ea tamen vide, quemadmodùm eludat, & ad suam sententiam detorqueat Iosephus libro 4. Antiquitatum, capite 8. in ipsis penè extremis verbis. [Cùm post mutuos complexus Eleazaro, ac Iosue ultimum vale diceret, inter loquendum repentina nube circumdatus in vallem quamdam est ablatus. In sacris autem voluminibus scriptum est, eum esse mortuum, propter metum, ne ob excellentem eius virtutem ad Divinitatem abijsse putaretur.] Ita habet emendatior versio Iosephi. Si ergo illius mors, scriptis duntaxat prodita, obstare poterat opinioni Divinitatis: quantò efficacius esset ad eam opinionem radicitus extirpandam, Moysis ossa in cineres resoluta oculis ipsis intueri?

135

Cre-

137 Cretenses habiti sunt, & prædicati mẽdacissimi ab omnibus Historicis, atq; Poetis. Apostolus quoque refert carmen Epimenidis ad Titum 1. num. 12. *Cretenses semper mendaces*. Inusta autem illis nota ea est, ut eruditè probat Angelus Politianus in Miscellaneis cap. 35. quia Iovis, Deorum Gentilitatis facilè Principis, sepulchrum Cretenses ostendebant, in eoque demortui ossa asservari apud se iactabant. Impudens autem mendacium Gentibus videbatur, quodque Iovem suum Divinitate prorsus exturbaret, eius ossa, cineresque ostendere, quem in cælis regnantem pro Numine colebant. Est enim validissimum telum, quod ex isto sepulchro Iovis arripit Lactantius, & in Gentiles intorquet, libro 1. Divinarum Institutionum cap. 11. [Quomodò igitur potest Deus alibi esse vivus, alibi mortuus? alibi habere templum, alibi sepulchrum? Sciant ergo Romani, Capitolium suum, id est, summum caput Religionum suarum, nihil esse aliud, quàm inane monumentum.] Nihil negotij est, hæc ipsa ad Moysen accommodare.

138 Porrò quod legimus Deuteronomio 34. num. 6. *Mortuus est ibi Moyses servus Domini, iubente Domino, & sepelivit eum*, scilicet *ipse Dominus*; eum habet sensum, quem sequitur Methodius apud Epiphanium, hæresi 64. prope finem, & ipse Epiphanius hæresi 9. curatum videlicet funus fuisse per Angelos. Lege Serarium lib. 1. in Iosue cap. 10. q. 6.

Quod verò subiungitur in Deuteronomio: *Non cognovit homo sepulchrum eius usque in præsentem diem*; potiùs ad eximiã, & singularem Moysis excellentiam, & gloriam redundare, egregiè scribit Philo libro 3. de Vita Moysis. [Quòd sepultus nullo præsente, non mortalibus nimirum manibus, sed immortalibus potestatibus: quòd non in Maiorum sepulchro conditus, nempe monumentum præstantius consecutus, nulli mortalium perspectũ.] Ambrosius etiam humano quiddam magis, & augustius hoc existimavit, lib. 2. de Offic. cap. 7. [Meritò æstimatus est supra homines, ut & vultui eius nõ possent intendere, & sepulturam eius non repertam crederent.] Auctor ille de Mirabilibus Scripturæ libro 1. cap. 35. hanc etiam attigit causam. [Mortis eius, & sepulchri nemo conscius erat, quatenus illam faciem, quæ consortio sermonis Domini rutilaverat, mortis mærore repressam nemo videret.]

139 Quare concludo, si ullum periculum impenderet Moysen pro Numine adorandi, pronior inde occasio enasci potuisset, quòd neq; sepulchrum ipsius uspiam cerneretur, nec ullum demortui vestigiũ in terris extaret. Atq; hinc fortasse fluxit, quod hæresi 55. refert Epiphanius. *Qui in Arabia Petrea habitant, Mõsem propter divina signa Deum putant, adorantque ipsius imaginem.*

Si qua ergo disceptatio, atque contentio fuisset inter Michaelem, & diabolum de Moysi corpore humando, magis propenderem in sentẽtiam Genebrardi lib. 1. Chronograph. fol. 75. *Quia diabolus, ne Moyses divinus homo, propheticoque maior haberetur, eum sepeliri humano more pro suo iure* (qui mortis, corruptionisque habebat imperium; ad Hebræos 2. num. 14.) *cupiebat, ut Iudæis eum redderet contemptiorem, minusque præstantem: cùm contrà Archangelus eius corpus, tanquam divinioris hominis, subduci vellet ex vivorum oculis, sepelirique augustiore, nobilioreque modo, quàm mortali.*

140 Verùm si scopus, & contextus Apostoli penitiùs inspiciatur, cùm habeat apertum Scripturæ locum, quò alludere, quem ad suam sententiam cofirmãdam, in historico sensu citare possit, cùm ipsissima verba, quæ illic habentur, hîc usurpet Iudas; quid opus esset aliunde corrogare; & ubi auctoritas Canonica supperebat, ex libris apocryphis haurire? ut dicebant illi Patres, quos initio laudavi: quãquam ea, quę Apostoli hauserunt ex apocryphis, cùm ipsa per se erant certissima, tum ipsi

sua auctoritate & Canonica illa, & infallibilis certitudinis effecerunt.

141 1. Scopus igitur Apostoli est, novo quodam argumento, ex rara modestia Michaelis ducto, acriùs insectari Hæreticorum petulantiam, qui nulli hominum generi parcunt, sed vel ipsos Principes, & Magistratus probris, maledictisque proscindunt. Argumentum autem est huiusmodi. Quod non audet præcellentissimus Angelus in dæmonem omni execratione dignissimum, audere non debēt viles homunciones contra personas in altissimo dignitatis gradu collocatas: sed Michael Archangelus, Princeps, & antesignanus militiæ cœlestis, atque adeò inter Angelicas potestates nulli secundus, nō est ausus maledicto perstringere, & blasphemiæ nota inurere diabolū, tametsi re ipsa blasphemū, & in Dei maiestatem cōtumeliosum; tātùm modestissimè dixit: *imperet tibi Dominus*, coerceat te, ac frænum tantæ procacitati injiciat mundi molitor Deus, cui velis nolis, tibi parēdum est: ergo iniquissimū est, infimæ notæ homulos, scelerumq; maculis notatissimos, blasphemare Principes, dignitatis excellentia, sanctitateque conspicuos; eos denique petulantissimè maledictis incessere. Itaque duplex est in personis comparatio, ut notavit Eduardentius. Prima: si Michael Archangelus non est ausus, quis homo iure, audeat? Altera: si ne diabolus quidē, quāvis æternæ damnationi addictus, & in Deum cōvicia iactans, maledictis est proscindendus; quo iure Magistratus, ac Principes proscindantur?

142 2. Confirmatur hæc intelligentia huius loci ex altero, non dicam simili, sed penè eodem, ut constat ex toto contextu, apud Sanctum Petrum in illa Epistola 2. cap. 2. num. 11. *Vbi Angeli fortitudine, & virtute cùm sint maiores, non portant* (Græcè, *upheruſi*: non ferunt, non proferunt) *adversum se execrabile iudicium.* Græcè, *blasphemon crisin*, id est, non sustinent præ modestia impingere vel ipsi dæmoni blasphemæ procacitatis, & maledicentiæ notam; non proferunt adversus eum verba execrationis; non audent sententiam pronuntiare, qua eum blasphemiæ damnent, qua illi tanquam blasphemo convicientur; verentur illi imprecari supplicium blasphemia dignum. Legge Isidorum Clarium, Adamum, & Gagneium in eum Petri locum. Subiungit continuò Petrus, ut & hîc Iudas, latissimum discrimen inter hanc mirificam Angelorum modestiam, & procacissimam Hæreticorum petulantiam.

143 2. Cùm ergo hic sit Apostoli scopus, hęc series totius contextus; cùm ad confirmandum id ipsum, quod Iudas agebat, extet luculentum testimonium apud Zachariam cap. 30. cùm ibi Michael adversus diabolum acerrimè discepter, atque confligat; cùm ipsissima verba Michaelis, ex Zachariæ loco deprompta, hîc recitētur; cùm cætera denique conveniant; rem mihi videtur quasi acu tetigisse Venerabilis Beda, qui in Commentario huius Epistolę ait, unam, & eamdem esse altercationem, concertationemque, ibi à Zacharia, hîc ab Apostolo relatam.

144 Atque in primis, quod attinet ad personas disceptantes, cùm utrobique diabolus disertè nominetur, de Michaele duntaxat potest esse dubitatio: sed & Interpretes Zachariæ consentiunt, & ratio ipsa persuadet, Angelum Domini, de quo in illo cap. 3. numero 1 mentio fit, fuisse Michaelem. Est quidē Michael omnium cœlestium spirituum præstantissimus, Princeps non solùm infimę Hierarchiæ, quod plerique concedunt; sed omnino supremæ, quod eruditè probant Tena in cap. 1. ad Hebræos difficultate ultima, sectio. 5. Serarius in cap. 5. Iosue quæst. 45. ubi etiam Magallanes, sectione 3. annotatione 4. Fuit præterea Michael Præpositus veteris illius Synagogę, ut & nunc præsidet Ecclesiæ. Perspicuè id affirmat Sanctus Dionysius de cælesti Hierarchia cap. 9. Hieronymus libro 1. Commenta. in Dani. cap. 10. & Gregorius libro 17. Moralium cap. 8. Vnde Pererius

libro

libro 12. in Daniel. circa illa verba capitis 10. num. 13. *Ecce Michael unus de Principibus primis*, doctè ait. [Quoniam in confesso est, Michaelem præfuisse populo Hebræorum, totius orbis tunc nobilissimo, clarissimo, Deoque charissimo, non est dubitandum, fuisse eum Principem omnium sui ordinis.]

145 Si ergo populus ille erat Michaelis tutelę, fideique commissus, cùm diabolus non solùm dolis, ac technis armatus, sed, quod erat magis timendum, causæ bonitate confisus, & summo Sacerdoti, & populo universo dicam impingebat, & acerrima contentione adversus eos decertabat, in illo cap. 3. Zacharię. Quis alius Angelus diabolo se fortiùs opponeret? quis ferventiùs cum illo disceptaret? quis amantiùs populi defensionem, patrociniúque susciperet, quàm Michael, cui id ex officio incumbebat? Fuit itaque Michael Archangelus, qui apud Zachariam cum diabolo disputavit.

146 Addo deinde, ibi veram interveniſſe disceptationem, altercationemque, ibi rationum momentis ultrò, citròque acerrimè pugnatum: hæc enim dissensio, hæc argumentorum obiectio, ac ponderatio, hæc refutatio, atque depulsio, spiritualis pugna est, quæ inter Angelos intercedit: quæ nescio, quomodò solidè excogitari possit circa Moysis cadaver patefaciendum: si enim causaretur diabolus, oportere tam sancti viri ossa honorificè in sepulchro collocari, & palàm veneranda proponi; ex composito, & ab insito fallendi artificio totum id emanare, liquidò proderetur. Quæ igitur ibi disputatio? quę momenta rationum utrinque conjecta? At apud Zachariam gravis sanè, & anceps intercessit Michaeli cum diabolo

147 concertatio: observat enim ibi Hieronymus, diabolum à dextris Pontificis rei, sordidatique astitisse, hoc est, potiorem in iudicio obtinuisse locum, *quia vera* (inquit) *erat accusatio*. Itaque causam suam acriter diabolus agebat: contendebat populum iure sibi adiudicandum, supplicijsque addicendum; interim verò à misera illa captivitate minimè liberandum, quia divinas leges violaverat, atque perfregerat. Iactabat etiam blasphemias contra Deum, criminãdo, eum acceptatorem esse personarum, qui Angelos vel semel peccantes continuò ad Inferos detrusisset; populo verò illi, quotidie in eadem flagitia relabenti, toties ignosceret. Atque ista blasphemia fuit, quam non sustinuit Michael præ modestia dæmoni impingere: *non est ausus ei iudicium inferre blasphemiæ*.

148 Iam verò verba illa, quibus Michael dęmonem criminantem, convicianteque repressit, eadem omnino, ex Zacharia fideliter descripta, recitat Apostolus; non appẽdit, sed numerat. Quanvis enim legamus apud Zachariam *increpet*, & *imperet* apud Iudam; sed sciamus, idem utrobique subesse verbum *epitimao*, ex Editione LXX. quam ferè citare solent Apostoli. Est autem eius verbi germana significatio, ut observat Maldonatus Matth. 8. num. 26. & Marci 1. num. 25. cum obiurgatione quadam, & potestate, adiunctis minis imperare. Vnde idem prorsus verbum, & in eamdem sententiam usurpatum ab Evangelistis, quò vim eius omnem exhauriat, trifariam Vulgatus Latinè vertit: Matthæ. 8. nũm. 26. *Imperavit ventis, & mari*: Marci 4. num. 39. *Comminatus est vento, & dixit mari: tace, obmutesce*: Lucæ 8. num. 24. *Increpavit ventum, & tempestatem aquæ*.

149 Minùs autem debet movere quempiam, hęc verba ab Apostolo attribui Michaeli, cùm constet apud Zachariam, ea affatum fuisse Deum, cap. 3. num. 2. *Et dixit Dominus ad Satan*. Vbi ineffabile nomen *Iehova*, & Deo maximè propriũ, Hebraicè subest: quia scitum est in Scriptura, Angelos sæpe Dei personam sustinere, eaque tunc enuntiare, quæ nullatenùs ipsi Angelo, qui loquitur, sed soli Deo, cuius vices gerit, possunt convenire: ut multis Scripturę testimonijs demonstravi Deuterono. 32. nu. 12. Michaelem

autem in hoc iudicio Dei personam égisse, liquidò constat, quia coram illo iudicium ipsum exercebatur, Zachar. 3. numero 1. *Et ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini.* Itaque non Dominus ipse, sed Michael Domini personam repręsentans, Satanam allocutus est. Sic vitatur duriuscula illa locutio. *Dixit Dominus ad Satan: increpet Dominus in te.* Quomodò enim ipse Dominus Domini increpationem exoptaret?

150 Cùm tota hæc explicatio sine ullis salebris placidissimè decurrat, tamen aqua in eo nobis hęret, quòd corpus Moysi non in sensu proprio de corpore naturali, sed in metaphorico de corpore mystico, hoc est, de populo Israelitico, interpretemur. Quod videtur inauditum, valdeq; coactum. Sed cùm videamus alioqui totam explicationem lenissimè fluere, nescio, cur nobis hærendum sit in hac salebra: suppetunt enim multę, iustissimęque causæ, cur Moyses caput illius populi, cur populus vicissim Moysi corpus nominetur, ut disertè hîc affirmavit Beda.

Principio namque vulgatissimum est in Scriptura, Principem populi, caput appellari. Oseæ 1. num. 11. *Ponent sibimet caput unum.* Amos 6. num. 1. *Optimates capita populorum.* Et sexcentis alijs locis. Nullus verò unquā extitit Princeps, qui potiore iure, quàm Moyses, caput sui populi diceretur. Nam, ut eruditè probat ex Scriptura, & Patribus Bellarminus lib. 5. de Romano Pontifice, cap. 9. simul in Moyse concurrebant in supremo quodā gradu ea omnia, quorum singula Principem illum, & caput suę gentis effeciissent.

151 Fuit enim Summus Pontifex, ex quo, tanquam ex capite, omnis in corpus derivaretur influxus. Liquet id cap. 11. Numerorum. Cùm enim solus non posset tātam regere multitudinem, ac Dei iussu septuaginta seniores elegisset; addit sacer textus nu. 25. abstuliisse Dominum de spiritu, qui erat in Moyse, & septuaginta illis senioribus dedisse. Quod rectè exponit Augustinus q. 18. in Numer. & Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 14. ablationem istam non significare diminutionem spiritus in Moyse, quia tunc nihil illi profuisset habere adiutores, si propterea ipse debilior factus esset: sed voluit Deus ostendere, in Moyse residere totam auctoritatem; cæteros autem, si quam haberent, totam ab ipso habere, tanquam à capite derivatam.

Fuit præterea summus Legislator: nā 152
& si lex illa vetus à Deo data erat; tamen, quia populus nō a Deo, sed à Moyse eam acceperat, eius auctor Moyses dicebatur. Ioan. 1. num. 17. *Lex per Moysen data est.* Et cap. 7. num. 19. *Moyses dedit vobis legē.* Imò verò etiā lex ipsa divina, lex Moysis appellatur. Lucæ 2. num. 22. cap. 24. numero 44. & Ioann. 7. num. 23. Act. 13. numero 38. & cap. 15. num. 5. & propterea, quæ in lege scripta, atque præcepta sunt, ea dicitur Moyses scripsisse, ac pręcepisse. Ioan. 8. n. 5. *In lege Moyses mandavit nobis.*

Fuit etiam summus Rex, & Princeps 153
temporalis, qui populū illum ex Aegyptiaca servitute asseruit, & hoc titulo redemptionis iure fecit suū. Propterea enim Nazianzenus in Oratione ad Gregorium Nissenū, Principum Principem eum nominat. Fuit deniq; summus Iudex, Exod. 18. num. 13. *Sedit Moyses, ut iudicaret populum.* Cuius in iudicando tanta extitit auctoritas, ut scripserit Augustinus, q. 68. in Exod. *Sedebat iudiciaria sublimitate solus, populo universo stante.*

Si ergo Moyses tam multis titulis Pon 154
tificis, Legislatoris, Regis, atque Iudicis, erat caput illius populi; si populus ipse nō solùm Dei populus, sed Moysis etiam populus ore Divino dicebatur, Exod. 32. n. 7. *Peccavit populus tuus, quē eduxisti de terra Aegypti*; si popularis multitudo, quibusdam cōstricta, & compacta nexibus, unū efficit corpus, ad Rom. 12. nu. 4. *ita multi unū corpus sumus.* Et 1. Cor. 10. n. 17. *Vnum corpus multi sumus.* Eleganter enim Tertullianus in Apologetico, c. 39. [Corpus sumus de conscientia religionis & disci-

plinæ

plinæ unitate, & spei fœdere.] Vbi Pamelius numero 498. probat, corp⁹ pro cœtu populi usurpari. Lampridius in Severo. *Corpora constituit Vinariorum*, &c. *& omnino omnium artium.* Extant etiam in Iure civili ad hoc probandum textus singulares, l. *Non tantùm.* ff. de Excusationibus tutorum in Infortiato. *Non omnia corpora, vel collegia vacationem tutelarum habent.* Et l. *Quæ ex relationibus*, Cod. de Legib⁹. *Quibuslibet corporibus* (ubi Glossa explicat, *cœtus, aut communitates*) *aut Provinciæ, vel civitati donavimus.* Vide etiã l. *Rerum.* ff. de Vsucapionibus.

155 Si ergo corpus absolutè positum, sæpe idem est, atque communitas; quid mirũ videri debet, si popul⁹, cuius tot nominibus caput erat Moyses, corpus Moysis appelletur? Sic etiam Ecclesia vocatur corpus Christi ad Ephes. 1. num. 23. *Quæ est corpus ipsius.* & cap. 4. num. 12, *in ædificationem corporis Christi.* cap. 5. num. 30. *Membra sumus corporis eius.* 1. Corinth. 12. num. 27. *Vos estis corpus Christi, & membra de membro.* Ad Colossens. 1. num. 18. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ.* num. 24. *Pro corpore eius, quod est Ecclesia.*

Numerus 10.

Hi autem, quæcumque quidem ignorant, blasphemant.

156 EXtat etiam huic gemina sententia in illa Epistola 2. Petri cap. 2. num. 12. *In his, quæ ignorant, blasphemantes*: hoc est, in mysterijs, quæ non attingunt, quę eorum captum superant, aciemque prætervolant, blasphemias effundentes. Adhuc enim Apostolus blasphemam, atque procacem hæreticorum petulãtiam cum temperatissima Michaelis moderatione contendit. Michael ne scelestissimum quidem diabolum, Inferorum fornacibus addictum, Deo ipsi conviciantem, adversus eius populum multa nefariè molientem, ausus est maledicto perstringere: hos autem, parum est Magistratus, & Principes probris incessere: non hîc consistit eorum impudens, atque effrenata procacitas: etiam ipsa sacrosancta Religionis mysteria, quæ illi, cùm planè sint belluinis sensibus affixi, & in cœno voluptatum hærentes; atq; adeò prorsus stupidi, ne cogitatione quidem informant; omnia tamen ex suo captu metientes, quę sensibus non assequuntur, non modò non credunt, sed blasphemijs etiam proscindunt. Sic mysterium sanctissimæ Trinitatis prorsus non attigerunt, ac proinde blasphemijs lacerarunt Arius, Eunomius, Macedonius, atque Sabellius. Venerandum Eucharistiæ Sacramentum, & ignorarunt simul, & blasphemarũt Berengarius, Vviclephus, Zuinglius, Oecolampadius, &c.

Quæcumque autem naturaliter, tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.

157 CVm omnes suas cogitationes ad res vilissimas, & sordidissimas abiecerint; cùm nihil, nisi crassum, & pecuinum, sapiant; cùm pecudum ritu ea duntaxat magno æstiment, quæ sensus titillant; cùm naturaliter omnia voluptate metiantur: Græcè *physicos*, ideſt, cùm sola natura, & experientia sensuum duce, instar belluarum rationis expertium; nullo consilio, nulla ratione, multò verò minùs cælesti aliqua luce, sed cæco, ac belluino naturæ impetu ferantur; quid inde consequetur? Imò verò quid mali non cõsequetur? Remoto pudoris, ac Rationis fræno, perditissimè in omnes se libidines insatiabiliter ingurgitant; & nõ secùs, ac porci lutulentissimi, in cœnoso illo libidinis fœtore se ipsos miserè provolvunt. Sed quia sæpius iam de effusissima Hę-

reticorum luxuria mentionem fecimus, hîc etiam verecundo silentio pudori consulamus.

158 Hieronymus, sive hunc, sive alterum quàm simillimum Petri locũ ex illa Epistola 2. cap. 2. numer. 12. ita recitat lib. 1. contra Iovinianum cap. 24. *Isti, quasi irrationabilia iumenta, in ventrem, & libidinem pronisunt.* Nec infrequens est in sacra Scriptura, libidinosos cum belluis comparare; maximè verò cum equo, qui, ut scribit Aristoteles lib. 6. de Historia Animalium cap. 23. salacissimus, & impotentissimus est, alit cum mulo, qui apud Veteres, ut auctor est Pierius lib. 12. lasciviũm, spurcumque hominem, tanquam aptissimum hieroglyphicum, exprimebat. Hieremiæ 5. num. 7. *In domo meretricis luxuriabantur: equi amatores, & emissarij facti sunt: unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Psal. 31. num. 9. *Nolite fieri, sicut equus, & mulus.* Tobiæ 6. num. 17. *Qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus.* Vbi observa, eo quasi ad itu patefieri ianuam ad tã effusam luxuriam, quia homo claudit oculos ad ea intuenda, quæ frenare, & continere possent libidinis impetum, Deumque à sua cogitatione prorsus excludit. Sic impudici illi senes Daniel. 13. num. 9. *Everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum.*

159 Illud etiam hîc observandum est, nunquam salacissimos equos transilire eos, quos natura constituit, fines; hæreticos autẽ omnia iuris, ac pudoris repagula perfringere; omnes naturę ipsius leges pervertere; in omni se luxuriæ, etiam præposteræ, cœno volutare. Narrat Aristoteles lib. 9. de historia Animalium, cap. 47. equum cum matre coire nunquam: cùm verò aliquãdo tectis oculis quidam admissus esset matri; posteàque detracto velo, matrem agnovisset, sese ex alto mõte præcipitem egisse. Eamdem historiam refert Plinius lib. 8. cap. 42. Addit etiam Varro lib. 2. de Re rustica, cap. 7. prius-quàm se præcipitaret, perorigam, qui coegerat, ut matrem iniret, ab ipso equo calcibus, ac dentibus laceratum.

Id verò, quia leviss imum duco, ne attingerem quidem, nisi ab ijs, quibus lingua, non pectus sapit, magni fieri animadverterem. Corrigit Tigurina Vulgatum; & pro *muta*, substituit *rationis expertia*; alij, *irrationalia*. Id scilicet ignorabat Interpres: quasi verò *logos*, non utrumque significet, sermonem videlicet, & mentem: unde *aloga*, animãtia dicuntur, quæ & mente, & sermone carent. Quia ergo utrumque significatum vidit Interpres ea voce comprehendi, ut utrumque nobis enuntiaret, ipsissimas voces Græcas hîc *muta animalia*, apud Petrum verò cap. 2. numer. 12. *irrationabilia pecora* vertit. Neq; id abhorret ab elegantiũ Latinorũ usu: nã apud Ciceronẽ rationis expertes animantes, non semel *mutæ* nominantur: quia nimirum, ut scribit Aristoteles 4. de Historia Animalium cap. 9. & notum est vel pueris, sermo proprius est ratione utẽtis hominis. Hęc enim duo sunt præclara munera, nobis divinitus concessa, quibus à cæteris secernimur animantibus, ratio, & quasi nuncius quidam rationis, & interpres sermo. Lege Lorinum in id Sapientię 11. num. 16. *Colebant mutos serpentes.* Græcè, *áloga herpetà.*

Numerus 11.

Væ illis, qui in via Cain abierunt.

161 INtonat hæreticis formidandũ illud *væ*, toties illis à Prophetis intentatum: & vulgari denotat Hebraismo, eos exprimere hæresiarcharum mores, quorum se discipulos profitentur: abire enim, aut ambulare in vijs alicuius, est illius vestigijs insistere, illũ vita, & moribus imitari. De perverso Rege Achaz legimus 4. Reg. 16. n. 3. *Ambulavit in via Regum Israel,* idest,

coluit idola, sicut illi coluerũt. Cõtrà verò de sanctissimo Rege Iosaphat, 3. Reg. 22. num. 43. *Ambulavit in omni via Asa patris sui*: & de pijssimo Iosia, 4. Reg. 22. num. 2. *Ambulavit per omnes vias David patris sui.* De filijs Samuel, 1. Reg. 8. num. 3. *Non ambulaverunt filij illius in vijs eius.* Itaq; Hæretici in via Cain abierunt, hoc est, expresserunt mores illius imitando, ingressi sunt eãdem viam, quam Cain reliquit notatam, atq; impressam errorum vestigijs.

162 Fuit nimirùm Cain primus hæresiarcha, in quem aptiùs multò, quàm in Marcionem, quadraret celebre illud Polycarpi dictum: *agnosco primogenitum Diaboli.* Si enim hęretici *ex patre diabolo* sunt, Ioannis 8. num. 44. atque adeò filij diaboli, 1. Ioann. 3. num. 10. primus diaboli filius, primogenitus diaboli iure Gentiũ appellabitur. Atque huc respexit Polycarpi Magister Ioannes, cùm agens de Cain, Epistola 1. cap. 3. num. 12. ait. *Non sicut Cain, qui ex maligno erat.* Græcè, *eo tu poneru*: cum articulo emphatico, *ex illo maligno*, nempe ex diabolo: de quo paulò ante dixerat idem Apostolus cap. 2. num. 13. & 14. *Vicistis malignum.* Græcè, *ton poneròn.* & cap. 5. num. 17. *malignus non tangit eum.* Eadem enim voce diabolus designatur Matth. 13. num. 19. *Venit malus* (Græcè, *ho poneròs*, ille malignus) *& rapit, quod seminatum est in corde eius.* Quem apertiùs expressit Luc. cap. 8. num. 13. *Venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum*: & Marcus cap. 4. numer. 15. *Venit Sathanas, & aufert verbũ.* Quare quod obsecramus in oratione Dominica, *sed libera nos à malo*, Græcè *apò tu poneru*, Tertullianus libro de Fuga in persecutione cap. 2. vertit, *erue nos à maligno*: & subdit: *tunc enim eruimur Diaboli manibus, cùm illi non tradimur in tentationem.* Sic interpretantur ea verba Chrysostomus, Theophilactus, & Eutymius in Matthæum cap. 6. Cyrillus Hierosolymitan. Catech. 5. Nissen. de oratione Dominica, Divus Ambrosius lib. 5. de Sacramentis capite 4. Cassianus Collatione 9. capite 23. & Petrus Chrysologus sermone 67.

Quòd autem Cain fuerit primogenitus Diaboli, & primus hæresiarcha, testatur expresè Paraphrasis Hierosolymitana in cap. 4. Genes. num. 8. circa illa verba, *dixitque Cain ad Abel fratrem suũ, egrediamur foras.* [Cùmque egressi essent ambo in agrum, respondit Cain: (idest, sic exorsus est loqui) non est iudiciũ, nec iudex, nec sæculum aliud, nec merces bona pro iustis, nec pœna pro impijs: nec Dei misericordia creatus est mũdus, &c.] Attende blasphemum hæresiarcham: & vide, quàm pestiferum venenum innocentissimo Abeli faucibus afflare moliretur. Atque ab hoc Hæresiarcha prosemi- 164
natos fuisse hæreticos quosdam, qui Cainí, sive Cainani cognominarentur, auctores sunt Philaster de Hęresibus cap. 58. Irenæus lib. 1. cap. 35. Theodoretus lib. 1. Hæreticarum fabularum, Epiphanius hæresi 38.

Et errore Balaam mercede effusi sunt.

165 VNo verbo complexus est Beda sensum huius loci. [Errore Balaam effusi sunt, qui pro amore terrestrium commodorùm, veritatem, quam ipsi norunt, impugnant.] Est autem *effundi*, laxàs habenas cupiditati remittere. Lege Delriũ ad illa Genes. 49. num. 4. *effusus es, sicut aqua.*

Sed pro clariore horum verborum expositione, sciendum est, Balac Moabitarum Regem, cùm Hebræorum arma formidaret, ad Balaam hariolum, quasi ad sacram anchoram, confugisse. Erat hic, ut scribit Augustinus sermone 103. de Tempore, [Famosissimus in arte Magica, & in carminibus noxijs præpotẽs. Nisi enim experimenta plurima præcessissent, quòd frequẽter maledictis hostẽ vertisset armatum, non utique præsumpsisset Rex, hoc posse fieri sermonibus, quod ferro, & acie

vix posset.] Legavit ergo ad eum Rex seniores, & maiores natu, habentes pretium divinationis in manibus, Numerorum 22. num. 7. qui illi suo nomine renũtiarent: *Veni, & maledic populo huic, quia fortior me est. Mercedem itaque iniquitatis amavit: correptionem verò habuit suæ vesaniæ subiugale mutum animal hominis voce loquens*, 2. Petri 2. num. 15.

166 Igitur cùm omnino persuasum haberet, populum illum, non nisi à Deo propter peccata destitutum vinci posse, Regi consilium dedit, Numerorum 24. nu. 14. *Dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat.* Et quanvis eo loci non explicet hoc consilium sacer textus, alibi tamen explicuit, & Iosephus libro 4. Antiquit. cap. 6. disertis verbis exposuit. [Si brevem victoriam de illis consequi quæritis, hoc consilio voti compotes efficiam. Filiarum formosissimas, quę pulchritudine sua spectantium castitatem expugnare possint, quantùm fieri potest, cultas, ac ornatas mittite, ut prope castra obversentur; & ubi cupidine captos viderint, se proripiant: cùmque rogatæ fuerint, ut maneant, non annuant, nisi persuasis, ut relictis patrijs legibus, & cultu Dei, Moabitarum Deos venerẽtur: sic enim Deum iratum sibi reddent.] Eadẽ prodit Theodoretus quæst. 45. in Numer. & in eo libro cap. 31. num. 15. sic ait Scriptura. *Cur fœminas reservastis? Nõne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, & prævaricari vos fecerunt?* Et Apocalyp. 2. num. 14. *Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filijs Israel, edere, & fornicari.*

167 Enim verò etiam citra Dei offensam, quã incurrentes Hebręi cęlesti robore, ac præsidio nudati sunt, pernicioſissimum sanè fuit Balaami consilium: nihil enim ita retundit robur militare, nihil sic nervos virtutis incidit, ac libido. Castra dicta sunt, auctore Isidoro lib. 9. Etymol. c. 3. quem plerique sequũtur apud Biscıolam lib. 4. Horarum subcessivarum cap. 12. [Castra, quasi casta: nam nunquam ijs intererat mulier.] Congruenter cecinit ille alter.

Castra peto, valeatque venus, valeantque puellæ.

Lipsius lib. 5. de Militia Romana Dialogo 18. recitat hanc Germanorum legem.

Non erit in nostris nobiscum fœmina castris:
Qui reus extiterit, spolijs nudatus abibit
Turpiter, & naso mutilabitur illa resecto.

168 Tertullianus in exhortatione ad castitatem cap. 12. tanquam omnino certum ponit, milites castè vixisse. Apud Romanos quidem, ut auctor est Dio, lib. 60. & Cornel. Tacit. lib. 14. Historiarum, milites etiam uxores habere legibus vetabantur: legis causam affert lib. 3. [Inesse enim mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur.] Sed est insignis locus apud Valerium Maximum lib. 2. cap. 7. [Exhausta erubescenda sentina scortorum è castris Scipionis, Romanus exercitus, qui paulò antè metu mortis turpi se fœderis macula asperserat, erecta virtute, acrem illam, & animosam Numantiam incendijs exustam solo æquavit.] Vides Romanos milites enervatos libidine? Vides rursus castitate confirmatos, & erectos?

Et in contradictione Corè perierunt.

169 Recte item exponit Beda. [Contradictione Corè, qui vivus ad inferna descendit, intereunt, quicumque appetitu indebiti primatus se se ab unitate sanctæ Ecclesiæ secernunt.] Nota est ex libro Numerorum cap. 16. seditio adversus Moysen, & Aaronem concitata, cùm Corè, qui erat de tribu Levi, summum Sacerdotium affectaret, atque adeò non solùm animo, sed re ipsa audacter iam præsumeret: ibi numero 10. *Ve vobis etiam Sacerdotium vendicetis*: Dathã verò, & Abiron dominatum in totum populum occupare per tyrãnidem molirentur:

dirupta

dirupta namque est terra sub pedibus eorum, numero 32. *& aperiens os suum devoravit illos, descenderuntque vivi in infernum.*

Simili fastu omnes hæretici turgent; similes apud inferos luent pœnas. Sapienter enim Irenęus libro 4. cap. 43. [Qui exurgunt contra veritatem, & alteros adhortãtur adversus Ecclesiã Dei, remanẽt apud inferos voragine terrę absorpti.] Cyprianus verò Epistola 65. ad Rogatianũ: [Qui ausi sunt superbire, & cervicem suã extollere, & Sacerdoti Præposito se adæquare, hiatu terræ absorpti, ac devorati pœnas statim sacrilegæ audaciæ persolverunt, ut probaretur, Sacerdotes Dei ab eo, qui Sacerdotes fecit, vindicari.]

170 Notabile documentum, quo discimus, multò acerbiores, & atrociores pœnas dare, qui in Dei ministros iniurioši, contumaces, ac rebelles extiterunt, quàm qui propriè in Deum ipsum aliquod facinus perpetrarunt. Etenim in Idolatras, qui vitulum aureum adoraverant, gladio animadvertere satis habuit Deus, Exod. 32. numer. 28. At in seditiosos istos ignis sævus exarsit, vivosque terra dehiscens repentè deglutijt, horrẽdo spectaculo, æternis flammis comburendos. Observat hoc Chrysostomus in illud Apostoli ad Hebręos 13. numero 17. *Non gementes*: [Gemitus (inquit) Prælati ob inobedientiam subditi, invocat Dominum, qui severiùs ulciscatur. Papę, quantum periculũ!] Et Chrysostomi sectator Theophilactus ibidem: [Nisi correxeris inobedientiam tuã, ingemiscet adversum te ad Deum; quod maiorem pœnę, ac supplicij pyram accendit, acriùs vindicẽ, & punitorem Deũ permovens.] Lege Interpretes in ea verba Psalm. 105. num. 17. *Irritaverunt Moysen in castris.*

171 Editur verò hîc à Beato Iuda maximè propria Hęreticorum nota: omnes primatum affectant, imperiumque in cæteros arripiunt, 3. Ioannis num. 9. Sic Apostolus hæreticum quemdam notat, ac designat: *is, qui amat primatum gerere.* Vbi semel hæc pestis animum occupavit, vix ullum fidei locũ relinquit. Elegãter Lactantius lib. 7. Divinarum Institutionum cap. 1. [Qui ambitione inflati, aut amore potentiæ inflammati, omne studium suũ ad honores acquirendos contulerunt, nec si Solem quidem ipsum gestemus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ, quæ illos iubet, omni potentia, & honore contempto humiles vivere.] [Diversis locis (inquit Augustinus tom. 9. lib. de Pastoribus cap. 8.) sunt diversæ hæreses, sed una mater superbia omnes genuit.] Itaque rectè ab eodem Sancto definitur hæreticus tom. 6. lib. de Vtilitate credendi cap. 1. [Qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatusque gratia, falsas, ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur.] Hoc Ecclesiastica tota testatur, & exemplis confirmat historia. De Valentino hæresiarcha scribit Tertullianus libro adversus Valentinianos cap. 4. [Speraverat Episcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat, & eloquio: sed alium ex martyrij prærogativa, loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulę abrupit.] Sed ne in re perspicua multus sim; pete plura exempla è Bellarmino tom. 1. lib. 4. de Notis Ecclesiæ capite 13.

Numerus 12.

Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes.

HÆreticorum ingluviem, ac voracitatem carpit: gurgites isti, ac heluones, nati abdomini suo, non solùm in tenebricosis popinis, atque gurgustijs ventrẽ inferciunt; sed cùm templa etiam frequẽtant, intrepidè, securè, ac sine ullo pudore in omne se ciborum genus ingurgitãt, maioribusq; poculis se lacessunt. 172

Gagneius hîc, & ab eo mutuatis Magallanes ad Titum 2. vers. 1. ita Græca

reddiderunt. *Hi sunt in convivijs vestris, tanquam confragosa in mari saxa, & cavernosæ rupes, vobiscum intrepidè convescẽtes.* Ego quidẽ etsi nõ diffiteor, *spilades* rupes significare, delitescentes sub aquis pelagi, & naufragij periculũ creantes; hisq; egregiè hęreticos denotari, ad quos, tnaquam ad saxum, qui imprudentes adhærescunt, fidei naufragium miserabiliter faciunt; tamen multò melius Interpretem vertisse, ad veritatẽ mihi persuadeo. Primò, quia illi ipsi, qui occasionem sępe captant ab Interprete desciscendi, Erasmus, Vatablus, Isidorus Clarius, Tigurina, & Arias Montanus, hîc cum eo mirificè consentiunt.

173 Deinde, quia nomen alterum affine, scilicet *spilos*, quod maculam item significat, & saxum, huic ex æquo respondens apud Petrum, certum est ex altero nomine ibidem adiuncto, serieque tota contextus, non cavernosas rupes, sed labes, ac sordes significare. 2. Petri 2. numer. 13. *Coinquinationes*, (Græcè, *spili*) *& maculæ, delicys affluentes, in convivijs suis luxuriãtes.* Eodemque sensu usurpatur ab Apostolo vox *spilos*, ad Ephes. 5. num. 27. *Non habentem maculam*: & compositum *aspilos*, hoc est, immaculatus, 1. Timoth. 6. numer. 14. & in hac ipsa Epistola Iudę num. 23. dicitur *maculata tunica*, Græcè *espilomenon.*

174 Denique in spurcissimos Borboritas omni libidinum cœno inquinatissimos, nomen labis, & maculæ aptissimè quadrat. Lege, quæ adnotavi suprà ad illa verba numer. 4. *Transferentes in luxuriam*: & num. 8. *carnem quidem maculant.* Nũc accipe, quæ de istorum convivijs scribit Epiphanius hæresi 26. [Larga, & opipara edulia, carnis esum, & vini potum apponunt: ex hoc ubi compotarunt, & venas satietate impleverunt, ad œstrum se convertunt.] Pudet recitare, quæ deinceps adiungit Epiphanius. An non isti turpissimæ, ac sordidissimę maculæ merito nominentur?

Est autem illud observatione dignissimum, apud Epiphanium commaculatos istos Borboritas etiam turpificato suo cõvivio, vel potiùs obscœnæ luxuriæ, plausibile charitatis, ac dilectionis nomen, quasi velum quoddam, obtendisse. Subest enim in Epiphanio Græca vox *agape*, quã hîc usurpat Iudas: & quanvis propriè significet charitatem; Latinus tamen Interpres apud Petrum, *convivium*; hîc verò *epulas*, scientissimè vertit. Augustinus tom. 4 libro de Fide, & operibus cap. 25. legit, *in dilectionibus vestris.* Regia retinet Græcam vocem *in Agapis.*

Atque ut convivium convivio, & charitatem charitati, hoc est, adumbratę, fucatæ, & libidinosę, solidam, castam, & tẽperantem opponamus, adscribam aurea Tertulliani verba in Apologetico cap. 39. [Cęna nostra de nomine rationem sui ostendit: vocatur enim *agape*, id quod dilectio penes Græcos est. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est, pietatis nomine facere sumptum: siquidem inopes quoque refrigerio isto iuvamus. Nihil vilitatis, nihil immodestię admittit: non priùs discumbitur, quàm oratio ad Deũ prægustetur: editur, quantum esurientes capiunt: bibitur, quantum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meminerint, etiã per noctem adorandum Deum sibi esse: ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire: æquè oratio convivium dirimit.] Atque hæc est illa dominica cæna, cuius meminit Apostolus 1. Corinth. 11. num. 18. à Sanctis Patribus *agape* iure optimo vocata: de qua eruditissimè noster Iustinianus in Commentario illius loci, & Baronius tom. 1. ann. Christi 57. à cap. 103. usque ad 111. Bellarm. lib. 5 de Eucharistia, qui est primus de Sacrificio Missæ, c. 1. Maldonatus Matth. 26. num. 26. Lorinus Actuum 2. num. 46. 175

Simile quidpiam extitit apud Romanos, minùs in hac parte hæreticis impuros: scribit enim Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. [Convivium etiam solenne Maiores instituerunt, idque Charistia appellaverunt, cui præter cognatos, & affines 176

nemo

nemo interponebatur: ut si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur.]

Nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur.

177 TRes itẽ his paucissimis verbis edũtur Hęreticorũ notę. Prima est, intolerãtissima superbia, qua instar levissimarum nubium in altum extolluntur: videlicet non ab Spiritu divino impositò, sed à se ipsis insolenter assumpto magisterio. Iob 11. num. 12. *Vir vanus in superbiam erigitur*: quemadmodùm nubes sine aqua altiùs elevantur. Vanus Hebraicè dicitur *nabub*. Vertit Tigurina, *vir inanis*. Pagninus, *vacuus*. Regia, *concavus*. Ille scilicet, qui nihil intùs habet soliditatis, sed turgidus, & inflatus mera vanitate tumet. Subest idẽ verbũ, ubi describitur altare, Exod. 27. n. 8. *Non solidum, sed inane, & cavũ intrinsecùs facies illud*. Graviterq; Hieronymus citans ea verba 2. Petri 2. num. 18. *Superba enim vanitatis loquentes*, lib. 1. contra Iovinianum ait. [Descripsit sermo Apostolicus Iovinianum loquentem buccis tumentibus, & inflata verba trutinantem.] *Est os Hæreticorum loquens ingentia*, Danie. 7. nu. 8. *Os loquens magna, & blasphemias*, Apoc. 13. n. 5. *Os eorũ loquitur superba*, in hac Epistola num. 16. Sic Simõ dicebat, se esse aliquem magnum, Act. 8. num 9. &, ut ibi refert Lorinus ex Hieronymo in cap. 24. Matthæi, arrogantissimè asserebat. *Ego sum sermo Dei, ego Paracletus, ego omnipotens, ego omnia Dei*. Vide ventosissimam, & inanissimam nubem.

178 Secundò, cùm vapores cogantur in nubes ad terram irrigandam, præcones divini verbi nubes fœcundissimæ sunt, Isai. 60. n. 8 & verbũ ipsum in arcano sermone pluviæ comparatur. Deuteron. 32. numero 2. Eccles. 39. num. 8. Isai. 55. nu. 10. Iob. 29. num. 22. ad Hebræos 6. num. 7. At Hæretici *nubes sunt sine aqua*. Quadrat mirificè in eos illud Proverb. 25. nu. 14. *Nubes, & ventus, & pluviæ non sequentes*. 2. Petri 2. n. 17. *Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ*.

Tertiò denique inanissimæ istæ nubes, inconstantiæ flatibus impulsæ, leviter huc illuc circumferuntur. Quo symbolo Hæreticorum mutabilitas sapientissimè denotatur. Subest eadem vox *nephelæ*, id est, nubes, apud Petrum: sed Vulgatus *nebulas* ibi scientissimè reddidit, quia nubes istæ cum steriles sint, & inanes, ac nullo pluviæ rore fœcundentur, in obscuras degenerant nebulas, quæ luci solis officiunt, terrę́que caliginem offundunt.

Hic ego vęl ipsos Hęreticos testes, ac 179
iudices appello: ipsa enim veritas etiam ab invitis confessionem extorquebit, quanta fluctuent inconstantia, quàm turbulentis inter se dissidijs digladientur, quàm sæpe ijdem non modò diversa, verùm etiam pugnantia, doceant. Scitè respondisse fertur Dux Saxoniæ Federicus, nosse se, quid tunc crederent Lutherani; quid anno sequente crediturі essent, divinare non posse. Vide Lorinum 2. Petri 3. num. 16. Prótheos quidem illos, Chamæleontes, Euripos meritò appellaveris; aut si quid aliud est, quo tantam possis exprimere levitatem. Fluctuantes circumferũtur omni vento doctrinæ, ad Ephes. 4. numero 14. Sapienter ait Tertullianus libro de Prescriptionibus cap. 42. [Mẽtior, si non etiam à regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur, quę accepit, quemadmodùm de suo arbitrio ea cõposuit ille, qui tradidit.] Vide Irenęum lib. 1. cap. 5. & Hilarium lib. 7. de Trinitate.

Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ.

180 COmmunis hęc est omnium Hęreticorum nota. Fucata pietatis specie imperitorum tenent oculos, inanesq́ue vulgi rumusculos consectantur. Sed

omnis illa ostentatio virtutis nihil est, nisi larva, atque præstigiæ; re ipsa sunt homines profligatissimi, desperatissimique.

Solent Prophetæ comparare impios amænissimæ arbori, quæ florum venustate, foliorum tegmine, fructuumque ubertate ornata, in sublime exurgit: ut cùm mox repentè succiditur, quàm caduca sint humana omnia, & quàm citò defloreſcãt, agnoscatur. Mundus enim arridet, ut sæviat; extollit, ut deprimat; blanditur, ut fallat. Danie. 4. à numero 8. usque ad 12. Psalm. 36. n, 35. Ezechiel. 17. num. 24. Hæretici verò, etiam tunc cùm amænissimè florent, flores illi meræ præstigiæ sunt: arbores sunt autumnales, quæ non primo vere, ut frugiferę solent; sed intempestivè, extremo scilicet autumno, flores emittunt; qui mox decutiuntur ineuntis hyemis asperitate, ipsæque arbores, tanquam omnino steriles, ignibus addicuntur.

181 Vocantur autem *bis mortuæ*, quia primò emoriũtur, cùm nullum iam fructum proferunt; deinde cùm ferro excisæ, aut radicitus evulsæ, in ignem conijciuntur. Matth. 3. num. 10. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Sic Hæretici semel moriuntur, cùm unà cum fide gratiam amittunt: incurrunt verò simul secundam mortem, id est, reatum pœnę sempiternę, cùm Divina sententia perculsi flammis illis ultricibus adiudicantur, velut sarmenta è vite pręcisa, quæ igni traduntur, & ardent, Ioannis 15. num. 6. Hæc est illa mors secunda toties intentata in Apocalyp. c. 20. num. 14. *Missi sunt in stagnum ignis: hæc est mors secunda.* & cap. 21. num. 8. *Pars illorum erit, in stagno ardenti igne, ac sulphure, quod est mors secunda.*

182 Sunt denique arbores eradicatæ, quæ nullam prorsus spem aliquando revirescendi relinquũt. *Lignum enim habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami eius pullulant*, Iob 14. numero 7. secùs verò, si fuerit radicitus evulsum. Vt plurimũ Hæretici, sic offendunt, ut penitus cadãt, ad Romanos 11. num. 11. *Cadet superbus, & corruet*, Hier. 50. num. 32. *Qui non crediderit, condemnabitur*, Marci 16. num. 16. *Imò qui non credit, iam iudicatus est*, Ioannis 3. num. 18.

Numerus 13.

Fluctus feri maris, despumantes suas confusiones.

183 FEri epitheton non mari, sed fluctibus adiacet, ut perspicuè constat ex Gręco. Amphibologiam vitavit Tigurina. *Undæ efferæ maris despumantes sua ipsorũ dedecora.* Editio Syriaca. *Fluctus vehementes maris.* Insignis hîc editur ab Apostolo Hęreticorum nota. Non secùs ac fluctus horribiles, sæva ventorum tempestate concitati, Hæretici turbulenti sunt, factiosi, ac seditiosi: ubique tragœdias excitant, omnia perturbãt, cælo terram miscent, terra cælum. Eleganter has humani generis pestes, Ecclesiæ furias, regnorum faces, vel potiùs ardentes Inferorum tedas, depingit testis oculatus Perpinianus Oratione 8.

184 Verùm decumani isti fluctus, qui terram absorbere, & cęlo ipsi ruinam minitari videntur, brevi intervallo dispulsi, in graciles spumas evanescunt. Proverbiorum 10. num. 25. *Quasi tempestas transiens non erit impius.* Eccles. 40. num. 13. *Sicut tonitruum magnum in pluvia, personabunt.* Quàm horribilem sonitum, quàm stupendum fragorem edit tonitruum ingens, è nubibus disploſum? Ast ubi repentino illo fulgore perstrinxit oculos, sonitus etiã prætervolat momento aures, admiratione obstupefactas. Sapienter Beda in huius Epistolæ Commentario. [Perversi doctores fluctus feri sunt in semetipsis inquieti, tumidi, tenebrosi, & amari: pacem Ecclesiæ semper impugnare non cessant; sed instar tumentium undarum, quantò altiùs se superbientes attollunt, tantò ampliùs confusi, quasi in spumas leviſsimas dissolvuntur.]

185 Similis locus est Isaiæ 57. num. 20. *Impij autem, quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum.* Nunquam Hæretici, quasi mare sæviſsimis vētis agitatum, quiescere possunt; novarum rerum fluctus assiduè volvūt, procelloſasque in Ecclesiam tempestates excitant. [Quemadmodùm marini fluctus (inquit Hieronymus in cap. 57. Isaiæ) revolvuntur ad littora, atque iterum resorbentur, & in se fracti lutum efficiunt, quod pedibus conculcatur; sic impij æternæ conculcationi subiacebunt.]

186 Hoc nimirum est, suas confusiones despumare. Sicut enim fluctus ad terram allisi feriunt stabilitatem littoris, ibique confracti spumas agunt, ac in se ipsos revoluti littus quidem lavant, ipsi tamen lutum inter spumas, sordesque trahunt: sic stat Ecclesia, velut altissimis defixa radicibus rupes, cuius summa fluctus Hęreticorum ne attingunt quidem, infima sic verberāt, non ut eam commoveant, aut stabile littus quoquomodo labefactent, sed illud potiùs eluant, ipsique spumis, ac sordibus lutulenti, immundique frangantur. Neque ab hac confusione abludit, quod observat Glossa in illa verba 2. Petri 2. numero 17. *Hi sunt fontes sine aquæ.* [Vbi fons est, inquit, sine aqua, ibi lutū & erroris, & peccati: nec lavat, sed coinquinat.]

Sydera errantia.

187 *Mali homines, & seductores* (inquit Apostolus 2. Timoth. 3. num. 13.) *proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes.*

Existimat Caietanus, nullatenùs intelligendas esse hìc stellas errantes, cælestibus infixas orbibus, quas Planetas dicimus, quoniam regulares, & constantes sunt earum motus; sed impressiones, & exhalationes igneas in aere generatas, quas Aristot. 1. Meteororū, *stellas discurrentes* vocat: quibus aptè significantur Hæretici, ut non solùm varius, & instabilis, sed momentaneus etiam illorum splendor denotetur.

188 Et quidem Apocalyp. 8. num. 10. & cap. 9. num. 1. ubi dicuntur stellæ de cælo cecidisse, id est, impressiones inflammatæ, quemadmodùm de Phaetonte loquitur Ovid. 2. Metamorph.

Volvitur in præceps, longoque per aera tractu
Fertur, ut interdum de cælo stella sereno,
Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri.

Ibi stellarum nomine Hæresiarchas interpretatur Viegas in cap. 8. Apocalyp. sect. 11. & Bellarminus in oratione habita in Scholis, tomo ultimo præfixa, elegāter comparat cum decidua stella Lutherum. Quid enim aliud est, stellam de cælo cadere, nisi hominem cælesti vitæ addictū, à terra longissimo intervallo remotum, sacri cęlibatus splendore, ac puritate micantem, subitò ad terrenas delicias delabi, mortali coniugio implicari, in carne, & sanguine volutari?

189 Verùm hanc Caietani explicationem refellit textus Græcus, quem ipse solet unicè admirari. Vocantur enim Græcè, *asteres planetæ.* At nullus, quem sciam, dixerit, aereas istas faculas, subitò ardescentes, planetas nominari. Et quanvis verissimum sit, quod de septem planetis scribit Plinius lib. 2. cap. 6. [Septem sydera ab incessu vocamus errantia, cùm errent nulla minùs illis.] Tamen, quia non eūdem semper tramitem tenent, non eumdem semper ortum, & occasum habent, & modò ocyùs, modò tardiùs circumaguntur, aptissima sunt levitatis, ac inconstantiæ symbola. Eccles. 27. num. 12. *Homo sanctus in sapientia manet, sicut Sol: nam stulti, sicut luna, mutatur.* Exponit hoc copiosissimè Beda. [Sydera errantia, quæ sunt septem, nunquam in eodem loco, ubi pridie fecerant, ortum, vel occasum faciunt; sed modò ad infima Zonæ brumalis descendunt, modò ad alta Zonæ solstitialis ascē-

dunt;

dunt; modò mediam Zonæ æquinoctialis lineam repetunt. Sic nimirùm, sic sunt Hæretici.] Sed de Hæreticorũ inconstantia satis multa super illa verba numeri 12. *Nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur.*

Quibus procella tenebrarum servata est in æternum.

EXposui hæc verba suprà, dum explicarem illa numeri 6. *Vinculis æternis sub caligine reservavit*: contulique cum illis 2. Petri 2. num. 17. *Quibus caligo tenebrarum reservatur.*

Numerus 14.

Prophetavit autem & de his septimus ab Adam Enoch, dicens.

190 IAvit Enoch septimus ab orbe condito Patriarcha, cuius generationis series contexitur à Moyse cap. 5. Genesis. Adam enim genuit Seth; Seth autem Enos, Enos Cainan, hic autem Malaleel, & hic Iared, qui fuit pater Enoch.

De Enoch affirmat Apostolus ad Hebræos 11. num. 5. *Quòd testimonium habuit, placuisse Deo.* Extat hoc testimoniũ Genesis 5. num. 24. *Ambulavitque cum Deo.* Vbi observãdum est, ambulare cum Deo, seu, quod idem est, coram Deo, idiomate Hebraico idem prorsus esse, ac piè, sanctèque vivere, atque adeò placere Deo. Nam, ut eisdem penè verbis sapientissimè prodiderunt Augustinus in Soliloq. cap. 14. & Boethius libro 5. de Cõsolatione Philosophica, prosa 6. [Magna nobis indicta est necessitas probitatis, qui cuncta facimus ante oculos iudicis cuncta cernentis.]

191 Sed agè, huius notabilis Hebraismi luculenta exempla proferamus. Verba illa Genesis 5. num. 24. *Ambulavitque cum Deo*, scientissimè transtuletunt LXX. *beneplacuit Deo*: & Ecclesiasticus, cap. 44. num. 16. *Enoch placuit Deo.*

Sic Genesis 6. nu. 9. *Noe cum Deo ambulavit.* Vbi etiam LXX. reddiderũt. *Noe placuit Deo.* Et cùm ipse Deus vellet, Abrahamum ad eximiam, & excellentem virtutis ideam informare, hæc illi tradidit præcepta vivendi, Genesis 17. num. 1. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Vbi etiam LXX. *Complace coram me, & esto inculpabilis, seu irreprehensibilis.* Quod vertit Vulgatus secutus LXX. Psalm. 114. nu. 9. *Placebo Domino in regione vivorum*, Hebraicè legimus, *ambulabo corã Domino.*

Mirabile sanè est, quod de Enoch refert Irenæus lib. 4. cap. 30. [Enoch sine circumcisione placens Deo, cùm esset homo, Dei legatione ad Angelos fungebatur.] Nam ad quos tandem Angelos, tanquam Dei nuntius, & interpres legaretur? Ad cælestes ne illos spiritus, qui clara Dei visione fruebantur, mortalis homo mandata perferret? an ad apostatas Angelos, ut mox insinuat Irenæus? Sed sciendum est, Angelorum nomine Principes viros intelligi, quorum ne farias libidines sub nomine *filiorum Dei* Moyses describit Genesis 6. num. 2. ad quos monendos, & à flagitijs revocandos, nuntius, ac præco amandatus fuerit Enoch. Lege Commentarium Feuardentij in Irenæum. 192

Enim verò cùm iam Enoch sexagesimum quintum supra trecentesimum annum ageret, *non apparuit, quia tulit eum Dominus*, Genes. 5. num. 24. *Translatus videlicet est, ne videret mortem*, ad Hebræos 11. num. 5. Et, ut scribit Irenæus loco indicato, [Conservatur vivus usque nunc, testis futurus Iudicij Dei.] Hanc autem Catholicam veritatẽ, quę Enoch docet adhuc esse superstitem, ex verbo Dei expresso, & ex perenni, atque orthodoxa Sanctorum Patrum traditione demonstrant eruditissimi viri; Maluenda libro 9. de Antichristo cap. 1. Feuardentius in Irenæum lib. 4. cap. 30. Ribera ad Hebræos 11. num. 16. Suarez tom. 2. in 3. P. disp. 55. 193

sect. 2.

sect. 2. Lorinus Sapientiæ 4. versu 10. Viegas in cap. 11. Apocalyp. Commentario 5. sect. 4. Tena in cap. 11. ad Heb. difficultate 4. sect. 2.

194 Sed ubi nam ille degat, paucis abhinc annis Patrum nostrorum memoria cœptum est in dubium revocari ab Eugubino, nonnullisque alijs, qui eius opinioni subscripserūt, existimantes, aquarum eluvione, qua obrutus est orbis terrarū, abolitum simul, & penitus vastatum fuisse terrestrem Paradisum. Mihi constans, atque perpetua Sanctorum sententia placet, in eum Paradisum translatum initio fuisse, iuxta id Ecclesiast. 44. numero 16. *Enoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det Gentibus pœnitentiam*: & in eodem Paradiso etiam num Divinitus conservari. Totum hoc argumentum tractavit Maluenda in libro de Paradiso cap. 87. tam eruditè, atque copiosè, ut nihil suprà: ubi non modò citat Patres, sed Recentiores etiam omnes Scripturarum Interpretes: quare hoc etiam labore lubens supersedeo.

195 Iam quod ad hāc prophetiam attinet, quam ex Enoch laudat Iudas, quibusdam pronuntiatis aperiam sententiam meam. Censeo primò, convinci non posse ex isto loco, hanc prophetiam fuisse ab Enoch aliquo libro expressam, & litterarum monimentis consignatam; ac non potiùs sola traditione apud Iudæos custoditam, & veluti per manus à Maioribus ad posteros traductā. Sic enim recitat Paulus Actuū 20. num. 35. verba illa Christi, *Beatius est magis dare, quàm accipere*, à nullo Evangelista scriptis prodita, sed sola traditione accepta. Et 2. Timoth. 3. num. 8. edit nomina Magorum, qui Moysi restiterunt, nusquam aliàs in sacris litteris memorata. Vide Serarium hîc, Michaelem de Medina lib. 6. de recta in Deum Fide, cap. 24. & Iustinianum disp. 2. de Epistolis Apostolicis cap. 2. num. 5.

196 Secundò existimo, vero similius esse, sacra quædam monumenta litteris consignata Enoch ad posteros transmisisse, unde hoc vaticinium Apostolus deprompserit. Hoc pronuntiatum evincit assensus priscorum Patrum. Augustinus ait lib. 15. de Civitate cap. 23. [Scripsisse nonnulla divina Enoch, illum septimum ab Adamo, negare non possumus.] Origenes etiam homi. ultima in Numeros, testatur, Enoch scripta quędam prophetica posteris reliquisse. Id ipsum probat ex professo acerrimus assertor Prophetiarum Enoch, Tertullianus libro de Habitu muliebri, toto cap. 3. ubi contendit, ea monumenta asservata fuisse in arca ab eluvione mūdi, aut posteà afflatu Spiritus Sancti à Noe memoriter redintegrata. His adstipulantur Hieronymus in libro de Script. Ecclesiasticis, & in cap. 1. Epistolæ ad Titum, Clemens Alexādrinus lib. 6. Stromatum, Didymus, & Beda in Commentario huius loci, Athanasius in Synopsi, & Procop. Gazæus in cap. 38. Geneseos.

Existimo tertiò, librū istū Canonicum 197
Enoch iniuria temporum intercidisse, & iam tunc non extare, cùm Iudas hanc Epistolam scribebat, sed Apostolo vaticinium hoc, aut traditione Maiorum, aut Spiritus Sancti revelatione innotuisse. Si enim eo tempore extaret hic liber, fuisset haud dubiè valde nobilis, celebrisq; apud Iudæos, tum propter auctoris antiquitatem, & famam, tum quòd in eo libro res admodùm memorabiles, & admirabiles continerentur. Quare, ut doctè argumentatur Pererius tomo 1. in Genesim lib. 7. quæst. 6. & Torniellus anno Mundi 623. aliquam eius libri mentionem reperiremus apud Philonem, aut Iosephum, diligentissimos, atque curiosissimos antiquitatum Iudaicarum Scriptores. Et quidem 198
generatim multos sacros libros interijsse, multa veteres scripsisse Prophetas, quæ non extant, ex Regum historia manifestè convincunt Pineda in Salomone libro 1. cap. 1. n. 3. Torniellus anno Mundi 2583. numero 12. & Serarius in Prolegom. cap. 8. quæstiuncula 14. Vnde verba illa, quæ ab Evangelista Matthæo cap. 27. numero 9. citantur ex Hieremia, cùm tamē

apud

apud Hieremiam nusquam reperiantur, iure affirmant Turrianus lib. 2. pro Epistolis Pontificijs cap. 13. & Serari. 2. Machab. quæstiuncula 20. sumpta esse ex aliquo, qui interciderit, Hieremiæ libro. Nominatim enim Hieremiam alios, præter eos, quos habemus, scripsisse libros, expressè legimus 2. Machab. 2. num. 1.

199 Censeo quartò, Enochi librum à tanto Propheta syncerè scriptum, fabulis posteà respersum, erroribusque contaminatum, sive à Iudæis, sive ab Hæreticis, in vulgus editum fuisse, adulterinumque partum pro vero, genuinoque suppositum. Moveor, quia in libro Enoch, quem Veteres citaverunt, multa fabulosa continebantur, quæ Prophetam Spiritu Sancto afflatum scripsisse, nefas est existimare. Refert enim Origenes, in eo multa falsa, & superstitiosa contineri de nominibus, & occultis virtutibus stellarum, de Gigantibus ex Angelorum commixtione cum mulieribus procreatis, de calidis lacrymarum fontibus ex Angelorum ocu-
200 lis profluentibus. Quare liber ille Enoch, ut apocyphus, à Patribus reijcitur: disertèque affirmat Augustinus, multa fuisse in illo depravata, sicut videmus etiam Canonibus, & Cõstitutionibus Apostolorum similem calamitatem accidisse. Augustini verba sunt libro 15. de Civitate Dei, cap. 23. [Vnde illa, quæ sub eius nomine proferuntur, & continent istas de Gigantibus fabulas, quòd non habuerint homines patres, rectè à prudentibus iudicantur, non ipsius esse credenda: sicut multa sub nominibus & aliorum Prophetarum, & recentiora sub nominibus Apostolorum, ab Hęreticis proferũtur.] Et lib. 18. cap. 38. [Proferuntur quædam, quæ ipsorum esse dicuntur, ab eis, qui pro suo sensu passim, quod volunt, credunt: sed ea castitas Canonis non recepit. Non quòd eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur auctoritas; sed quòd ista esse non credantur ipsorum.]

201 Quintò denique existimo: etiam si Beatus Iudas hausisset hoc vaticinium ex apocrypho illo libro, iam vitiato, ac depravato, quòd Apostolo certa revelatione constaret, vaticinium immune omnino, illibatum, & integrum extare, ut ab Enoch scriptis proditum est; nullam propterea cæteris commentis malitiosè adspersis auctoritatem conciliaret; nihilque inde fuisse depromptum, ipsius vaticinij sanctitatem, ac certitudinem imminueret. Hæc ultima propositio ex ipsis terminis perspicua est. Neq; enim infallibilis veritatis lux alienis tenebris obsolescere, aut infuscari potest. Lege, quæ adnotavi in prolegomenis, ubi egi de huius Epistolæ auctoritate.

Numerus 15.

Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impij.

202 NOta sententia perspicua est, item ut esse debuit popularis concio, primaque sub initiũ nascentis orbis commemoratio extremi Iudicij, ut Propheta iam tum in vitia ruentibus frænum timoris injiceret. Itaque disertis testatur verbis, Iudicium universale aliquando futurum; describit deinde, qua maiestate, & frequentia stipatus Iudex adveniet: postremò, in quæ præsertim scelera diligenter inquiret, quæ flagitia seriò vindicabit.

203 Tantùm itaque adverto, testatissimum esse in sacris litteris, cùm Christus ad iudicandum veniet, non solùm adfuturum septum, & vallatum Sanctorum millibus, sed omnium etiam cælestium spirituum corona cinctum, & stipatum, ut comitatus ipse divinam Iudicis potestatem,

auctoritatemque ante oculos ponat. Sic enim Regem, alicuius magnæ rei causa in publicum procedentem, omnes Regalis curiæ Magnates, omnes ministri prosequuntur. Ita legit præsentem locum Cyprianus in libro de lapsis ad Novatianum. [Ecce venit cũ multis millibus nuntiorũ suorũm.] Id est, Angelorum. Et Daniel. 7. ubi iudicantis thronus graphicè depingitur, legimus num. 10. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Expresseque Matth. 25. num. 31. *Cùm autem venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.* Zachar. 14. num. 6. *Et veniet Dominus Deus meus, omnesque Sancti cum eo.* Vbi Hieronymus: *Manifestè*, inquit, *de secundo Salvatoris prædicatur adventu.* Isaiæ 3. numero 14. *Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & Principibus eius.* Psal. 49. num. 4. *Advocabit cælum desursum, & terram discernere populum suum: congregate illi Sanctos eius.*

204 Accedit etiam illa ratio, quia Apostolis, & Apostolicis viris peculiari quadam ratione iudiciaria potestas attribuitur, nam in illo die futuri sunt tanquam supremi Iudicis assessores. Matth. 19. numero 28. *Cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Israel.* 1. Corinth. 6. numero 2. *An nescitis, quoniã Sancti de hoc mundo iudicabunt?* Et quasi parum dixisset, adiecit num. 3. *Nescitis, quoniã Angelos iudicabimus?* Lege Suarez to. 2. in 3. Part. disputat. 57. sectio. 4. & Hieronymum Plari libro 2. de Bono status religiosi, capite 17. Imò & Iusti omnes iudicio quodam approbationis impios iudicabunt. Sapientiæ 3. numero 8. *Iudicabunt nationes.* Psalm. 149. numero 9. *Vt faciant in eis iudicium conscriptum:* (id est, divinitus constitutum, atque decretum, & quasi monimentis consignatum, atque adeò nulla unquam oblivione delendum) *gloria hæc est omnibus sanctis eius.* Arguent etiam damna-

tos, palàmque traducent Sancti iudicio comparationis. Nam si *viri Ninivitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam*, Matthæ. 12. numero 41. quid sancti viri facient? quantos in illo publico totius orbis theatro peccatoribus rubores ejicient? Aurea sunt in hanc sententiam Augustini verba in libro Meditat. capite 4. [Tot iudicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono: tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene vivendi exempla: tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos iustis dederunt actionibus.]

Numerus 16.

Hi sunt murmuratores querulosi, secundum desideria sua ambulantes.

206 HAnc etiam Hæreticorum notam Petrus expressit in illa Epistola 2. cap. 3. num. 3. *Iuxta proprias concupiscentias ambulantes.* Est verò atrox, formidandaque, & quolibet alio supplicio longè severior Dei vindicta in peccatores, sinere eos abripi, atque efferri turpissimis cupiditatibus, atque adeò in fœdissima scelera præcipites ruere. Hoc enim est, secundũ desideria sua, & propias concupiscentias ambulare. Psal. 80. n. 12. *Et nõ audivit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi: & dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Act. 14. nu. 15. *Dimisit omnes gẽtes ingredi vias suas:* hoc est, subtrahẽdo efficacem gratiã, permisit eas belluino suo more, & naturę corruptę ritu, ac effrenatarũ cupiditatũ impetu vivere. Passiones enim rabidæ, & indomitæ, si semel excutiãt Rationis iugum, horrendum dictu est, quò se propipiãt, ac proijciant, in quàm immania, ac detestãda flagitia homine præcipitã-

205

agant. Sapient. 4. num. 12. *Inconstantia concupiscentiæ* (Græcè *rembasmos*, circum rotatio, vertigo, turbo) *transvertit sensum*, in gyrum rotat, infatuat, ac dementat. 1. Corinth. 7. num. 31. *Præterit enim figura huius mundi.* Græcè, *parageta.* Explicat Budæus in Commētarijs linguæ Græcæ, *transversos agit.*

207 Sed nullibi relucet magis, quàm sint crudeles belluæ, & in hominem truculentæ, nostræ ipsorum effrænes cupiditates, quàm in cap. 1. Epistolæ ad Romanos. Cùm enim Philosophi illi sciētijs exculti, Deum agnovissent; & non sicut Deum decet, honorem illi detulissent, quia potiùs gloriam incorruptibilis Dei in vilissima, & contemptissima animalcula commutassent, ac proinde quadrupedes bestias, mutosque serpentes pro numine coluissent; eos, quos parū erat, pro tā atroci iniuria Deo illata, acerbissima luere supplicia, ursis, ac leonibus discerpendos, vorandosque tradi; aut fulminibus exanimatos, patefactis terræ claustris, inferorum faucibus absorberi; severiore alia pœna mulctavit Deus, ad Romanos 1. num. 24. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* & num. 26. *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Desideria igitur, cupiditatesque nostræ, quibuslibet truculentissimis feris truculentiores, quibuslibet atrocissimis supplicijs atrociores, & nocentiores nobis sunt.

208 Qui autem suis cupiditatibus efferuntur; qui honoribus, divitijs, voluptatibus ardenter inhiant, si alterum videant eadem consectari, celeriùs antevertere, opportunitatem fruendi præripere; se verò frustrari, ac ludificari; in querelas, & detractiones erumpunt. Psalm. 58. num. 16. *Famem patientur, ut canes: si verò non fuerint saturati, & murmurabunt.* Exempla alia satis idonea murmurationis ortæ ex fraudata concupiscentia, peti possunt Exod. 16. num. 7. Numer. 14. numer. 2. Matth. 20. num. 11. Actuum. 6. num. 1.

Et os eorum loquitur superba.

209 GEnuina est omnium Hęreticorum nota: se ipsos fastuosè venditant, magnificèque iactant; sesquipedalia verba effutiunt; turgida, ac vehementer inflata crepant. Græca vox *hyperonga* sic exprimitur à Regia, *prætumida.* & 2. Petri 2. num. 18. *Superba enim vanitatis loquentes.* Vbi Græcè subest eadem vox. Vertit Hieronymus libro 1. in Iovinianum, *loquuntur verba tumentia.* Erasmus, & Tigurina, *vehementer fastuosa.* Lorinus, *intolerabilia, ac supra modum turgida.* Eamdem vocem usurparunt LXX. Daniel. 11. nu. 36. ubi Vulgatus habet, *adversus Deum Deorum loquetur magnifica.* Editio Vaticana LXX. *loquetur ingentia.* Græcè, *hyperonga.* Id, quod universè impijs attribuit Scriptura: qui ut plurimùm arroganter solent, ac ventosè deblaterare. Psalm. 16. num. 10. *Os eorum loquutum est superbiam.* Psalm. 34. num. 26. *Qui magna loquuntur super me.* Ita correxit Editio Latina castigata: mendosè enim legebatur, *maligna.* Psalm. 37. numer. 17. *Super me magna locuti sunt.* Daniel. 7. numer. 8. *Os loquens ingentia.* & num. 20. *Os loquens grādia.* Apocalyps. 13. num. 5. *Os loquens magna.* Eòdem etiam spectat illud Iacobi 3. num. 5. *Lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat.* Græcè, *megalauchi.* Erasmus, & Vatablus, *magnificè se iactat.* Regia, *magna gloriatur.* Gagneius, *impotenter se gerit.* Sensus enim est: pusilla quidē est linga; sed turgida, & iactabunda, insolentissimè se effert, grandia, ac prętumida fastuosè deblaterat, excitat tumultus, totos sępe populos, & regna, inter se commiscet.

210 Agè verò, non superba modò, atque tumentia, sed plusquàm Sathanica verba Ducum, ac Principum familię Gnosticorum, in quos invehitur Iudas, audiamus. Retuli nonnulla Simonis Magi, suprà numero

211 02

mero 12. ad illa verba, *nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur*: de eodem ita scribit Irenæus libro 1. cap. 20. [Docuit semetipsum esse, qui inter Iudæos quidem quasi Filius apparuerit; in Samaria autem quasi Pater descenderit; in reliquis verò Gentibus quasi Spiritus Sanctus adventaverit: esse autem se sublimissimam virtutem, hoc est, eum, qui sit super omnia Pater.] Luciferum illum superborũ omniũ caput, tam superba de se iactasse nusquam legimus, ut se supremum numen esse diceret; & modò Deum Patrem, modò Filium, modò denique Spiritum Sanctũ, superbissimè se esse asseveraret. Audi etiam plusquàm Thrasonica verba Lutheri, qui inter recentiores Gnosticos familiam ducit: ea recitat Feuardentius in Commentario huius loci. [Hîc sto, hîc glorior, hîc triumpho. Hîc insulto Papistis, & omnibus dictis hominum, quantumlibet sanctorum. Nihil curo, si mille Cypriani, mille Augustini, mille Ecclesiæ contra me starent. Nolo doctrinam meam iudicari à quocumque, nec ab Episcopis, neque ab Angelis omnibus.] Verùm ne portentosis blasphemijs cartas inficiam, qui plura nosse avet de dęmoniaca Lutheri superbia, legat Maluendam lib. 2. de Antichristo cap. 6. 212

Mirantes personas quæstus causa.

213 DVæ simul hîc produntur notæ Hæreticorum: primò enim sunt acceptatores personarum; deinde pecuniarum avidissimi. Sapienter utrumque vitiũ cõiungit Apostolus: quia Hæretici eorum gratiam blanditijs, & lenocinijs aucupantur, à quibus pecuniam se extorquere, & auri vim corradere posse sperant. Eos assentatores isti, palponesque turpissimi magnificis titulis exornant; illos ingeniosos, facundos, ac divinos propemodùm appellant; summum illorum ingenium, fælicissimamque memoriam demirari se fingunt; ad res eximias, atque heroicas natos esse prædicant. Sic assentatiunculis inescatos argento subtiliter emungunt. Verè sunt Hæretici, ut eos vocat Martyr Ignatius Epist. 3. [Alienorum appetitores, pecuniarum rapaces, & quasi vorticęs.] Nã, ut scribit Irenæus lib. 1. c. 1. [Solos illos docent, qui grandem mercedem pro talibus mysterijs præstare possunt.] Idẽ Irenęus lib. 1. c. 9. refert, quẽadmodũ Hęresiarcha quidam Marcus se se blanditijs in locupletissimarum matronarũ gratiam sensim insinuabat, ut aurum ab illis exprimeret. [Maximè circa mulieres vacat; & hoc circa eas, quæ sunt honestæ, & circumpurpuratæ, & ditissimę, quas sępe adducere tentans, dicit blãdiens eis, &c.] Postea subdit, magnam eum hoc artificio divitiarum copiam collegisse.

Quod ad loquendi modũ spectat, imitat⁹ est in hoc loco Iudas LXX. qui, quod Hebraico dicitur idiomate, acceptare personas, solẽt Grękè exprimere, *thaumazin*, id est, *mirari*. Deut. 10. nu. 17. *Qui personã non accipit*. LXX. *non miratur*. 2. Paral. 19. nu. 7. *Non est apud Deum iniquitas, nec personarum acceptio*. LXX. *neque mirari personam*. Proverbiorum 18. numero 5. *Accipere personam impij, non est bonum*. LXX. *mirari personam impij*. Isaię 9. numero 15. qui locus mirificè quadrat in Hæreticos, agit enim de Prophetis docentibus mendacium, *qui beatificant populum seducentes*. Vbi LXX. *qui facies admirantur*. Et Naaman ille Syrus, militiæ Princeps, magnus, & honoratus apud Regem, 4. Regum 5. numero 1. vocatur à LXX. *tethaumasmenos prosopo*; id est, *cuius personam omnes mirabantur*. Pete, si placet, alia exempla ex Pineda Iob 22. versu 8. num. 5. 214

Hanc item avaritiæ; & adulationis notam inusit Hæreticis Apostolus Petrus in illa Epistola 2. capite 2. numero 3. *Et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur*. Eamdem illis paulò antè inusserat Iudas, numer. 11. *Errore Balaam mercede effusi sunt*. Sic Pharisæi orationes longas orantes comedebãt domos vi- 215

duarum, Matth. cap. 23. num. 14. Contrà verò Paulus neque assentationem, neque avaritiam sectatus unquam est. 1. Thessalonicens. 2. num. 5. *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione avaritiæ, Deus testis est.* Græcè, *en prophasi.* Quam vocem vertit Erasmus, Regia, & Tigurina, *prætextum.* Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 20. *causationem.* Propriéque significat colorem aliquem illitum, velumque quasi obtentum prætexendæ cupiditati.

216 Explicat Theophilactus: [Neque pecuniæ amore prædicavimus vobis.] Vatablus. *Neque occasionem divitiarum captavimus.* Gagneius. *Neque prædicando avaritiam ullam prætendimus.* Eamdem Græcam vocem scientissimè reddidit Vulgatus Marci 12. num. 40. *Qui devorant domos viduarum sub obtentu* (Græcè, *prophasi*) *prolixæ orationis.* Et Lucæ 20. n. 48. *Simulantes* (Græcè, *prophasi*) *longam orationẽ.* Et verò usq; eò Paulo sordes illiberales exhorruit; usq; eò gloriatur, se Evangeliũ sine sumptu ponere, 1. Corinth. 9. num. 18. Græcè, *adapanon*, idest, gratuitũ, quodq; nemini sumptui esset; ut vel mori præoptaret potiùs, quàm hanc verè Apostolicam gloriam amittere. ibidem num. 15. *Bonum est enim mihi magis mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet.* Quid autem hęc tam admirabilis rerum humanarum despicientia in auditoribus effecit? imò quid non effecit? Audi egregia verba Simonis de Cassia lib. 9. c. 18. [Audacter dixerim: neque in miraculis Apostoli sæculo ita mirabiles apparuerunt, sicut in contemptu rerum: neque in efficacia verbi tam homines commoverunt ad novitatem vitæ prædicando, quàm bona externa spernendo.]

(?)

Numerus 17. & 18.

Vos autem charissimi memores estote verborũ, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus.

217 LOcus est facilis, ac totidem ferè verbis expressus ex illa Epistola 2. B. Petri cap. 3. num. 2. & 3. & à nobis iam penè totus explicatus, partim in præfatione, dum refellerem hæreticos colligẽtes ex isto loco, B. Iudam Apostolum nõ fuisse; partim, dum exponerem ea verba numeri 4. *Qui olim præscripti sunt in hoc iudicium*: partim denique, dum explicarem illa num. 6. *Secundum desideria sua ambulantes.* Tãtùm restat ad exactam horum verborum intelligentiam, ut quodnam sit *novissimum tempus*, seve, ut Petrus loquitur in illo cap. 3. num. 3. *novissimi dies*, breviter aperiamus.

218 Ego quidem existimo, in isto loco novissimos dies, aut novissimum tempus, illud ipsum tempus significare, in quo Iudas post Apostolos Petrum, & Paulum, quorum verba citat, scribebat: itaque ipsissimum tempus ab Apostolis prædictum, in quo venturi erant illusores, adesse iam denuntiat. Hanc enim emphasim habet Apostolici vaticinij commemoratio, ut attigi suprà num. 4. perinde ac si dicat Iudas. Suis hæreticos lineamentis designavi, vivis coloribus depinxi: ut eorum contagionem obscurè serpentem omni contentione fugiatis. Neque verò eos adhuc longè abesse existimetis: isti enim seductores, illi ipsi sunt, quos in novissimis diebus exorituros Apostoli prædixerunt: adventarunt iam, atque adeò præsentes adsunt novissimi isti dies. Itaque hæc exhortatio Iudæ non est ab-

similis illi 1. Ioann. 2. num. 18. *Filioli, novissima hora est: & sicut audistis, quia Antichristus venit: & nunc Antichristi multi facti sunt; unde scimus, quia novissima hora est.*

219 Novissimum itaque tempus in arcano sermone non est extremum, atq; ultimũ illud, sæculi consummationẽ antecedens; sed posterius, & cõsecutum ad id, de quo tunc agitur. Probant hoc eruditissimè Ribera in cap. 4. Michææ numer. 3. Ioannes Fernand. in suo Thesauro, verbo, *dies*, à numero 4. usque ad 8. Lorinus Actuum 2. num. 17. Perer. in lib. de Benedictionibus Patriarch. num. 8. Sotomayor in 2. Timoth. 3. num. 1. Barrad. tom. 1. libro 2. cap. 4. Ego paucis duntaxat, sed apertissimis Scripturæ testimonijs confirmabo. Certum enim in primis est, tempus advẽtus Christi, quod tot sæculis præcessit mũdi consummationem, novissimos dies à sacris vatibus appellari. Michææ 4. num. 1. & Isai. 2. num. 1. *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini.*

220 Deinde verba illa Ioelis 2. num. 28. quæ citantur à Petro Actuum 2. num. 17. *& erit in novissimis diebus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem*, ita vertit Vulgatus apud Ioelem: *& erit post hæc, effundam Spiritum meum.* Vbi apertè vides, novissimos dies idem prorsus esse, ac tempus post illud vaticinium consecutum. Ita cùm moribundus Iacob filios convocaret, dixit Genesis 49. num. 1. *Congregamini, ut annuntiem, quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis.*

221 At pleraque vaticinatus est, quæ ad non longè pòst futura, sed appropinquantia, atque adeò iam instantia filiorum suorum tempora attinebãt. Denique illa ipsa Pauli verba, quibus hæreticos adventuros prænuntiavit, 1. Timoth. 4. num. 1. *In novissimis temporibus discedent quidam à fide*; Græcè ita leguntur: *en hysteris Kæris*: in posterioribus, sive sequentibus temporibus, ut vertit Erasmus. Vbi etiam manifestè vides, posteriora, & mox cõsecutura tempora, novissima ab Interprete vocari.

Numerus 19.

Hi sunt, qui segregant semetipsos.

222 SVbeant commentarij vicem egregia Optati Milevitani verba lib. 1. contra Parmenianum: [Deserta matre Catholica, impij filij, dum foras excurrunt, & se separant à radice matris Ecclesiæ, invidiæ falcibus amputati, errando rebelles abscedunt.] Eleganter verò docet Cyprianus in lib. de Vnitate Ecclesiæ non longè à principio, Ecclesiam significari per vestem illam inconsutilem, quæ scissa non fuit, Ioannis 19. num. 24. quocirca quamvis Hæretici segregant semetipsos, Ecclesię tamen unitas indivisa, & inconcussa persistit. Quod varijs exemplis illustrat Cyprianus: [Avelle radium Solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit: à fonte præcide rivum, præcisus arescet.] Ipse tamen fons perẽnibus aquis iugiter fluet; arbor item alios subinde ramos procreabit, fructusque suavissimos edet; Sol denique nihilominùs omnia sua luce collustrabit. Dicuntur tamen Schismatici, quantum quidem in ipsis est, scindere corpus Ecclesiæ. Irenęus lib. 4. cap. 62. [Suam utilitatem potiùs considerantes, quàm unitatem Ecclesiæ, propter modicas, & quaslibet causas magnum, & glorioſum corpus Christi conscindunt, & dividunt; &, quantum in ipsis est, interficiunt.]

223 Sapienter autem hîc B. Iudas coniungit schisma cum hæresi, quia, ut observat Hieronymus in cap. 3. Epistolæ ad Titum, *Nullum schisma non sibi aliquam confingit hæresim, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur.* Extat insignis locus, hæc omnia mirificè complectens, Habac. 2. numero 4. *Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso.* Incredulus dicitur Hebraicè *upla*. Quam vocem vertit Pagninus, *vir superbus*. Tigurina. *Ec-*

ce arrogantis, & fastuosi animus non est in se se rectus. Vatablus. *Qui elevatur, ac superbit, & exaltat se contra Dominum.* Vbi perspicuè vides, superbiam, & elationem animi, esse infidelitatis, atque hæresum omnium fontem. Sed quia superbia ipsa cæcat oculos, & menti tenebras offundit, eamdem vocem Hebraicam congruenter alij reddiderunt: *ecce, qui incredulus est, obscurus, nebulosus, lucifuga, tenebrio.* Vide Lorinum 2. Petri 1. num. 5. Neque enim dubium esse potest, quin radix ipsa *hopel*, locum significet obscurum, & caliginosum, ut reddiderunt
224 eam vocem LXX. 4. Reg. 5. num. 24. & ab eadem radice legimus Numeror. 14. nu. 44. *At illi contenebrati ascenderunt in verticem montis.* LXX. *At illi vim facientes.* Pagninus, *se corroborantes.* Et Deut. 1. nu. 43. ubi eadem historia repetitur. *Adversantes imperio Domini, & tumentes superbia ascendistis in montem.* Tumor videlicet superbiæ, densa caligine, & cæcitate mentem obscurat: atque ex his mentis tenebris inobedientia, pervicaciaque erga Deum, & infidelitas existit. Expresserunt autem LXX. & illos secutus Apostolus Paulus ad Hebræos 10. nu. 38. segregationem istam, separationemque ab incredulitate profectam. Nam quod legit Vulgatus, *qui incredulus est*, verterunt LXX. *Qui subtraxerit se.* Vnde concludit Paulus num. 39. *Nos autem non sumus subtractionis filij* (id est, segregantes nos metipsos) *in perditionem, sed fidei.* Vbi huic subtractioni, & separationi, ex adverso opponit fidem.

Animales, spiritum non habentes.

225 POsterior pars prioris explicatio est, ut advertit Adamus. Toti enim, quanti quanti sunt, mera caro sunt: nullam spiritus rationem ducunt: ne vestigium quidē ullum spiritus habent. Animadverto etiā, apud Apostolum Paulum animalem semper opponi spirituali. 1. Cor. 2. n. 14. c. 15. nu 43. nu. 44. & 46. Apostolum veteres Patres secuti postea sunt, Irenæus libro 1. cap. 1. Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum, Tertul. sæpè, ut observat Pamelius in annotationibus ad librum adversus Psychicos n. 2. & Baronius to. 2. anno Christi 201. c. 14. Sufficiat properanti locus ille Tertulliani in lib. de Monogam. c. 1. [Psychicis non recipientibus spiritum ea, quę sunt Spiritus, non placēt. Ita dum, quæ sunt spiritus, non placēt, ea, quæ sunt carnis, placebunt.]

Subest etiam in hoc loco eadem vox 226
Græca *Psychici.* Sunt autem Psychici, id est, animales, qui genio indulgent, qui carnis delicias avidissimè consectantur, qui voluptatem corporis in summis bonis numerant, imò verò cætera bona sola voluptate æstimant; qui denique se comessationibus ingurgitant, & in cœno libidinis turpissimè volutātur. Audi Epiphanium Gnosticos, id est, verè Psychicos, suis colorib⁹ depingentē hæresi 26. [Corpora suatum muliebria, tum virilia, noctu, ac diu curant unguentis, balneis, epulationibus, concubitibusque, & ebrietatibus vacantes: & detestantur ieiunantem, dicentes, quòd non oportet ieiunare, &c.] Eleganter, & omnino Tullianè orditur Tertullianus librum adversus Psychicos. [Mirarer Psychicos istos, si sola luxuria tenerentur, qua sæpius nubunt; si non etiam ingluvie ducerentur, qua ieiunia oderunt: monstrum scilicet haberetur libido sine gula.] De Tertulliani errore non est hîc locus disputandi: notionem duntaxat, & proprietatem quærimus vocis, quam ille luculenter expresit.

Si tamen velis aptissimum Psychici cu 227
iusdam symbolum, illud sanè quàm accommodatum est, quo Borboritas, id est, cœnosos, depinxit Petrus, 2. Petr. 2. n. 22. *Sus lota in volutabro luti.* Est hoc animal adeò stupidum, ac brutum, ut ne micam quidem prudētis instinctus habeat: scitèque dixerit Cicero libro 5. de Finibus, *animam illi pro sale datam esse, ne putresceret.* Fusè id persequitur Lactantius lib. 4. de Vera sapientia, cap. 17. [Est, inquit, lutulen-

tulentum hoc animal, & immundum, nec unquam cælum aspicit, sed in terram toto & corpore, & ore proiectum, ventri semper, & pabulo servit: nec ullum alium, dū vivit, præstare usum potest.] Sus apud Veteres hieroglyphicum fuit hominis impuri, voluptarij, stupidi, spernentis veritatem, & à Deo penitus aversi. Lege Baronium to. 2. ann. 137. c. 2. & Pier. Valer. lib. 11. Sic Horatius lib. 1. Epist. 4. Epicuri sectam, gregem porcorum meritò vocat: & de libidinoso scribit lib. 1. Epist. 2. [Sub domina meretrice fuisset turpis, & excors, vixisset canis immundus, vel amica luto sus.] Qui verò cœnum appetunt, lutoque, ac fœtore delectantur, margaritas pedibus conculcant, Matth. 7. nu. 6. hoc est, cælestis doctrinæ, sapientiæq; thesaurum calcant, atq; pro nihilo ducūt. 1. Cor. 2. n. 14. *Animalis homo* (Græcè, *Psychicus*) *nō percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi.* Non itaq; mirum, si dæmones Christum deprecantur, ut liceat illis in porcos introire, Matth. 8. num. 31. quia, ut egregiè ibi dixit Theophilactus, [Vbi est vita porcina, ibi non manet Christus, sed diabolus.] Rectèq; utrumq; coniūxit Iacobus agens de sapientia carnis, qua sola pollent Hæretici; c. 3. num. 15. *Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis* (Græcè, *Psychica*) *diabolica.*

228

Numerus 20.

Vos autem charissimi, superædificātes vos metipsos sanctissimæ vestræ fidei.

229 Rebra est in sacro sermone ab ędificijs ducta, & frequentata translatio: de qua fusè 1. Cor. 3. à nu. 9. *Dei ædificatio estis, &c.* Fundamentum verò huius spiritualis ædificij, fides est. Nam, ut graviter docet Tridentinum Sess. 6. c. 8. [Fides est humanę salutis initium, fundamētum, & radix omnis iustificationis: sine qua impossibile est, placere Deo, & ad filiorum eius consortium pervenire.] Congruenter ait August. Serm. 22. de Verbis Apostoli. [Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.] Et Origenes in c. 4. Epist. ad Romanos. [Prima salutis initia, & ipsa fundamenta, fides est; profectus verò, & augmenta ædificij, spes est; perfectio autem, & culmen totius operis, charitas.]

Ipsa autem fides, & tota deinceps sub- 230
structa ædificij moles, solidissimo illi, ac firmissimo angulari lapidi Christo innixa, & inclinata recumbit. *Fundamētum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus*, 1. Cor. 3. nu. 11. *In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino*, ad Ephes. 2. nu. 21. Sunt videlicet sancti, Spiritus Sancti tēplū augustissimū, gratissimūq; Divinæ maiestati domicilium. 2. Cor. 6. n. 16. *Vos estis templū Dei vivi.* Itaq; cū semetipsos superædificant sanctissimæ fideī, magnificentissimū Deo habitaculū extruūt. Ad Ephes. 2. nu. 22. *In quo* (nēpe angulari lapide Christo) *& vos coædificamini in habitaculum Dei.* 1. Petr. 2. nu. 4. *Ad quem accedētes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum, & ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis.*

In Spiritu Sancto orantes.

ET orando impetratur Spiritus San- 231
ctus, & ipse Spiritus Sanctus unicus est effector, & magister orationis. Constat utrumq; in Scriptura. Apostoli ad huius cælestis agricolæ divinos satus accipiēdos, oratione animum, quasi solum, præpararunt. Act. 1. num. 14. *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione.* Subest Græcè significantissimum verbum *proscarteruntes*: quod vim quamdam, animiq; contentionem affert, & perdurantem in ea, atq; instantem, Deoq; singulis penè momentis inhærentem assiduitatem. Vix tam multis Latinis exhauritur unius Græci verbi proprietas. Erasmus ad Rom. 13. vers. 6. illud exponit: *incumbentes*

bentes, operam dantes, & adnitentes. Vulgatus ad Roman. 12. nu. 12. & ad Colos. 4. nu. 2. *Orationi instantes.* Act. 8. nu. 13. *adhærentes.* Deniq; Act. 2. nu. 46. *perdurantes.* Atq; hęc adnitēs, Deoq; iugiter adhęrens oratio, assiduè instans, perseverans, ac perdurans, facilè impetrat Spiritum Sanctum. Luc. 11. nu. 13. *Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quantò magis Pater vester de cælo dabit Spiritum bonum petentibus se?*

232 Alterum verò disertè affirmat Apostolus ad Rom. 8. nu. 26. *Spiritus adiuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Itaque pro innata naturæ nostræ imbecillitate nescimus prorsus, quid à Deo precibus contendere debeamus; sæpeq; ea ignorantes petimus, quæ nobis valde nocitura sunt; ea rursus orationibus avertere nitimur, quæ nobis sunt magnopere profutura. Miror Socratem inter cæcas Gentilitatis tenebras hanc veritatem assecutum: cuius aurea illa verba recitat Valerius Maxim. lib. 7. c. 2. [Socrates nihil ultrà petendum à Dijs immortalibus arbitrabatur, quàm ut bona tribuerent: quia ij demum scirent, quid unicuiq; esset utile: nos autem plerūq; id votis expetere, quod non impetrasse melius foret. Divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt: honores concupiscis, qui complures pessum dederunt.]

233 Hinc fluxit nobilis illa Augustini sententia Tract. 73. in Ioannem. [Malè usurus eo, quod vult accipere, Deo potiùs miserāte non accipit: proinde si hoc ab illo petitur, unde homo lædatur exauditus, magis metuendum est, ne, quod posset non dare propitius, det iratus.] Consentaneè Isidorus lib. 3. de Sūmo Bono, c. 7. [Multos Deus non exaudit ad voluntatē, ut exaudiat ad salutē.] Flagrabat desiderio populus Israeliticus, & cum lacrymis precabatur, Nume. 11. n. 4. *Quis dabit nobis ad vescendum carnes?* Psal. 77. nu. 29. *Desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati à desiderio suo. Sed adhuc carnes erant in dentibus eorum,* Numeror. 11. num. 33. ubi Hebraicè legitur, *antequàm caro esset succisa dēntibus, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.* Quantò maiore beneficio affecisset illum populum Dominus, si noxios, atq; adeò lethales cibos, quos tam enixè contendebat, denegasset?

Vt ergo petamus, sicut oportet, ipse 234
Spiritus Sanctus *postulat pro nobis*: hoc est, ut exponit Augustinus Epist. 121. de Orādo Deum c. 15. postulare, & gemere nos facit. Vbi hunc Hebraismum confirmat Augustinus ex illis verbis Deute. 13. n. 3. quæ ita leguntur in Editione LXX. *Tentat Dominus tuus vos, ut sciat, an diligatis Deum vestrū ex toto corde vestro*, id est, ut scire faciat. Vbi Vulgatus illustravit Hebraismum: *ut palàm fiat.* Genes. 22. nu. 12. *Nunc cognovi, quòd times Deum*, id est, nunc feci, ut ab omnibus agnoscatur. Vide Lorinum Act. 1. num. 18.

Est sanè ingens beneficium, quod pol- 235
licetur Deus Zach. 12. nu. 10. *Et effundam super domum David, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ, & precum.* Vt videlicet Ecclesia Deo gratissima sit, & ab Spiritu Sancto edocta orare sciat, sicut oportet. Hebraicā vocem *tahanunim* verterunt LXX. Græcè, *ictirmu*, id est, Spiritum misericordię, seu miserationis: quia nimirùm oratio ab Spiritu Sancto aspirata, & summa Dei misericordia est, & Divinæ miserationis fontes aperit. Supplicater itaq; deprecemur Divinum Spiritum verbis illis, quibus Apostoli Christum deprecati sunt, Luc. 11. nu. 1. *Domine doce nos orare.*

(*)

Numerus 21.

Vos metipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Dñi nostri Iesu Christi in vitam æternam.

PErspicua, & dilucida tota adhortatio est ad retinendam, conservandamque charitatẽ, & ad spem obtinendæ beatitudinis, Dei misericordia, & Christi meritis subnixam, concipiendam.

Numerus 22. & 23.

Et hos quidem arguite iudicatos: illos verò salvate, de igne rapientes: alijs autem miseremini in timore.

235 QVi Dei charitate flagrant, & ad cęlestem beatitudinem inflammati cupiditate rapiuntur, ardent etiam zelo tuendi Divinum honorẽ, animasq; peccatorum laqueis exuendi, atque easdem ab ipsis inferorum faucibus revocandi. Excellens sanè munus, & omni cogitatione maius: nam, auctore magno illo Dionysio de cæsti Hierarch. cap. 3. *Divinarum omnium perfectionum divinissima est perfectio, Dei cooperatorem esse.* Explicat Carthusianus: *in reductione animarum ad suũ Creatorem.*

236 Enim verò ille huius altissimæ functionis excellentiam ritè expendet, qui admirabilem animæ præstantiam exacta trutina ponderaverit: ponderabit autem solus ille pro dignitate, qui valorem pretij, id est, sanguinis Christi, quo redempta est anima, accurate perpẽderit. 1. Cor. 6. n. 20. *Empti enim estis pretio magno.* 1. Pet. 1. numero 18. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Meritò itaque exclamat Bernardus Epistol. 54. [Magna res anima, quæ Christi sanguine redẽpta est.] Si enim aurifex scientissimus adamãtem emeret centies mille aureis, omnes, & si adamantis valorem, spectatamq; probitatem ipsi non agnoscerent; tamen ex pretio ab aurifice peritissimo attributo, lapillũ permagno æstimarẽt. Christus sanguinem suum fudit, ut animam redimeret; quãti igitur illa æstimãda est? Sapientissimè hinc colligit Chrysost. ho. 3. in Epis. 1. ad Corin. *Nihil est, quod animæ possit æquiparari, ne universus quidẽ mundus. Itaq; etsi immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si unam cõverteris animam.*

237 Isti dicuntur ore pleno *Salvatores animarum*, qui prædicationis ardore, integerrimæ vitæ exemplo, fusisq; ad Deum precibus, animas è dæmonis faucibus extorquent. *Illos*, inquit, *salvare, de igne rapientes.* Quo etiam modo loquitur Paulus. 1. Cor. 9. nu. 22. *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* 1. Timo. 4. nu. 16. *Te ipsum salvũ facies, & eos, qui te audiunt.* Et Iacobus c. 5. nu. 20. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam eius à morte.* Sed qualis esse debeat horum Salvatorũ vita, graviter docet Nazianzenus oratione 1. Apologetica: [Hęc summa est, ut virtute tales existant, ut (uno verbo dicam) cælestes sint: ac possint purgari primùm, deinde purgare; sapientia instrui, atque ita alios sapientes reddere; lumen fieri, & alios collustrare; accedere ad Deum, & alios adducere; sanctificari, & sanctitatem alijs afferre.]

238 Illud etiam in universum exigitur ab ijs, qui salutiani marum incumbunt, Proverb. 6. nu. 3. *Discurre, festina, suscita amicum tuum.* Et cùm discipulos legaret Christus ad animas convertẽdas, præcepit eis, Lucæ 10. nu. 4. *Neminem per viam salutaveritis.* Vbi per hyperbolen cælestis Magister ne tantulam quidem moram huic negotio permisit interponi, quanta ad officiosam salutationem necessaria esset. Similis est celerrimæ festinationis exaggeratio,

ratio, 4. Regum 4. numero 29. *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum.*

239 Hanc mihi celeritatem insinuat verbum illud, *rapientes*: quod non usurpatur modò ad potentiam, ac vires exprimendas, iuxta illud Matth. 11. numero 12. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: & Ioann. 10. numero 28. *Non rapiet eas quisquam de manu mea*: sed velocitatem etiam, ac celeritatem quamdam affert. Actuum 8. numero 39. *Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius nō vidit eum*: id est, celeriter ex eius conspectu subduxit. Apocalyp. 12. numero 5. *Raptus est filius eius ad Deum.* 1. Thessal. 4. nu. 16. *Rapiemur cum illis in nubibus.*

Atque hinc elegantissimè usurpatur hoc verbum à Chrysostomo homil. 12. in Epistolam ad Romanos: *ante certamē bravium arripere.* Græcè, *harpasæ.* Vbi Chrysostom. alludit ad locum Apostoli 1. Corinth. 9. nu. 24. *Ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium: sic currite, ut comprehendatis.* Ducta nimirùm trāslatione ex Agonistarum consuetudine, qui ex aliquo eminentiore loco appensam coronam incitato quàm ocyssimè cursu manibus corripiebāt: ut eruditè probat Petrus Faber lib. 2. c. 27. Agonistici. Quò respexit idē Chrysostomus hom. 7. in Epist. ad Hebr. *Adhuc pendet bravium*: & Chrysologus Ser. 153. de Infantibus prò Christo necatis. [Consitentur tacentes; nescientes pugnant; vincunt inscij; ignari tollunt palmas; coronas rapiunt ignorantes.] Cassiodorus denique libro 11. Variarū, cap. 35. [Si Olympiaci currus agitator rapit præmia post labores.] Hanc celeritatē propriè apud Latinos significare verbum *rapio*, observat etiam optimus auctor Latinitatis Cicero lib. 3. de Oratore: qui expendens Lucretij verba: *Dum licet, oculis postremum lumen radiatum rape; non dixit* (inquit Tullius) *cape: haberet enim morā sperātis diutiùs esse se victurum.* Sic Horatius libro 3. Ode. 8.

Dona præsentis rape lætus horæ.

Et in Epodo, Ode 13.

240

Rapiamus amici occasionem.

Id est, celeriter arripiamus, antequàm subitò prætervolet, atque è manibus elabatur.

Eamdem celeritatem postulat utraque similitudo usurpata hîc à Beato Iuda. Si reus addictus capitali supplicio, iam per vias publicas duceretur ad patibulum; atque per id tēporis coacti in suo Prætorio Triumviri capitales de alijs causis deliberantes, subitò mutata voluntate decernerent illius Rei, adiudicati neci, appellationem admittere; quanta festinatione apparitorem legarent, quanta ille convolaret celeritate, ne, si in via moras necteret, reus interim capite plecteretur? *Hos* (inquit Iudas) *arguite iudicatos*, id est, sententia capitali damnatos. 241

Non dubito, quin Latinus Interpres legerit Græcè, *diacrinomenus*: ut Gagneius recitat ex Scholijs Veronensibus. Est autem *diacrinin*, discriminare, segregare, atque discernere; ac proinde diiudicare, sententiaque ferire. Hæretici verò seiungentes, ac segregantes semetipsos à corpore Ecclesiæ, suprà numero 19. secessione facta, proprio se iudicio, ac sententia condemnarunt. Ioannis 3. numero 18. *Qui autem non credit, iam iudicatus est*, id est, eo ipso, quòd noc credit, ipse se condemnavit, ostenditque, dignissimum se esse supplicio. Ad Titum 3. numero 10. ubi Apostolus agit de Hæretico, *Subversus est*, inquit, *cùm sit proprio iudicio condemnatus.* Græcè unica vox est, *autocatacritos*: quam vertit Cyprianus lib. 1. Epistola 3. *à semetipso damnatus.* Regia, *sponte cōdemnatus.* Eamque propriè vim habet, ut significet hominem per se damnatum, hoc est, re ipsa, & facti evidentia convictum, atque atrocitate criminis condemnatum, etiam si nemo iudex de illo pronuntiet. Atque hæc sunt illa peccata, quæ ante discussam causam, latamve sententiam, per se ipsa condemnationem incurrunt. 1. Timoth. 5. num. 24. *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium.* 242

243 Enim verò iubet Apostol⁹, ut Hæretici, qui iam iudicati, ac per se damnati sunt, zelo charitatis à Catholicis arguantur: ut videlicet pœnitentiam agentes, errorem-que suum detestantes, divinam flectant misericordiam, sententiam latam contra se commutent, antequàm sanguinarius carnifex dæmon extremum de illis supplicium sumat. Sic præcipit Salomon Proverbiorum 24. numero 11. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.* Nimirùm Deus ipse, dum supplicium differt, reorum salutem ardentissimè appetit. Isai. 30. numero 18. *Expectat Dominus, ut misereatur vestri.* Subest significantissimum ver-
244 bum Hebraicum, quod ita effert Latinè Forerius, *inhiat, & anhelat Deus.* Anhelare autē accelerātis est, & summa cōtentione properātis. Itaq; Deus cū expectat, cū moras ducit, tūc maximè inhiat, & anhelat; cū sustinet, urget, & instat; cùm tacet, clamat, ut somno peccati consopitos excitet. Quid ministros eius efficere par est? *Hos* (inquit Apostolus) *arguite.* Minimè item dubito, quin legerit Vulgatus, *elēchete.* Est autem *elenchin*, corripere, increpare, coarguere, atque convincere; ut errore lucē veritatis prodito, ac patefacto, illum exsecrentur; ut perspecta fœditate flagitij, illud omni contentione, velis, remisque defugiant. Sic Herodes adulter corripiebatur (Græcè, *elenchomenos*) ab ardente concionatore Ioanne, Lucæ 3. numero 19. Sic Apostolus monet Timotheum Epistola 1. cap. 1. numero 20. *Peccantes coram omnibus argue*: & Titum capite 1. numero 13. *Increpa illos durè, ut sani sint in fide.* Vtrobique Græcè habetur *elenche.*

245 Sed Græci codices, qui nunc extant, mira cōsensione legunt, *eleite: hos quidem commiseramini iudicatos.* Atqui utrumq; affectum concipere debet zelator animarum: ut paulò pòst diserte præcipitur à Iuda, *alijs autem miseremini in timore*: & expressè notavit Basilius in Regulis brevioribus interrogatione 296. [Si etiam adversus peccantes admirabilem illam, & horrore plenam sanctorum virorum misericordiam imitatus sit.] Vt qui affabrè effictam imaginem, ab Hæreticis laceratam intuetur; simul tam impium facinus horrore quodam detestatur, simul etiam illum deformati, concisique simulachri miserescit. Quin & ipse Deus tum vel 246
maximè diligit, & miseratur errantes filios, cùm eos paternè corripit, & in viam revocat. Apocalyp. 3. num. 19. *Ego, quos amo, arguo.* Græcè, *elencho.* Ad Hebræos 12. numer. 6. *Quem enim diligit Dominus, castigat.* Proverbiorum 3. numero 11. *Quem diligit Dominus, corripit.* Pulchrè hoc explicat Augustinus chirurgi exemplo, Sermone 15. de Verbis Domini. [Si per charitatem imponitur disciplina, de corde lenitas non recedat. Quid enim tam pium, quàm medicus ferens ferramētum? Plorat secandus, & secatur; plorat urendus, & uritur. Non est ista crudelitas: sævit in vulnus, ut homo sanetur; quia si vulnus palpetur, homo perditur.] Nec minùs eleganter Chrysostomus tomo 1. homilia in id Psalmi 9. numero 19. *Patientia pauperum non peribit in finem.* [Charitas, inquit, servetur, & protervus homo increpetur. Lingua clamet, & cor amet; quia clamor iste, etsi clamat, intùs amat.]

247 Iam altera similitudo usurpata hic à Beato Iuda, vehementiorem postulat celeritatem. Mirabilis prorsus est velocitas ignis, cùm idoneam materiam corripuit, & nactus pabulum, quo se alat, gliscit in singula momenta, omniaque populatur, & absumit. Si ergo, cùm aliqua domus vetusta, & ruinosa ignem subitò concepit, homo tibi coniunctissimus in proximo cubiculo, quò nondum flamma pervasit, altè, secureque dormiret, summūq; periculum esset, ne igne deinde grassante opinione celeriùs, repentè flammis oppressus mortem cum somno copularet; quanta illuc advolares celeritate, ut eum à præsentissimo incēdij discrimine eriperes? *Illos* (inquit Apostolus) *salvate, de igne rapientes.* Qua etiam similitudine usus est

Amos, cap. 4. num. 11. *Facti estis, quasi torris raptus ab incendio.* Qui scilicet nisi celeriter extraheretur, totus igne conflagraret.

248 Porrò ignem istum existimo esse flagitiosam, & obscœnam Hæreticorum libidinem, qua incautos inescabāt, & ad suos errores pelliciebant. Latè probavi suprà ad illa verba num. 7. *Ignis æterni pœnam sustinētes*, luxuriam non in sacro sermone modò, sed apud prophanos etiam Scriptores ignem appellari. Et verò quem ignis iste voracissimus semel corripuit, is, nisi Altissimi dextera è populantibus flammis celeriter, & opportunè rapiatur, grassante in dies magis, ac magis hoc incendio, procul dubio totus ardebit. Neque erit absurdè, si præterea hunc locum de Inferorum etiam igne interpretemur. Qui enim se flagitio capitali obstrinxit, ita ibi iam est, ut hoc fragili, & corruptibili corpore, tanquam medio pariete exturbato, qui solus inter animam, & infernale incendium interiacet, ultricibus illis flammis corripiatur.

Odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.

249 Vetus fuit consuetudo, inde usque [ab heroicis illis nascentis Ecclesiæ ducta temporibus, ut de sacro baptismatis fonte suscepti, vestibus candidis induerentur: ut videre licet ipsæ vestes albicantes animi candorem præseferrent: ut loquitur Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. cap. 10. quod hausit ex Dionysio, qui in libro de Eccles. Hierarch. 2 ait. [Illam vestem baptizati munditiæ congruam induūt.] Recitat Pamelius in annotationibus ad Tertulliani librum de Baptismo, pag. 170. elegantes in hanc sententiam Pontii Paulini versus:

Inde pares sacro ducit de fonte Sacerdos
Infantes, niveos corpore, corde, habitu.

Congruenter etiam cecinit Lactantius in carmine Paschali.

Candidus egredietur nivis Exercitus undis;
Atque vetus vitium purgatum amne novo.

Fulgentes animas vestis quoq; candida signat,
Et grege de vivo gaudia pastor habet.

Lorinus verò Actuum 1. versu 10. refert, baptizato Constantinopoli Theodosio Iuniore, visam fuisse innumerabilem populi multitudinem candentibus indutam vestibus, ac si toti essent copiosa nive perfusi. Sic & à Neophitis recēs baptizatis Dominicam in Albis appellari, communis traditio est. Verùm de hoc toto ritu legendus in primis est Ambrosius in libro de Initiandis cap. 7.

Multos Deus non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem. num. 18.
Omnibus ærumnis huius vitæ unicum perfugium est oratio Iaco. 5. num. 60.
Frequens in primitiva Ecclesia consuetudo orandi pro alijs. num. 75. 76.

Mortalis conditio Sanctorum excitat in nobis fiduciam impetrandi. n.77.
Cumulatiùs Deus præstare solet, quàm aut nos ipsi petere, aut votis concipere valemus. Ephes.3.n.64.
Multa Deus, quæ negaret propitius, concedit iratus. Iudæ.n.233.
Oratio ab Spiritu Sancto afflata, & summa Dei misericordia est, & misericordiæ ipsius fontes aperit. numer.234.

Ordo.

QVàm sedulò in primitiva Ecclesia ordo, seu subordinatio servaretur. Coloss.2.n.19.
Hoc sæpe commendat Apostolus.n.20.
Iubet castigari eos, qui ordinem deserunt. Ibidem.
Ex ordine perturbato confusio, atque seditio proficiscuntur.numer.21.

Passio Christi.

VIde verb. Christus.
Luculentum de Christi passione vaticinium, editum à Moyse. Deuteron. 32. numer. 159. 160. 161.

Passiones.

EX cupiditatibus effrenatis discordiæ implacabiles oriuntur. Iaco.4.n.1.2.& 3.
Passiones vigent in membris, mentiq; repugnant.n.7.
Ex frustrata concupiscentia redundat sanguinarium odium illius, qui rem concupitam intervertit.n.9.
Ex appetentia oritur invidia.n.10 & 11.
Omnis inordinatus animus sua sibi pœna est. Ephes.4.n.30.
Carnifices hominis sunt sua desideria.n.31.
Impotentes appetitiones, dum intercipiuntur, miserè animum excruciant.n.22.
Nonnullos propriæ concupiscentiæ peremerunt.n.33.
Passiones, excusso rationis freno, homines in detestanda flagitia præcipites agunt. Iudæ.n.206.
Cupiditates sibi relictæ, quibuslibet truculentissimis feris truculentiores, quibuslibet atrocissimis supplicijs atrociores omnino sunt.n.207.

Pater.

VIde verb. Filius.
Potentissimũ est Patris nomen ad continendũ in officio Filiũ. Deut.32. n.67.
Ad excitandam fiduciam.n.68.
Ad concipiendum doloré de offensâ. Ibidé.
Deus est Patrimater.n.67.
Gravissimum dolorem inurit Patri iniuria illata à filio. Deut.32.n.164.
Parentes solebant esse Magistri filiorum. Is. 38.n.304.
Parentibus nõ possumus parem gratiam referre. Malach.1.n.24.
Honorandi non cultu solùm, sed re etiam ipsa. n.25.
Quid non impetret filius ab indulgentissimo Patre? Iaco.1.n.39.
Aurea de hoc Chrysologi sententia.n.40.
Quatenus filij debeant obedire parentibus. Coloss.3.n.42.
Parentes modicè obiurgent filios. n.43.
Mandatum honorandi parentes, est primũ in promissione. Ephes.6.n.1.
Pollicetur Deus diuturnam vitã, bonisq; refertam.n.2.

Patientia.

DEum habet ultorẽ illatæ iniuriæ. Deu. 32.num.257.
Non est alienum à patientia Sanctorum, expectare à Deo vindictam.n.260.
Amore, & beneficentia vincendus est animus inimici.n.262.263.
Non eo fine conferenda illi beneficia, ut gravius supplicium incurrat,n.261.
Quid sit, dare locum iræ.n.258.266.
Nemo temerè assumat ulciscẽdi partes, quę Dei sunt.n.267.
Mala pœnæ patiẽter toleranda, quia à Deo immissa. Isai.38.à n.228.usq; ad 238.
Patientia est apex fortitudinis. Nahum.1.n. 56.57.58.
Patiens vocatur magnanimus: pusillanimis verò impatiens.n.58.& 59.
Cœlesti fortitudine armata patientia, in medijs cruciatibus gaudet, ac triumphat. Coloss.1.n.91.
Iam tunc non tam est virtus, quàm fructus Spiritus Sancti.n.92.
Quomodò patientia operetur probationem, & probatio patientiam. Iaco.1.n.23.
Est via maximè compendiaria ad perfectionem, numer. 24. & 25.

Patientia Dei.

ALtissimus est patiens redditor: sed nõ sunt longæ induciæ huius mortalis vitæ. Deut.32.n.254. Nahum.1.n.32.
Furor fit læsa sæpius eius patientia. Nahum. 1.n.35.36.37.& 38.

Vsq; eò Deus est longanimis, ut sua sibi patientia detrahat. Nahum. 1. n. 49.
Vocatur Deus latus naribus. n. 50.
Ostentat fortitudinem in comprimenda ira sua, iustè concepta. Nah. 1. à n. 60. vsq; ad 70.

Paulus Apostolus.

Electus à Deo est Apostolus gentium. Ephes. 3. à n. 9. vsq; ad 13.
Spirat nescio quid ardentius, & sublimius, cùm scribit ex vinculis. Coloss. 1. n. 2.
Cur Sauli nomen mutarit in Paulum. n. 3.
Cur Apostoli titulo aliquas Epistolas prænotet, alias non item. n. 4.
Plures, quàm ceteri Apostoli, orbis regiones Evangelij luce collustravit. n. 6.
Quoad electionem, etiam nonnullis præferendus. n. 7. & 8.
Agnoscit, se Dei gratia vocatum. numer. 9. 10. & 11.
Ardens eius in proximos caritas. Coloss. 1. n. 29. vsq; ad 32. & n. 157. 158.
Fidelissimus, & prudentissimus fuit dispensator multiformis gratię Dei. n. 165. 166.
Replevit Evangelium. n. 167.
Monebat verbis amorem spirantibus. n. 176.
Gentibus, quæ pollebant sapientia, datus est Apostolus sapientissimus. n. 177.
Quantos labores pertulerit in promulgatione Evangelij. n. 179. 180.
Epistola eius ad Laodicenses, quam edidit Sixtus Senensis, spuria est, & suppositia. Coloss. 4. n. 21.
Literis aliena manu exaratis Paulus subscribebat. n. 23.
Nunquam depugnavit in Theatro cum bestijs. Ephes. 1. n. 3.
Sunt, qui diem illi dicant violatę latinitatis. Ephes. 3. n. 1.
Fuit sermone quidem rudis, sed grandis, vehemensq; sententijs. Coloss. 2. n. 16. 17. 18. & Ephes. 3. n. 2.
Honorificentissima Pauli dignitas, vinctum esse propter Christum. Ephes. 3. nu. 3. 4. & 5.

Pavor.

Conceptus in præcordijs solet esse præcursor diuini supplicij. Deu. 32. n. 212. 213. & n. 234.

Paupertas.

Vide verb. Avaritia.
Impedit, quominùs probi merito æstimentur suo. Iaco. 2. n. 17. 18.
Pauperes elegit Deus. n. 19.
Eximijs eos honoribus afficit. n. 20.
Christus dignatus est fieri cõsaguineus pauperum. n. 21. & 22.
Venit Evangelizare, & polliceri pauperibus regnum cœleste. n. 23.
Ipse simul fuit Rex, & pauper: amor verò paupertatis efficit Reges. n. 24.
Cùm Regnum Dei pauperum sit, quid esse locupletius potest? n. 25.
Vsq; eò Paulus exhorruit quæstum in prædicatione Evangelij, ut mori præoptaret potiùs, quàm hanc verè Apostolicam gloriam amittere. Iudæ. n. 216.
Studio, & amore paupertatis plus effecerũt Apostoli in conversione mundi, quàm miraculis. Ibidem.

Pax.

Pacis nomine bonorum affluentia significatur. Isa. 38. n. 261.
Signatè incolumitas, & bona valetudo. numer. 262.
Communis salutatio apud Hebræos, qua pacem sibi precabantur. Coloss. 1. n. 19.
Paulus paci prætulit gratiam. n. 22.
Pax ipsa uberrimus est gratiæ fructus. n. 23.
Deus sæpe vocatur Deus pacis; & pax vicissim dicitur pax Dei. Iaco. 3. n. 89.
Iustitia, & pax arctissimo inter se fœdere colligantur. n. 114.
Iustitia germinat pacem; ipsa verò pax colit, augetq; iustitiam. n. 115. 116.
Effrænatæ appetitiones rerum terrenarum pacem turbant, dissensiones creant. Iaco. 4. n. 1. 2. & 3.
Pax Christi palmam ferat in his concertationibus. Coloss. 3. n. 30. 31.
Summum gaudium redundat ex pace. num. 32. 33.
Pax annũciatur hominibus sinceris, & bonę voluntatis. Ephes. 1. n. 22.
Christus est pax nostra: Princeps pacis. Eph. 2. n. 49.
Crucem subiturus pacem, quasi rem carissimam testamento legavit. n. 50.
Fuit passionis suæ fructus, proprio sanguine partus. Ibidem, & Iudæ. n. 31.
Pacis validissima incitamenta, ab Apostolo coacervata. Ephes. 4. n. 2. 3. & 4.
Cui pax non sufficit, non sufficiet Deus. Iudæ. n. 30.
Quam pacem precarentur Apostoli, cùm pacis nomine salutabant. n. 31.

Peccator. Peccatum.

VIde verb. Vendere. verb. Mors animę. verb. Supplicium, & verb. Sagittę.
Creaturæ insensibiles testimonium ferent contra peccata. Vide verb. Creaturæ.
Peccatum nihil nocet Deo: corrumpit verò peccatorem. Deut. 32. n. 57. 58.
Zelum penè furentẽ accendit in Deo. Deut. 32. à. n. 147. usq; ad 152.
Acerbissimè provocat illius iracundiam. numer 163.
Optat Deus peccatoribus saniorem mentẽ. Deut. 32. n. 227.
Propter peccata venditur populus gladio hostili. n. 234. 235.
Peccata vocantur fel, & amaritudo. Deut. 32. n. 247.
Peccator vocatur gladius divinæ iustitiæ ad castigãdos paternè iustos. Isa. 38. n. 232.
Peccati gravitas perpensa enecare potest. Nahum. 1. n. 109.
Peccata significantur per inundationem sanguineam. Nahum. 3. n. 1. & 2.
Ira Dei est, non cognoscere peccata. Malach. 1. n. 33.
Peccata iniustitiæ nullis simulationum involucris tegi possunt. Mal. 2. n. 88. & 89.
Afferunt Deo peccata lassitudinem ex nimia sustinendi contentione. Malach. 2. n. 90. 92. & 93.
Scorię vocantur peccatores. Mal. 3 n. 18.
Mente, & affectu abhorrent prorsus à Deo. Coloss. 1. n. 146. 147.
Qui uno peccato lethali legem violat, efficitur simpliciter trãsgressor legis, & reus æternæ mortis. Iaco. 2. n. 40. 41. 42.
Peccata clamare in cœlum, quid sit. Iaco. 5. n. 15. & 16.
Peccati Chirographum delevit Christus suo sanguine. Coloss. 2. n. 58. 64. 65.
Quo sensu dicãtur peccata inurere Deo tristitiam, ac dolorem. Ephes. 4. n. 44. 45.

Perseverantia.

COEpisse nihil prodest, si benè cœpta deserantur. Coloss. 1. n. 153. 154. 155.
Confirmatur exemplo populi Hebræi, tot patratis prodigijs erepti ex AEgyptiaca servitute. Iudę. n. 70.
Et Angelorum, qui, cùm pleriq; Principatus essent, & insignibus gratiæ donis cumulati, per superbiam ceciderunt. numer. 76. 77.

Personarum Acceptio.

VIde verb. Respicere:
Cùm in re gravi opponitur caritati, atq; iustitiæ, pertingit ad culpam lethalẽ. Iaco. 2. n. 39. & 40.
Mirari personas sæpe idem est, atq; acceptare. Iudæ. numer. 213. 214.

Pestilentia.

PLaga Dei est, ob peccatum sæpe immissa. Deut. 32. n. 199.
Ad eam inferendam solet uti Deus dæmonum ministerio. n. 200. 201. 202. 203.
Cur vocetur morsus amarissimus. num. 204. 205.
Pro tribus diebus pestilentiæ, quos minatus fuerat Deus, vix unicum immisit. Deuteron. 32. numer. 294.

Philosophi.

EThnici Philosophi larvam dumtaxat sequebantur, umbramq; virtutis. Deut. 32. n. 243.
Similes erant Sodomæ fructibus. n. 242.
Hauserunt pleraq; ex Scriptura, sed ea fabulis, ac mendacijs referserunt. Isai. 38. n. 159.
Pleriq; Philosophi classicum contra Evangelium cecinerunt. Coloss. 2. n. 31. 32.
Quibus axiomatis bellum inferrent Evangelicæ veritati. numer. 33. & 34.

Plato.

PLatonis memoranda sententia. Coloss. 1. num. 20.

Pœnitentia.

VIde verb. Dolor.
Peccati labes eluitur per pœnitentiã. Isai. 38. n. 271.
Proijcit Deus post tergum peccata nostra. num. 269. 270.
Vsq; eò tegit, ut ne à curiosis quidem oculis dispici possint. n. 272.
Ablutis sordibus, animam nive candidiorem efficit. n. 273.
Peccati scripturam, exaratam in adamante, penitus obliterat Deus. n. 274. & 275.
Peccata proijcit in profundum maris. numer. 276.

Cur pœnitentes ſoleant pectus verberare. Iſai. 38. n. 278.
Veram pœnitentiã agere, eſt dare Deo gloriam. Malach. 2. n. 6.
Quia pœnitentia à Deo ſtat, & in peccatorem pronunciat pro divino honore violato. num. 7.
Ipſum etiam pœnitentem per abiectionem extollit. Ibidem.
Si aperiatur Deo ianua veræ pœnitentiæ, etſi adeò anguſta, ut foramen acus: aperiet nobis ſuę miſericordiæ valvas, adeò patentes, ut capiant quadrigas. Malach. 2. n. 91.
Defatigatur Deus ſuſtinens peccatores, & eos blandè ad pœnitẽtiam invitans. n. 92.
Per pœnitentiam paratur Domino via, & aditus in animas. Malach. 3. n. 8.
Si peccatores renuant pœnitere, ſtat fixa Dei in eos lata ſententia. Malach. 3. numer. 33. & 34.
Fructus digni pœnitentiæ ſunt opera bona. Colóſſ. 1. n. 83. 84.
Qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit. Iaco. 4. n. 59.

Prædicare.

¶ Vide verb. Concionator.

Prælatus.

QVI regendi curam ſuſcipit, onus ſibi imponit, Angelicis humeris formidãdum. Iaco. 3. n. 6.
Sanguis eorum, qui perierint eius negligentia, de ipſius manibus ſeveriſsimè requiretur. Ibidem.
De Chryſoſtomi ſentẽtia, pauciſsimi prælati ſalvantur. n. 6. & 7.
Ad tam periculoſum munus cogendi ſunt inviti. n. 8.
Etiam à Deo impoſitas prælationis partes, ſi liceat, debent detrectare. n. 8.
Cùm in cęteris lapſus ſit turpis, in prælato eſt longè turpiſsimus. n. 9.
Ad paſtorem propriè ſpectat, ſtimulari ſolicitudine pro ovibus. Coloſſ. 2. n. 2. & 3.
Quanta debeat eſſe hæc ſolicitudo. num. 4.
Quanta in obiurgando moderatio. Coloſſ. 3. n. 43.
Quod ſit propriũ prælatorũ munus. Epheſ. 4. n. 20. & 21.
Vſq; eò deſudare debet prælatorum induſtria, donec ſubditi evadant in viros perfectos. num. 23.
Silentio dumtaxat paſtoris, nedum ſcandalo, oves ad interitum præcipites ruunt. Iudæ. n. 38.
Diſcurrendum, feſtinandumq; Prælato, ut excitet ſubditos. num. 40.
Diſtrahendus eſt anxius eius animus, & ad arcenda pericula à ſingulis ovibus evocãdus. num. 41.
Acriùs ſolet eos Deus punire, qui in prælatum rebelles, & iniurioſi ſunt, quàm, qui ipſius Dei maieſtatẽ violant. Iudę. n. 170.
Gemitus prælati, ob inobedientiam ſubditi, Deum ultorem habet. Ibidem.
Prælatus tunc vel maximè amat ſubditos, cũ paternè corripit. Iudę. num. 245. 246.

Præſentia Dei.

THaletis ſententia memorabilis, qua omnem virtutis Philoſophiam complexus eſt. Iſai. 38. n. 38.
Magna nobis eſt indita neceſsitas probitatis, qui cuncta facimus ante oculos ſupremi Iudicis. Ibidem.
Abel in omnibus, quę gerebat, Deum putabat eſſe præſentem. n. 39.
Hanc compendiariam perfectionis normam Deus preſcripſit Abrahamo. n. 37.
Vbi legitur Hebraicè, ambulare cum Deo, ſive coram Deo: LXX. reddiderunt, placere Deo. Iſai. 38. à n. 37. uſq; ad 40.

Primitiæ.

SIC vocatur Chriſtus: quia ſanctior omnibus fructus, & quia ceteros ſanctificat. Coloſſ. 1. n. 130. 131.
Et quia nemo ante illum reſurrexit ad vitam immortalem. num. 132. 133.

Promiſsio.

PRomiſsiones Dei ſæpe tacitam conditionem includunt. Iſai. 38. n. 89.
Promiſsiones Dei, negantes abſolutè: affirmantes verò, non niſi cum exceptione, ni ſi quid aliud impediat, intelligendę ſunt. Iacob. 1. numer. 43.

Providentia Dei.

SAcrilegum Dionyſij dictũ adverſus providentiam. Nahum. 1. n. 49.
Sancti viri, cũ queruntur proſperari impios, honorem præfantur divinæ providentię. Malach. 2. n. 95.

Cornutum dilemma adversus providẽtiam vidẽtur sibi conflare, qui eam è medio tollunt.n.96.
Arrogant isti probitatem sibi, & divinã providentiam incusant. Malach.3. num.55. 56.57.
Sublata providentia, collabi Religionem, scelera impunè patrari, omnia permisceri necesse est. Malach.3.n.58.59.
Iusti suspiciunt occulta providentiæ divinę iudicia, etiam si eventorum causas non attingant,n.60.& 70.
Consideratio prosperitatis impiorum sæpe torsit sanctissimos viros. numer.62.63. 64.65.
Acquiescunt tamen in arcano providentiæ divinę consilio.n.70.& 71.
Prospiciunt exitus vitæ lõgè dispares.n.72.
Iustos Deus laboribus purgat, impios ad æternum reservat supplicium.n.73. & 74.
Iusti conflictati acquiescunt in divina providentia. Iaco.5.n.40.
Primus Hæresiarcha Cain de medio sustulit providentiam. Iudæ.numer.164.

Prudentia.

SPiritualis quantũ differat à carnali. Coloss.1.n.78.
Quæ sit prudentia fidelis dispensatoris multiformis gratiæ Dei.Coloss.1.num.165. 166.
Elucet in exhortationibus. numer.176.

Pudor.

QVantus sit peccati pudor. Nahum.1. numer.109.
Diodorus dialecticus præ pudore obijt repentinò n.110.
Pudor, & confusio damnatis gravior est ultricibus flammis.n.110.
Notabilis pudor cuiusdam Hispani Ludimagistri.Ephes.5.n.14.
Sacra Scriptura tectè, & honestè efferre solet ea, quæ vetat ingenuus pudor suis nominibus enunciare. Iudę.num.93.

Redemptio.

PRetium Redẽptionis nostræ fuit Christi sanguis.Coloss.1.n 111.
Eius vel unica gutta valorem infinitum habuit ad innumerabiles mundos redimendos.n.111.112.
Pretium fuit ipse Christus.n.112.
Pater peccatori dicit; accipe Vnigenitum meum, & da pro te: ipse Filius, tolle me, & redime te.n.113.
Vberrimus fuit fructus Redemptionis vitã immaculata iustorum. Coloss.1. numer-149.152.
Gratis venundati sumus, & sine argento redempti. Ephes.1.n.27.
Copiosissima fuit Christi Redemptio.n.28.

Respicere.

SAEpe exprimitur hoc verbo acceptio personarum. Iaco.2.n.14.
Ea severè prohibetur. numer.1.& 37.

Resurrectio.

EST quasi altera Nativitas. Coloss.1. num.133.
Dies Redemptionis vocatur Resurrectio universalis.Ephes.1.n.68.69.
Deus in Christo cõresuscitavit nos,& consedere fecit in cœlestibus. Ephes.2.numer. 22.23.& 24.
Resurgemus corpore iuvenili, ac vegeto, quale esse solet, cùm tertium & trigesimum annum attingit. Ephes.4.n.22.

Rex.

VIde verb. Iusti.
Regale solium stabilitur æquitate. Deut.32.n.38.
Regum ipsorum Rex est consilium. Deut. 32.n.231.
Rex hodie est, & cras morietur. Isaiæ.38. n.180.
Reges impij dicuntur virga furoris Domini.Isai.38.n.231.
Dei proprium est de throno deijcere, vel ad regale solium evehere. Malach.1.n.80.
Habebant Reges, qui sibi in memoriam redigerent res à subditis pręclarè gestas, ut debita compensarẽtur mercede. Malach. 3.n.75.
Ille verè Rex est, qui suis cupiditatibus imperat.Coloss.1.n.109.
Lex Evangelica pręcipit,ut Regibus, & Magistratibus pareatur. Iudę.n.111.
Quia non est potestas, nisi à Deo.n.112.
Imperatori Ethnico magis parebant Christiani, quàm Gentiles. Ibidem.
Quid à Deo precarentur imperatori. Ibidẽ.
Principes Dei personam sustinent in terra. n.115.

Sacerdos.

CVR Sacerdotes dicantur comedere peccata populi. Nahum. 3. n. 48.
Eorum flagitiosa vita maximè nocet scandalo. Malach. 1 n. 30.
Pauci salvantur Sacerdotes. n. 31.
Quomodò polluant nomen Dei. n. 39.
Optat Deus occludi ostia templi, ne mali Sacerdotes indignè offerát sacrificia. n. 48.
Quàm graviter peccarent Sacerdotes, qui vilissimas hostias offerebant Deo. num. 75. 76. 77.
Deus maledicit populo, cui Sacerdos impius benedicit. Malach. 2. n. 15.
Indignos Sacerdotes dignitate spoliat Deꝰ. n. 19. 20. & 21.
Inurit illis insignem ignominiá. n. 22. & 23.
Pactum cum Sacerdotibus initũ cupit Deus inviolabile permanere. n. 27.
Sacerdotis partes, quę sint. n. 41.
Sunt cœleste oraculum in terris, & divinæ voluntatis interpretes. n. 42.
Cur iubeantur abstinere vino. n. 43.
Divinam legem debent habere in promptu. n. 42. 43. 44.
Quantum exigant à Sacerdotibus Vrim, & Tumim in Rationali posita. n. 45.
Angeli vocantur Sacerdotes, quia populo annunciant Dei voluntatem. n. 47. & 48.
Et ad significandam suæ dignitatis eminentiam. n. 49.
Et propter Angelicam castimoniam. num. 50. 51. 52.
Sacerdotibus Ethnicis, neq; caprea vesci, neq; hederam tangere licebat. n. 50.
Castus Sacerdos prę ferendus ipsis Angelis. n. 52.
Quàm gravi supplicio digni Sacerdotes divinum pactum violantes. n. 56.
Quæ vitæ puritas requiratur in Sacerdote. n. 57.
Sacerdotes sibi conflat, & purificat Deus. Malach. 3. n. 21. & 22.
Notabile Sacerdotibus documentum orandi pro populo. Coloss. 1. n. 30. 31.
Sacerdotes, Clerici dicuntur, quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors illorum est. Coloss. 1. n. 93.
Insigne olim Sacerdotis, corona ex aurea lamina. Iacob. 2. numer. 34.

Sagittæ.

VIde verb. Supplicium.
Sagittæ Dei dicuntur supplicia impro bis divinitus illata. Deuteron. 32. num. 191. 192.
Contendit Deus arcum, ut feriat vehementiùs. n. 193.
Fulmina iactat à benè curvato arcu nubiũ. n. 192.
Ipsis sagittis emissis dextera sua robur addit. núm. 193.
Eas veneno tingit, ut insanabile vulnus infligant. n. 194.
Collimat in partes maximè vitales, id est, renes, & corda. n. 195.
Etiam fugientes figit non aversos, sed adversos. n. 196.
Sagittæ ipse cruore inebriantur. n. 196. & 307.

Salomon.

EX nimia affluentia prolapsus ad Idolorum cultum. Deuter. 32. num. 146.

Sanguis.

SAnguis Sanctorũ effusus clamoribus exposcit à Deo vindictã. Deut. 32. n. 320.
Merces operariorum avarè fraudata, quasi effusio sanguinis est. Iacob. 5. num. 16.

Sapientia.

VIde verb. Castitas.
Comparanda vel impensa rerum omnium, quæ nobis cordi sunt. Deuter. 32. num. 72.
Quid propriè sit sapientia. Coloss. 1. n. 77.
Sapientiam assequuntur, qui benè vivunt. num. 85.
S. Franciscus aiebat, tantùm quisq; scit, quantùm operatur. Ibidem.
Primitiæ sapientiæ, timor filialis. Coloss. 1. num. 130.
Præfertur ipsi sapientiæ. Ibidem.
Sapientia orationibus à Deo impetranda. Iaco. 1. n. 27.
Qui coercet linguam, tenet sapientiæ principatum. Iaco. 3. n. 11.
Sapientiam non docet lectio, sed unctio. Iaco. 3. n. 101.
Pacatissima est vera sapientia, modestèq; se gerit. num. 105.
Docilitas est sapientis prudentiæ pars. num. 106. 107. 208.
Inæstimabile omnino bonum est sapientia. num. 111.
Falsa hæreticorum sapientia terrenis bonis per avaritiam inhiat. Iaco. 3 n. 91.

Genio indulget, & in cœno libidinis voluatur.n.92.
Dæmoniacæ ſuperbiæ typho turgeſcit. numer.94.
Cernuntur hæc tria in uno Luthero. n.95. 96.97.98.

Sardanapalus.

VIde verb. Ninive.
Flagitijs infamis: luxui, ac deſidiæ deditus. Nahum. 1.n.155.
Epitaphium, quod in ſuo ſepulcro iuſsit inci di.n.202.
Capta Ninive, ſe in pyram cremandum iniecit. Nahum.2.n.68.
Ignaviſsimi animi eſt, mortem ſibi conſciſcere. Nahum.3.numer.44.

Scandalum.

QVàm grave ſit peccatum. Malach.2. num.54.
Si unius animæ ſalus tanti eſt, ut ob hanc Filius Dei fieret homo; perditio quantam incurret pœnam? Iacob.3.num.7.

Scutum.

IVſtorum ſcutum, & ſatelles, Deus. Iſai. 38.n.76.

Seneca.

EGregium eius monitum. Iſai.38. numer.21.
Hauſit pleraq; ex divinis monumentis, ſignatè, quæ ſcripſit de paterna caſtigatione, qua Deus Filios exercet. Iſai.38.numer.253.
Nobilis eius ſententia, quam refert Lactantius. Malach.1.n.51.
Sapienter divitias comparat febri. Iacob.5. num.5.
Quàm conſentaneè Apoſtolo Paulo ſcribat de redimendo tempore. Coloſſ.4.n.13.
Negat, cœlos fuiſſe conditos, moveriq; noſtra cauſa. Epheſ.2.numer.18.

Servi.

DEbent in Hero ſpectare Chriſtum. Coloſſ.3.n.45.
Non ad oculum ſervientes.n.44.45.
Humiles ſervos, ab imperioſis Heris acerbè tractatos, conſolantur Apoſtoli.n.47.
Cur Heri vocentur Patres familias. Coloſſ. 4.num.1.
Quanta benevolentia proſequi debeant ſervos.n.2.
Sunt humiles amici. Ibidem.

Servire Deo.

DIgnitas ſervorum Dei ſupra Regna totius mundi Iaco.1.n.8.
Deo parere, libertas eſt. Iaco.1, n.141. & Iudæ.n.16.
Apoſtoli gloriabantur, ſe Chriſti ſervos eſſe. Iudæ.n.14.
Deus hoc honorificentiſsimo titulo cohoneſtat iuſtos. numer.15.

Sigillum.

PRimus ſigilli uſus in Sacra Scriptura, ad ſecernendas, internoſcendaſq; res proprias ab alienis. Epheſ.1.n.48.
Secundus, cùm impreſſo ſigillo, fides, auctoritaſq; litteris, aut tabulis publicis conciliatur.n.51.
Tertius; ad claudenda, & obſeranda, quæ oportet diligenter aſſervari.n.60.
Iuſti dicuntur obſignari Spiritu Sancto, qua ſi ſigillo.n.47.
Signatus fuit Chriſtus à Patre, & à ceteris infinito intervallo diſcretus.n.49.
Ex ſigillo Spiritus Sancti cognoſcit Dominus, qui ſunt eius.n.50.
Gratia collata iuſtis eſt authenticum Chirographum, Dei ſigillo munitum, quo ex obligatione iuſtitiæ tenetur illis æternã vitam retribuere.n.62.
Eſt item ſignaculum firmum, quo clauſi, ob ſignatiq; ſervantur. Ibidem.
Annuli ſignatorij magno in pretio, & æſtimatione habiti.n.52.
In ipſa annuli gemma ſolebat effigies aliqua affabrè cælari.n.53.54.
Sponſæ præcipit Deus, ut ſui imagine utatur pro ſigillo.n.55.
Eleemoſyna collata pauperi, eſt quaſi Dei ſyngrapha, ipſius ſigillo obſignata. num. 57.& 58.
Annulus dari ſolitus pro arra. Gratia verò Spiritus Sancti, arra, & pignus eſt æternæ beatitudinis. num.63.64.65.

Smaragdus.

OBtigit Leviticæ tribui in Rationali ſummi Sacerdotis. Malach.2.n.51.
Eſt ſymbolum caſtimoniæ. Ibidem.
Admirabilis ei' antipathia cũ libidine.n.52.

Socrates.

MEmorabilis eius sententia. Iacob.4. numer.16.
Verba quædam parum pudica usurpaturus, pallio caput obvelavit. Iudæ.num.9.

Sodoma.

SPecioſa arborum poma ſolo attactu cineſcunt. Deut.32.n.241.242.
Eos, qui ob libidinem præpoſteram de cœlo tacti conflagrarunt, ſalvatos fuiſſe, etſi non refutet, non tamen exiſtimavit Hieronymus. Nahum.1.n.145.146.
Præpoſtera turpitudo ne nominanda quidē eſt. Iudæ.n.91.
Sodomitæ abeunt poſt carnem alterā. n.93.
Scelus eſt, quod non proficit ſcire.n.94.
Meritò punitum cæcitate. n.100.
Cur ſulphure conflagrarint Sodomitæ. numer.101.102.
Extat adhuc horrenda, ac perpetuò fumigabunda ſoli facies.num.103.

Sol.

IN nocte Nativitatis Chriſti curſum accelleravit. Iſai.38.n.98.
Et in die reſurrectionis.n.99.
Atrociſſima ſupplicia intentat Deus ſolis obſcuratione. Malach.4.n.10.
Sunt, qui aſſerant, ſolem ideò extinguendum in die iudicij, quia in fulgentiſſimos Chriſti radios incurret. numer.12.

Somnus.

SOmno ſimilis humana vita: nos ſomnian tibus. Iſai.38.n.184.185.
Peccati ſomnus excutitur vera pœnitentia. Iſai.38.n.240.
Excutiendus tepiditatis ſomnus. Iudæ.n. 105.106.
Cur dormienti falſa viſa libidinis perſuadeant, quod vigilanti vera non poſſunt. num.108.
Cur ſomniantiū gaudia ſint effuſiora.n.109.

Sortes.

ETſi caſus dominari videtur in ſortibus; occulta Dei diſpenſatione temperātur. Deut.32.n.39.
Sortitò diſtributa terra promiſsionis. n.98.
Sors dicitur hæreditas divina, ad quam vocati ſumus. Coloſſ.1.n.93.
Sors non obtingit humana electione, ſed beneplacito Dei.n.94.& Epheſ.1.n.38.39.40.

Spes.

FIgenda in Deo, etiam in rebus deſperatiſsimis. Iſai.38.n.24.
Spem excitat bona conſcientia. n.30. & 33.
Ex ſpe redundat gaudium: & uſq; eò copulantur ſpes, atq; lætitia, ut ſpem habere idem ſit in Scriptura, atq; eximiè lætari. n.35.& 36.
Cur Sancti Patriarchæ in Limbo dicantur vincti ſpei. Iſai.38.n.293.294.
Spes allicit Deum ad opem ferendam. Nahum.1.n.129.130.
Spes excitat ad erogandam eleemoſynam. Coloſſ.1.n.41.
Spes mortalium ſunt vigilantium ſomnia. n.44.
Noſtra ſpes repoſita eſt in tuto.n.42.43.
Non erit ſpes, niſi antecedat fides.n.46.
Anchoræ ſpei aduncidentes mordicus apprehenſam tenent divinam veracitatē.n.47.
Iuſtorum ſpes nō ſolùm eſt ſpes gloriæ, ſed eſt etiam gloria ſpei. Iaco.1.n.67.
Ducta ſimilitudine ex agricultura excitamur ad ſpem. Iaco.5.n.31.32.33.
Spe conreſuſcitati ſumus in Chriſto. Epheſ.2.n.22.23.& 24.
Domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur.num.78.

Spiritus Sanctus.

VIde verb. Sigillum.
Cur gratiam poſtulans Paulus, tantū meminerit Patris, & Filij. Coloſſ.1.n.25.
Spiritus Sanctus vocatur Virtus, id eſt, robur, ac potentia.n.87.88.
Dono fortitudinis obarmat fidelium pectora adverſus impetus hoſtiles.n.87.
Habitat in animis iuſtorum. Iaco.4.n.24.
Flagrantiſsimo ſponſi zelo, etiam uſq; ad invidiam exardeſcit.n.23.24.25.26.
Certat cū ſuo rivali beneficētia, ut abductas reducat animas.n.28.29.30.
Ferreus ille ſit, à quo Spiritus Sanctus amorem non extorqueat. n.32.
Promiſsi, vel promiſsionis nomine Spiritus Sanctus denotatur. Epheſ.1.n.46.
Spiritus ille vivificans totum animat myſticum corpus. Epheſ.4.n.6.
Caritas repręſentat Spiritum Sanctum. Iudæ.n.32.

Oratio fervens, ac perseverans Spiritum Sãctum impetrat. Iudæ.n.231.
Ipse Spiritus Sanctus unicus est effector, & magister orationis. numer.232.

Spondere.

DEhortatur sæpe Spiritus Sãctus ab spõsionibus. Isai.38.n.219.
Deum precatur Ezechias, ut se vadem pro illo, ac fideiussorem interponat.n.222.
Idem obsecrat David.n.223.
Et Iob.n.224.
Deus verò debitum ipsum appendit.n.225.
Defixis in cruce Sãctissimis suis manibus.n.226.

Superbia.

Illustrissimum Divinitatis argumẽtum est, superbos deprimere, humiles attollere. Deut.32.n.290.
Deus superbis resistit. Iaco.4.n.33.34.35.
Superbia est omnium ferè hæresum mater. Iudæ.n.171.
Vani hominis est, esse superbũ. Iudę n.177.
Superborum vitium est, arroganter deblaterare. Iaco.3.n.17.&18.
Superbia plerunq; parit confusionem. Iudæ.n.184.185.186.
Cæcas tenebras offundit menti. num.224.

Supplicia Dei.

VIde verb. Sagittæ, & verb. Providẽtia. Iracundia Dei, ex zelo concepta, atrocissima supplicia sumit de anima adultera. Deut.32.n.150.151.152.
Avertit Deus oculos, dum punit, ne flectatur misericordia.n.169.
Irridet peccatores, supplicia commerita luẽtes. Deut.32.à n.171.usq; ad 174.
Quatuor plagas infert Deus peccatoribus. Deut.32.n.189.
Prima est siccitas terræ, & fames. num.185. 190.197.
Secunda plaga est, pestilentiæ lues.n.199.
Ad eam infligendam solet Deus abuti dęmone.n.200.201.202.203.
Vocatur morsus amarissimus. n.205.
Tertia plaga est bestiarum, leonum, ursorũ, &c. n.206.207.
Quarta deniq; hostilis exercitus, ingensq; pavor in præcordijs conceptus. num.212.213.
Non parcetur infantibus, virginibus, aut senibus.n.214.
Saniorem mentẽ optat Deus peccatoribus, ut evitent supplicia. Deut.32.n.227.
Vendit eos iratus suis hostibus. n.235.
Peccata accelerant tempus præstitutum ad sumendũ suppliciũ. n.269.270.271.272.
Etsi personam punientis sumit Deus, facilè tamen flectitur misericordia. Deut.32. n.293.294.
Intentat supplicia, ut ea homines avertant pœnitentia. Isai.38.n.15.
Misericordiæ genus in supplicio est, citò occidere. Isai.38.n.245.
Gravissimum Dei supplicium est, iram in posterum peccatoribus reservare. Nah. 1.à n.39.usq; ad 45.
Iratus Deus innoxios æquè punit, ac noxios. Nahum.1.n.38.75.&81.
Temporaria supplicia stillæ sunt, collata cũ diluvio cruciatus æterni. n.116.
An puniat Deus bis in id ipsum. Nahum.1. à n.145.usq; ad 150.
Quæ causæ sint puniẽdi publicè delicta. Nahum.3.n.24.
Insignis vindicta impietatis est, Deum magnam, & diuturnam prosperitatem indulgere peccantibus. Malach.3.n.74.
Impij comparantur aridæ materiæ, faciliq; ad concipiendum ignem divini supplicij. Malach.4.n.6.
Saginantur ad supplicium, tanquam victimę aris destinatæ. Iaco.5.n.24.25.
Nullum atrocius supplicium infert Deus, quàm cùm hominem deserit, & suis cupiditatibus tradit. Iudæ.num.206.207.

Supplicium à Magistratibus sumptum.

POtest pœna dilata exigi, non potest exacta revocari. Iaco.1.n.119.
Lege cautum fuit, ut dies abirent triginta, priùs quàm sententia capitalis executioni mandaretur. n.120.
Cur Romanorum virgæ, securesq; circumligatæ loris. n.121.
Ab irato nunquam sumendum supplicium. Ibidem.
Præcipua ratio sumendi publicè supplicium, est exemplum. Iudæ. numer.95.

Templum.

FAciem ad illud convertit Ezechias oraturus. Isai.38.n.21.22.&23.
Ardẽti desiderio flagrabant Patriarchæ adeundi Templum, & in eo Deum adorandi. n.135.136.

Molestissimè ferebant privari tanto bono. num. 138.
Templum illud antiquũ honorandũ à Christo sua præsentia corporali. Malach. 3. n. 10. & 11.

Tempus.

TEmporis velocitas magis apparet respicientibus. Isai. 38. num. 147.
Tempora cur LXX. verterint, sortes. Isai. 38. n. 164.
Dum ad pœnitendum tempus accipitur, & ad peccandum exhibetur: ipsum remediũ gratiæ vertitur in augmentum culpæ. Iaco. 5. num. 14.
Tempus redimendum impendio rerum, quę nobis illud eripiunt. Coloss. 4. n. 11. 12. & 13.
Quæ sit plenitudo temporis, & consummatio sæculorum ad mysterium Incarnationis. Ephes. 1. numer. 33.

Tenebræ.

CVR dæmones vocentur tenebræ. Coloss. 1. num. 102.
Potestas tenebrarum quæ. num. 102. 103.

Tentatio.

CVR sæpe idem sit, ac tribulatio. Iaco. 1. num. 15. & 16.
Alia est tentatio probationis, qua Deus tentat iustos: alia suggestionis, qua diabolus. Iaco. 1. n. 73. 74. 75.
Diabolus tentat, ut subruat: Deus, ut coronet. n. 74.
Dæmon insigniter vocatur Tentator. n. 75.
Nostræ infirmitatis conscij petimus à Deo, ne in tentationum certamen descendamus. Ibidem.
Per hominem stat, quo minùs resistat tentationi. n. 76.
Reportata victoria, parantur coronæ purpureæ, quæ cũ laureis Martyrum, si minùs plagarũ cruciatu, certè diuturnitate certaminis æquentur. n. 77. 78. 79.
Vnico verbo, *Nolo*, omnis tentatio superatur. Iaco. 4. n. 39. 40.
Nostra victoria Dei protectione acquiritur. n. 41.

Tepiditas.

APpositè exprimitur somno profundi Letargi. Iudæ. n. 106.
Ardẽter Chrysologus intonat tepidis. n. 105.
Christus excitator mentium discutit hunc somnum, numer. 106.

Timor Dei.

TImere Deum, idem est in Scriptura, ac illum colere, & adorare. Et viri timorati vocantur Religiosi. Malach. 2. n. 325.
Corona sapientiæ timor Domini. Coloss. 1. n. 130.

Tribulatio.

DIcitur Deus simul affligi cum iusto. Deut. 32. num. 75.
Tribulatio vehemẽs vocatur fornax. Deut. 32. num. 73.
In medijs angustijs non permittit Deus iustos angustiari. n. 114.
Dei proprium est tribulare, & rursus à tribulatione eripere. Deuter. 32. num. 290. 291. 292.
Res adversæ sunt apparitores, qui nos supremo iudici sistunt. Isai. 38. n. 17.
Adiutor opportunus Deus est, cùm maximè premit tribulatio. Nahum. 1. num. 121. 122. 123.
Adversæ res se domant, & docent, quid opus sit facto. n. 160.
Eripit iustos Deus è præsentissimis periculis. Nahum. 2. n. 87.
Tribulatio iustis est materia redundantis lætitiæ. Iaco. 1. n. 14.
Vocatur tentatio, quia nihil æquè periclitatur virtutem. n. 15. 16.
Stimulantur iusti dolore, sed eum opprimunt fortitudine. n. 17. 18.
Tribulatio est lapis lydius, quo probatur aurum virtutis. n. 20.
Ignis, quo excoquitur. n. 21.
Quo vasa fictilia durantur, & dealbantur. num. 22.
Divexari iustos, est gloria cumulari. Iaco. 1. num. 54. 55.
Gratias debent agere Deo iusti conflictati. Iaco. 5. n. 40.
Sancti ferentes multa perpessu aspera, suo nos exemplo excitant ad sustinentiam. n. 41. & 42.
Tribulationibus acquiritur perfectio. num. 45. & 46.
Nihil æquè, ac patientis Christi exemplũ, roborat ad tolerantiam. num. 49. & 50.
Pati propter Christum, optabilius videtur Chrysostomo, quàm regnare cum Christo. Ephes. 3. num. 3. & 4.

Vendere.

QVi peccatores dicantur venundati, ut faciant malum. Nahum 3. nu. 16.
Arctissima peccati servitus nu. 18.
Dęmonis, & cupiditatum imperio mancipātur. nu. 17.
Pretiū huius venditionis est fœda voluptas, umbraticus honor, exiguū lucellū. n. 19.
Syngrapham Diabolo subscribunt. nu. 20.
Hoc chirographū delevit Christus suo sanguine. Colos. 2. nu. 58.

Veniale peccatum.

NEmo, quamvis perfectissimus, evitare potest omnia venialia, nisi ex singulari privilegio. Iaco. 3. nu. 10.
Iusti, quatenus per humanam fragilitatem licet, peccata venialia sedulò devitant, & meritò dicuntur immaculati. Ephes. 5. nu. 41. 42. 43.

Verbum Dei.

COmparatur cum pluvia. Deuter. 32. nu. 19. 21. & 22.
E cęlo expectandum. nu. 22. (nu. 16.
Flectit, atque emollit ipsas petras Deut. 32.
Cur verbum insitum appelletur. Iaco. 1. numero 129. 130. 131.
Nihil æquè disponit animum ad cæleste verbi satus, ac mansuetudo. nu. 232.
Non auditores verbi, sed factores iustificantur. nu. 133. & 134.
Speculum est verbum Dei. nu. 136.
Deus per internam illustrationē aperit cor ad excipiēdū verbū. Colos. 4. n. 6. 7. & 8.

Veritas.

PEr antonomasiam significat Evangeliū. Colos. 1. nu. 49.
Opponitur umbris, ceremonijsque Iudaicis. nu. 59. 60. 61.
Fidei veritas inconcussa. nu. 58.
Congruentissimè veritas copulatur cum luce. Ephes. 5. nu. 7. & 8.

Via iustorum.

DEducit Iustos Deus per vias planas. Malach. 2. nu. 38.
Semitas illis æquat ad libellam. nu. 39.
Portat eos in brachijs suis. Deut. 32. n. 112. 113. 115.
Everrit ipsam viam, tollitque lapides, ne fortè impingant. Malach. 3. nu. 6. & 7.

Victima.

SElectissimas victimas præcipit Deus immolari sibi. Malach. 1. nu. 40. & 77.
Agnus immaculatus non est unius coloris, sed omnibus constans membris, & nulla insigni deformitate fœdatus. n. 40. & 41.
Non immolatione, & sanguine multo colēdus Deus, sed mente pura. nu. 51.
Cur munera Cain displicuerint Deo. n. 52.
Eximiæ, & egregię cur dicerentur victimę. nu. 75. & 76.
Victimæ nomine denotantur impij ad supplicium saginati. Iaco. 5. nu. 24. 25.

Victoria.

SOliti sunt victores eorum, qui victi fuerant, colla calcare. Malach. 4. nu. 18.
Christi hostes protriti sunt illius pedibus. nu. 19.
Suis etiam militibus dęmones prosternendos, calcandòsque subiecit. nu. 20.
Sancti in die Iudicij, tanquam vilissimum pulverem, calcabunt impios. nu. 21.

Vinum.

VIde verb. Mulier.
Vocatur sanguis terræ. Deu. 32. n. 141.
Rubrum erat Palestinæ vinum. Ibidem.
Per vinum exprimitur furor. nu. 248.
Gentiles largè vinum potabant in suis sacrificijs. n. 285. 286.
In prælia trudit inermes. Nahum. 1. nu. 37.
Vino sepulti dicuntur ebrij. Nahū 3. nu. 63.
Venter vino æstuās despumat in libidinem. Ephes. 5. nu. 30. 34. 36. 37. 38.

Virtus.

VEra virtus, Dei, qui falli non potest, iudicio approbatur. Colos. 1. nu. 150.
Virtutum heroicarum splendor perstringit oculos mundanorum. Iaco. 4. n. 53.
Qui eas carpunt, & rodunt, legi Evangelicę detrahunt. nu. 52.

Vita.

QVę sit consistens ætas, seu incrementum summum. Isa. 38. nu. 112. 113.
Respicienti anteactā vitā apparet tota merum nihil. Isai. 38. nu. 147. 148. 149.
Tabernaculi cum vita similitudinem qui exposuerint. nu. 156.
Vitę filum subitò sępe abrumpitur. n. 167.
Telę cum vita similitudo. nu. 168.
Comparatur araneæ ob summam fragilitatem. n. 170. 171. 172.
Quàm multi ex gaudio, vel mœrore subitò obierint. nu. 173. 174. 175.
Totius vitæ periodus unius diei instar esse videtur. nu. 176. 177.
Comparata cum æternitatē vix est gutta aquæ, aut calculus arenæ. Ibidem.
Etiam per se spectata vita non attingit diē artificialem. nu. 178.
Similis est flosculis, qui unico die vigent, ac florent. nu. 179.

Punctum est, & umbræ somniũ. n. 180. 181.
Bullę simillima. nu. 182. 184.
Tota vita nihileitates. nu. 183.
Somniantibus similes sumus. nu. 184. 185.
Satis, superq; flagellorũ est, in humanæ vitę miserijs tolerandis. Isai. 38. n. 244. 245.
Diuturnitas huius vitæ assiduis laboribus conflictatę, acerbius ipsa morte suppliciũ est. nu. 245. 246. 247.
Beneficium Dei est, contrahere vitæ spacia. nu. 248. 249.
Vitę inconstantia, & fortunę vicissitudo significanter exprimitur symbolo Rotę. Iaco. 3. nu. 35. 36. 37. 38.
Incertus est dies crastinus. Iaco. 4. num. 57.
Nemini, quãtũvis adolescẽti, exploratũ esse potest, se ad vesperũ usq; victurũ. nu. 58.
Ne horam quidem habemus certam. nu. 59.
Vita similis navi. nu. 60.
Vapori tenuissimo. nu. 62.
Cogitationi, aut loquellæ. nu. 63.
Tota vita est ipsissima vanitas. nu. 64.
Cùm aliquid nos in posterum facturos pollicemur, præfandum, si Dominus voluerit. nu. 65. 68. 69.
Omnia imaginaria in sæculo, & nihil veri. Iudæ nu. 104. 105.

Vltio.

VIde verb. Patientia.
Supremi Iudicis officium est, iniurias ulcisci. Deut. 32. nu. 267.
Vltio Divina vocatur iudiciũ, quia æquissima iustitiæ lãce expẽditur. Deu. 32. nu. 306.
Deus ultionum cur vocetur Deus. Nahum 1. nu. 31. 32. & 33.
Lento gradu ad vindictam Divina procedit ira. nu. 32.

Voluntas Dei.

MAgnum Dei beneficium est, impertire cognitionem suæ voluntatis. Colos. 1. à nu. 71. usque ad 75.
Exquirendum summo studio, quę sit voluntas Dei bona, quæ beneplacens, quę perfecta. nu. 74.

Voluptas.

NOn sunt spectandæ voluptates advenientes, sed abeuntes. Deu. 32. n. 229.
Doloris aculeos infixos relinquunt. n. 230.
Et seram consilij mutationem. n. 231.
Nihil tam adversum consilio, quàm voluptas. Ibidem.
Qui Auctores copiosè tractaverint de mœstitia orta ex voluptate. nu. 232.
Voluptas hebetudinem, & insipientiam parit. Colos. 1. nu. 20.

Votum.

REbus in extremum discrimen adductis, mortales ad vota confugiunt. Nahũ 1. nu. 211.
Insigne Romuli votum. nu. 212.
Vota nuncupata pro recuperanda valetudine. nu. 212.
Vota semel concepta exactissimè reddenda. nu. 213. 214.
Voti reus lectissimas pecudes offerebat Deo. Malach. 1. nu. 75.
Obversari debet ob oculos maiestas eius, cui vota nuncupavimus. nu. 79. & 80.

Zelus.

VIde verb. Invidia.
Quid propriè sit. Nahum 1. nu. 24. & Iaco. 3. nu. 80.
Quatenus in Deum zelus cadat. Deute. 32. nu. 147.
Nullus spõsus adeò zelotypus est, aç Deus. nu. 148. 149.
Iracundia ex zelo longè vehementissima. nu. 150.
Superat furorem. num. 151.
Zelotes Deus atrocissima supplicia sumit de anima adultera. n. 252.
Vbi despici se videt, alterum cumulat beneficijs, ut rivali prę invidia oculi doleant. nu. 179. 180.
Furor ex zelo est, quasi voracissimus ignis. Deut. 32. nu. 186. 187. 188.
Deus instar zelotypi invidet mundo pellicienti animas sibi desponsatas. Iaco. 4. nu. 23. 24. 25. 26.
Certat cum mundo, rivalemque suum largitionibus superat, ut abductas animas ad se convertat. nu. 28. 29. 30. 31.
Incarnatio Verbi Divini fluxit ex zelo Dei. nu. 30.

Zelus Animarum.

VIde verb. Concionator.
Divinissimum munus est, cooperari Deo. Iaco. 5. nu. 79.
Pretiosissima res est anima, quę Christi sanguine stetit. Ibidem.
Etsi immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si unam converteris animam. nu. 80.
Vbi periculum animarum instat, omni festinatione acceleranda est ad opem ferẽdam. Iudæ nu. 238. & sequentibus usque ad 248.
Affectum commiserationis concipiat zelator animarum. nu. 245. 246.

FINIS.

IN-

INDEX RERVM MEMORABILIVM, VERBORVM, PHRASIVMQVE, AC REGVLARVM sacræ Scripturæ, quæ in his Commentarijs continentur.

LECTORI.

QVM omnia sacræ Scripturæ testimonia, quæ afferuntur in illis locis, ad quos Lectorem remittit proximus Index Moralis, iuxta literalem intelligentiam explicentur, quam solam in his Commentarijs sequuti sumus, ut facilè ex toto eorum decursu prudens Lector animadvertet; debet etiam simul in animum inducere, ea, quæ in superiore Indice citantur, non minùs valere ad sacram Scripturam iuxta historicum sensum intelligendam, quàm ad formandam vitam, moresq; instituendos. Ac proinde si aliquid requirat in hoc Indice, & non inveniat, recurrat ad superiorẽ; in quem ea de causa coniectum est, quod hîc desideratur, quòd Concionatoribus usui futurum videretur; quorum pios labores pro nostra tenui parte adiuvare, maximè nobis cordi fuit.

Ab.

DOnitur loco *præ*, & deservit comparationi. Malach. 2. nu. 14.

Abies.

Per abietes solent significari Proceres. Nahum 2. num. 48.

Abscondo.

Abscondere Deum, aut illustrare faciem, quid sit. Deuter. 32. à num. 166. usque ad 169.

Accingo.

Accingere lumbos, habitus pręliantis. Nahũ 2. num. 11.

Accincti, id est, armati. num. 12. 13.

Accipere.

Sæpe in Scriptura sacra idem significat, ac dare. Ephes. 4. num. 16.

Adagium sacrum.

Nõ clausus, neq; derelictus. Deu. 32. n. 279.

Addicere.

Interdum significat, reum capitali sententia ferire. Iaco. 5. num. 26.

Addo, adijcio.

Frequens horum verborum Hebraismus. Nahum 1. n. 220.

Adeps.

Significat, quidquid est in re qualibet selectissimum. Deut. 32. nu. 140.

Adipem victimæ comedere, capitale erat Israelitis. Deut. 32. nu. 281.

Alioqui adipalia, & medullata in delicijs habita sunt. n. 284.

Admiratio.
Repentina, atque inſperata calamitas admirationem,& commiſeratione commovet. Nahum 2.nu. 89.& cap. 3.nu.25.

Adorare.
Sumitur interdum pro ſacrificare.Malac.1. nu.56.

AEdificare.
Non ſolùm eſt, propagare ſobolem, ſed firmam,& ſtabilem felicitatem conſtituere. Malach.3. nu.61.62.

AEgyptiaca ſervitus.
Vide verb. Populus Hebreus.
Vocatur fornax ferrea. Deut.32.nu.73.
Ergaſtulum.nu. 74.
Deus dicitur affligi cum ſuo populo.nu. 75.
Inde redemit eos in brachio extẽto.nu.76.

AEquitas.
Semitę æquitatis quæ ſunt in arcano ſermone.Malach.2.nu.38.& 39.

AEſopus.
Apologus de mantica anteriore, & poſteriore.Iſa.38.nu.270.

Agape.
Convivium ſolenne erat, ſanctis pauperibus exhiberi ſolitum.Coloſ.1.nu.40.
Quàm ſanctè,& honeſtè celebraretur.Iudæ nu.175.

Alexander Magnus.
Facetum eius dictum. Iſa.38.nu.65.
Nihil cunctando orbem ſubiecit.Nahum 2. nu.43.
Nobile apophthegma Alexandri. Iudæ numero 34.

Amarantus.
Flos purpureus, nunquam marceſcens. Iaco.1.nu.71.

Ambulare.
Ambulare cum Deo, idem eſt, ac placere Deo.Iſai.38.nu.37.38.
Ambulare in æquitate, id eſt, per vias planas. Malach.2.nu.38.& 39.

Ananias.
Subitò expiravit, poſita ob oculos peccati fœditate.Nahum 1. nu.109.

Anathema.
Quid ſit anathema,& anathematizare,in ſacro ſermone.Malach.4.nu.38.& 39.

Angelus.
Vide verb.Exercitus.
Angelus nomen eſt non Naturæ,ſed officij. Malach.2.nu.47.
Vtrùm par futurus ſit Angelorum, & ſalvandorum hominum numerus, incertũ. Deut.32.nu.87.
Opinatio Agellij de Angelis principãtibus, arguta potiùs,quàm ſolida. nu.90.
Deus ſingulis populis ſingulos Angelos præfecit.nu.94.
Septem præcipuis Angelis rerum inferiorum cura demandata.nu.95.
Angelus ſuſtinuit Dei perſonam in apparitionibus,quæ fiebant Patriarchis.Deut.32. nu.123.124.
Angelus luctatus eſt cum Iacob. num.125.
Apparuit Moyſi in flamma ignis de medio rubi.nu.127.
Promulgavit legem in monte Sina. Ibidem.
Angeli Sacerdoti ſacrificanti procumbunt. Malach.2.nu.49.
Magni conſilij Angelus vocatur Chriſtus. num.47.
Et Angelus Teſtamenti. Malach.3. nu.12.
Quomodò Chriſtus pacificaverit Angelos. Coloſ.1.nu.140.141.142.
Angelis collata eſt gratia merito Chriſti. num.140.
Hæretici Chriſto præferebant Angelos.Coloſ.2.nu.79.80.& 81.
Vnde pernotuerint Paulo Angelorum chori,ſive ordines.Epheſ.1.nu.81.
Etiam ſupremi Seraphini ad Chriſti pedes provoluti,omnino ſubiecti illi ſunt.n.84.
An Angeli multa myſteria Gratię didicerint ab Apoſtolis. Epheſ.3.à nu.27. uſque ad 34.

Anima.
Sumitur pro vita, & interdum pro toto homine.Iſai.38.nu.268.

Annulus.
Vide verb.Sigillum.
Annulus aureus fuit Nobilitatis inſigne. Iaco.2.nu.6.
Ornamentum cultus nitidioris.nu.7.
Baronius affirmatè ait, apud Iacobum ſumendum eſſe pro fibula.nu.5.
Refellitur eius opinio à nu.6. uſque ad 9.
Annuli ſignatorij quanto in pretio habiti. Epheſ.1.nu.51.52.
In gẽma ſolebat effigies aliqua affabrè inſculpi.nu.53.54.
Annulus dari ſolitus pro arra.nu.65.

Aoriſtos.
Aoriſti tempus quam vim habeat apud Græcos.Coloſ.1.nu.33.
Qualiter ſoleat vertere Vulgatus. num.33. 34.35.

Apelles.
Cur inſcriberet tabulis pictis, faciebat. Deu. 32.num.29.

Appareo.

Apparere coram Domino, quid sit. Isai. 38. nu. 142. 143.

Aquila.

Ardentissimè diligit pullos. Deut. 32. numero 111.

Aquilæ comparatur Deus. num. 112. 113.

Aranea.

Et telam significat, & ipsam bestiolam. Isa. 38. num. 171.

Aranearum telis res fragiles comparantur. num. 170. 172.

Arca Testamenti.

Virtus, & gloria nominatur. Isa. 38. nu. 137. 138.

Arias Montanus.

In Regia illa recognitione versionis Pagnini, pleraque perperam novat. Deut. 32. nu. 246. & Malach. 3. num. 9.

Caput absolutè ponit pro veneno. Ibidem.

Haurit interdum de Rabbinorum fæce. Isa. 38. num. 9.

Falsò existimavit, nō retrogressum esse Solem, sed umbram duntaxat horologij. Isa. 38. nu. 101. 102. 103.

Temerè detorquet Malachię vaticinium ad Gentilicas oblationes. Malach. 1. nu. 54.

Industriæ ostentatione sententiam per se planam aut invertit, aut obscurat. Malach. 3. nu. 9.

Vna vocula perperam suppositа, duplex telū de Cātholicorū manibus extorsit. nu. 10.

Nullibi periculosiùs errat, quā vertens Psal. 15. *foveam* pro *corruptione*. Ibidem.

Aristomenes.

Cor eius repertum est pilis hirsutum. Nahū 2. nu. 78.

Astra.

Vide verb. Stellæ.

Crebrò nominantur militia cæli. Nahum 2. num. 112.

Attributio.

Opera Trinitatis externa, cùm individua sint, modò uni, modò alteri personę attribuuntur. Malach. 3. nu. 2. Colos. 1. nu. 8. & cap. 2. nu. 54.

Audire.

Est acquiescere, & obedire. Malac. 2. nu. 3.

Auditio.

Pronuncio dici solet de re famosa. Nahum 3. nu. 67.

Baculus.

Baculus panis, cur dicatur. Deut. 32. n. 197.

Basan.

Pascuis uberrimis abūdabat. Deu. 32. n. 139.

Belial.

Quid propriè significet. Nahum 1. nu. 215. 216. 217. 218.

Benedicere.

Sępe idem est, atque gratias agere. Colos. 1. nu. 27. & Ephes. 1. nu. 6.

Benedicere Deum hominibus, est eos locupletare. Ephes. 1. nu. 5.

Benedictio in arcano sermone, est rerum expetendarum affluentia. Ibidem.

Benedicere interdum est, fausta, ac fælicia precari. nu. 6.

Bombarda.

Deus exserens potentiam adversus hostes comparatur æneæ bombardæ. Nahum 1. à nu. 82. usque ad 86.

Bonum.

Quàm fœcunda vox sit in arcano sermone. Nahum 1. nu. 118. 120.

Borboritæ.

Sive Borboriani, id est, lutulenti, atque cœnosi. Nomen inditum Hæreticis ob fœdas libidines. Iudæ nu. 9.

Brachium.

Symbolum roboris, auctoritatis, & potentiæ. Malach. 2. nu. 19.

Conterere brachium. Ibidem, & num. 20.

Bruchus.

Quæ bestiola sit, & quàm numerosa. Nahū 3. nu. 50. 51. 58.

Devorantis nomine exprimitur. Malach. 3. num. 48.

Cadaver.

Vocatur ruina in arcano sermone. Nahū 3. num. 11.

Cæli.

Cæli, & creaturæ insensibiles sunt testes adversus peccatores. Deut. 32. num. 12. & sequentibus.

Cæsar.

Acerbissimè tulit, filium unum esse de Coniuratis. Deut. 32. nu. 64.

In tempestate inclamavit Navarcho metuenti: Fortuna Cæsarem te comitatur. Isa. 38. num. 84.

Vicit victoriam, cùm seipsum vicit. Nahū 1. num. 56.

Coniuratorum epistolas non lectas simul exussit. nu. 6.

Caietanus.

Audacter vocat prophanam Iacobi salutationem. Iaco. 1. nu. 12.

Sed eamdem salutationem Angelus, Apostoli, atque adeò ipse Christus usurparut. num. 13.

Temerè negat promulgari à Iacobo Sacramentum extremæ unctionis. Iaco. 5. numero 63. & 64.
Argumento frivolo à communi explicatione recedit. nu. 73.
Quid de auriculari confessione senserit. numero 74.
Dæmones præditos esse corpore quodam subtili comminiscitur. Ephes. 2. nu. 5.
Perperam explicat, omnes nos esse natura filios iræ. nu. 10.
Futili ratiuncula negat, haberi ex Paulo, Matrimonium esse Sacramentum. Ephes. 5. nu. 44. & 45.
Falsò affirmat, Epistolam Iudæ minoris esse auctoritatis, quàm cæteras Scripturas Canonicas. Iudæ nu. 3.

Caligæ.

Interdum sunt ocreæ militares; nonnunquà sandalia. Ephes. 6. nu. 40. & 41.

Caput.

Membrum corporis divinissimum. Colos. 1. nu. 127.
Cur sumatur pro veneno. Deut. 32. n. 244.
Caput abrasum, habitus vilissimæ servitutis. Deu. 32. nu. 316.
Hebræi caput tondebant in luctu. nu. 317.
Hoc erat interdictum Sacerdotibus. n. 318.
Movere caput, interdum admirationis cum commiseratione coniunctæ; interdum irrisionis signum erat. Nahum 3. nu. 26.

Castigare.

Corripere in iudicio, id est, misericorditer. Deut. 32. nu. 43.

Castra.

Dicta quasi casta: nam nunquam ijs intererat fœmina. Iudæ nu. 167. 168.

Cataractæ.

Quæ dicátur cataractæ cæli. Malac. 3. nu. 44.

Catholicus.

Quid propriè significet, & cur quædà Scripturæ Catholicæ nominentur. Iudæ nu. 4.

Celeuma.

Quid sit cantare celeuma. Deu. 32. nu. 311.

Cherintus.

Angelos præponebat Christo, & Iudaicas superstitiones inculcabat. Colos. 1. nu. 1.
Refellitur eius errores ab Apostolo. Colos. 1. nu. 120. 121. 134. & cap. 2. nu. 80.
Angelis collata est gratia merito Christi. numero 140. & cap. 2. nu. 41.

Chirographum.

Quid propriè sit. Colos. 2. nu. 57.
Chirographum decreti, lex ceremonialis. à nu. 59. usque ad 63.

Cinctuti.

Id est, accincti ad præliandum. Nahum 2. nu. 11.

Claudius.

Quæsitus ad cædē, miro fortunæ lusu, creatus est subitò Romanorum Imperator. Colos. 1. nu. 105.

Clypeus.

Clypeus ignitus quis dicatur. Nahum 2. num. 23.
Solini inaurari clypei, ut hostium oculos perstringerent. Ibidem.
Ab hoc splendore commendatę sępe acies. nu. 25.
Solebant appendi è turribus, quas gestabāt Elephanti. nu. 27. 28.

Coccus.

Coccus, & purpura in rigore diversa sunt, sępe tamen confunduntur. Nahum 2. numero 33.
Paludamenta militaria, ut plurimùm fuere purpurea. nu. 30 & 31.
Chlamys coccinea quæ fuerit apud Evangelistas. nu. 33.
Et pallium coccineum apud Iosue. nu. 34.
Frequentissimus purpurę usus apud Babylonios. num. 35.
Rubeus color sanguinem ciet, atque adeò irritat bilem. nu. 36. 37.
Lacedęmonij ad occultandum vulnerum cruorem puniceis vestibus utebātur. numero 40.
Et ut sanguinem, cruentamq; pugnam hostibus denuntiarent. nu. 41.
Tunica coccinea in altum sublata, signum erat Romanis committendi prælium. numero 41.

Cognosco.

Cognoscere Deum Iustos, est, non solùm approbare eorum facta, sed etiā fortunare. Nahum 1. à nu. 124. usque ad 128.

Collectæ.

Eleemosynę corrogatę ad sublevādam Sanctorum indigentiam. Colos. 1. nu. 38.

Colossus.

Rhodij Colossi adeò stupenda fuit moles, ut pauci pollicem eius amplecterentur. Colos. 1. nu. 15.
Colossenses non fuere Rhodij. Ibidem.

Comedere.

Sæpe idem est, atque consumere, vastare. Nahum 3. nu. 48. 49.

Compunctio.

Iterdum idem est, ac stupor. Nahum 2. numero 51.

Concinno.
Cur hoc verbum in Scriptura adiúgatur linguæ. Iaco. 3. nu. 33.
Concludo.
Concludere populũ in manu hostium. Deu. 32. nu. 237.
Confiteor.
Sæpe idem est confiteri, atque laudare, sive gratias agere. Isa. 38. nu. 277. 278. 279.
Et confessio, laus, & gloria num. 280. 281.
Audito verbo, *confiteor*, pectora tundi solita in Ecclesia. Isa. 38. nu. 278.
Cõfiteri peccata, est dare gloriam Deo. Malach. 2. nu. 6. 7. 8. & 9.
Consummatio.
Consummationem facere alicuius loci, est illum vastare. Nahum 1. nu. 153.
Consummatio seculorum est plenitudo temporis, & opportuna maturitas Incarnationis. Ephes. 1. nu. 33.
Conversatio.
Bona conversatio est inculpabilis tenor vitæ. Iaco. 3. nu. 88.
Cor.
Corde, & corde, id est, duplici corde. Isa. 38. nu. 42. & 44.
Cor est sedes fortitudinis. Nahum 2. n. 77.
Animantes, quibus cor parvum, audaciores. Ibidem.
Aristomenis cor pilis hirsutum. nu. 78.
Cor nervosum, beneque compactum, robustius est. nu. 79.
Dissolvitur, & liquescit præ formidine cor. num. 80.
Ponere super cor, est accuratè perpendere, seriò, ac diligenter curare. Malach. 2. numero 4. & 5.
Cor sæpe sumitur pro mente, sive intelligẽtia. Ephes. 1. nu. 72.
Cordati dicuntur prudentes; corculum, homo prudentissimus. Ibidem.
Corpus.
Tum in Scriptura, tũ apud Auctores profanos, frequenter sumitur pro cœtu, vel communitate. Iudæ nu. 154. 155.
Crabrones.
An crabrones, & vespæ, de quibus fit mentio in Scriptura, fuerint dæmones. Deut. 32. nu. 203.
Creare.
Sæpe idem est, ac generare. Deut. 32. n. 69.
Item firmare, stabilire. Deut. 32. nu. 81.
Creatura Dei.
Quid sit in sacro sermone. Iaco. 1. numero 108.
Cretenses.
Cur passim dicti mendices. Iudæ nu. 137.
Dæmonium.
Vide Indicem Moralem.
Infame nomen in Scriptura: frequenter sumitur pro Idolo. Deut. 32. nu. 153.
In sacro sermone vocatur pruna, copioso igne candens. nu. 201. 202.
Appellatur etiam avis. nu. 199.
Ob miram nocendi celeritatem nu. 201.
Nunquam permissus est dæmon columbæ speciem induere ad fallendos homines. Isa. 38. nu. 205.
Dare.
Dare gloriam Deo, idem est, ac pœnitentiã agere, & peccata cõfiteri. Malac. 2, à numero 6. usq; ad 9.
Defendo.
Interdum idem est, ac ulciscor; & defensa, vindicta. Deut. 32. nu. 256.
Delphinus.
Mirus Delphini amor in puerum. Nahũ 3. num. 33.
Democritus.
Excæcavit se, defixo obtutu in clypeum à sole collucentem. Nahum 2. num. 14.
Dextra.
Vter locus fuerit apud Veteres honoratior, dextrane, an sinistra, adhuc sub Iudice lis est. Colos. 3. nu. 2.
Christus non tenet in cælo præstantiorem sedem, quàm Pater. nu. 3.
Diagoras.
Diagoræ mors commiseratione, & admiratione digna. Isa. 38. nu. 175.
Dicere.
Idem est interdum, ac deliberatè statuere, aut firmam animo persuasionem combibere. Isai. 38. nu. 109.
Dies.
Ezechiæ dies triplò ferè maior cæteris, & Iosuana etiam productior. Isa. 38. nu. 104. 105. 106. 107.
Dies hominis, aut humanus, quid sit. Iudæ nu. 82.
Dionysius Tyrannus.
Sacrilegum eius dictum adversus providentiam. Nahum 1. nu. 49.
Discinctus.
Militem transigere diem discinctum, multa erat probrosa. Nahum 2. nu. 15.
Dispensare.
Quis sit dispensator fidelis, & prudens. Colos. 1. nu. 165. 166.

Dispersio.

Qui essent fideles dispersionis. Iaco. 1. numero 10. & 11.

Divitiæ.

Divitiæ bonitatis, sapientiæ, gloriæ, &c. phrasis Apostolo familiaris. Colos. 1. numero 174.

Dolor.

Dolor erumpens in questus, & lacrymas, mitigatur. Nahum 2. nu. 63.

Dominus.

Cur Romani Imperatores detrectarent se vocari Dominos. Iudæ nu. 62.

Dormire.

Aut morte extingui, aut opprimi inertiæ somno. Nahum 3. nu. 61. 62.

Dos agilitatis.

Solidè probatur ex loco Malachiæ, cap. 4. num. 17.

Dracones.

Draconũ adeò prodigiosa magnitudo, ut solidos haurriant cervos. Deut. 32. nu. 208.

Ex terrore iniecto, pro numine culti. numero 209.

Incolunt loca vastata, atq; deserta. Malac. 1. num. 12.

Dux.

Quo tempore duces gubernaverint populum Dei. Malach. 1. nu. 42.

Effundere animam.

Quid sit in sacro sermone. Isa. 38. nu. 136.

Effundendi verbum ad copiam, abundantiamque refertur. Nahum 1. nu. 114.

Egregius.

Egregiæ, lectæ, & eximiæ cur dicerentur victimæ. Malach. 1. nu. 75. 76.

Elephas.

Veteres turritos elephantes boves lucas appellabant. Nahum 2. nu. 27. & 28.

Sanguineus color, ob oculos positus, eos acuebat ad prælium nu. 36.

Vel potiùs vinum abundè propinatum. numero 38.

Bibituri in flumine, pedibus priùs turbant aquas. Iudæ nu. 2.

Elias.

Notabilem habitum corporis sumpsit ad orandum. Isa. 38. nu. 199.

Præcursor futurus est secundi advẽtus Christi ad Iudicium. Malach. 4. à nu. 24. usq; ad 28.

Convertet corda Patrum in filios, & restituet omnia. nu. 32. & 33.

Plerique tunc Iudæi obvijs ulnis excipient Antichristum: itaque non omnes traducet ad veram fidem. n. 34. 35. 36.

Enoch.

Placuit Deo, quia semper ambulavit coram Deo. Iudæ nu. 190. 191.

Dei legatione functus est ad Angelos. numero 192.

Translatus est, ne videret mortem. nu. 193.

Etiam num vivus divinitus in Paradiso cõservatur. nu. 194.

Prophetia illius potuit ad posteros per manus tradita pervenire. nu. 195.

Similius vero est, Enoch sacra quædam monumenta, litteris consignata, reliquisse. nu. 196.

Ea tamen iniuria temporum interciderũt. num. 197.

Ea, quæ Enoch sincerè scripsit, sive Iudæi, sive Hæretici, mendacijs, & fabulis respersérunt. nu. 199.

Prænuntiatum est ab Enoch extremum universale Iudicium. nu. 202.

Enos.

Cur dicatur primus cœpisse invocare nomẽ Domini. Deut. 32. nu. 25.

Ephesus.

Metropolis minoris Asię, superbissimo Dianæ templo nobilis. Ephes. 1. num. 2.

Viguerunt in ea urbe studia sapientiæ, & superstitionum Magicarum. Ibidem.

Toto triennio commoratus ibi Paulus. numero 3.

Beata Virgo Maria cum Ioanne Evangelista domicilium in eadem urbe collocavit. num. 2.

Epistola Pauli ad Ephesios longè obscurissima. nu. 4.

Equus.

Notabile factum equi in detestationem incestuosi concubitus. Iudæ nu. 159.

Esau.

A turpi facinore vocatus Edom. Malach. 1. nu. 18.

Exponitur, quo sensu citet Apostolus, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Malach. 1. à nu. 13. usque ad 17.

Evangelium.

Quid significet evãgelizare. Ephes. 2. n. 60.

Evangelistæ.

Nunquam memoria lapsi sunt. Malach. 3. num. 3.

Cur Marcus attribuat Isaiæ Malachię vaticinium. Ibidem.

Eugubinus.

Temerariè pronuntiat de mendo Editionis LXX. Deut. 32. nu. 86.

Asseruit, Deum indutum aereo corpore formasse hominem. nu. 122.

Exemplum.

Ponere in exemplum, quid sit. Nahum 3. numero 23.

Extrema unctio.

Promulgata est à B. Iacobo. Iaco. 5. numero 63. 64.

Eiusque materia, & forma accuratè explicata. nu. 65.

Minister est Sacerdos. nu. 66. 67.

Subiectum capax, Fidelis periculosè ægrotans. nu. 68.

Effectus est in anima quidem Gratię infusio. nu. 69.

Expiat noxas veniales, pœnę alicuius reatũ delet, & territam ęgroti conscientiam animat. nu. 70.

Sanitatem etiam corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, tribuit. num. 71. & 72.

Ezechias.

Ezechiæ morbus, & sanitas. Isa. 38. nu. 1.

Genuit eum Achaz undecim natus annos. num. 2.

Quoto ętatis anno in morbum incideriț Ezechias. nu. 4. & 78. 79. 80.

De causa morbi, quid Rabbini comminiscãtur. nu. 8. & 9.

Cur faciem converterit ad parietem. nu. 21.

Admirabilis eius fiducia. nu. 24.

Quodnam fuerit eius ulcus. nu. 76.

Quale medicamẽtum appositum. n. 71. 72.

Postulavit signum sanitatis. nu. 87.

Non tamen hęsitans diffidentia. nu. 88.

Dolebat se morte prereptum, non spectaturum suis oculis Salvatorem. à num. 126. usque ad 134.

Neque invisurum Templum Domini. à numero 135. usque ad 143.

Et quia sine liberis decedebat. nu. 150. 151.

Facere.

Tunc fecit Deus suum populum, cùm data lege formavit. Deut. 32. num. 80.

Interdum facere, idem est, atq; strages edere, punire. Malach. 3. nu. 78.

Facies.

Facies denigratur, sicut olla, grandi macie torridis, aut formidine perculsis. Nahum 2. nu. 85. 86. 87.

Faciem suscipere, est placabilem se prębere. Malach. 1. nu. 43.

Fel.

Cur sumatur pro veneno. Deut. 32. n. 244. 245. 247.

Fibula aurea.

Ornamentum, quod solis cognatis Regis concedebatur. Iaco. 2. n 5. & 9.

Fidelitas.

Differt à veracitate. Deut. 32. nu. 46.

Fidelissimè prestet Deus, quæ promisit. num. 47.

Per nos stat, quominùs præstet. nu. 48. 49.

Fides.

Quid propriè sit fides miraculorũ. Isa. 38. nu. 93.

Filius.

Filios non procreare, probro ducebatur in Populo Dei. Isai. 38. nu. 154.

Apud Romanos honorificum erat, multos habere liberos. nu. 155.

Posteritatem propagare, magnum Dei beneficium. Nahum 1. nu. 184.

Sine liberis decedere, supplicium. nu. 186.

Filius mortis, id est, capitali sententia feriẽdus. Filius Gehennæ, id est, addicendus ęternis supplicijs. Ephes. 2. nu. 8.

Fornicari.

Sæpe idem est, atque Idola colere. Nahũ 3. nu. 12.

Omnia ferè peccata fornicationis nomine comprehensa. nu. 13.

Fortitudo.

Terra promissionis appellatur fortitudo ob eximiam feracitatem. Deut. 32. nu. 133.

Funiculus.

Tendit Deus funiculum ad inferendam vastitatem. Deut 32. nu. 52.

Funiculi Adam sunt beneficia. Deuter. 32. nu. 66.

Funiculis dimensa fuit Terra promissionis. nu. 98.

Funiculus sumitur pro parte, sive sorte. numero 99.

Furor.

Sumitur sępe pro veneno. Deuter. 32. numero. 211.

Generatio.

Idem est, ac genus hominum. Deuter. 32. nu. 64.

Item soboles, ac posteritas. Isai. 38. nu. 152. 153.

Generatio mala, & adultera, ąuę dicatur. Iaco 4. nu. 20. 21. 22.

Gentes, Gentiles.

Cur Gentes dictæ sint, non populus. Deut. 32. nu. 181.

Gentiles, tanquam publici peccatores, execrationi, & horrori fuerunt Iudęis. Epheſ. 2. nu. 38.
Pręputium vitio, ac probro illis vertebatur. num. 39.
Medium parietem inimicitiæ ſolvit Chriſtus. nu. 51. & 59.

Gentium vocatio.

Prædicta eſt à Moyſe. Deut. 32. num. 180. & num. 319.
Vide in Indice Morali, verb. Myſterium.

Genua.

Ineſt genibus præcipua animantis fortitudo: hinc illa adhortatio, genua debilia roborate. Nahum 2. nu. 82.
Labant ex formidine genua. nu. 83.

Gladius.

Per metaphoram dicitur comedere. Nahum 2. nu. 119.
Attribuitur illi os. nu. 120. 121.
Percutere in ore gladij, ſemper ſignificat ingentem carnificinam nu. 122.
Et cùm gladius dicitur devorare, aut inebriari. nu. 124.

Græci.

Sic vocantur Gentiles, quanvis neque lingua, neq; genere Greci ſint. Eph. 3. n. 20.

Græciſmus.

Elegantiſsimè participium uſurpatur pro infinitivo. Coloſſ. 1. nu. 70.
Deſideratur ſæpe prępoſitio. Epheſ. 1. numero 86.

Hæretici.

Vide in Indice Morali, verb. Sapientia falſa.
Nihil hæreticis inconſtantius. Iaco. 3. n. 99. & 100 & Iudæ, nu. 178. 179.
Hæretici ſunt nebulæ ſine aqua, inconſtantię flatibus huc illuc leviter exagitatæ. Iudę nu. 178. 179.
Fluctus turbulenti, cęlo terram miſcent, terra cęlum nu. 183.
Prudens Ducis Saxonię dictum de Hęreticorum levitate. Iaco. 3. nu. 99.
Fallaciſsimè venditant eloquentiam, ut ſuis mendacijs vel fucatum colorem illinant. Coloſſ. 2. nu. 15.
Elephantis ſimiles. Iudæ, nu. 2.
Non ferunt caſtę aures, portentoſas, & planè belluinas Hęreticorum libidines memorari. nu. 8. & 9.
Hęretici in eam poſſeſsionem, quę Catholicorum propria eſt, contra ius, & fas irrumpunt. Iudę, n. 48.
Immanis, & lupina contegitur in Hęreticis ſub ovina pelle rapacitas. nu. 48. 49. 50.
Editis illorum notis, prævenit nos Chriſtus. nu. 52. 53.
Vix unquam reperietur Hęreticus caſtus: omnes ſunt effuſiſsimæ libidinis. nu. 55. 56. 57. 58.
Nulla ferè extitit hęreſis, quæ Chriſtum non oppugnet. nu. 60.
Hęretici ſibi præfidentes, prępfracti, & contumaces, Magiſtratus omnes ſpernunt. Iudę, n. 114.
Myſteria Fidei, quæ prætervolant ipſorum captum, blaſphemijs inceſſunt. Iudæ, numero 156.
Omnes ferè hæreſes ortum habuerunt ex ſuperbia nu. 171.
Helluones ſunt Hęretici, nati abdomini ſuo. nu. 172.
Poſt compotationes, obſcœniſsima quęque patrabant. nu. 174.
Non Thraſſonica, ſed planè Luciferina eſt Hæreticorum iactantia. Iudæ nu. 177. & 209. & 211.
Mulierculas aſſentatiunculis ineſcatas, argento ſubtiliter emungunt. nu. 213.
Hæretici ſolent etiam eſſe Schiſmatici. numero 222. 223.

Hálleluia.

Quid propriè ſignificet. Iſa. 38. nu. 132.

Hebraicus Textus.

Puncta ſępe in illo perperam à Rabbinis affixa. Deuter. 32. nu. 162. Iſa. 38. nu. 6. & nu. 123. Malach. 2. nu. 16. Iudę nu. 120. & 122.
Multi queruntur, Hebraicum Textum Iudæorum malitia depravatum, ut eraderent apertiſsima de Chriſto vaticinia. Malach. 1. nu. 65. & 66.
Iſti dum ſe Iudęos oppugnare credunt, Catholicam Eccleſiam imprudentes oppugnant. nu. 67.

Hebraizantes.

Vide verb. Vulgata Editio.
Diſsident ſępe ſine cauſa à Vulgato, & à LXX. Deuter. 32. num. 182. & nu. 313. & 314.
Vbi diſcedunt à Latino Interprete, valde etiam inter ſe diſsident. Iſai. 38. nu. 111. & nu. 239.
Ex pullo hirundinis confingunt gruem. Iſai. 38. nu. 194.
Refigunt verba de Textu, aliaque arbitratu ſuo ſubrogant. Iſai. 38. nu. 218. 220. & 239.
Vim apertam Vulgati verbis ſæpe afferunt.

Isai. 38. nu. 241.
Deserta Vulgata Editione, interpretantur Hebraicum textum. Malach. 1. nu. 48. & cap. 2. nu. 84.
Quanto in periculo versentur, qui immodicè volunt Hebraizare. Malach. 3. nu. 9. & 10.

Hedera.

Hederam tangere, Sacerdoti nefas. Malach. 2. nu. 50.

Hieronymus.

Prodit, mulierculam ex puero decenni concepisse. Isai. 38. nu. 3.
Solet inferere suis scriptis aliorum fragmẽta, erroribus referta, neq; tamen ipsos errores refutare. Nahum 1. nu. 146.
Etsi non refellat, non tamen existimavit, Sodomitas fuisse salvatos. n. 145.
Fidenter asseverat, neminem in tota Scriptura fuisse à Deo maledictum. Malac. 2. nu. 11.
Refellitur tanti Patris opinio ex ipsa Scriptura. nu. 13. & 14.

Honor.

In Scriptura est subministratio earum rerũ, quæ ad victum, cultumque corporis requiruntur. Colos. 2. n. 92.

Horribilis.

Sumitur pro illustri, augusto, & venerando. Malach. 1. nu. 82. 83. 84.

Humiliare.

Quid sit, humiliare animam. Malach. 3. numero 56.

Humilitas.

Voci Latinæ *humilitas*, duæ Græcę respondent, valde inter se diversæ. Colos. 2. numero 81.

Iacobus.

Cognatione attingebat Christũ, oris etiam lineamentis effingebat. Iaco. 1. nu. 7.
Ideo frater Domini vocatus. Ibidem.
Quanta fuerit in veneratione ob incredibilem opinionem sanctitatis. nu. 9.
In refellendo errore de sola Fide iustificante, cęteris Apostolis palmam pręripit. num. 2.
Cur eius Epistola vocetur Catholica. nu. 5.
Cur primum inter cęteras teneat locum. num 6.
Cur reiecta fuerit à Luthero. nu. 3.
Probatur inconcussa eius auctoritas. nu. 4.
Oves suas dispersas pabulo salutari recreavit per Epistolam. nu. 11.
Gestare solitus coronàm ex aurea lamina. Iaco. 2. nu. 34.

Ianua.

Ante ianuam asistere, quid sit. Iaco. 5. numero 40.

Idolum. Idololatria.

Mera spurcitia: ob id vocabulo *sordes*, addito de suo, significãter exprimitur à Vulgato. Deute. 32. nu. 63.
Idola vocantur Dij alieni. nu. 116.
Dij recentes. nu. 156.
Dicuntur vanitates, & merum nihil. n. 177. 178.
Quid interfit inter sculptile, & conflatile. Nahum 1. nu. 190.
Qui Auctores tractẽt de Idololatrię origine. Deut. 32. nu. 157.

Idumæi.

Vnde sic vocati. Malach. 1. nu. 18.
Habitabant in scissuris petrarum. num. 11. & 12.
Subiugati sunt à David. nu. 14.

Ignis.

Quid sit traducere filios per ignem. Deut. 32. nu. 154.
Igneæ, sive faces, sive prunæ, amorem significanter exprimũt. Deu. 32. n. 264. 265.
Supplicium item igne denotatur. nu. 259.
Iracundia cõparatur igni. Nahum 1. n. 111. 112. 113.
Igneus, id est, rapidus. Nahum 2. num. 43. & 45.
Igni attribuitur lingua, & actio comedendi. Nahum 3. nu. 47.
Dicitur etiam lambere. nu. 48.
Nomine devorantis exprimitur. Malach. 1. nu. 64.
Argentum excoquit, scoriam absumit. Malach. 3. nu. 17. 18. & 19.
Ignis conflagrationis extremæ vehementissimus. Malach. 4. nu. 1. 2. & 3.
An sit antecessurus Iudicis adventum. numero 4.
Ignis dicitur lingua quatuor de causis. Iaco. 3. à nu. 22. usque ad 28.
Inest in igne mira nocendi celeritas. numero 23.
Quomodò vires ignis intercidantur, & dissocientur à Deo. Iudę nu. 88.

Imago.

Cur Verbum Divinum sit imago Patris. Colos. 1. nu. 116.
Est item invisibile, sicut Prototypon. numero 117.
Imaginis, & similitudinis in arcano sermone unus, atque idem est significatus. Iaco. 3. à nu. 70. usque ad 73.

Infernus.

Frequentiùs ſubterranea loca, id eſt, Limbum, Purgatorium, aut Infernum: interdum verò mortem, ſepulturamve ſignificat. Deut. 32. nu. 182. 183.

Cur in vetere Teſtamento Infernus ſæpe ſignificet mortem, aut ſepulchrum. Iſai. 38. nu. 117. & 118.

Infernus dicitur non confiteri Deo, quia animæ in Limbo, Purgatorioque detentæ, non poterant voce Divinas laudes celebrare. Iſa. 38. nu. 284.

Interficio.

Nonnunquam idem eſt, atque diſperdo. Nahum 1. nu. 193. 194.

Ioſephus.

Hallucinatus in hiſtoria Ezechiæ. Iſai. 38. nu. 4. & 5. & nu. 78. 79.

Falſò prodidit, Moyſen non fuiſſe mortuũ. Iudæ nu. 135. 136.

Ioſue.

Vnà cum Moyſe Auctor Cãtici, Audite cæli. Deut. 32. nu. 1.

Vterque illud, audiente populo, recitavit. num. 4.

Admirabili fiducia imperavit Soli. Iſai. 38. num. 94.

Iſidorus Clarius.

Pro ſacro textu ſuam interdum explicationem obtrudit. Iſai. 38. nu. 241.

Iudæi.

Gens fuit ſubdola, atque verſuta. Deut. 32. nu. 64.

Signorum appetentiſsima. Iſai. 38. nu. 91.

Iudæorum errorem, ex arrogantia ortum, refutat Paulus. Malach. 1. nu. 17.

Similem refellit Hieronymus. nu. 51.

An in fine mundi Iudæi omnes convertendi ſint ad veram fidem prædicatione Eliæ. Malach. 4. nu. 34. 35. 36.

Decies centena millia Iudæorum inhabitarunt AEgyptum. Iaco. 1. nu. 10.

Iudæi ab inſito ingenio gloriæ popularis avidiſsimi ſunt. Iaco. 3. nu. 1.

Callidiſsimè obrepunt ad honores. nu. 2.

Quà vi, quà aſtu, quà obſequijs, ſceptrum regiminis obtinuerunt in Hiſpania. nu. 3.

In primitiva Eccleſia mox ut Baptiſmo tincti erant, ad magiſterij titulum, ac munus aſpirabant. nu. 4. & 5.

Cur vocati fuerint Sabbatarij. Epheſ. 2. numero 53.

Pulſi urbe Roma, quòd crederetur natio ad tumultuandum proclivis. nu. 54.

Sordidiſsimis miniſterijs vitam ægrè tolerabant, vulgò dicti fœtentes. nu. 55.

Iudæi ingenio fuerunt ad idololatriam valde lubrico, atque proclivi. Iudæ numero 129. 130.

Nuſquam legimus, eos mortuorum Patriarcharum oſſa pro Numine coluiſſe. à numero 130. uſque ad 134.

Iudicare.

Protegere, liberare: ſæpius, punire. Deu. 32. nu. 273. 274.

Iudicium.

Eſt norma præſcribens ea, quæ fieri æquum eſt. Deut. 32. nu. 38. 39. 41.

Interdum ſignificat miſericordiam. nu. 42. 43. 44.

Dei iudicia ſunt ipſiſsima trutina. num. 41.

Iudicia facere, eſt, ſceleratos ſententiæ mucrone ferire. Deut. 32. nu. 304.

Iudicium vocatur ultio Divina, quia libratur æquiſsima iuſtitiæ lance. nu. 306.

Iudicium ſæpe idem eſt, atque damnatio. Iudæ nu. 51.

Iuniperus.

Carbones iuniperorum ſunt ardentiſsimi, diutiſsimique caloris. Iaco. 3. nu. 28.

Iuſtificatio.

Sæpe nomine iuſtificationis intelligitur iuſtitiæ incrementum. Iaco. 2. num. 91. 92. 93. 94.

Iuſtitia.

In ſacro ſermone omne virtutis officiũ cõprehendit. Iaco. 1. nu. 125.

Sæpe ſignificat eleemoſynam. Malach. 4. num. 13.

Reputari ad iuſtitiam, quid ſit. Iaco. 2. numero 93. 94.

Lac, & mel.

Proverbiali locutione exprimitur fertilitas terræ, cùm dicitur manare lacte, & melle. Deut. 32. nu. 136.

Eſt etiam locutio metaphorica, & hyperbolica. nu. 137. 138.

Lacus.

Quàm multa ſignificet in Scriptura. Iſa. 38. à nu. 288.

Lapis.

Lapideis põderibus Veteres utebãtur. Deu. 32. nu. 41.

Lapis idem eſt, ac pondus. Ibidem.

Lebbæus.

Cur ſic vocatus Iudas Thadæus. Iudæ numero 13.

Leo.

Leones in Paleſtina frequentiſsimi. Iſa. 38. num. 191.

Leo ſolo rugitu exanimat, & proſternit animantes. nu. 192.
Ineſt ingẽs robur dẽtibus leoninis. nu. 193.
Fortitudo in ſuperandis leonibus. nu. 191.
Crebra ſimilitudo à leonibus ducta in Scriptura. n. 191. 192. 193.
Leo quinque vocabulis appellatur in lingua ſancta. Nahum 2. nu. 91.
Catuli leonum audaciſsimi. nu. 92. 93.
Leunculi dicuntur alienorum bonorum direptores. nu. 94.
Superbus dominatus rapacitate leonum exprimitur. nu. 95.
Rotarũ orbibus circumactis leones perterrentur. Nahum 3. nu. 9.
Leo, niſi extrema fame enectus, nunquam attingit infantes. nu. 31.
Primus leonis domitor cur occiſus. Iaco. 3. nu. 54.

Levi.

Tribus Levitica, Primogenitorũ loco Deo conſecrata. Malach. 2. nu. 25.
Nullam obtinuit ſortem in terra Promiſsionis, atque adeò non numeratur inter cęteras Tribus. Ibidem.
Sacerdotes initiabantur ex familia Aaron; Levitæ, ex alijs familijs. nu. 26.
Pactum initum cum Tribu Levi cupit Deus ratum, & inviolabile permanere. nu. 27.

Liber.

Cur vocetur liber prophetia Nahum. Nahũ 1. num. 16.
Epiſtola ſæpe appellatur liber. nu. 17.
Liber monumenti quis eſſet. Malach. 3. nu. 75.

Linea.

Grandioribus lineis notabantur horæ. Iſa. 38. nu. 105.

Liptotes.

Id eſt, diminutio: quæ figura ſit. Epheſ. 5. nu. 10. & 11.

Lorica.

Quid ſit, & unde dicta. Epheſ. 6. nu. 32.
Ferreis annulis, ſeu catenulis texebatur. numero 35.
Cur vocetur hamata, vel potiùs ſquamata. nu. 36.

Lumbi.

Lumbos accingere, præliantis habitus. Nahum 2. nu. 11. 12.

Lutherus.

Cur Iacobi Epiſtolam repudiaverit. Iaco. 1. nu. 3.
Fuit impotentis avaritiæ, atque libidinis, & dæmoniacæ ſuperbiæ typho turgens. Iaco. 4. nu. 95. 96. 97. 98.
Thraſſonica eius iactantia. Iudæ nu. 212.

Lux.

Per lucem, fauſta, atque fęlicia; per tenebras verò, dira, & cąlamitoſa denotantur. Nahum 1. nu. 139. & Malach. 4. numero 10. & 11.
Lucis encomia. Coloſ. 1. nu. 69.

Macula.

Communiter ſignificat defectum, vitiumve corporis. Deut. 32. nu. 59.
Corpus venuſtum, dicitur ſine macula. numero 60.
Denotat etiam generatim hæc vox, quidquid in reprehenſionem incurrit. nu. 61.
Maculæ vocantur homines ſpurciſsimi. numero 62.

Magnificentia.

Quid propriè ſit, cùm Deo attribuitur. Deut. 32. nu. 26. & 27.
Dare magnificentiam Deo, eſt eius magnitudinem celebrare. nu. 28.
Magnificare, & glorificare Deum, eſt illum laudare. Ibidem.

Magna loqui.

Eſt ventoſè, ac tumidè ſe iactare. Iaco. 3. num. 17.

Malachias.

Origenes exiſtimavit verum fuiſſe Angelũ. Malach. 1. nu. 7.
Ob præſtantem formam, moreſque ſuaviſsimos Angelus vocatus eſt. Ibidem.
Et quia ſæpe illi vaticinanti adſpectabilis Angelus apparebat. nu. 8.
An fuerit Eſdras. Ibidem.

Manus.

Significat vires. Deut. 32. nu. 278. & Malach. 1. nu. 5.
Manũ Dei effugere nemo poteſt. Deut. 32. nu. 292.
Manum in cælum levare, ritus iurantis. numero 297.
Manum defigere, ritus ſpondentis. Iſa. 38. num. 226.
Manu plaudere, geſtus eſt gratulantis, aut inſultantis. Nahum 3. nu. 65. 66. 67.
Cur manus ſumatur pro ſpiritu prophetico. Malach. 1. nu. 5.
Et pro artificioſa locutione. nu. 6.

Meditari.

Non ſignificat cogitare modò, ſed cogitationem ipſam prodere. Iſa. 38. nu. 201.
Sæpe idem eſt, ac gemere. nu. 202.

Mel.

Vide verb. Lac.

Mellis primitias offerri, non vetabat lex. Deut. 32. nu. 137.

Mensa propositionis.

Vocatur Altare. Malach. 1. nu. 34.

Qui panes dicerentur polluti. nu. 35.

An conficerẽtur Sacerdotum manibus. numero 36.

Metasthenes.

Quibusdam est Auctor dubię fidei. Nahũ 1. nu. 189.

Minare.

Est quasi bacillo gregem, aut stimulo boves agitare. Nahum 2 nu. 62.

Miracula.

Nequé Magæ, neque Antichristus, imò ne ipse quidem dæmon potest insistere, aut reflectere Solis cursum. Isa. 38. n. 96. 97.

Misereri.

In lingua sancta, misereri Deum, idem est, ac se solari. Deut. 32. nu. 275. 276.

Mons.

Mons vocatur terra Promissionis, quia mõtosa. Deut. 32. nu. 132.

Tamdiu montes amænitatem retinẽt, quãdiu velit illam Deus cõservare. Nahum 1. nu. 94. 95.

Tremere, ac liquescere dicuntur à facie Domini. nu. 97. 98.

Re vera inter se collisos veluti arietasse, existimavit Genebrardus. n. 99.

Quæ omnibus publicè denuntianda erant, ex montibus præconis voce proclamata. Nahum 1. nu. 204. 206.

Hierusalem in montibus sita. nu. 205.

Mors.

AEgrotare, irasci, tristari, usq; ad mortem, exponitur. Isa. 38. nu. 6. &. 7.

Moyses.

Primum eius Canticum universus populus afflatu Spiritus Sancti simul decantavit. Deut. 32. nu. 2. & 3.

Postremum non est oratio soluta, sed astricta numeris. Ibi nu. 5.

Est poema longè vetustissimum. nu. 6.

Quo genere versus constet. Vide verb. Poesis.

Continet summam totius Legis. nu. 10.

Cur à Machabæis protestatio Cantici nominetur. nu. 12.

Indubitatum est obijsse Moysen. Iudæ numero 135. 136.

Ignoratio sepulchri redundat in summam eius gloriam. nu. 138. 139.

Fuit caput populi Hebræi, summus Sacerdos, supremus Legislator, Rex etiam, ac Princeps temporalis. à num. 150. usq, ad 153.

Quæ fuerit illa Michaelis cum diabolo disceptatio de corpore Moysi, copiosè discutitur à nu. 125. usque ad 155.

Myrica.

Humile quidpiam denotat. Isai. 38. numero 196.

Nasus.

Cur ira significetur naso. Nahum 1. numero 52. 53.

Nebula.

Caligine oculis offusa, hostium consilia prævertit. Nahum 1. nu. 82. & 86.

Nero.

Cur leo vocatus ab Apostolo. Nahum 2. numero 95. 96.

Persuasissimum habuit, neminem pudicum esse posse. Iudæ nu. 58.

Nicolaus.

Fuit unus è septem Diaconis electis ab Apostolis. Iudæ nu. 10.

Cur in turpissimam hæresim prolapsus. numero 11.

Sunt, qui eum liberent hac nota. numero 12.

Ninive.

Eodem regnante Sardanapalo, pœnitẽtiam egit, ad prædicationem Ionæ; & rursus in flagitia prolapsa, vastata est. Nahum 1. nu. 1. & 2.

Nomen eius sonat speciosam. num 10.

Fundata est à Nino ante ortum Abrahæ. num. 11.

Incredibilis eius magnitudo, civiumq; frequentia. num. 12. 13. & 14.

Fuit caput, & Regia sedes Monarchiæ Assyriorum. num. 15.

Inexpugnabilis eius fortitudo, superbaque confidentia. num. 103.

Disiecta tamen à Deo est. num 137. 142. 144. & cap. 2. num. 58. & 59. & num. 67. & 68.

Extracta ad triennium eius obsidio. Nahũ 2. num. 6. & num. 59.

Tanta in direptione strages edita est, ut fluvius redundante sanguine, colorem mutarit. Nahum 2. num 61.

Oraculum per manus traditũ à Maioribus, tunc Niniven capiendam esse, cùm urbi fluvius fieret hostis. Nahum 2. numero 68.

Noe.

Accuratè subducta summa vitæ illius, colligitur, anticipatum fuisse diluvium annis viginti.

vigint. Deut. 32. nu. 271. 272.

Nomen.

Nomen ineffabile unde ductum. Isa. 38. numero 132. 133.

Contractum IA significat Verbum incarnatum. nu. 133. 134.

Nomen unius invocari super alterum, quid sit. Iaco. 2. nu. 31.

Novissimus.

Novissima tempora, aut novissimi dies, qui sint. Iudæ nu. 218. 219. 220. & 221.

Nuditas.

Interdum idem est, atque ignominia. Nahũ 3. nu. 21. & 22.

Nunc.

Vim sæpe habet illationis. Deuter. 32. numero 287.

Obductio.

Quid propriè significet in Scriptura. Deut. 32. nu. 278.

Occisio.

Sumitur pro immolatione victimæ. Iaco. 5. num. 22.

Cur in die occisionis lauta convivia celebrarentur. nu. 23.

Oculi.

Cur in sacro sermone dicãtur parcere. Deu. 32. nu. 169.

Olla.

Ollæ combustæ similitudo ad exprimẽdam maciem, & horrorem. Nahum 2. nu. 85. 86. 87.

Omnis.

Aliquando idem est, ac summus. Iaco. 1. numero 19.

Onus.

Apud Prophetas significat grave, & acerbũ vaticinium. Nahum 1. nu. 4. 5. & 6.

Quid sit assumptio apud LXX. nu. 8. & 9.

Os.

Percutere in ore gladij, denotat sanguinariam hostium stragem. Nahum 2. numero 122. 123.

Os, idiomate Hebraico, idem est, ac voluntas, desiderium, nutus. Malach. 3. nu. 64.

Os dilatare, quid sit. Iaco. 3. nu. 18.

Ossa.

Ingens malum, quod penetrat ad ossa. Isai. 38. num. 190.

Ostendo.

Sæpe significat re ipsa elargiri. Nahum 2. num. 39.

Ostium.

Ostium aperiri Evãgelio, quid sit. Colos. 4. nu. 6. 7. & 8.

Pactum.

Initum à Deo cum Tribu Levitica. Malac. 2. nu. 27.

Pactum salis æternum, quid sit. nu. 28. 29.

Parcæ.

Parcarum nomina, & ministeria. Isa. 38. a nu. 161. usque ad 165.

Ad Parcarum fila, telamq; sæpius alluditur in sacro sermone. n. 159. 160. 166. 167. 168.

Finguntur Parcę stamina pulla deducere infęlicib⁹; fęlicibus verò, candida, aureave. nu. 162. 163.

Parco.

Parcere aliquando, non tam est, ignoscere, quã providentissimè consulere. Malac. 3. n. 80. & 81.

Pax.

Incolumitas, prosperitas, omniumque rerũ abundantia significatur pacis nomine. Malach. 2. nu. 35.

Quàm variè, & quàm significanter illustret hanc vocem Latinus Interpres. num. 36. & 37.

Pecuia.

Culta pro Dea à Veteribus. Colos. 3. n. 13.

Nullum illi templum extructum à Romanis. Ibidem.

Per.

Præpositio *per*, nihil derogat veræ efficientiæ. Colos. 1. nu. 123.

Petra.

Petra, sive rupes, cur vocetur Deus. Deut. 32. nu. 31.

Phinees.

Contigit illi vita supra mortales omnes sui sæculi longissima. Malach. 2. nu. 27.

Plato

Explicuit Hesiodi dictum, dimidium plus esse toto. Deut. 32. nu. 143.

Pœnitere.

Quo sensu dicatur Deus pœnitere. Isa. 38. nu. 13. & 14.

Poesis sacra.

Est longè vetustior, quàm prisca illa Græca Orphei, Lini, Homeri Deut. 32. nu. 6.

Cognitu est difficillima nu. 7. & 8.

Quidam aiunt eam exametro versu constare. nu. 7.

Pari syllabarum numero, & vocibus similiter desinentibus, sæpe concluditur. nu. 9.

Qui Auctores scripserint de Pŏesi Hebraica. nu. 9.

Populus Hebræus.

Cur Dei sanctificatio vocaretur. Malach. 2. num. 64. 65.

Numerosissima sobole auctus. Deuter. 32. num. 79.

Terram illi Deus benignissimè providit, eamque septem Gentibus, tanquam colonis ad tempus elocavit. nu. 92. 93.

Vocatur sors Dei. nu. 100.

Populus peculiaris. num. 101.

Deus ipse pars, & sors illius fuit. num. 102. 104.

Quantopere eum dilexerit, sine ullis meritis. nu. 106. 107.

Providit illi necessaria ad victum in deserto. nu. 108.

Neque vestimenta, neque calceamenta consumpta sunt quadraginta annis. nu. 108.

Ductor illius fuit. nu. 117.

Quasi curru vectum triumphatis hostibus introduxit in terram Promissionis. numero 131.

Mulieres illius populi propensissimæ ad Idololatriam. Deut. 32. nu. 165.

Possidere.

Idem est, ac generare, interdum creare: frequentius tamen emere, aut redimere. Deut. 32. nu. 69. 70. & 72.

Porcus.

Aptissimum symbolum libidinosi. Iudæ numero 227.

Anima illi data pro sale, ne putrescat. Ibidem.

Portæ mortis.

Id est, summum, ac præsentissimum mortis periculum. Isai. 38. nu. 116. 119. 120.

Præparare.

Sæpe idem est, ac firmare, stabilire. Deut. 32. num. 81.

Præputium.

Vitio, ac probro Ethnicis vertebatur à Iudæis. Ephes. 2. nu. 39.

Presbyter.

Significat hæc vox vel ætate senes, vel ordine sacro insignitos. Iaco. 5. nu. 66.

Cum de sacris functionibus sermo est, necessariò intelligendi Sacerdotes. nu. 67.

Pretiosus.

Idem est, ac rarus: quia omne rarum pretiosum est. Iaco. 1. nu. 114.

Primogenitus.

Cui dicatur Christus Primogenitus B. Virginis. Colos. 1. nu. 120.

Principium.

Sive initium, significat primum, & præstantissimum. Iaco. 1. à nu. 104. usq; ad 108.

Prophetia.

Comminatoria, etsi absolutè denuntietur, tamen conditionem tacitam includit, modò hominem non pœniteat. Isa. 38. à numero 13. usque ad 16.

Cur Prophetæ dicerentur Videtes. Nahũ 1. nu. 18. 19. & 20.

Propositum.

Quæ sit vocatio secundum propositum. Ephes. 1. nu. 20 & 23.

Proscribere.

Bona debitoris proscribebantur, affixa publicè tabella. Colos. 2. nu. 64.

Qui se vadem dabat, tabellam refigebat, Ibidem.

Psallere.

Quid propriè sit in Scriptura. Iaco. 5. numero 61.

Pupilla oculi.

Symbolum rei unicè dilectæ. Deut. 32. numero 110.

Purpura.

Vide verb. Coccus.

Quadrigæ.

Præcipua bellici roboris pars. Nahum 2. numero 116.

Per quadrigas intelliguntur etiam sessores. nu. 117.

Quadrigis affectata opinio Divinitatis. Nahum 3. nu. 9.

Raab.

Qui eam non meretricem, sed cauponam fuisse dicunt, Scripturæ repugnant. Iaco. 2. num. 100.

Simul atque veram de Deo concepit Fidẽ, emersit è turpitudine, & laudabilẽ vitam egit. nu. 101.

Rabbini.

Humi repunt: explicationes suas vix digitũ à terra tollunt. Deut. 32. nu. 88. Nahum 2. nu. 127. Malac. 2. nu. 70.

Hebraico textui sæpe puncta perperam affixerunt. Vide verb. Hebraicus textus.

Rapiò.

Non modò vim, ac robur, sed celeritatem etiam affert. Iudæ nu. 239. 240.

Recordari.

Aliquando significat, opẽ implorare. Nahũ 2. nu. 55.

Rectus.
Idem est, ac placidus, benignus. Deuter. 32. num. 50.

Redimere.
Quid sit redimere tempus. Colos. 4. nu. 11. 12. 13.

Religio.
Non à relegendo, sed à religando dicta. Iaco. 1. nu. 145.

Renes.
Labascunt renes horrore perfusis. Nahum 2. nu. 84.
Sunt quasi sedes correptionis Divinæ. Malach. 3. nu. 65.

Repudium.
Repudiare licebat Hebræis suas uxores, ob alias etiam causas, præter fornicationem. Malach. 2. nu. 82.
Libellus repudij mulieris honori consulebat. Ibidem.

Respondere.
Interdum idem est, atque spondere. Isa. 38. nu. 221.

Rota.
Rotę supplicium usitatum apud Hebræos. Iaco. 3. nu. 40.
Quàm grave illud fuerit. nu. 41.

Sacrificium.
Horrendis sacrificijs filiorum, ut prædo sanguinarius delectatur dęmon. Deu. 32. nu. 154.

Sæculum.
Sæpe significat mundi nascentis exordium. Deut. 32. nu. 83.
Subinde sumitur pro mundo. Ephes. 2. numero 1.

Sal.
Symbolum est longissimæ durationis. Malach. 2. nu. 29.
Statua salis uxoris Loth usque hodie durat. Ibidem.
Salis pactum æternum. nu. 28. & 29.

Salomon.
Vndecimo ætatis anno genuit Roboam, teste Hieronymo. Isa. 38. nu. 3.

Salvari.
Aut salvum fieri, est, evadere, impunè abire. Malach. 3. nu. 66.

Saluto.
Salutare pacificè, aut verbis pacificis, est incolumitatem, prosperitatemque precari. Isa. 38. nu. 261. 262.

Sanctificatio.
Dei sanctificatio vocatur populus Hebręus. Malac. 2. nu. 64. 65.

Sanguis.
Copiosa cruoris effusio quibus metaphoris in Scriptura declaretur. Deut. 32. à numero 307. usque ad 311.
Cur vinum vocetur sanguis. Deut. 32. numero 141.
Sanguis significat peccata. Nahum 3. numero 1.
Præsertim coniuncta cum violentia, & oppressione. nu. 2.

Sapio.
Non ad intelligentiam modò refertur, sed multò magis ad affectum. Colossens. 3. nu. 4.

Sarmentitij.
Cur sic vocati à Gentilibus Christiani. Iaco. 3. nu. 41.

Scriptura sacra.
Ex sensu mystico, ubi constiterit intentum fuisse ab Spiritu Sancto, efficax ducitur argumentum ad stabilienda dogmata Fidei. Malach. 1. nu. 16.
Solidè probatur, eadem Scripturæ sacræ verba multiplicẽ sæpe continere intelligentiam litteralem. Iudæ à nu. 119. usq; ad 124.
Nonnullos Canonicos libros iniuria temporum intercidisse, ex ipsa Scriptura constat. Ephes. 5. nu. 26. & Iudæ nu. 198.
Eadem sententia, verbis paululùm immutatis, sæpe explicationis gratia, continenter iteratur in Scriptura. Deut. 32. n. 20. Iaco. 1. nu. 81.
Abstracta sumuntur pro concretis. Deu. 32. nu. 45. & nu. 315.
Prophetæ enuntiant futura verbis pręteriti temporis. Deut. 32. nu. 130. Isai. 38. numero 77. Ephes. 2. nu. 21.
Hyperbole sæpe frequentata. Deut. 32. nu. 138. nu. 185. nu 188. Colos. 1. nu. 54.
Gignendi casus appositi vices gerit; quòd si sit numeri multitudinis, superlativi locũ obtinet. Deut. 32. nu. 318. & Nahum 3. nu. 5. Colos 1. nu. 90. & 110.
Continens sumitur pro contento, per metonymiam. Isai. 38 nu. 279.
Actio sæpe ponitur pro obiecto, sive materia actionis. Nahum 1. nu. 9.
Amplificationis gratia, idem verbum geminatum continenter repetitur. Nahum 1. nu. 73. 74.
Ironica permissio frequens in Scriptura. Nahum 2. nu. 7. & 9. Malac. 1. nu. 44. 46.
Præpositio *in*, apposita nomini, gerit vices adverbij. Malach. 3. nu. 23.

Particula *ſicut*, non ſemper declarat æqualitatem, ſed interdum ſolã proportionem. Malach. 3. nu. 24.
Coniunctio *&*, ſæpe eſt cauſalis, redditiva, & adverſativa. Malach. 3. nu. 32.
Cùm id, quod per Scripturam dictum erat, quanvis iam factum fuerit, tamen magis, ac magis fit; tum ea Scriptura impleri dicitur. Iaco. 2. nu. 96.
Sæpe omitti ſolet nota ſimilitudinis. Iaco. 5. nu. 22.
Apoſtoli, & Evangeliſtæ, cùm citant Scripturæ teſtimonia, non ſolent verba numerare, ſed appendere. Epheſ. 4. numero 11.
Aliquando res grandes verbis in ſpeciem humilibus exponuntur. Epheſ. 5. nu. 10. & 11.
Genitivus *Dei*, appoſiti vicem ſubit; & nominis, cui adiungitur, exaggerato gradu, ſignificatum intendit. Iudæ nu. 80.
Hebraica lingua caret ſuperlativis; eaque ſupplet hac notabili loquendi formula. Iudæ nu. 80.

Semel.

Semel perire, quid ſit. Nahum 1. num. 147. 148. 149.
Semel loqui, aut decernere. Iudæ numero 47.

Semen.

Sumitur pro liberis: & ſeminari populum, eſt augeſcere ſobole numeroſa. Nahum 1. nu. 182. 183.

Sennacherib.

Cur in templo contrucidatus à filijs. Nahũ 1. nu. 165.
Incredibile eſt, inhumatum ibi diu iacuiſſe. nu. 195. & 200.

Septuaginta Interpretes.

Pro *fidelitate* verterunt *divitias*. Deute. 32. nu. 47.
Pro *ultione* ſcientiſsimè reddiderunt *iudicium*. Deut. 32. nu. 306.
Pro *delectari in Domino*, *fiduciam in eo habere*. Iſa. 38. nu. 36.
Pro *ambulare cum Deo*, *placere Deo*. Iſa. 38. num. 37. & nu 40.
Pro *bono*, aut *recto*, *placitum Deo*. Iſai. 38. nu 41.
Pro *iratus eſt*, *diſtulit*. Nahum 1. numero 42. 43.
Eorum verſio notabilis, *peccaverunt non ei*, exponitur Deut. 32. nu. 57.
Item illa: *Conſtituit terminos Gentium, ſecũdum numerum Angelorum Dei*. Deu. 32. nu. 85. 86. 94. 95. 96.
Item illa: *In excelſo dierum*. Iſai. 38. numero 115.
Celebris etiam illa: *Nõ puniet Deus bis in id ipſum*. Naham 1. à numer. 145. uſque ad 150.
Illa item: *Sicut hora ſuper montes*. Nahum 1. nu. 207. 208.
Et illa de ſacrificio Cain: *Nonné ſi rectè offeras, non autem rectè dividas, peccaſti?* Malach. 1. nu. 52.
Cur vocabulum *horribile*, ipſi reddant, *illuſtre*, ſeu *manifeſtum*. Malach. 1. num. 82. 83. 84.
Chriſtum vocant magni conſilij Angelum. Malach. 2. nu. 47.
Concordantur LXX. cum Editione Vulgata. Deut. 32. num. 174. & nu. 299. 301. Iſa. 38 nu. 115.
Addunt interdum aliquid de ſuo, afflatu Spiritus Sancti, ad expreſsiorem loci intelligentiam. Deut. 32. nu. 281. Iſa. 38. n. 151. Malach. 4. n. 28.
Sæpe Apoſtoli, & Evangeliſtæ citant teſtimonia Veteris Teſtamenti ex Editione LXX. Deute. 32. nu. 319. Iſa. 38. nu. 39. Iaco. 4. nu. 33.
Cur dicere refugiant, Deum à nobis videri. Iſa. 38. nu. 142. 143.
Parcarum fabulas ſapientiſsimè correxerũt. Iſa. 38. nu. 164.
Cur *onus* reddiderint *aſſumptionem*. Nahum 1. nu. 8. & 9.
Illuſtrant ſua translatione locum difficillimum. Malac. 2. nu. 88. & 89.

Sepultura.

Inhumatum proijci, dirum, & ominoſum ſemper fuit. Nahum 1. num. 196. 197. 198.

Serapis.

Fuit Patriarcha Ioſeph, pro numine cultus ab AEgyptijs. Iudæ nu. 131.

Serpentes.

Sæpe ad ſupplicium divinitus immiſsi. Deu. 32. nu. 210.
Triſulcam linguam velociſsimè movent. Iaco. 3. num. 62.

Servus.

Quod munus eſſet ſervi à Commentarijs. Malac. 3. num. 75.

Si.

Quam vim habeat particula *ſi*, poſt verba iurandi. Deut. 32. nu. 299. 300. 301.

Signum.
Signorum appetentiſsimi Iudæi. Iſai. 38. nu. 91.
Plerique Patriarchæ poſtularunt non ex diffidentia. nu. 88. 89. 90.

Simon Magus.
In ſola Fide ſalutem reponebat, eaque commentitia. Iaco. 1. nu. 1.

Sol.
Solem gradum referre, aut ocyùs maturare, æquè difficile. Iſai. 38. numer. 95. 96. 98.
Non modò Sol, ſed omnes etiam cæleſtes orbes retroacti ſunt ad preces Iſaiæ. Iſa. 38. nu. 101. 102. 103.

Sophocles.
Victor renunciatus, præ effuſa lætitia repẽtinò obijt. Iſa. 38. nu. 174.

Sortes.
Sortibus diſtributa terra Promiſsionis. Deut. 32. nu. 98.
Quid ſortiũ vocabulo intellexerint LXX. Iſa. 38. nu. 164.

Sperare.
Interdum idem, ac timere. Iſa. 38. nu. 188.

Spes.
Sæpe ſumitur pro re ſperata. Coloſſenſ. 1. num. 41.

Spinæ.
Cur improbi ſpinis comparentur. Nahum 1. nu. 151. 152. 153.

Spiritus.
Cicero uſurpat vocem ſpiritus pro reſpiratione. Iſa. 38. num. 303.
Interdum in arcanis litteris idem eſt, ac ſermo. Iaco. 1. nu. 115.

Stare.
Erectionem corporis, & multò magis firmitudinem animi ſignificat. Nahum 1. numero 105.

Stellæ.
Dicuntur militia cæli. Nahum 2. num. 112. 113.
Aſtrologi falsò gloriantur, ſe omnes ſtellas in numerato habere. Nahum 3. numero 52.
Refellitur hæc perſuaſio. nu. 53. 54. 55.
Dei proprium, ſtellas numerare. nu. 56.
Stellas de cælo cadere, quid ſit. Iudæ numero 188.
Cur Planetæ dicantur ſydera errantia. numero 189.

Stilare.
Dicitur de temporario ſupplicio, etſi graviſsimum ſit. Nahum 1. nu. 115. 116. 117.

Superbia.
Sæpe ſumitur pro magnificentia, & gloria. Nahum 2. nu. 19.

Suſcipere.
Eſt ſpondere, ac fide iubere. Iſai. 38. numero 223.
Suſcipere faciem alicuius, eſt placabilem ei ſe præbere; petita liberaliter elargiri. Malac. 1. nu. 43.

Tabernaculum.
Paſtoritio tentorio ſobolem ſuam comparavit Ezechias. Iſa. 38. nu. 57.
Aliàs ſolet duci ſimilitudo humanæ vitæ à tabernaculo. nu. 156.
Cur populus Dei, & ipſæ urbes tabernacula vocentur. Malach. 2. nu. 69.

Tabeſco.
Tabeſcere apud Vulgatum idem, ac liqueſcere. Nahum 2. nu. 66.

Tempus.
Tempora iam elapſa, & antiqua, nobis meliora videntur. Malach. 3. nu. 26.

Tenebræ.
Significant res adverſas. Nahum 1. numero 139.
Cur tenebræ dicantur vincula. num. 140. 141.

Tentare.
Tentare Deum, eſt, ex præſumptuoſa confidentia velle experimentum capere potentiæ, ſapientiæ, aut bonitatis illius. Malach. 3. nu. 68.
Item, ad iracundiam provocare, & quaſi Divinæ patientię experimentum ſumere. nu. 69.

Tergum.
Proijcere poſt tergum, eſt penitus obliviſci. Iſa. 38. nu. 269.

Terra Promiſsionis.
Funiculis primò dimenſa, in parteſque diviſa: ſortitò deindè diſtributa. Deuter. 32. nu. 98.
Montoſa fuit, & feraciſsima. num. 130. 132. 133.
Lacte, & melle manans. nu. 136.
Mellitos fructus producens. nu. 137.
Cur vocetur Terra viventium. Iſai. 38. numero 139.
Cur appelletur fortitudo. Deu. 32. nu. 133.

Tertullianus.
Cur ſcripſerit librum de Corona militis. Iaco. 1. nu. 72.

Austerioris disciplinæ, arctioriſq; vitæ cultu ſuperbiens, ab Eccleſia ad Montanum defecit. Coloſ. 2. nu. 91.

Teſtamentum.

Quid propriè ſit in arcano ſermone. Epheſ. 2. nu. 44.
Carpitur hæc vox à Novatoribus. Ibidem.
Significātiſsimè Vulgatus pactum, aut fœdus vocavit Teſtamentum. nu. 45.
Nullum ferè fœdus ictum eſt, niſi morte, & ſanguine interveniente. nu. 45. & 46.

Teſtudo.

Exempto corde ſpirat adhuc, & movetur. Iudæ nu. 99.
Cur fingatur Venus premens teſtudinem. Ibidem.

Thales Mileſius.

Aſſeruit, non ſolùm facta, atque dicta, verùm etiam cogitata Divinis oculis patere. Iſa. 38. nu. 38.

Thus.

Maſculum deſtinatum ſacris ſuffitibus. Malach. 1. nu. 78.

Tondeo.

Cur ad vaſtitatē hoſtilem referatur. Nahū 1. num. 164.

Torcular.

Torcular calcare, quid denotet in Scriptura. Deut. 32. nu. 309. 310.

Traducere.

Quid ſignificet in ſacro ſermone. Coloſ. 2. nu. 68. 69.

Tranſeo.

Tranſire, aut pertranſire, quid ſignificent. Nahum 1. à nu. 166.
Hoſtile quiddam præferunt. nu. 219.

Triumphus.

Triumphantes ad oſtentationem debellatos hoſtes deducebant ante currum, revinctis manibus. Coloſ. 2. nu. 70.
Cleopatra mortem ſibi conſcivit, ne duceretur in pompa. Ibidem.
Crux fuit triumphalis Chriſti currus. numero 71.
Qui abducti fuerant ex miſera hoſtium ſervitute, gratitudinis ergò, abraſo capite, pileati, triumphantis currum proſequebantur. Epheſ. 4. nu. 15.

Vas.

Idem eſt, atque inſtrumentum. Vaſa mortis, ſagittæ. Vas interfectionis, gladius. Nahū 2. nu. 71.
Vaſa Pſalmi, aut Cantici, organa muſica. numero 72.
Vaſa tranſmigrationis, ſupellex ad iter faciendum. nu. 73.
Vaſa deſiderij, monilia pretioſa. nu. 74.

Vendo.

Quid ſit, Deum vendere populum ſuum hoſtibus. Deut. 32. nu. 235.

Veracitas.

Differt à fidelitate. Deut. 32. nu. 46.

Verbum Divinum.

Aſſumpſiſſe aliquando corpus aereum, multorum Patrum opinio fuit. Deut. 32. numero 119.
Eo indutum luctatum fuiſſe cum Iacob, aſſeruit Concilium Syrmienſe. num. 121.
Ea opinio non eſt digna aſperiore cenſura. nu. 128.
Sed oppoſita eſt multò certior, in omnibus apparitionibus Angelum Dei perſonam ſuſtinuiſſe. à nu. 123. uſque ad 129.

Veſtis.

Quæ ſit veſtis candida, vel alba. Iaco. 2. numero 10. & 11.

Via.

Viæ Dei, quæ dicantur. Deuter. 32. numero 37.
Viam parentum inſiſtunt filij benemorati. Malach. 2. nu. 53.
Viam parare Deo, quid ſit. Malach. 3. nu. 6. 7. & 8.

Victima.

Quæ eſt ſine ullo defectu, vitiové corporis, dicitur ſine macula. Deut. 32. nu. 59.

Video.

Videre, abſolutè poſitum, gratiſsimum ſpectaculum oculis haurire. Malach. 1. numero 21.
Inſedit Veteribus opinio, eum, qui vidiſſet Deum, ſtatim moriturum. Malach. 3. numero 66.
Videre, ſeu conſiderare, interdum idem, ac ludibrio habere. Deut. 32. nu. 173.
Videntes olim dicti Prophetæ. Nahum 1. nu. 18. 19. & 20.

Vinea.

Sæpe ſumitur in Scriptura pro populo Dei. Nahum 2. nu. 21. 22.

Vinum.

Interdictum erat, bibere vinum libaminum. Deut. 32. nu. 282.

Virga.

Sumitur pro sceptro. Deut. 32. nu. 103.

Item pro supplicio. Nahum 1. n. 174. 175.

Virgam hostium, præter modum cæstigantium, projcit in ignem Deus. Deut. 32. 218. 219. 220.

Virgilius.

Ingeniosè attribuit Neptuno, quod Evangelistæ Christo, in sedanda maris tempestate. Nahum 1. nu. 87. 88.

Virtus.

Sæpe idem est, atque exercitus. Nahum 2. nu. 104.

Item robur, & fortitudo. Colossens. 1. numero 86.

Virtus, & Spiritus Sanctus frequentissimè copulantur. num. 88.

Virtus sumitur pro Spiritu Sancto. nu. 87.

Et pro efficacia Verbi Divini, potestatéque patrandi miracula. Colossens. 1. numero 181. 182.

Vmbra.

Est pictura rudis, & inchoata, & sic opponitur imagini expressæ. Colossens. 2. numero 75.

Est item umbra, quæ efficitur oppositu corporis opaci. nu. 76.

Vmbra mortis.

Est tristissima rerum facies, terrorem incutiens. Colos. 1. nu. 104.

Vocari.

In arcano sermone plus quiddam significat, quàm esse. Ephes. 3. nu. 44.

Vrim, & Tumim.

Quid significarent in Rationali Sacerdotis. Malach. 2. nu. 45.

Vulgata Editio.

Vel puncta ipsa Editionis Vulgatæ religiosè retinenda. Nahum 1. nu. 191. 193.

Apicem mutare, religio est. Malach. 1. numero 50.

Scientissimè vertit Vulgatus voces Hebraicas. Deut. 32. nu. 18. nu. 61. nu. 317. Isa. 38. nu. 123. nu. 187.

Quàm cumulatè expleat Vulgatus perfecti, & omnibus numeris absoluti Interpretis partes, in exprimenda fœcunditate, & multiplici intelligentia textus originalis. Iudæ à nu. 119. usque ad 124.

Defenditur ab Hebraizantibus. Deute. 32. nu. 58. nu. 182. num. 313. & 314. Isa. 38. nu. 111. & 112. nu. 218. & 220.

Et à Græcissantibus. Colos. 1. nu. 55. numero 62. Iaco. 1. nu. 80. & cap. 3. num. 110. Ephes. 6. nu. 48. & 49. Iudæ nu. 160. numero 172. 173.

Mille Hebraizantibus præferendus est Latinus Interpres. Isai. 38. num. 121. 123. 123.

Addit interdum aliquid de suo, afflatu videlicet Spiritus Sancti, ad expressiorem rei significationem. Vt vocabulum *sordes*, ad Idololatriæ turpitudinem notandam. Deu. 32. nu. 63.

Et *serpentes*. Deut. 32. nu. 208.

Et *in meam hunc recepi fidem*. Isai. 38. numero 223.

Et verbum, *introducere*, cùm de sectis sermo esset. Iudæ nu. 117. & 124.

Plerumque sequitur non Grammaticum vocis significatum, sed germanum intelligentiæ sensum. Isa. 38. nu. 112. nu. 196.

Non numerat Hebraica verba, sed prudentissimè appendit. Isai. 38. nu. 243.

Quàm variè, & quàm significanter illustret Vulgatus voces Hebraicas. Isa. 38. n. 123. 124. Nahum 1. à num. 77. usq; ad 80. & nu. 118. Malach. 2. nu. 36. & 37.

Nonnunquam, ut quàm maximè fidus sit in exprimendis hellenismis, nova cudit, apposité Latina verba, ad Græcorum imitationem efficta. Iudæ nu. 45. 46.

Interdum tam solicitè, ac fideliter verbum verbo reddit, ut Latina Grammatica reclamante, casus, & genera retinuerit linguæ originalis. Iaco. 1. nu. 84.

Vnicum vocabulum Græcum duobus, tribusve Latinis illustrat, quò eius vim exhauriat. Iaco. 1. num. 135. & cap. 3. num. 76. Iudæ nu. 148. & 160.

Græcismum quandoque retinet, quandoq; exponit. Iaco. 2. nu. 43.

Vocem Græcam, explicatu difficilem, planam facit luculenta periphrasi. Colos. 2. nu. 90. & cap. 3. nu. 44.

Originalem vocem Græcam alia item Græca præter morem effert. Colos. 3. numero 34.

Voce *paternitas*, venustam allusionem Græcam imitando adumbravit. Ephes. 3. numero 43.

In reddendo loco Pauli acutè vidit vim articuli Græci. Ephes. 5. num. 18.

Eadem omnino verba Hebraica, brevissimo intervallo repetita, ut illorum ambiguitatem exprimeret; inverso verborum situ, & ordine, scienter enunciavit. Iudæ num. 123.

INDEX

In extremis verbis Psalterij longè melius vertit, *spiritus*, quàm *respiratio*. Isa.38. num.301.302.303.

Nactus est codices emendatiores, quàm qui modò circumferuntur. Iaco.3.n.51. 52.53. & num.108. Ephes.4. num.29. Iudæ nu.68.

Si in aliquibus locis depravatus esset textus Hebraicus malitia Iudæorum, sequeretur Vulgatum eorum nobis corruptelas obtrusisse. Malac.1.nu.67.

Participia Græca Aoristi temporis, quàm variè soleat illustrare Vulgatus. Colos.1. nu.33.34.35.

Nomen *Agapetos* scientissimè vertit, *charissimus*. Colos.1.nu.62.63.

Cùm Latinum nomen positivum non exhaurit vim Græci, eam exprimit superlativo. Colos.1.nu.64.

Vocabulo *intentator*, Iacobi mentem optimè expressit. Iaco.1.nu.81.& 85.

FINIS.